


2-16-3565

Biblioteca Universitaria	
Sala	A
Estante	6
Tabla	
Número	275

BIBLI	OFAL
Sala	A
Estante	4
Número	63

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23





M.

MAGUS.

1. **M**agus vocatur, qui persuasus de potestate Dæmonis conatur efficere aliquid per media Diabolica ope incantationum & sortilegiorum.

2. Incantamenta & Magiam usque adeo detestatur Deus, ut talium abominationum reos exterminari tanquam vitâ indignos præceperit *Deuteron. 18. 12.*

3. Omnium magorum & Incantatorum famosissimus & quasi Antesignanus est *Simon* ille, de quo in *Actibus Apostolorum* fit mentio, talesque abominabiles homines nunquam non terra nostra tulit.

CASUS I. Idacius novellus adhuc Sacerdos & parochus audit Confessionem cujusdam sui parochiani, qui se accusat exercuisse se sortilegia & magiam per 15. vel 20. vices ab uno anno, cùmque non possit satis se explicare super hac materia, rogat parochum ut interrogationibus se juvet. Quid faciendum huic parochi, qui nunquam audivit pœnitentem hoc vitio illa queatum, & quasnam debet ipsi proponere interrogationes?

R. Sciendum à parochi, vocabulum hoc *Magus* esse terminum valde generalem, continentem plures species sortilegiorum & magiæ, quas in definitione sua comprehendit *Divus Bonaventura*:

1. *Sortilegium est Divinatio per sortes Divinatio est superstitiosa investigatio de scientia futurorum.* Diversæ hæ species sunt. 1^{mo} Astrologia judiciaria, qua quis à Dæmone seductus vult persuadere simplicibus bonam vel malam ipsorum sortem totam dependere à bono vel sinistro astrorum influxu. 2^{dò} Negromantia quæ est

Divinatio facta in cadaveribus mortuorum. 3. *Geomantia seu Divinatio facta in terra.* 4. *Hydromantia seu Divinatio facta in aqua.* Et 5. *Pyromantia quæ est Divinatio facta in igne.*

2. Datur præterea *maleficium* quod exercetur per certas ligaturas factas ad nocendum proximo, quodque aliis etiam variis modis exerceri potest. Sortilegium propriè sic dictum est *ratio divinandi per sortes.* *Augurium ex garritu avium* appellationem derivans, est incantamentum vel præstigium quò representantur falsa objecta vel alia quæcunque.

Idacius tandem scire debet quòd omnis divinatio sit damnabilis & graviter peccaminosa, continetque pactum expressum vel certè tacitum cum dæmone.

3. His jam prænotatis prima ac præcipua Idacii cura debet esse, obligare suum pœnitentem quomodocunque sit rudis, ut particulatim & quoad singulas, quantum fieri potest circumstantias, peccata de quibus se accusat, enumeret & exponat. Postmodum quærat ex ipso, an unquam inierit pactum expressum cum dæmone? quale fuerit illud pactum? in quo consistat? ex quo sine, modo, & sub quibusnam conditionibus tam ex illius quam ex dæmonis parte fuerit inritum? an pactum hoc nullam in se contineat blasphemiam, impietatem vel hæresin? post hæc obligandus est pœnitens ut dissolvat, rumpat hoc pactum, lacerando ignique tradendo ejus chir graphum cum charta, abrenunciando dæmoni, & ad Deum revertendo per sinceram pœnitentiam. 2^{dò} etiam interroget an ad consummandum tam im-



mane crimen non adhibuerit quasdam res sacras, quænam illæ fuerint, quo successu adhibuerit, specialiter verò an nulum exinde damnum evenerit proximo in vita, sanitate vel bonis fortunæ? 3. quibusnam illatum fuerit tale damnum, & quibus mediis? 4. An nunquam interfuerit conventibus magorum & sagarum, quomodo in hujusmodi societatibus sese gesserit, quidnam ibidem actum fuerit contra Deum, Religionem, Ecclesiam, proximum, castitatem &c? *Pontas.*

CASUS II. Flavianus carceribus & vinculis à Judice traditus accusatur de magiæ crimine probatur hoc ex depositione complicum, testantium ipsum raptum fuisse ex domo sua, quem ceu Sabbathum suum solemnem habent sagæ, & quia in una partium corporis sui reperiebatur stigma aliquod vel cicatrix impressa habens figuram unguæ quæ pars omni prorsus sensu carebat.

Mauritius Judex accusati nesciens ex perplexitate quam sententiam debeat ferre in reum suum has quæstiones proponit: nempe an dentur magi venefici & sagæ? an complices Flaviani sint testes idonei & ad testimonium contra reum ferendum admittendi? & si possint admitti an attentata sola ipsorum depositione ac testimonio sententiam mortis in reum possit decernere? an abductio ex uno in alium locum certa sit sortilegii probatio? an similiter stigma in corpore accusati inventum plena sit criminis magiæ probatio, an verò tantum semiplena?

R. Non potest dubitari quin dentur magi, incantatores & venefici, eorum quippe in pluribus locis Scriptura S. mentionem facit. Complices Flaviani contra ipsum non possunt admitti tanquam testes quoad punctum abductionis ad sacra diabolica Sabbati. *can. Episcopi 12. 27. q. 5. §. 1. & 2.* Interim tamen duo testes irreprehensibiles nec de eodem hoc crimine accusati, qui deponerent de raptu ad sabbatum, & de abominationibus quæ in hujusmodi conventu committi supponun-

tur, tanquam de factis verissimis, reatibus, & corporalibus, sufficerent ad condemnandum accusatum. Vera & corporalis abductio ad Sabbathum plenè posset probare sortilegium, sed probationes debent esse certissimæ, quas invenire vix videtur possibile. Quod attinet ad figuram unguæ potest naturaliter contingere, ut aliqui homines habeant ejusmodi stigmata corpori suo impressa, quin operationi dæmonis propterea possint adscribi, ac proin ne quidem semiplenam in judicio poterunt facere probationem sortilegii. *Ste Beuve tom. 3. Cas. 151.*

NOTA. Abductiones nocturnæ repentinæ à lecto præsentibus testibus fide dignis sunt quidem indicium operationis dæmonum, sed an fiant cum pacto patientis eam abductionem, vel in patientis probationem, vel in pœnam parentum, ex speciali permissione divina, desumendum est ex aliis circumstantiis. Ordinariè latent fraudes hominum & simplicitas testium.

MALEDICTIO.

1. *Maledictio* aut imprecatio dicitur votum, vî cuius quis vult & optat alicui, aut sibi aut alteri cuidam rei accidere malum.

2. Quamquam juxta *D. Thomam* maledictio, propriè loquendò, nonnisi ad creaturas rationales pertineat, pro objecto tamen principali potest aliquando etiam habere alias creaturas, & hinc indirectè tangitur ipse creator, cujus providentiam quis arguit, aut contra eam insurgit; vel tangitur proximus, cui optatur damnum exinde secuturum; & ejusmodi imprecationes à peccato excusari nunquam possunt.

3. Effectus maledictionum, utut injurarum, semper est, cur timeantur. Nihilominus habentur casus, quòd & Sancti, Spiritu Dei acti, ejusmodi imprecationibus usi sint contra peccatores, ut habeatur exemplum in Petro maledicente Simoni Mago.

4. Solus Deus, ut infinitè justus, maledicere creaturis potest.

f. S. Pe-

f. S. Petrus prohibet omnem maledictionem; Ex solius enim peccatoris ore procedit maledictio.

CASUS I. *Oruntius* quandoque profert verba maledictoria: peccatne semper mortaliter?

R. Nonnisi difficillimè à peccato mortali excusari potest: Maledictio enim, ut habet *D. Thomas 2. 2. q. 76. art. 3. in corp.* ex sua natura est peccatum mortale. Nihilominus verbum aliquod maledictiosum quandoque peccatum tantum veniale esse potest, vel quòd malum, quale quis imprecatur alteri, malum leve sit, vel quòd tantum ex ludo, absque sufficienti deliberatione, joci gratiâ proferatur. Hoc est principium Doctoris Angelici, juxta quod judicandus est *Oruntius. Pontas.*

CASUS II. *Ramillus* quandoque maledicit creaturis irrationabilibus; Peccatne mortaliter, si malum, quod imprecatur, malum grave est, plenâque deliberatio præcedat?

R. Mortaliter, juxta principia *D. Thomæ*, quis peccat, dum maledicit quis campo, equo, aut alteri creaturæ proximo, quem ejusmodi maledictio tangit, necessariâ. Peccat quis etiam mortaliter, dum maledicit creaturæ irrationali, si eam præcisè ut creaturam Dei consideret, sitque blasphemæ reus. Si verò quis eam intentionem aut attentionem non habeat, malumque, quod imprecatur creaturæ irrationali, proximo non noceat, nonnisi venialiter peccat. *Cajet. in sum. verb. Maledictio.*

NOTA. Si quis soli diabolo maledicat, v. g. illi imprecando suum laborem, saltem motus impatientiæ, & indirecta interpretativa murmuratio contra Dei ordinationem non vacat peccato veniali.

CASUS III. Rusticus quidam sæpè maledicit pluvix, vento &c. an peccat?

R. Regulariter loquendo non peccat, eoquod rustici ordinariè non in tantum maledicant pluvix, in quantum est instrumentum, sed ad nos punendos Deus utitur; Sed unice ideo, quia pluvia damnum quoddam illis affert. Interim tamen

cum nulla ratio tanti sit, liceat, ejusmodi verba proferre, peccant. *Cajet. 2. 2. q. 13. art. 1.*

NOTA. Ex genere suo tales maledictiones sunt peccatum mortale, cum rediunt in Deum, & graviter dehonestent religionem Christianam. Hinc datur gravis obligatio corrigendi consuetudinem.

MALEFICIUM.

CASUS I. Antonius vî cujusdam veneficæ cogitur confugere ad novum maleficium, ut illud, quò venefica hæc perdere voluit prolem Titii, in canem transferat. Licitène id facit, quin de novo peccet?

R. Si sermo sit de venefica, quæ maleficium jam completum destruxit per novum maleficium, absque novo peccato res fieri non potuit, cum maleficium hoc sit opus magiæ, quæ semper includit invocationem Dæmonis sive tacitam sive expressam, id quod intrinsicè est malum, adeoque semper illicitum. Si verò tantum sermo sit de tollendo maleficio, ad prolem perdendam præparatò, quidam authores putant Antonium licitè potuisse obsequi minis hujus veneficæ, dummodò prius maleficium absque novo maleficio mutari ab illa posse crediderit.

NOTA. In mea *Theologia* ostendi, doctrinam talium authorum esse superstitiosam. Si enim causatio & continuatio maleficii sit per continuam actionem dæmonis, ea solum impediri potest inhibitione divina, quæ non denegatur Deum debite imploranti. Si autem morbus jam est causatus, non saga, sed medicus juvare potest.

CASUS II. Quidam à Dæmone torquetur, aut torqueri creditur. Quid illi agendum.

R. Recurrendum est illi ad media, quæ Ecclesia permittit adhiberi, & consulit; nec à malo hoc per media, quæ aut expressum, aut tacitum cum maligno spiritu pactum supponunt, & nonnisi maleficio procurari queunt, liberare se illi licet. *Fromageau.*

Vide *Sortilegus.*

Dddd 3

MALI,

MALITIOSUS.

1. Nomine *Malitiosus* hic loci venit ille, qui jam habitum peccandi contraxit, qui cum malefecerit, gaudet, & gloriatur, & talis est quem describit S. Paulus ad Romanos c. 1. v. 28. & seq.

2. Christianus verè talis malitiosis communicare non debet, nisi ad eorundem conversionem quicquam contribuere se posse, non absque fundamento speret, & nisi ipsius perverſio timenda sit. Certum verò est, malitiosum dici non posse, qui nullum opus bonum facit, sicut nec justus dici potest, qui nullum opus malum facit. Si quis nonnisi in aliquo duntaxat malus, sensusque reprobatus est, absque crimine communicare quis illi potest, dummodo & periculum propriæ perverſionis, & scandalum proximi absit. E contrario actus charitatis erga illos exercere quisque debet, ut eos ad bonam viam reducat, si eos suis monitis parituros, sperare potuerit.

CASUS I. Potestne quis Malitiosum dicere & habere eum, quem sæpius plura commisisse crimina & novit & vidit?

R. Indubitatum est, quòd quivis homo, quantumcumque malitiosus sit, ad Deum adjutus gratiâ divinâ, quam nemini, qui illam, ut debet, implorat, denegat, convertere se possit. Magnum autem intercedit discrimen inter eos, qui ex malitia habituali & determinata, & inter eos, qui ex fragilitate, aut ex subita alicujus passionis violentia peccant. Peccatum habituale multo magis voluntarium est, quàm peccatum ex subita alicujus passionis, quæ est motus vitalis, violentia.

R. His suppositis 1. quòd generaliter loquendo non habendus quis sit pro malitioso ex eo capite, quòd aliquando fuerit in habitu pravo; potest enim ejusmodi homo se convertere, & fortè eo tempore, quo malitiosus judicatur, Deo acceptior esse illò, à quo talis judicatur. 2. Multo minus pro malitioso habendus ille,

quem quis scit, ex improvisa passionis cujusdam violentia cecidisse, cum tali facilius sit peccatum agnoscere, & de eo poenitentiam agere.

Regulam Bonifacii VIII. v. cujus *Semel malus semper præsumitur esse malus*; quòd attinet, illa in foro tantum externo locum habet; accedit, quòd hæc Regula tantum dicat, illum *præsumendum* esse talem, non *revera esse* talem. *Pontas.*

CASUS II. *Valerius* duos frequentat socios, quorum unus vino, & mulieribus alter jurandi & blasphemandi consuetudini serviliter addictus est, quin iisdem & cohabitare cogitat. Tutane id conscientia?

R. Si *Valerius* bene in virtute firmatus sit, & ex sua cum eis conversatione eorundem conversionem securam speret, poterit conversari, imò & cohabitare cum illis. Si vero sibi ipsi, ne pervertatur, timeat, eos evitare tenetur. In dubio verò ad quid teneatur, judicio Parochi aut Confessarii standum. *Pontas.*

Vide *Charitas. Odium.*

NOTA. Ideo consulendus est parochus & Confessarius; quia parochus ex conversatione *Valerii* externa, Confessarius autem Ordinarius ex ejus dispositione interna facilius novit, an ex parte *Valerii* reperitur periculum proximum, propinquum, remotum, vel omnino nullum seductionis; de quorum diversitate practica Vide in mea *Theol. in Tract. de peccatis.*

MANCIPIUM.

Mancipium seu servus est ille, qui potestati alienæ quoad servitia corporalia iusta plene in omnibus subjectus est. In Gallia & in omnibus Regnis Christianis Europæ servitus à multo jam tempore abolevit. Omnia, quæ leges Civiles statuunt circa mancipia, ad nihil aliud infervere possunt, quàm ut inde quædam inferantur Comparationes respectu Monachorum & Religiosorum, qui quoad nonnullos obedientiæ effectus comparari possunt Mancipiis. Aliqui tituli legis applicari possunt pro Domesticis & Famulis.

CA-

CASUS I. Armentarius, mancipium, ex sua uxore *Fabiola*, libera, duas suscepit proles: an istæ quoque sunt mancipia?

R. Si isti Armentarii liberi nati sunt in Regione, ubi leges civiles quoad servitutem observantur, liberæ conditionis sunt, cum ipsorum mater quoque libera sit, si verò nati sunt in Regione, in qua leges Romanæ non observantur, censendi sunt mancipia, sequentes conditionem Patris utpote nobilioris principii, à quo suam ducunt originem. Observandum tamen; quòd, licet juxta jus Romanum infantes sequantur conditionem Matris, id non intelligendum quoad honores, nobilitatem, ac dignitates, si pater sit liber. *Pontas.*

CASUS II. *Hassanus*, Turca, domi suæ sex habet mancipia Christiana, quæ emerat; his interdicit suæ Religionis exercitium, præsertim Confessionis & Communionis liberum illis adimit usum: quidam verò eorum illi non obtemperans severissime exceptus est; igitur quærit, an non obligatione annuæ confessionis & Communionis Paschalis eximatur, aut num in isto casu è domo sui Domini aufugere possit?

R. Non est exemptus ab obligatione confessionis & Communionis Paschalis, ideòque isti obligationi satisfacere tenetur, si potest; non obstante quòd malè excipiat verberibus, si verò non potest satisfacere permanendo in domo sui Domini, licet fugâ sibi libertatem procurare poterit. *Pontas.*

NOTA. Ratione barbaræ tractationis, & periculi vitæ, quòd aufugiendo incurreret, censèrem, illum à lege Ecclesiasticæ confessionis & communionis annuæ excusari.

CASUS III. *Pontius*, Centurio equestris in exercitu Imperatoris, in Hungaria duo emit mancipia, quorum unum *Turca*, alterum *Judæus* erat; verum uterque elapso mense Christianam amplexus est fidem; an inde libertatem recuperant?

R. *Pontius* non tenetur ex justitia eos libertate donare; tenetur tamen ad id ex charitate. *Pontas.*

CASUS IV. *Cœlius*, mancipium, mancipatum ad societatem negotiatorum mercaturam in Africa facientium, & mancipia inibi capta in Regno Peruano vendentium, cum Parisiis esset, ad *Gabinium* confugit, & ejus protectionem, ut à servitute liberaretur, implorat.

R. *Gabinus* tutâ conscientiam mancipium isthoc in præjudicium suorum Dominorum, qui *Cœlium* in Africa emerunt, in suam protectionem recipere, si *Cœlius* se ipsum vendidit, & ex matre servilis conditionis natus est in Regione, ubi servitus viget, aut si *Cœlius* ob quoddam commissum crimen servitute multatus est. Verum si *Cœlius* mancipium factus est in bello cum infidelibus injusto *Gabinus* *Cœlium* licet ad fugam juvare & protegere poterit. *Pontas.*

NOTA. Vide Casum sequentem.

CASUS V. An liceat tutâ conscientiam vendere mancipia, seu *Negros*?

R. Multi Authores censent; commercium *Negrorum* in Guinea, *Æthiopia*, & aliis Regionibus esse ordinariè injustum, ita quidem, ut si talia mancipia, mortaliter peccetur, & libertate donari debeant. Tres dantur differentes modi servitutis, jure belli, condemnatione, & emptione, qui, licet per se loquendo justissimi sint, tales esse tamen desinunt ob circumstantias concomitantes. 1. *Jure belli*, quando bellum est injustum, uti tale est bellum inter ipsos hos *Negros*, ad quod ipsos sola movet passio, titulus igitur servitutis talium injustus est, & tali occasione facta mancipia emi non possunt. 2. *Condemnatione*; iste modus sæpè quoque injustus est, præsertim si Condemnatio fiat ex odio vel ira, adeòque taliter facta mancipia emi non possunt; & quòd attinet illos, qui se ipsos vendunt, aut quos mater aut pater vendunt, id quandoque in certis quibusdam casibus tam gravis necessitatis, ac est ipsa servitus, permitti

mitti potest ut si ignorent, quid sit servitus: iidem tamen Authores credunt etiam tales non posse emi, quia eorum venditio injusta est. Si verò mancipia, quæ emuntur, iustò titulò talia sunt, & ex parte emptoris nulla nec iniustitia nec fraus intercedat, emi ea vendique possunt. Mancipia indifferenter emi possunt omnia hoc fine, ut convertantur ad veram fidem, & libertate donentur. *Fromageau.*

NOTA. Cùm servitus apud crudeles Dominos sit æquiparanda extremæ necessitati, & quilibet homo teneatur proximo, non ex crimine, sed ex infortunio in eam miseriam coniecto, succurrere non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate, manifestum est, jure naturali & divino illicitam esse tractationem inhumanam mancipiorum, aut venditionem emptoribus crudelibus.

MARTYRIUM.

1. Martyrium est *Actus fortitudinis, & testimonium externum veritatis fidei, alteriusve veræ virtutis per tolerantiam mortis.*

Verba hæc, *alteriusve virtutis*, indicant, quòd quis coronam martyrii mereri possit non solum, si mortem oppetat ob defensionem alicujus articuli fidei, sed etiam si mortem toleret pro conservatione castitatis, alteriusve virtutis à charitate imperatæ.

2. Præter Martyrium perfectum & consummatum ab illo, qui suffert mortem, est & aliud, quod *incompletum & inchoatum dicitur*, sive dein Deus miraculò suæ omnipotentia impediat, ne mors sequatur, sive faciat, ne tormenta tanti sint roboris, ut mortem afferant.

3. Infantes, illique, qui à nativitate sunt amentes, verè sunt Martyres, si mortem in odium Religionis subire cogantur, quod dici non potest de adultis; hi enim ipsimet libenter acceptare & sufferre mortem in odium I. C. aut ejus Doctrinæ sibi illatam, atque in statu gratiæ ipsò mortis momentò esse, fidem quoque & cha-

ritatem habere debent, si velint coronam martyrii promereri.

4. Martyrium aliquando etiam sub præcepto cadit; quando nimirum, ut habet D. Thomas, agitur de tuenda fide, aut evitando peccato mortali.

CASUS I. Orta in quodam Doctorum confesso controversia est, utrum aliquando Martyrium sit necessarium necessitate salutis, vel non? Cœcilius sæpius id contingere posse affirmabat, num benè?

℞. Haud dubiè dantur casus, in quibus Christianus sub pœna peccati mortalis obligatur sufferre Martyrium. Sic Christianus, qui inter Infideles & Hæreticos moratur, si juridicè de sua Religione interrogetur, sub pœna damnationis publicè veram fidem profiteri tenetur, etsi se perditurum vitam certò sciat. Idem dicendum de eo, qui aut indispensabiliter peccatum mortale committens aut mortem obire teneretur. *S. Thomas, quodlibet 4. art. 20. in corp.*

CASUS II. *Maximus*, Presbyter Missionarius in regno Tunkinensi martyrii desiderio flagrans, animare gentiles vult, ut sibi mortem inferant, sicque pro Christi nomine mori possit. Tutane id conscientia facere potest?

℞. Non potest; sic enim animaret gentiles ad committendum peccatum mortale, quod non licet. *Idem. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 3. cit.*

CASUS III. *Marculfus* Missionarius in Regno Siamensi cogitat, si aliquando esset martyrio afficiendus, semetipsum acceleraturum suam mortem, prout quidam Martyres sancti fecisse leguntur, ut longiora tormenta evitarent. An id facere absque peccato potuit?

℞. Leguntur quidem in Historia Ecclesiastica talia exempla SS. Martyrum prævenientium furorem gentilium, mortemque maturantium; at tales sancti id instinctu spiritus sancti egerunt. *Marculfus* tamen accelerare mortem non potuit, utpote qui tam facile præsumere non potuit, id se instinctu spiritus Sancti agere: Cùmque

que id privato non liceat, peccavit. *Idem in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. quæst. 2. ad 6.*

NOTA. Ea, quæ hic adscribuntur speciali instinctui divino, censo, rectè adscribi posse speciali permissioni divinæ, qua Deus ob altiores fines relinquit cursum dictamini invincibiliter erroneo Sanctorum.

I. MATRIMONIUM CONDITIO- NATUM.

1. A mundi origine Matrimonii author esse Deus voluit, eratque, dum illò quasi amoris, societatisque vinculo virum primum, primamque foeminam ligavit, ut & genus humanum per viam generationis multiplicaretur, & Salutare post peccatum remedium esset, quò concupiscentia carnis justos intra limites contineretur.

2. Ab æterno jam Deus matrimonium infinite nobilius, excellentius, majorisque momenti instituit, Matrimonium videlicet Jesu Christi filii sui cum Ecclesia, cujus figuram esse matrimonium Adæ & Evæ voluit, hoc tamen discrimine, quòd matrimonium primi viri cum prima muliere liberos producere deberet & posset nonnisi carnales, matrimonium autem mysticum Christi Jesu cum Ecclesia filios gratiæ & adoptionis, imo filios Dei.

3. Matrimonium christianorum hoc habet cum matrimonio Judæorum, gentiliùmque commune, quòd matrimonium ex utraque parte æqualiter consideretur quasi foedus, legitimæque viri & foeminæ conjunctio, quæ non tam in conjunctione corporali, quàm in unione spiritus cordium, voluntatumque eorum consistit.

4. Matrimonii finis est procreare liberos, atque amicitiam, concordiam fovere & unionem ratione foederis, quod plures inter familias, quæ prius quasi extraneæ, aut saltem indifferentes erant. Veritas hæc adeo vel per solam rationem naturalem innotuit, ut & Nationes infideles matrimonium tanquam sacrum quid, & utile semper suspexerint, atque in omnes *Didion. Cas. Consc.*

illud violantes severe, & legibus suis semper animadverterint.

5. Major adhuc apud Judæos, quàm Gentiles matrimonii erat veneratio; expectabant Messiam, quem inter se nasci debere probè sciebant, ideoque ex sua illum nasci familia posse sperabat quisque.

6. Matrimonium Christianorum infinite sanctius, aliisque excellentius est. 1. Enim non tolerat Polygamiam. 2. Est verum novæ legis Sacramentum. 3. Ejusdem vinculum ita sit indissolubile per consummationem, ut nonnisi per mortem alterutrius conjugum Solvi possit.

7. Considerari matrimonium potest solum ut simplex contractus civilis, qualis etiam est matrimonium Infidelium & Paganorum, & sub hac notione definitur *Contractus, quo duæ ad procreationem proles habiles personæ corporum suorum dominium mutuo tradunt, & accipiunt.*

8. Considerari quoque matrimonium potest ut Sacramentum adeoque ut Symbolum unionis hypostaticæ naturæ divinæ cum natura humana in persona Jesu Christi, & unionis I. C. cum sua Ecclesia indissolubilis. Et sub hac notione est *legitima maris & foeminæ conjunctio individuum societatem retinens*, seu magis propriè est *novæ legis Sacramentum, quo vir & mulier baptizati corporum suorum dominium mutuo tradunt & accipiunt usum conjugalem juxta præscriptum legum.*

9. Matrimonium ratum dicitur, quando legitime contractum & ab Ecclesia ratum habitum est, *Consummatum* verò, quando ultimam suam perfectionem accipit per usum conjugalem. Vinculum primi, si animo adhuc deliberativo contractum fuit, nonnisi per Solemnem Religionis professionem, posterioris in nullo casu est dissolubile.

CASUS I. *Tarrasius & Maria* sub conditione contraxerunt matrimonium. An illud post Concilium Tridentinum est validum?

℞. Potest quis matrimonio consentire sub conditione licita, honestaque, qualis esset,

esset, si quis diceret, *si Pater meus id sibi gratum invenerit*. Potest quis etiam Matrimonio contrahendo consentire sub conditionibus illicitis, bonisque moribus contrariis. Quando conditio tendit ad destruendam matrimonii substantiam, quæ est *Proles, fides, Sacramentum*, tale matrimonium est invalidum, altera vero, etiam si tribus his bonorum fortibus non sit contraria, aliunde tamen criminosa jam est. *S. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. art. 1. in corp.*

Hoc supposito 1. Conditio ab utraque parte coram Presbytero & testibus expressa, si sit de re honesta & licita, contractus effectum suspendit, & non nisi impleta conditione suspensio hæc tollitur. *Alex. III. in c. de illis 8. de condit. app. in despons. l. 2. t. 5.*

2. Matrimonium sub conditione contractum nullum est, si conditio tendit ad destruendam matrimonii substantiam, eo quod tunc desit intentio ad valorem Sacramenti requisita & necessaria. *S. Thom. in 4. ad Hannibal. dist. 29. q. un. art. 3. in corp.*

Si conditio, sub qua contrahitur, non est tribus his matrimonii bonis contraria, contractum non reddit nullum, quamvis, si esset aliunde illicita, contrahi matrimonium sine peccato non posset. *Idem in 4. q. 27. q. 2. art. 1. in corp.*

Et hæc sunt Principia, quibus conformiter de valore Matrimonii Tarrasii & Mœviæ ferendum judicium.

NOTA. Juxta sententiam authorum, docentium, omnes contractus initos sub conditione turpi esse jure naturæ invalidos, idem dicendum de tali matrimonio, potest tamen legislator injungere impletionem contractus castata conditione imponere in pœnam.

CASUS II. *Anatolicus* hac sub conditione cum *Maria* matrimonium init: *Uxorem te duco, si pater meus consenserit*. Pater huic sese matrimonio opposuit, & post sex primum menses consensit. Valétne matrimonium.

1. Videtur, quod non debeat dubitari de valore hujus matrimonii, dummodo intra hoc tempus, quo Pater se opposuit, *Maria* consensum datum non revocaverit. *Navarr. manual. c. 22. n. 63.* Nihilominus tamen necessarium videtur, ut conditio coram Parocho & testibus adimpleatur. *Pontas.*

CASUS III. Si in casu præfato Pater *Anatolici* nec se opponat, nec consentiat sed sileat, validumne est matrimonium?

R. Validum esse censeo, si rationabiliter ex silentio Patris inferri possit, eum se non opponere: qui enim, ut dicit *Bonifacius VIII. reg. 46. de Reg. juris in 6. tacet, consentire videtur*: id quod colligi potest, si appareret indifferens, nec nihil ita processisse conqueretur; matrimonium tamen, usquedum Pater manifestet voluntatem suam, semper manet conditionatum. *Nav. cit. c. 22. n. 64.*

CASUS IV. Validumne est matrimonium *Mævii*, si illud sub hac conditione, si pater consentiat, contrahat, etiam si Patrem jam mortuum sciat?

R. Si sic contrahens internè, liberèque consensit, hoc matrimonium esse validum certum est, suspenditurque nullo modo effectus contractus; hæc conditio conditionibus impossibilibus est accensenda. *Tollet. inst. Sacerd. l. 7. c. 19.*

NOTA. Si contrahens jam scivit, suum patrem esse mortuum, censetur ludere, ac proin contractus est invalidus.

CASUS V. *Banduino Cæcilia* declarat, se non nisi sub hac conditione cum illo contrahere velle matrimonium, ut per totum vitæ tempus sibi liceret servare virginitatem. *Banduino* consentire se asseverante *Cæcilia* respondet: *nubo tibi eâ lege, ut vivas mecum, sicut vivunt frater & Soror, ut & promisisti mihi; sique sincera hæc tibi non est voluntas, nullo modo tecum me contraxisse prætendo, quamvis me tecum contrahere, ore dicam*. Estne validum hoc matrimonium? aut quid dicendum, si sub alia, hæcque conditione contraxisset: *Nubo tibi eâ lege, ut quamprimum*

num votò Solemnem religionis deponendi Professionem te obliges, aut ut nunquam mecum consummes matrimonium, sicut & promisisti mihi?

R. Sunt Authores, qui matrimonium etiam si sub duabus primis conditionibus contractum, validum esse existimant, quod de tertia ut fini matrimonii contrariâ negant; sententia tamen; matrimonium sub quacunque harum trium conditione contractum invalidum esse asserentium, melius fundata mihi videtur. Conditio enim, quomodocunque honesta sit, si matrimonii essentia contrariatur, illud invalidum reddit. *Greg. IX. in c. si conditiones, fin. de condit. appos.*

NOTA. In mea Theologia docui contrarium, ac dixi, tale matrimonium saltem habere rationem contractus civilis liciti.

Addendum tamen, matrimonium, non obstante votò simplici castitatis, quamvis illicitè, attamen validè posse contrahi. *Alexand. IV. in can. Commissum 16. de spons. & matrim. l. 4. tit. 1.*

CASUS VI. *Tristanus* cum *Henrica* in quarto sibi gradu conjuncta matrimonium sub hac conditione iniit: „Si Papa, nobiscum ob impedimentum dirimens, quod inter nos intervenit, dispenset. „An hoc matrimonium per obtentam dispensationem sit validum?

R. Aliqui tenent affirmativam. Nihilominus tamen censeo per solam obtentam dispensationem non fieri validum, sed necessarium esse, ut obtenta dispensatione de novo consentiant, eo quod consensus prior non fuerit legitimus. *Sylv. de Prievo v. Matrimonium 3. q. 9.*

NOTA. Opposita sententia est probabilior.

CASUS VII. *Artemius* in matrimonium cum *Juliana* contrahendum non nisi sub hac expressa conditione consentit: *Si te virginem invenero*. Valétne Matrimonium?

R. Si per hæc verba *Artemius* intellexit, se non consentire nisi sub hac conditione, ut *Juliana* ab aliquibus honestis

fœminis visitata virgo inveniretur, adimpletâ conditione, utpote quæ non est de re illicita, matrimonium sit validum. Si tamen per hæc verba intellexit, se non consentire, nisi se ipsum de hoc certum fecisset, *per copulam carnalem*, matrimonium non obstante hac conditione, quæ ut bonis moribus contraria, pro nulla reputatur, est validum. *Greg. IX. in cit. c. si conditiones, fin. de cond. opposit. & c.* Abrogatis per Concilium Tridentinum matrimoniis clandestinis, ejusmodi contractus conditionatus admodum rarus est; ejusdemque usus consuetudini Ecclesiæ contrarius.

NOTA. Gregorius IX. loquitur de foro externo, in quo præsumitur, conditionem non esse ferè adjectam; vel quia sic illi placuit in causa particulari disponere in pœnam.

II. DE MATRIMONII FORMA, MINISTRO, ET SUBJECTO.

1. Examinantur hic qualitates & dispositiones personarum nupturientium, dux hæc non levis momenti difficultates occurrunt, quarum prima, in quo consistat forma matrimonii, & quis ejusdem minister; altera, utrum matrimonia Minorum sine Parentum aut Tutorum consensu contracta sint valida in foro interno, & quomodo Patres aut Matres liberos sic contrahentes punire possint.

2. Examinatur præterea 1. consensus utriusque contrahentium necessitas, & quidnam in aliquibus casibus locum tenere possit. 2. Ad quid teneantur, qui in matrimonio, quod externè contraxerunt, fictè duntaxat & simulatè consenserunt. 3. An promissio ex utraque parte matrimonio adstringi pœnâ pecuniariâ alteruter ex contrahentibus possit, qui vult desistere, & consensum revocare. 4. Utrum matrimonium contractum ab homine ad mortem damnato sit validum. 5. Utrum matrimonium aliquando possit valide contrahi per Procuratorem, & utrum in hoc casu sit verum Sacramentum?

CASUS I. *Siranus*, nondum quatuordecim annorum completorum, & *Gabriella* nondum duodecim annorum, à Parentibus suis sollicitati matrimonium inierunt. Valétne hoc matrimonium? an contrahentes ante ætatem à Canonibus statutam peccant mortaliter?

R. 1. Quamvis Canones fixam ætatem statuunt, quâ validè possit iniri matrimonium, contingere tamen potest, licere contrahentibus inire matrimonium ante ætatem ordinariam, habétque id locum in pluribus exemplis; in hoc casu matrimonium est validum, & ex jure naturali indissolubile. *S. Thom. in 4. dist. 36. q. un. art. 9. in corp.* Si autem contrahens in ætate prædicta consummare matrimonium non posset ob complexionis debilitatem, matrimonium, quamvis in foro externo præsumatur legitimum, lege naturali esset nullum, & adeptâ perfectâ pubertate renovari juxta formam ab Ecclesia præscriptam deberet. Ex his colligi potest, quidnam de valore matrimonii à *Sirane & Gabriella* iniri tenendum sit.

2. Censeo eos mortaliter peccasse, si cum sufficienti notitia, se contra prohibitionem Ecclesiæ agere, inierunt matrimonium; & procul dubio qui tali matrimonium approbârunt, aut quibus contrahentium cura commissa fuit, multo plus reprehensibiles sunt, cum exactius Ecclesiæ Regulas scire teneantur. *Panormit. in c. 1. de despons. impub.*

CASUS II. *Gerasimus* duodecim tantum annorum iniri matrimonium cum *Joanna* quindecim annorum, ob plurima, quæ hæc possederat, bona. Modico post tempore ab eo abalienatur *Joanna*. An coram Deo tenetur expectare, usque dum *Gerasimus* perveniat ad annum ætatis decimum quartum completum, quin intra hoc tempus alteri possit nubere?

R. Ejusmodi matrimonia sine gravi peccato iniri non possunt, non obtentâ saltem ab Episcopo licentiâ, quæ sine gravissima, & urgenti causa concedi non potest. *Nicol. 1. in can. Ubi 2. de despons. in*

pub. Hòc suppositò dicendum, quòd *Joanna* coram Deo teneatur expectare, usque dum *Gerasimus* decimum quartum ætatis annum compleverit, si ex justa aliqua causa obligatio, in quam voluntariè consensit, tolli non potest. *Pontas.*

CASUS III. *Barnabas* triginta annorum à decimo jam anno in insaniam incidit, ita tamen, ut lucida singulis mensibus per duos aut tres dies continuos intervalla habeat, quo tempore se *Angelæ* matrimonio jungi velle declaravit, quæ & consentit. Sùntne se copulandos. Potéstne Parochus eos copulare?

R. Parochus eos ad contrahendum matrimonium admittere non debet, cum *Barnabas* sit insanus, adeoque liberos suos Christianè educare non possit, id quod tamen ad præcipuos matrimonii fines referendum. *S. Tho. in dist. 34. q. un. art. 4. in corp.*

CASUS IV. *Cabinus* surdus, & à nativitate mutus per signa Parocho se cum *Barbara* matrimonium inire velle indicat; cui & *Barbara* se consentire declarat. Consentendumne Patri *Gabinii* in hoc matrimonium. An Parochus eosdem conjungere potest, aut posset, si *Gabinus* insuper esset cæcus?

R. 1. Patrem *Gabinii* huic se matrimonio opponere non posse, nisi alias rationes habeat, censeo.

2. Parochus potest admittere *Gabinium* & *Barbaram* ad celebrandum matrimonium, cum duplex hæc infirmitas *Gabinium* non reddat incapacem. *Inn. III. in c. Cum apud 23. despons. & matrim.*

3. Si *Gabinus* simul esset mutus, surdus & cæcus, Parochus eum ad celebrandum matrimonium non posset admittere, cum consensum suum externè manifestare non sciret. *S. Thom. in 4. dist. 28. q. un. art. 5. in corp.*

CASUS V. *Philostrotus* scit se incurrisse excommunicationem majorem à jure aut ab homine; an potest in hoc statu sine peccato contrahere matrimonium?

R. Non potest; quin mortaliter peccet, cum Sacramenti gratiam in statu peccati mortalis, propter quod incurrit excommuni-

municationem recipere non possit. *Be. la in c. Quodcumque 17. 24. q. 2.* Nec potuisset, si vel minorem tantum incurrisset excommunicationem. *Greg. IX. in c. Si celebrat. 20. de Cler. excom. l. 5. tit. 27.*

CASUS VI. Orta est controversia inter duodecim aut quindecim Parochos Rurales; utrum in aliquo casu urgenti & maximi momenti persona aliqua sine peccato contrahere matrimonium in statu peccati mortalis posset, si simul in eo perseverandi propositum haberet? Num tenenda affirmativa, nam negativa?

R. Affirmativa est error opinióque falsa ac damnanda. Matrimonium enim, ut positivè dicit Concilium Tridentinum *Sess. 7. c. 1.* est verum Sacramentum; quòd quis in statu peccati mortalis sine profanatione sacrilega recipere non potest. Idem *Sess. 24. de Reform. matrim. c. 1.*

CASUS VII. *Barbara* scit, *Laurentium* Sponsum suum esse in statu peccati mortalis sine proposito confitendi, antequam conjungantur. Potéstne cum ipso conjungi, quin & ipsa sacrilegio, quod *Laurentius* committere vult, cooperetur?

R. Censeo *Barbaram* non fieri illius participem. Non minus enim *Barbara* rea est quam ille, qui injustâ aliqua necessitate Sacramenta à Parochi sui manibus, quem tamen actu sciret esse in statu peccati mortalis, reciperet. *De lugo, de pœnit. disp. 14. sect. 8. §. 2.*

NOTA. Facilius *Barbara* excusatur, si supponatur, non contrahentes, sed parochum esse Ministrum Sacramenti: Teneatur tamen consulere confessarium, quid consilii?

CASUS VIII. *Lombardus* Nobilis juvenis, nallorum tamen bonorum dominus matrimonium cum *Diana* famina ignobili plusquam Sexaginta jam annorum ex hoc solo motivo iniri, ut in numerato viginti nummorum argenteorum millia accipiat, quæ ratione contractus matrimonii *Diana* ipsi donat. Peccátne *Lombardus*, si ex hoc solo motivo matrimonium contrahat? aut peccat *Diana*, quæ in ætate, qua liberos sperare haud potest, nubit?

R. *Lombardus* non potest, quin peccati mortalis se reum faciat, ex hoc solo motivo inire matrimonium, aburitúrque Sacramento. Ad *Dianam* quod attinet, sufficit, si pro motivo contrahendi matrimonium habeat, ut sit in remedium suæ libidinis, quod est finis Legitimus & sufficiens ad excusandum à peccato mortali. *S. Beuve Tom. 3. Cas. 165.*

CASUS IX. *Cassianus* & *Paula* Parocho sese conjungendos sistebant tempore, quo generale vigebat, cui & hæc Ecclesia subiacebat, interdictum. Potéstne Parochus eos conjungere?

R. Credo, id Parocho licere, sicque hunc casum plurimi decidunt Theologi, quamvis Constitutio Bonifacii VIII. quidnam hoc tempore liceat, declarans non loquatur de matrimonio. *Sanchez* decem vel duodecim hac super re citat Auctores. *l. 7. de matrim. disp. 9. n. 2.* Saltem non credo, rationabiliter de valore talis matrimonii disputari posse. *Pontas.*

CASUS X. *Fuldradus* Parochus solemniter benedixit matrimonio juvenis cujusdam cum vidua. Peccavitne.

R. Sine gravi id peccato facere non potuit, expressamque Ecclesiæ prohibitionem violavit. *Alex. III. in cap. Capellanium 1. de secund. nupt. l. 4. t. 21. & cap. Vis autem 3. eod. tit.* Id ipsum & *Sylvius* docet in *supplem. S. Thom. q. 63. art. 2. ad 2.*

NOTA. Aliud est copulatio, aliud benedictio accidentaliter copulationem subsequens. Illa necessariò debet fieri per parochum, etsi ambæ personæ contrahentes essent in statu viduitatis.

CASUS XI. *Agilbertus* in ipso momento ineundi cum *Lucia* Matrimonii statuit, se non declaraturum *Luciæ* debita, quæ contraxit; quia credit, *Luciæ* parentes, si ea ipsis innotescerent, non censuros quia credit. Teneturne in conscientia ea declarare, & cum confessarius, quem adire debet, potest cum absolvere, si in hac resolutione persistat?

R. Si *Agilbertus* hac super re à *Lucia* aut parentibus ejusdem interrogatus, ni-

hil se debere respondisset, aut, quod culpam auget. Si Lucia bona Agilbertum possidere ita supposuisset, ut aliàs non esset consensura, confessarius eum, antequam absolvat, obligare debet ad veritatem, quam celavit, aperiendam. Si tamen nec Lucia, nec ejusdem parentes non curaverint petere informationes, credo, confessarium non debuisse illi denegare absolutionem, dummodo semper in tuto collocare possit dotem suæ uxoris. *Bail. 3. part. tripl. exam. pœnit. q. 4. p. 495.*

III. DE CONSENSU AD MATRIMONIUM REQUISITO.

CASUS I. *Maclovius* Parochus adstitit matrimonio Parochianorum suorum Pauli & Ludovicæ, non pronuncians verba ordinaria: *ego vos conjungo.* Valétne matrimonium.

℞. Duæ sunt hac super quæstione opinioniones, quarum prima, eaque plurimum est, hæc verba esse formam Sacramenti, adeoque esse essentialia; altera verò, eaque Divi Thomæ *in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 2.* Aliorumque magno numero Theologorum & Canonistarum opinio est 1. materiam proximam matrimonii esse consensum contrahentium. 2. Verba, per quæ contrahentes mutuum suum consensum expriment, esse formam Sacramenti. *Idem ibid ad 1.* Videturque hæc sententia veritati conformior, adeoque Matrimonium, de quo hic agitur, est validum. Parochus tamen quod attinet, verba hæc non pronuncians graviter peccavit. *Pontas.*

NOTA. Eo ipso, quod utraque sententia sit verè probabilis, valor matrimonii, saltem quoad esse Sacramenti, esset dubius. Validum tamen esset in ratione contractus civilis.

CASUS II. *Ludovicus* Parochus conjunxit matrimonio *Nicolaam*, quæ utrum Joanni nubere vellet, interrogata non nisi signo quopiam reverentiæ respondit. Parochus, utrum hoc matrimonium sit verum Sacramentum dubitat, timetque. An jure?

℞. Juxta Sylvium *in Supplem. 3. part. S. Thom. q. 45. art. 2.* Signa verbis æquivalentia sufficiunt ad valorem matrimonii. Si pro *Nicolaâ* à Parocho interrogatâ nihil tamen respondente parentes respondeant, matrimonium juxta eundem Doctorum validum est, dummodo signo aliquo non improbet Parentum pro se responsum. Per Simplicem enim aliquam reverentiam consensum suum satis expressit. Estque hæc doctrina etiam conformis doctrinæ Doctoris Angelici *in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. q. 2. ad 3.* Adeoque scrupulus Parochi male est fundatus: excusari tamen non potest, eo quod *Nicolaam* ad respondendum non obligaverit. *Pontas.*

CASUS III. Lucia à Patre Parocho præsentata, ut jungatur, Patri pro se respondententi non contraxit; imò non solum siluit, sed ne internè quidem matrimonio consensit; consensui quoque Patris, contra quem, ut debuisset, non reclamavit, accedere, seque obligare renuit. An supplet consensus Patris defectum consensus filia?

℞. Matrimonium, cui internè consensit, absolutè coram Deo nullum est, quamvis in foro externo præsumatur validum. *S. Thom. in 4. dist. 17. q. 1. art. quæst. 4. & dicto art. 2. ad 1.*

CASUS IV. Philemon se consentire matrimonio, à se cum Honorina æqualis secum conditionis puella contracto, simulavit, idque duntaxat ad evitandum grande malum. An non aliud, saltem valdè, contrahere potest?

℞. Cum Sylvio *in Supplem. S. Thom. q. 45. art. 4. quæst. 1.* quod regulariter loquendo ille, qui cum scemina matrimonium fictè & simulatè contraxit, ac consummavit eam pro legitima uxore retinere teneatur; Si tamen matrimonium *animo conjugali* non sit consummatum, non impedit, quo minus aliud validè contrahere possit, non tamen absque peccato gravi, imò ad reparandam injuriam sceminae à se deceptæ illatam *judicio viri prudentis*, tenetur.

NOTA.

NOTA. Consummatio matrimonii præsumitur in foro externo facta animo conjugali. Deceptor autem, cum honestæ puellæ satisfacere alio modo non possit nisi honesto connubio, sub excommunicatione compellendus ad eam pro conjugum sumendam vel agnoscendam, nisi fictio fuisset ex circumstantia sensibilis, aut nisi puella ultro vellet esse contenta alia satisfactione.

CASUS V. *Benignus* Toparcha, *Elisabetham* agricolæ cujusdam Vasalli sui Filiam deceptorus, juxta formam ab Ecclesia præscriptam cum ea jungitur, internè tamen non consentiens. Postquam cum per aliquot dies cum ea velut maritus vixisset, Parocho declaravit, nullam se intentionem habuisse eandem sibi in conjugem adsciscendi, quod & probavit per declarationem, sua manu signatam, quam uno ante contractum matrimonium die clam Parocho tradiderat; adeoque absolutè recusat, *Elisabetham* pro sua uxore retinere; nec se obligari causatur ob enormem statûs disparitatem. Quid, si hæc *Benignus* in Confessionali proponat, à Parocho respondendum?

℞. Parochus à Benigno exigere debet, ut severam de fraude sua, peccatisque à se cum *Elisabetha* sub prætextu matrimonii commissis, & quod Sacramento, & simplicitate *Elisabethæ* adeo abusus fuerit, pœnitentiam agat. 2. Ut curet matrimonium declarari nullum per judicem Ecclesiasticum. 3. Ut quocumque demum modo provideat, ut *Elisabetha* tam sibi proficuum, ac antea potuisset, matrimonium inire possit. *Conf. de Lucon. tom. 5. Conf. 6. p. 1.*

CASUS VI. *Alcuinus* contrahere se cum *Amalia* matrimonium simulavit, cui tamen internè non consensit; proptereaque matrimonium se consummare recusavit, eoquod id sine peccato mortali facere non posse probè sciret. Hinc aliud contraxit, cui verè consensit. *Alcuinus* ab *Amalia* coram judice Ecclesiastico conventus, ad cohabitationem damnatur, & quidem sub pœna excommunicationis *ipso facto* incurrendæ. An *Alcuino*, ne

incurrat excommunicationem, huic sententiæ obsequi licet?

℞. Juxta *D. Thomam in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. quæst. 4. ad 4.* excommunicationi potius, quam huic sententiæ, humiliter submittere se debet *Alcuinus*, quamvis judicium, quod in hoc casu tulit judex Ecclesiasticus, non fuerit injustum. *Alcuini* matrimonium ex defectu consensus nullum est, & consequenter cum *Amalia* cohabitare, quocumque demum prætextu aut quacunque sententia interveniente, non potest. *Pontas.*

NOTA. Censeri potius, secundum matrimonium esse invalidum ob errorem substantialem secundæ sponse, quæ judicabat, se liberum, non verò judicio Ecclesiæ cum alia priori uxore ligatum ducere.

CASUS VII. *Paternus* initò cum *Catharina* fictè & absque interno consensu matrimonio? rem cum ea affectu fornicatorio habet, eandem uxorem ducere non intendens. Dimissâ *Catharinâ* confitetur peccatum suum: Confessarius Paternum obligare vult, ut renovatò consensu *Catharinam* ad reparandum malum quod fecit, & injuriam, quam dimissa sufferre deberet, retineat; quod tamen facere renuit *Paternus*, eoquod cum *Catharina* non contraxerit matrimonium, nisi intuitu declarationis, qua affirmabat, se esse virginem, quam tamen declarationem adhuc ante diem nuptiarum deprehendit esse falsam: aliàs contrahere se non simulasset. An Confessarius non obstante allegata ratione cogere etiam per denegationem absolutionis Paternum debet, ut de novo consentiat, & *Catharinam* uxorem ducat?

℞. Si revera *Catharina* Paterno virginem se esse & pro tali haberi, sine quo non cum ea contraxisset, asseveravit, videtur, quod Confessarius non debuisset eum per denegationem absolutionis ad renovandum sincerè suum consensum cogere; deceptio enim unius compensat deceptionem alterius, cumque ipsamet sit injuriæ sibi illatæ causa, non est, quod

Pa-

Paterno imputet. *Sylv. in Suppl. S. Thom. q. 55. art. 5. quæst. 1.* Observandum tamen, non nimiam adhibendam esse fidem his, quæ quis de matrimonio suo ficto, simulatōque dicit. In ejusmodi casibus observandum præterea est semper evitandum esse, quantum possibile est, scandalum, ideoque pro obrinenda separationis sententia ad Ecclesiasticum judicem recurrendum: quamvis enim matrimonia ficta coram Deo nulla sint, nihilominus, ut talia ab Ecclesia declarentur, oportet. *Pontas.*

NOTA. Ex his sequitur, tales non esse absolvendos, nisi sub promisso, recurrendi ad Judicem Ecclesiasticum, perendi ferendæ sententiæ.

CASUS VIII. *Gosselinus & Joanna* intra tres menses matrimonium se inituros promiserunt adjecta quoque 500. lib. pœna, quas solvere teneretur, qui Promissis non staret. *Gosselinus*, qui fidem fregit, pro solvenda hac summa coram judice Ecclesiastico à *Joanna* convenitur, an si causâ ceciderit, tenetur eam solvere?

R. Antiqua Ecclesiastica jurisprudentia volebat, censuris compellendos adimplenda ejusmodi promissa. Consuetudo hæc, ob malas, quas ejusmodi matrimonia ficta cum quadam metûs specie conjuncta habeant, sequelas sublata est. Sicque censeo, quod, etiamsi *Gosselinus* promissum implere in conscientia, nisi iusta, quæ eum excuset, causa adsit, teneatur, sapientis tamen & prudentis judicis non sit, eum condemnando cogere ad solutionem 500. lib. Nec etiam sit injuria *Joanna*, quoniam *Gosselinus* declarat, se eam uxorem ducere amplius non velle, quia sic nec se amari, nec æstimari testatur; imo potius ad *Joannæ* emolumentum tam temporale quam spirituale conducit, si ejusmodi viro non nubat. Judici incumbit, nullam habere attentionem ad pœnam hanc pecuniariam, utpote reprobata per legem *Gregorii IX. in c. Gomma 24. eod. rit.* Si verò judex condemnaret *Gosselinum* ad solvendam summam,

in foro interiori juxta jurisprudentiam civilem & Canonicam, ad id non teneretur. *Pontas.*

CASUS IX. Timantes matrimonium cum Juliana, quæ præterquam quod sit vitæ irreprehensibilis; est etiam æqualis secum conditionis, inire quærit. Paulina mater Timantis, ex antipathia erga Julianam, sex mensibus huic matrimonio consentire renuit, summopere filio, ne eandem visitet, aut de ea sibi in uxorem adsciscenda cogitet, prohibens. Timantes non desistit eam frequentare assiduo, Laurentia Mater Julianæ ipsamet facilitate visitationes Timantis. Paulina hęc cognito impotenti contra filium suum, contra matrem, filiâque irâ elata, eisdem severè objurgatos injuriis afficit, maximè offensivis. Parochus de his omnibus instructus fortiter Paulinam, ut huic matrimonio consentiat, adhortatur & matrem Julianæ adhortatur, ut visitationes Timantis non amplius toleret; hoc tamen consilium ab utraque parte rejectum est. Hac super re potèstne Parochus Paulinam absolvere in sui consensûs denegatione perseveranti. 2. Timantes secum Julianam convenire persuasus potèstne continuare eandem visitare, non habita ratione prohibitionum matris suæ, etsi continuet, debètne Parochus ei denegare absolutionem. 3. Debètne adhuc per denegationem absolutionis obligare Laurentiam, ne nimium faveat Timantius visitanti Julianam contra expressam matris prohibitionem & voluntatem?

R. 1. Si Timantes est majorënnis, potest contrahere matrimonium etiam consensu matris non obtento; in forma tamen per leges Regni præscriptâ, ne à matre hæreditate spoliatur. Si autem nondum est majorënnis expedit non Julianam uxorem ducere non consentiente matre, & in hoc casu prudenter haud ageret Parochus, si per denegationem absolutionis vellet matrem cogere ad consentiendum huic matrimonio; quia dissensio hoc modo non solum non extingueretur, sed & auge-

augeri posset, cum matrimonia filiorum familias facta contra consensum parentum malas semper habeant sequelas; Paulina iustas rationes sese huic matrimonio opponendi potest habere, nec ulla lex obligat matrem, ut consentiat filio nondum majorënni.

2. *Censeo*; Timantem adhuc Minorënnem non potuisse continuare visitationes Julianæ, etiamsi illa bonis moribus prædita esset, & status conditio cum suo conveniret; hæ enim rationes non sunt tantæ, quæ excusare eum ab obedientia possent, quam matri suæ debet. Quodsi etiam mater primitus habuisset antipathiam, jam iustum odium erga Julianam concipere posset. Itaque, non desistat visitare Julianam, Parochus debet ei denegare absolutionem.

3. Credo; id ipsum agendum Parocho cum Laurentia, cum evidens sit illam solam causam esse, ne matri obediat Timantes *Pontas.*

CASUS X. *Eunomius* viginti annorum contraxit matrimonium cum *Olympiade* ejusdem ætatis; nec *Eunomio*, nec *Olympiade* parentum consensum petente. Valètne matrimonium? Peccaruntne mortaliter sic contrahentes?

R. Primæ quæstionis resolutio est perquam difficilis. Juxta leges imperiales matrimonium Minorum sine consensu saltem tacito Parentum suorum, aut eorum, sub quorum potestate vivunt, contractum erat nullum. Ecclesia latina sub Imperatoribus Christianis hoc adoptavit, quod ex diversis Conciliis apparet. Hæc tamen disciplina sæculo undecimo mutata est; & quamvis magnus Authorum Theologorum, & Jurisconsultorum antiquorum & modernorum numerus scripserit, docueritque, ejusmodi matrimonia in foro interiori esse valida, & verum Sacramentum; non tamen desunt Authores contrarium tenentes. Optandum esset, ut concordante clero, observari curaret. Reges concordante Clero uniformem legem dederent.

Distion. Cas. Consc.

Secundam quæstionem quod attinet, certum est, *Eunomium* & *Olympiam* peccasse mortaliter, nisi iusta eos, magnique momenti causa excuset: id declarant etiam Canones, & Edicta, Declarationesque Regum nostrorum, conformiter ad Concilium Melinense 1580. Dicitur, nisi iusta eos causa excuset. Contingere enim potest, filios familias non committere aliquod peccatum inobedientiæ erga parentes; si v. g. majorënni filio tringinta jam annorum, matrimonium tam utile sibi, quam statui conveniens contracturo, Pater pertinaciter sine ratione non consentit, aut proponit ei fœminam, quam ducat, nulla possidentem bona, corruptisque moribus præditam, hæreticam, aut suspectæ alicujus religionis. *Conf. de Lucon. tom. 9. Conf. 5.*

CASUS XI. *Macedonius*, viginti duorum duntaxat annorum commoratur in regione extera. Offertur illi matrimonium magno sibi futurum emolumento; Patrem de hoc certiore reddere non potest, versaturque in periculo, præteritam occasionem hanc contrahendi matrimonium, si differat. Contrahit itaque privatâ autoritate, an licitè, & absque peccato mortali?

R. Si *Macedonius* non contrahat contra expressam sui Patris prohibitionem, & præsumat Patrem, si bene hac de re informatus esset, verosimilius consensurum, non arguendus est peccati mortaliter. *Theol. moral. tom. 4. part. 2. c. 7. 1.*

CASUS XII. *Hermelandus* viginti octo annorum Colmaræ equitum catapultariorum turmæ accensus est, quâ post sex menses desertâ fugit in pagum quemdam decem leucis inde distitum Montargis dictum; ibi corrumpit filiam alicujus rustici jurans, se cum ea contracturum matrimonium; hoc in loco haud securum se esse ratus, longius vaditi abducta secum hac puella, cum qua tandem post tres annos venit in Diocësin Maconensem Confitetur, rogâtque Parochum, ut se conjungat. Parochus id facere se non posse

FFFF

posse

posse sine consensu patris puellæ utpote minorennis, & sine dispensatione à denuntiationibus solennibus sponſalium, & ratione deficientis domicilii, respondit. Dispensationibus, non autem consensu patris puellæ obtentis, Hermelandus, non inveniens, ubi tutò subsisteret, fugit in aliam Dioecesin, ubi cum hac puella laborando victum quærit; ibi adhuc se præsentat Parocho confessurus & conjungendus: Parochus non aliud, quam Parochus prior, ad quem literas dederat, sciturus, utrum accepisset consensum patris filiæ, respondit. Consensus patris fuit obtentus. Parochus proinde obtentis dispensationibus super denuntiationibus solennibus, & domicilio per Episcopum concessò, consentiente ibidem Patre puellæ, potestne licitè & validè matrimonio huic assistere?

R. *Hermelandus* potest validè contrahere hoc matrimonium, quamvis se exponat exhæreditationis periculo non obtento consensu sui patris; nec est difficultas ex parte puellæ, utpote consensum Patris in bona forma habentis.

Ad Parochum quod attinet, præsupponendum est 1. *Hermelandum* & puellam tanquam hucusque non habentes domicilium considerari posse; 2. Econtra eos spectari posse, ut fixam habitationem Montargi obtineant, ubi manere proponunt. 3. Si considerentur tanquam non habentes domicilium, Parochus de Montargis, ubi morantur, censendus est proprius eorum Parochus, qui assistere eorum matrimonio, uti & ministrare communionem Paschalem, & alia Sacramenta debet, observando in iis, quæ matrimonium concernunt, regulas præscriptas per Edicta, Ordinationes Regis, Statuta synodalia, Rituale Dioecesanum, aut Ordinationes Episcopi, à quo expressam ad matrimonium hoc celebrandum licentiam obtinere debet; quamvis rigorosè loquendo esset validum sine tali permissione, illicitum tamen ex parte Parochi. 4. Si considerantur ut habentes domicilium fun-

datum in sola bona fide seu tolerantia, quam Montargis habent, quamvis haberent intentionem ibi commorandi, Parochus loci hujus potest assistere eorum matrimonio, utpote sufficienter horum sic constitutorum censendus Pastor. Id verò facere licitè sine consensu & permissione Episcopi, & non obtentis necessariis dispensationibus, non potest.

CASUS XIII. *Metrodorus* octodecim vel novendecim annorum, filiusfamilias emancipatus; potestne absque peccato contrahere matrimonium non requirendo consensum Patris?

R. Jus Romanum quod permittit filios manumissos propria autoritate contrahere matrimonium, in Gallia haud est in usu. *Metrodorus* sic contrahens graviter peccavit. Observandum, quòd si Pater consentiat matrimonio liberorum minorennium, matre dissentiente; aut si pater se opponat, matre consentiente, voluntatem patris semper debere prævalere. *Conf. de Condem. tom. 2. Conf. 13. sect. 1.*

CASUS XIV. *Favulfus* viginti quatuor annorum jam ante sex annos duxit uxorem puellam viginti sex annorum sine consensu suæ matris. Quatuor susceptis ex illa liberis, eoque periculosè decumbente, mater ejus vult annullari hoc matrimonium, si sit moriturus. Favulfo pristinae sanitati restituto quid agendum, ut præveniat malam matris suæ voluntatem?

R. Debet Officiali supplicem offerre libellum, ut obtineat facultatem de novo celebrandi matrimonium, consensu matris suæ in scriptis requisito. *De Ste Beuve Tom. 2. Caf. 107.*

NOTA. Extra Galliam de Jure communi consensus patris & matris ad valorem non requiritur.

CASUS XV. *Medardus* annorum triginta nondum completorum & *Basilides* viginti quinque annorum completorum sine consensu Parentum contraxerunt matrimonium. Tenenturne Parentes eis dare dotem, doti, quam aliis liberis dederunt, proportionalem?

R.

R. *Medardus* & *Basilides* utpote Majorrennes contrahere matrimonium sine consensu parentum potuerunt, nihilominus tamen eundem scriptò requirere tenebantur, quod si fecerunt, legitimè possunt petere dotem doti aliorum liberorum æqualem, quam parentes recusare non possunt. *Idem Tom. 2. Caf. 104.*

NOTA. De jure communi parentes non tenentur liberis dare æqualem dotem, dummodo cuivis dent legitimam.

CASUS XVI. *Guericus* ob patratum homicidium ad mortem damnatus, è vinculis tamen se expediens in extremos regni fines aufugit, ubi postea contraxit matrimonium. An validè?

R. Valet hoc matrimonium. Id autem intelligendum quoad Sacramentum & vinculum matrimonii, non quoad effectus civiles. Idem dicendum de adultera juridicè ad perpetuam custodiam damnata, quæ è carcere elapsa mortuò priore conjugè alteri nubit, dummodo in secundis nuptiis servetur forma ab Ecclesia præscripta. *Conf. de Condom. Loco citato.*

CASUS XVII. Paulina anno trigésimo tertio completo, non requisito consensu Patris, matrimonium contraxit. Potestne pater tutà conscientia illi denegare dotem, aut hæreditate privare?

R. Potest conformiter Ordinationibus Regum de Anno 1560. 1606. 1629. & 1697.

CASUS XVIII. *Alexander* nobilis quidem, sed paucorum bonorum dominus, sex liberorum, filii unius scilicet & quinque filiarum est pater. Filio post mortem Alexandri quoddam nobilis notæ prædium tanquam solum Patris bonum cedit, quod & ei ut primogenito juxta loci consuetudinem debetur. Quinquè filiæ jam sunt nobiles; deficientibus tamen mediis & dotibus matrimonium inire statui suo congruum non possunt. Ex plebe duo, multorum bonorum ex negotiis suis partorum domini duas natu majores in conjuges sibi adsciscere volunt. Alexander eosdem ex Vasallis suis esse videns consentire re-

nuit, imo vult potiùs easdem ad Insulas Americanas mittere alteri pro libitu desponsandas, filiabus tamen non consentientibus. An pater salva conscientia illuc eas mittere potest?

R. Filiæ hæc in casu præsentè licitè & validè his plebeis nubunt, nec pater se opponere potest, quin reum se faciat omnium peccatorum, quæ filiæ ex fragilitate sua essent commissuræ, & autoritas Patris tanta non est, ut easdem invitas ad regiones exteras mittere posset. *S. Beuve tom. 3. Caf. 182.*

CASUS XIX. *Vigilius* cum *Sempronia* matrimonium per Procuratorem, cum moraretur in Provincia longè distita, contraxit. Estne validum & Sacramentum?

R. Est validum juxta regulas juris Canonici, & consequenter est Sacramentum juxta plures graves Authores, ut sunt *Paludanus, Catharinus, P. Soto & Dominicus Soto, Bellarminus, Navarrus, Estius, Isambertus, Covarruvias* cum pluribus aliis. Quinque tamen ad hoc requiruntur conditiones.

1. Requiritur, ut Procurator specialem habeat procurandi potestatem.

2. Ut ipsemet eandem executioni det, nisi ipsi expressè cum potestate subdelegandi commissa sit.

3. Ut ante executionem non sit revocata.

4. Ut ei fuerit commissa additè simul expressà cum aliqua tali persona in particulari contrahendi potestate.

5. Ut Procurator omnes conditiones, sui mandati ad literam observet, atque in nullo excedat.

Observandum insuper est 1. quòd procurandi potestatem etiam foeminae quis committere possit, licet id convenienter non fiat. 2. Quòd ad valorem matrimonii absolutè non sit necessarium, ut procurandi potestas fiat per Syngrapham, sufficit enim si sit verbalis, dummodo ante executionem non revocata. 3. Quòd matrimonium contrahi & per literas possit, quæ tamen legendæ in præsentia testium, & proprii Parochi alterutrius con-

trahentium, partisque cum qua absens contrahit, aut hujus etiam patris procuratoris; item requiritur, ut ea pars & Procurator sincerè matrimonium consentiant. 4. Conveniens esse, si ejusmodi matrimonia reiterentur, cum facilè contingere posset, ut una contrahentium pars revocasset consensum suum, antequam matrimonium fuisset per Procuratorem contractum, in quo casu esset nullam tum etiam, quia dubium est, an sit verum Sacramentum. *Sylv. in Suppl. S. Thom. q. 41. art. 3. quest. 3.*

CASUS XX. *Paulus* data Procuratorie Petro contrahendi cum *Magdalena*, pridie ante nuptias in dementiam incidit. *Petrus* tamen id ignorans cum hac *Puella Pauli* nomine contrahit matrimonium. An valide?

R. Est validum matrimonium in casu proposito, quamvis *Paulus* adhuc actuali laboraverit in dementiam eo momento, quo *Petrus Pauli* nomine cum *Magdalena* contraxit matrimonium. Sufficit, *Paulum* rationis compotem eò momentò fuisse, quo destinavit Procuratorem, & procuratorem rationis compotem fuisse eo momento, quo mandatum executioni dedit. *Cabassut. l. 3. c. 19. in fine.*

NOTA. Ego cenfeo oppositum ob errorem substantialem *Magdalene* circa personam sponsi, in quo supponit eundem statum habitualem circa qualitates, quibus suam intentionem alligat.

IV. DE MATRIMONII REVALIDATIONE.

Agitur in hoc titulo de diversa ratione, modoque, quo matrimonium, quod est nullum, possit revalidari; seu, quod idem est, quando & in quo casu matrimonium de novo contrahi debeat in præsentia Parochi, testiumque? & quando sufficiat renovare internè consensum mutuam?

CASUS I. *Anselmus* in facie Ecclesiæ contraxit cum *Antonia* matrimonium, internè non consentiens, & in hoc statu matrimonium consummavit. Hujus eum pœ-

nitet, vultque reparare suam culpam. Tenentur ad revalidandum matrimonium de novo contrahere?

R. Sufficit, si internè renovet suum consensum, dummodo *Antonia* suum nondum revocaverit. *S. Thom. in 4. dist. 29. 4. un. ad 3. q. 2. ad 2.*

CASUS II. *Augustus & Joanna, Petri* vidua, contraxerunt matrimonium ratione impedimenti criminis nullum, de quo à Papa postmodum obtinuerunt dispensationem. Tenentur de novo contrahere in præsentia Parochi & Testium?

R. Si impedimentum esset publicum, de novo contrahendum esset. *Conc. Trid. Sess. 14 de Resp. matr. c. 1.* Si autem esset occultum, & solum utrique parti cognitum, sufficit, si aut verbis aut aliquo signo externo mutuam consensum renovent; nec opus est præsentia Parochi & testium. Si crimen non ab utraque parte esset commissum, adeoque uni tantum cognitum, non solum ille suum consensum renovare tenetur, sed & alterius partis consensum petere, si id sine scandalo alterius partis fieri potest. Cum enim consensus utriusque partis tempore contractus totaliter fuerit illicitus & invalidus, essentialis hic error necessariò reparandus est. Nam error contrarius est valori consensus; juxta legem. *Non idcirco 9. Cod. de juris & facti ignorantia.*

Sed in casu, quo ille, qui scit, intercedere impedimentum, exposcere alterius consensum sine scandalo, aut separationis periculo non potest. Tenent aliqui, necessarium esse, ad minimum in terminis generalibus nullitatem matrimonii, non tamen specificando naturam impedimenti, parti ignorantem intimare, separationisque libertatem, qua gauderet, nisi consensum suum viva voce aut aliquo signo externo renovare vellet. Si Postmodum pars nullitatem matrimonii ignorans de novo consentiat, matrimonium consequenter ad obtentam dispensationem, quæ eos ad legitimè contrahendum reddit habiles, sit validum.

Juxta

Juxta alios sufficit, si conscius nullitatis matrimonii internè de novo consentiat, sitque matrimonium validum *per solam copulam animo conjugali habitam*, quin parti ignorantem intimare matrimonii nullitatem sit necessarium.

Tenendum hic cum *Navarro c. 22. n. 37. & 86.* & *Innocentio IV.* ad revalidandum matrimonium non sufficere, ut ille solus, cui cognita est nullitas matrimonii obtenta dispensatione internè renovet suum consensum, sed absolutè esse necessarium, ut & altera pars jam sufficienter de primi sui consensus nullitate informata, suum consensum renovet. *Pontas.*

NOTA. In mea *Theologia* doceo; sufficere renovationem consensus ex parte unius contrahentium; præsertim circa impedimenta juris Ecclesiastici. Cum enim consensus alterius partis habitualiter perseveret, & Ecclesia irritationem matrimonii per dispensationem tollat, nil deest ad valorem matrimonii.

CASUS III. *Euremandus & Berta* in quarto gradu conjuncti mala fide, & sine dispensatione contraxerunt matrimonium præsentia Parochi, & duobus Testibus, quos etiam matrimonii nullitas non latuit. Obtenta super impedimento dispensatione tenentur de novo coram Parocho & Testibus contrahere?

R. Satisfacere præcepto Concilii Tridentini non possunt, nisi de novo coram Parocho & testibus contrahant. Præsentia testium tunc tantum valet, quando de valore matrimonii Ecclesiæ testantur; id autem facere quomodo possunt, si contrarium sciunt? Idem dicendum, si unus duntaxat testium intercedere impedimentum sciat. *Genet. Theol. Moral. part. 2. tract. 9. cap. 7. n. 7.*

CASUS IV. Parochus aut Testes tempore contractus ignorarunt impedimentum dirimens, quod *Cæciliam* inter *Balduinum* intercedebant; modico verò post tempore id norunt. An *Balduinus & Cæcilia*, obtentâ necessariâ dispensatione de novo coram Parocho & Testibus contrahere tenentur?

R. Si hoc impedimentum inter eos intercessisse etiam in foro externo probari posset, obligantur de novo contrahere; secus sufficit, si secretò inter se reciprocum suum consensum renovent, quia præsentia Parochi & Testium opus sit. *Sylv.* tamen observat, *in suppl. S. Thom. q. 45. art. 2. quest. 2. conclus. 4.* Parocho & Testibus significandum, obtentâ dispensatione, renovatòque consensu impedimentum cessasse. Ut habet idem *Author loco citato.*

CASUS V. *Hilarion* bona fide coram Parocho, & pluribus testibus matrimonium iniit cum *Victoria*, cui ex concubitu fornicario secretò ante matrimonium suum cum hujus puellæ amita habito conjunctus erat, à quo tamen impedimento dispensationem obtinuit. Quæritur, utrum de novo coram Parocho & Testibus ad revalidandum matrimonium contrahere teneatur, si dispensationi hæc sit adjecta clausula: *hac conditione, ut supplicantes de novo contrahant juxta formam à Tridentino præscriptam?*

R. Cum impedimentum, de quo agitur sit occultum, sufficit, si *Hilarion & Victoria* mutuam consensum renovent, non obstante clausula præfata. *Sylv. loc. cit. q. 45. art. 2. quest. 2. Concl. 4.*

CASUS VI. *Augustinus & Julitta* contraxerunt matrimonium, Julittæ ex metu aliquo consentiente. Sufficitne ad revalidationem matrimonii secretus ejus consensus?

R. Ad valorem hujus matrimonii nihil deest, nisi liber & sincerus consensus, si *Augustinus* suum non revocaverit; sufficit ergo, si *Julitta* internus consensus rectificans, quod prius deerat, accedat. *S. Anton. 2. part. sum. Theol. tit. c. 7.*

CASUS VII. *Hieronymus* solus scit matrimonii sui nullitatem; vult itaque renovare suum consensum cum sua uxore; quæ non solum non dat consensum, conjugalem, sed se opponit expressè, utpote malè contenta de *Hieronymi* vitæ

ratione, quam tenet. Quid agendum in hoc casu Hieronymo?

R. Debet desistere à petendo ab uxore sua debito, quæ in tali dispositione in speciem tantum debitum redderet, falso se obligatam existimans, & matrimonii nullitatem ignorans. Reddere tamen Hieronymus illi debitum potest *affectu conjugali*, si exigat, quoniam sic petens petere censenda est *animo conjugali*, & sic velle renovare consensum à Hieronymo desideratum. Interim tamen pro conscientia tranquillanda consultum foret, si amicè cum ea colloqueretur Hieronymus, antequam debitum redderet, ut tali modo, quo indicaret, se ab eo tanquam suo legitimo marito debitum exigere, respondere cogeretur. *De St. Beuve Tom. 3. cas. 161.*

Vide *Reclamatio matrimonii.*

CASUS VIII. Elisabeth in religione, quæ Reformata dicitur, Educata, in qua & genita, cui anno ætatis 17. nuntium misit, petitur in conjugem, quæ tamen nonnisi ea conditione consentit, ut maritus nunquam matrimonii consummationem à se exigat, aquiescitque vagæ promissioni, virum saltem ad tempus id non exacturum. Bonumne est hoc matrimonium? obligaturne Elisabeth reddere viro suo debitum?

R. Elisabeth verè matrimonii vinculo irretita est, & conjugalis debiti viro reddendi obligationi subiecta, atque ad id cogenda Ecclesiastici iudicis auctoritate, atque Ecclesiæ Centuris. *De Lamet.*

CASUS IX. Maritus quidam promittit fœminæ, cum qua matrimonium inicit, se cum ea victurum in continentia. An contractus hic est legitimus, validusque?

R. Est legitimus & validus; ejusmodi tamen promissum uxori non tribuit jus debitum conjugale petendi viro negandi, aut ob hanc causam recedendam à marito. *De Lamet.*

NOTA. Cum talis contractus juxta me non habeat rationem Sacramenti, sed tantum rationem

contractus civilis, maritus tenetur stare promissis.

CASUS X. Puella post matrimonii contractu à matre & avunculo locum Patris tenente, penes quem & erat dotis partem solvere approbatò sit gravida. Paulò post in morbum incidit, ita ut vitæ discrimini sit exposita, matrimoniò nondum celebratò, an parentes illi denegare, quod promiserunt, quodque petiit, possunt?

R. Si id denegant, injustè denegant, maximamque proli ante matrimonium celebratum in lucem editæ injuriam inferunt, quam filii legitimi titulo, & jure, quod ad matris bona habet, privant, maximam pariter injuriam inferunt proli patri, utpote quem privant hereditate, quamobrem ad damna omnia tam illata filio quam Patri reparanda tenentur. *De Lamet.*

CASUS XI. Fœmina, quæ in contractu matrimonii promissit se vendituram aut permutaturam bona sua, sita in Territorio Cadomensi, teneturne stare promissis?

R. Tenetur, si consuetudo vel leges id sinunt: hujus tamen promissi executionem differre potest, donec meritò timeat, ne mutatâ bonorum ratione & naturâ, malè à viro habeatur. Cessante tamen hoc timore id quod promissit, exequi quoque tenetur. *De Lamet.*

CASUS XII. Jacobus Presbyter esse volens, inhabilem tamen se esse intelligens, Petrum amicum suum rogavit ut simulato suo Jacobi nomine Ordines susciperet. Petrus itaque sub Jacobi nomine est ordinatus acceptis autem Jacobus Presbyteri literis testimonialibus in aliam Diocesin se confert, ubi & Vicarii functiones obit. Interim Petrus, cui nunquam suscipiendi sacerdotum animus fuerat, matrimonium inicit. Quæritur jam, utrum hoc matrimonium sit validum? quid de liberorum ex hoc matrimonio suscipiendorum statu sentiendum? qua pœna Canonica duo hæc crimina digna sint?

R. Matrimonium est nullum. Et si discrimini huic submittere se vellet, penes

an Petrus uxori si quidem petat, debitum reddere teneatur? & denique an mulier hæc alteri nubere possit?

R. Matrimonium Petri nullum est, liberi tamen inde prognati ob bonam matris fidem legitimi sunt; Jacobus cum Presbyter non sit, Presbyteri si obeat functiones, juxta aliquos est irregularis; opinio tamen probabilior tenet, Petrum, cum nonnisi tanquam laicus spectari debeat, irregularitatem non incurrere; Petrus fœminæ à se deceptæ, debitum utpote non suæ, reddere non potest, adeoque fœmina alteri nubere potest, non autem in foro externo, in quo matrimonium Petri non censetur esse invalidum. Debent itaque Petrus & hæc fœmina unanimiter in continentia vivere, cui servandæ si pares se non sentiunt, unanimi consensu se separare. *Fromageau.*

NOTA. Censeo matrimonium Petri esse invalidum ob errorem substantialem sponsæ circa qualitatem sponsi, cui censenda est tacitè alligasse suam intentionem. Credidit enim; se contrahere cum viro per naturam & legem habili ad reddendum debitum conjugale. Itaque licitè & validè absque dispensatione contrahit matrimonium cum alio viro; imo, si ordo Petri sit invalidus, cum ipso Petro in loco remoto, ubi abesset scandalum.

CASUS XIII. Parochus quidam personas alienæ parochiæ copulat, an sit irregularis?

R. Incurrit suspensionem, si ab hæc suspensionis censura necdum absolutus parochiales functiones obeat, eo ipso incurrit etiam irregularitatem, à qua tamen, si necessitas functionum urgeat, absolvi ab Episcopo potest, nisi irregularitas sit publica. Ut autem tranquilliori sit animo, pro obtinenda absolute ad curiam Romanam recurrendum. *Fromageau.*

CASUS XIV. Quid de illo, qui matrimonium inicit, quod ob impedimentum, nonnisi cum vitæ discrimine tollendum, consummare non potest?

R. Matrimonium est nullum. Et si discrimini huic submittere se vellet, penes

uxorem esset jus petendi, ut declaretur nullum; quæ tamen citra culpam, debitum ei reddere potest. Quodsi bonus operationem sequeretur effectus, novo consensu ex utraque parte ad revalidationem matrimonii opus esset. *Fromageau.*

CASUS XV. Quid de muliere, quæ viro impotenti nupsit? an potest retinere donata nuptiarum causâ?

R. Id, quod vi contractus illi obvenit, retinere potest, cum bona fide nupsit. Maritus, eoquod semper cum ea vixerit, censetur eidem donasse quæcunque vi contractus eidem obtigerunt, hinc & ea tuto ex titulo compensationis, retinere potest. *Fromageau.*

CASUS XVI. Quale requiritur tempus ad probandam impotentiam?

R. Jus Canonicum tres tantum admittit probationis annos, quibus elapsis matrimonium potest declarari nullum. Si qui Authores longius tempus admittunt, id ideo fit, quia probabilius, justisque de causis speratur matrimonium consummari posse. *Fromageau.*

CASUS XVII. Quidam est impotens respectu unius fœminæ, quin sit respectu alterius?

R. In hoc casu matrimonium cum priore contractum nullum est, validum tamen cum posteriore. *Lamet.*

CASUS XVIII. Puella ex viri cujusdam concubitu concipit, quam alius sibi conjugem petit potestne nubere huic secundo?

R. Potest, dummodo is, cui nubit, prodis onus non sentiat; melius interim faceret, si secreto pareret. *Fromageau.*

CASUS XIX. An juvenis per vim creatus subdiaconus, & ordinationi publicè refragatus contrahit servandæ continentiæ obligationem?

R. Non contrahit, validumque est, si quod inicit, matrimonium, licet id facere non debeat, priusquam ordinatio declaretur nulla. Et posito etiam quod esset ejus matrimonium nullum, filii tamen inde susce-

suscepti legitimi censerentur, utpote in bona fide matrimonii nati. *Fromageau.*

CASUS XX. Quid de filiofamilias, qui Patre dissentiente matrimonium contrahit?

R. Gravissimè peccat, potèstque ita cum filio Pater agere, ut justam sentiat indignationem. Interim tamen matrimonium, quamvis sit illicitum, est tamen validum. Ignoscendum nihilominus filio, nihil eorum, quæ ad obtinendum patris consensum fieri par est, omittenti. *Fromageau.*

CASUS XXI. Mater quædam exhæreditavit filium sine suo consensu matrimonium contrahentem; an id, si licuit per leges, licuit & in foro interiori? Daturne obligatio personam, quæ nos læsit, benignè excipiendi, si cupiat nos alloqui & in gratiam nobiscum redire? An eidem in foro conscientia remittenda est injuria, pro qua satisfacere paratam se offert?

R. Mater hæc salvâ conscientia potest in casu proposito filium exhæreditare; christianus, præsertim in articulo mortis, tenetur in foro conscientia eum à quo læsus est, conciliari si cupiat, excipere & visitare etiam, nisi fortè ejus præsentia motus odii iterum excitaretur, eumque lædendi divini Nominis periculo exponeret. Sique ille, qui læsit, congruam satisfactionem sincerè offerat, videtur, quod in hoc casu debeat cum illo in gratiam redire, graviter aliàs, si recusaret puniendus. Juxta Navarrum non datur obligatio, à criminali, contra lædentem actione desistendi, nec eum alloquendi, nec cum eo conversandi, & hinc à Confessario nolentibus lædentes alloqui, nisi adsit scandalum, non est deneganda absolutio. Interim monendum perdifficile esse, ab omni se odio & indignatione, no'endo annuere petitioni, eximere. Sique juxta eundem auctorem, si adsit periculum concipiendi odium erga inimicum, satisfactionem oblatam recipere, & cum eo in gratiam redire, quis tenetur. *Fromageau.*

NOTA. Quilibet non solum tenetur veniam se-riò poscenti ignoscere, & exhibere consueta amicitia officia, sed eum etiam prævenire. Poenam tamen subdito, aut media correctoria pro sua in futurum incolumitate nemo tenetur condonare. V. meam *Theol.*

CASUS XXII. Potèstne Puella Patre & matre invitis nubere?

R. Annos nata tringinta potest, servatò, quod Rex edicto suo servandum mandat. Rationi tamen consonum est, ut quoad poterit, differat, ut scilicet, an Parentum non possit expugnari animus, experiatur. *Fromageau.*

CASUS XXIII. Filiifamilias Minorenes insciis parentibus mutuam matrimonii promissionem ineunt, licitène?

R. Non ineunt licitè. Consensus parentum in hac facti specie, lege tum Ecclesiastica tum civili præscriptus est. Adolescens itaque pro viribus eniti debet, ut promissionem quam edidit, è puellæ manibus extorqueat, si parentes in matrimonium consentire nolint: puellâ porro syngraphum reddere recusante adeundus, Judex, à quo compellatur reddere. *De Lamet.*

NOTA. Sic promittens tenetur revocare suum promissum, & eventum relinquere Judici.

CASUS XXIV. Estne matrimonium hæreticorum iis in locis, in quibus Concilium Tridentinum promulgatum & receptum est, veri nominis Sacramentum?

R. Potest teneri affirmativa vel negativa. Interim Ecclesia hæreticos ad veram fidem confessos nunquam obligavit, ut celebrationem Matrimonii ab illis ut adhuc hæreticis initi reiterarent, nec unquam, ut illud dissolverent, permisit. *Lamet.*

NOTA. Sive sit Sacramentum, sive non; est tamen contractus civilis jure naturali indissolubilis, nisi expressè contraxerint dissolubiliter, ac proin nulliter.

CASUS XXV. Duo ex Protestantium secta in Anglia contraxerunt matrimonium in vetito consanguinitatis gradu. Validène?

R. Quam-

R. Quamvis juxta Ecclesiæ Catholicæ legem dispensatione opus esset, tamen matrimonium non cessat esse bonum, ita ut qui hoc modo matrimonii vinculo se obstrinxit, non possit Catholicam fidem amplexus, priore vivente conjuge alteram ducere, & siquam duceret, teneretur ab ea separare se. Teneturque pars utraque quicquid licentius gesserunt, confiteri, eoque uxorem secundam coram Deo non foret veri nominis uxor. *Lamet.*

CASUS XXVI. An Parochus hæreticos recens conversos, quorum alii cum accedunt, Catholicæ fidei speciem præferunt, alii verò nec sunt, nec se dicunt Catholicos, matrimonium inire cupientes, tenetur conjungere?

R. Si internè obligationibus fidei Catholicæ se submittant, Parochus eos copulare tenetur; secus verò, si nec Catholicos se profitentur, nec ulla sufficientia Catholicitatis indicia præbent. Multo minus potest catholicum cum Hæretico copulare. *Fromageau.*

CASUS XXVII. Valèntne Matrimonium infidelium? Mulier fidelis potèstne ad secundas nuptias transire, etiamsi obtentâ dispensatione infideli nupserit? Barbari Christiani facti, possuntne se ipsos copulare sine Parochi præsentia? Mulier fidelis, potèstne infideli nubere? & quare tale matrimonium est nullum? Infidelis ad fidem conversus indigèntne dispensatione ad confirmandum matrimonium, quod cum impedimentis dirimentibus contraxit?

R. Hoc matrimonium valet, prout est naturalis contractus, dummodò eum naturalis aut divini juris impedimento dirimente contractum non fuerit. Mulier fidelis cum dispensatione ad secundas cum infideli nuptias transire potest. Barbari, si in eorum regionibus nec publicata, nec recepta Tridentina synodus, absque Parochi præsentia Matrimonium inire possunt. Mulier fidelis potest infideli nubere, modò ille se ad Catholicam fidem transiturum promittat, & quod promisit, *Diction. Cas. Consc.*

exequatur. Fidelis foemina cum infideli matrimonium est nullum ob cultus disparitatem, quod est impedimentum dirimens. Infidelis ad fidem conversus nulla dispensatione indiget ad matrimonium suum confirmandum, etiamsi cum impedimentis dirimentibus juri Canonico nixis contractum fuerit.

Indissolubilis Matrimonii doctrinam Missionarii infidelibus tradere debent, antequam eos baptizent, & si est periculum, ne fortè legi non se submittant, aut si se submittere omnino renuant, à baptismate arcere eos debent; si vero baptizati sunt, & huic legi se nolint subijcere, alia iis Sacramenta ministranda non sunt, atque adeo, postquam moniti sunt, à fidelium communione excludendi.

Quidnam cum Chinesibus ad fidem conversis agendum, & quomodo Missionarii se gerere debeant ex Brevi Clement. IX. de Anno 1696. Dispensatio Infidelibus generalis à publicationibus faciendis concedi potest. Missionarii identidem foeminas gravidas monere debent, quòd obligentur ad reddendum propriis maritis debitum conjugale, *seclusò abortus periculò*, quod facere si renuant, Sacramentis privare, Missionariorum quoque est monere mulieres, eas, si habeant proles, quas lacte nutriant, non obligari ad reddendum viris suis debitum conjugale, facta hypothesis, id proli nocere, si simul sint gravida. Barbaris gentibus, Baptizatis declarandum & explicandum est Mysterium Eucharistiæ, hujusque Sacramenti suscipiendi, sicut & jejunandi obligatio. Si in eorum regionibus ad vitam sustentandam necessaria commodè comparari non possint, juniorum extraordinariorum obligatione non obstringuntur. His ita constitutis judicari potest, quandonam generalis dispensatio concedenda sit licitè, aut neganda. Horum Barbarorum filii licitè baptizari possunt, quamvis parentes eorum etiam baptizati vix ullum Religionis actum exerceant, supposito, eorum

plerosque in iis regionis ante aquisitionem rationis usum mori. *De Lamet.*

CASUS XXVIII. Eleemosynarius exercitus copulavit Ducem cohortis. Valétne matrimonium?

R. Non valet, etsi Tribunus Militum, Majorque consensissent. Ejusmodi matrimonium contractum est contra Galliarum Regni Constitutiones, & Ecclesiarum leges, cum Eleemosynarius alterutrius contrahentium Parochus non sit. *Fromageau.*

CASUS XXIX. Juvenis & puella, dum Matrimonium ineunt, invicem sibi promittunt, se continentiam servaturos, & Matrimonium nullo unquam tempore consummaturos.

R. Nequeunt inire Matrimonium adjecto ejusmodi promisso, ambobus se periculo nullitatis Matrimonii, saltem sub ratione Sacramenti, exponunt. *Fromageau.*

CASUS XXX. Potéitne legitime Officialis Episcopi Matrimonio assistere?

R. Cum Officialis sit Vicarius Generalis Episcopi in foro contentioso, potest vti hujus qualitatis eos, quos ad Matrimonium mutuo contrahendum damnat, conjugere, vel Matrimonii celebrationem alicui Presbytero delegare. Quod id fieri possit, necesse est, ut inter contrahentes extiterit lis veri nominis, & seria. Destituti Officialis potest, quin in Actu destitutionis Causae necessario exprimantur; destitutio tamen ipsi significanda, qua significata nominandus successor, qui hoc fungatur munere. Quodsi vero destitutus tanquam ab usu appellaverit, Episcopus causam ad privatum Consilium deferat, quod declarationem factam propugnet. *De Lamet.*

CASUS XXXI. Fœmina prolem ex adulterio natam marito suo genuit: teneturne crimen suum detegere ut impediatur, ne proles hæc marito suo succedat?

R. Non tenetur, sed adducere illum potest, ut hæredibus suis, quoad fieri poterit, consulat, & ipsamet, quicquid è suis bonis reservare poterit, iisdem tribuere. *Fromageau.*

CASUS XXXII. Quidam pravo habitu irretitus, vult contrahere Matrimonium. Absolvendusne, quia Matrimonium sine scandalo aliisque incommodis differre nequit.

R. Non est absolvendus, si non det sufficientia veræ conversionis signa. Idem dicendum de Sacerdote, qui die dominico Missam celebrare tenetur, in eodem statu constitutus. Verum in his casibus prudens Confessarius contentus esse debet, si conversionis sincera argumenta poenitentes exhibeant, quamvis consuetus ordo longius tempus in iis requirat, ut recta animi præparatio, quam præferunt, altiores radices agat. *De Lamet.*

NOTA. Sincera conversionis argumenta non possunt consistere in meris verbis, aut promissis & contestationibus, si poenitens jam pluribus annis non observavit cautelas & poenitentias medicinales à Confessario injunctas.

CASUS XXXIII. Extenditurne impedimentum consanguinitatis ad quartum usque gradum; & reddit Matrimonium in tertio gradu contractum nullum, si oriatur ex coitu fornicario &c.?

R. Ad quartum usque inclusivè gradum extenditur æque atque id, quod oritur ex consanguinitate legitima, matrimoniumque in tertio gradu contractum est nullum; Affinitas tamen illegitima non nisi ad secundum gradum extenditur. *De Lamet.*

CASUS XXXIV. Legitimè est Matrimonium Græcum inter & Græcam latinæ communionis?

R. Matrimonium hoc juxta Ecclesiarum regulas celebratum absque impedimento dirimente validum est, nec à quopiam dissolubile. Si uxor post divortium defecisset ad Turcas, & Mahometano nupsisset, etiamsi ejus recipiendæ spes nulla priori marito superesset, tutâ tamen conscientia, eâ vivente, aliam ducere non possit. *Fromageau.*

CASUS XXXV. Validè est Mariæ Matrimonium, quod contraxit in Parochia

chia, in qua non veri nominis domicilium, sed simulatum duntaxat acquisivit?

R. Est invalidum, utpote non coram proprio Parocho contractum, saltem si non accessit Episcopi aut Parochi licentia. Teneturque maritus Matrimonium, quod tali modo iniiit, iterare, servatis omnibus regulis canonicis & civilibus, ut ejus, quam iisdem non servatis duxit, statui prospiciat, idque in conscientia, ut ejusdem uxoris famam tueatur. *De Lamet.*

CASUS XXXVI. Valétne Matrimonium, cui Vicarius parochi assistit?

R. Valet. Vicarius enim quamvis Parochi delegatus habet potestatem subdelegandi; non valeret autem, si Sacerdoti huic fuisset commissum ab alio non habente potestatem subdeleganti, ut eidem assistat matrimonio. *Lamet.*

CASUS XXXVII. Vidua quædam contraxit Matrimonium coram Parocho prædii, quod illa in eum finem emerat, ut modico ante nuptias temporis spatio commorari posset; nupsitque sine publicationibus, nec habito consensu Patris. Valétne Matrimonium?

R. Valet, teneturque maritus ejus Matrimonii, si ejusdem abrogationem pater viduæ obtinere contenderet, valorem propugnare. *De Lamet.*

CASUS XXXVIII. Domina quædam non nisi quatuor aut quinque septimanis in quadam Dicecesis ligoniensis civitate moratur. An potest à Parocho Parochiæ, in qua moratur, copulari?

R. Non potest. Literæ, quas à Burdegala est obtentura, non probant, se ibi obtinuisse domicilium sufficiens ad hoc, ut in hac civitate possit nubere. Et Pater Adolescentis, cui est nuptura, instare potest, ut hoc Matrimonium declaretur nullum. *Fromageau.*

CASUS XXXIX. Duæ diversarum Parochiarum personæ Matrimonio se jungere volunt. Certone constare debet, publicationes in utraque Parochia factas esse?

R. Ad Matrimonii valorem sufficit, quod ab alterutro contrahentium Parocho celebratum fuerit, nec de publicationibus in Parochia Adolescentis factis certo constare debet: nec Parochus de hoc contrahentes certos reddere omittens ulla ab Episcopo poena multandus est, nec licet Matrimonium hoc, cum declarari nullum non possit, revalidare. *Fromageau.*

CASUS XL. Duæ personæ Matrimonium inire volentes, cum parentum consensum obtinere nequaquam possent, Parocho Missam Parochialem celebrante, publicè edicunt, se sibi mutuo fidem dare conjugalem. Cum autem nihil eorum intellexisset Parochus testetur, quaeritur utrum Matrimonium, quod est illicitum, sit etiam invalidum?

R. Est invalidum. Parochus, qui assistit Matrimonio, mutuum contrahentium consensum cognoscat, oportet, ita ut ejus præsentia non solum debeat esse physica, sed & moralis; cum utique Parochus, quæ coram se fiunt, & scire & intelligere debeat. *Fromageau.*

CASUS XLI. Titius in Aquitania natus annorum triginta duorum, quindecim abhinc annis castra secutus potestne cum *Cornelia Haynaut* nata Parisiis, ubi fixum *Cornelia* domicilium habet, inire Matrimonium, qui vel proprii Parochi, vel Episcopi sui consensum obtineat?

R. Potest; cum tanquam omni prorsus domicilio carens spectari possit & debeat. Nec indiget Puella consensu Parochi loci, ubi antequam Parisios venit, domicilium habebat. *De Lamet.*

CASUS XLII. Adolescens falso accusatus à puella, quod geminorum, quos illa pepererat, pater esset, vi Decreti contra eum lati sub poena mortis hanc puellam ducere cogitur. Verène cum eâ Matrimonio junctus est?

R. Non est junctus. Potest ducere aliam, dummodo ejus putativum Matrimonium non innotuerit publicè, eique Confessarius administrare Sacramenta potest. Quodsi Ecclesia eum cogere vellet,

ut cum ea, quam vî tantum adactus duxit, conjugali more viveret, Censuris in eum pronuntiatis irretitus non foret. Puella malum quod ipsamet causavit, & incommoda quæ ille subiit, pro viribus reparare tenetur. Adolescens posset tamen revalidare Matrimonium suum in Parochi præsentia illud renovando, vel à summo Pontifice petere illius per consummationem, promissionemque fidei conjugalis mutuam, rehabilitandi facultatem. *De Lamet.*

CASUS XLIII. Matrimonia secreta sine contractu publico notorio suntne valida?

R. Matrimonia secreta, & in quibus scripti nil intervenit, valent, modo ceteròquin ea omnia ferventur, quæ Ecclesia servanda præscribit. Sed quia gravibus subsunt incommodis, non semper celandi sunt; hæcque in re virorum & doctrina & prudentia insignium, nullòque partium studio ductorum consilio standum est. *Fromageau.*

CASUS XLIV. Quidam puellam, quæ abusus est, non coactus uxorem ducit, quin intentionem habeat eam ducendi, & pro uxore agnoscendi. Jam vult hoc Matrimonium declarari nullum, quid agendum?

R. Officialitatem adire debet pro obtinenda Matrimonii annulatione, simulque ostendere, intentionem suam adeo publicam fuisse, ut de ea nec puella, nec ejusdem consanguinei dubitare potuissent. Id nisi probaret, præsentio ejus curanda non esset. *De Lamet.*

CASUS XLV. Uxor, quæ maritum suum pluribus annis absentem jam mortuum credit, an validè nubit alteri?

R. Tutâ conscientiam non potest alteri nubere, nisi certæ ei de prioris mariti morte probationes suppetant; graviterque peccaret, si levibus præsumptionibus ducta ad novum Matrimonium transfret. Posset quidem posteriori marito in bona fide existenti reddere debitum conjugale; petere tamen non posset. Si de prioris

mariti morte suboriantur dubia, nec redere nec petere debitum conjugale posset, donec dubio sublato certi quid constet. *Lamet.*

NOTA. Si erat moraliter certa de obitu mariti, hoc est, si non dubitabat de ejus morte, poterat etiam exigere debitum. Suborto autem & stante dubio tenebatur illud reddere.

CASUS XLVI. Caja vidua continentiam jugo ferendo impar in Matrimonium, quod conscientiam appellatur, consentit, nubique juveni pluribus jam annis secum degenti. Hoc Matrimonium, utpote coram Parocho non contractum, clandestinum esse cum intelligeret, ambo ad proprium Parochum & senem & valetudinarium pergunt, qui recognita priorem tantum ab iis consensum repeti jubet. Cum tamen & ipsa conscientiam ejusmodi Matrimonium reprobaret, Caja Doctorem adit, eidemque expositâ animi sui sollicitudine ait, adolescentem, quocum Matrimonium inicit, posse esse filium mariti sui, & non leves sibi, cur hoc credat, præsumptiones suppetere. Potestne Caja tutâ conscientiam à summo Pontifice petere dispensationem, ut juveni huic nubere posset, separationem aliis quidem scandalo, sibi verò infamiam futuram, periculumque prævidens, cui juvenis, ne consanguineorum Cajæ viduæ victimam cadat, esset expositus. Quid consilii Confessario capiendum, Cajâ sæpe Sacramenta frequentante?

R. Vidua hæc tutâ conscientiam à Romano Pontifice dispensationem petere non potest, qui certè eam rumore de juvene cognitò nequaquam concederet. Ad divortium itaque à Confessario obligandi sunt, quæcunque demum scandala periculæque ex hoc divortio sint secuturæ. *Lamet.*

CASUS XLVII. Duplex adest impedimentum Matrimonii, unum occultum, publicum alterum. Quid in hac occasione agendum?

R. In Pœnitentiaria, ad quam ob occultum recurrendum, faciendâ est mentio impe-

impedimenti publici, aliàs nulla esset dispensatio. Si quis prolis illegitimæ se esse patrem, ac proin se cum consanguineis matris contraxisse impedimentum finxit, potest ad probandam fictionem Officiali patrem se esse declarare, ut puerperæ famam in tuto poneret, potest se sistere, atque ut id sibi probare liceat, petere. Quando contrahentes tanquam pauperes spectantur, etiam Episcopus dispensationes necessarias concedere potest. *Fromageau.*

CASUS XLVIII. Natalis uxorem duxit Margaritam, quæ secundis nuptiis Gervasio, & tertius Nicolao nupsit. Catharina Natalis Soror nupta Francisco peperit Mariam. Nicolaus tertius Margaritæ, quæ in primis nuptiis Natali nupsit, maritus potestne uxorem ducere Mariam filiam Sororis dicti Natalis?

R. Nullum in hoc matrimonio impedimentum Canonicum intervenit. Natalis est reverà in primo affinitatis gradu conjunctus cum Maria Catharinæ filia. Sed Nicolaus tertius Margaritæ maritus non est in primo affinitatis gradu cum Maria conjunctus. *De Lamet.*

CASUS XLIX. Claudius, qui uxorem duxerat Catharinam ex primo thoro Rhenesii filiam, potestne post ejus mortem ducere Joannam, Rhenesii viduam ex Rhenesii secundis nuptiis?

R. Potest, si Joanna & ipse quarto gradu conjuncti non sint. *De Lamet.*

CASUS L. Potestne quis inire matrimonium cum sui patruis nepte?

R. Potest non solum validè sed etiam licitè, si ejusmodi matrimonium sit necessarium ad familiæ excidium impediendum. Ad id verò opus est, ut quæ aliàs timeantur litigia, veris nitantur difficultatibus, ex discussione bonorum & neptis oritur. *De Lamet.*

CASUS LI. Privatus quidam in quodam loco Petrum nominari se facit, cum tamen nomen ipsius sit Paulus. Contrahit hic nomine Petri, quod ipse sibi imponit, matrimonium. Validène?

R. Matrimonium hoc est nullum, cum interveniat error personæ & dolus actionis substantiam afficiens. Puella Petro se nubere credit, cum tamen nubat Paulo. Si tamen error ea tantum attingeret, quæ sunt accidentalia, cujusmodi sunt nobilitas, divitiæ, matrimonium non esset invalidum. *Fromageau.*

NOTA. Si nomini non sunt annexa alia jura, vel attributa, quibus sponsa præsumitur alligasse suam intentionem, censeo matrimonium esse validum.

CASUS LII. In quadam approbata, & in Regno recepta Congregatione eduntur vota, quæ tanquam simplicia spectantur, & talia etiam in Constitutionibus nominantur. Interim tamen qui hæc vota edunt, perpetuam in Congregatione stabilitatem promittunt. Cessantne per hæc promissionem vota esse simplicia?

R. Semper sunt simplicia, nisi vî Bullæ cujusdam Pontificiæ solennia redderentur. Hinc matrimonium ab aliquo, qui in hac Congregatione vota hæc emisit, contractum non esset invalidum, quamvis esset illicitum. *De Lamet.*

CASUS LIII. Vir & femina matrimonium inire cupientes, impedimentum dirimens, quod intercedere cognoscunt, coram Parocho, qui eorum proprius non est, malitiosè occultant, à quo etiam ut debita publicationes fiant, curant. Insuper & alium, qui eos conjungeret, fecerunt.

R. Episcopus cum iis, ut in tali matrimonio manere possint, dispensare non debet, urgere debet per Officialem aut Fiscalem, ut cogantur ad divortium per Censuras, idque si recusent, brachium sæculare contra eos implorare. *Lamet.*

CASUS LIV. Duo aderant impedimenta dirimentia, quorum tamen duntaxat unicum Pontifici in ordine ad obtinendam dispensationem fuit expositum. Valèntne Matrimonium obtentâ hoc modo dispensatione contractum?

℞. Non valet. Valeret tamen, si bona fide & impedimento altero non cognito, contractum fuisset. *Lamet.*

CASUS LV. Nobilis quædam Puella declarat, se, si ille cui nubit, non pariter sit nobilis, non consentire matrimonio. Interim tamen cui nubit, ignobilis est. Valétne matrimonium?

℞. Non valet. Qualitatis tamen error non semper est in pedimentum dirimens, nisi concernat intentionem contrahentium, ut in casu proposito. *Fromageau.*

CASUS LVI. Matrimonium ex defectibus, quibus obnoxium est, dignoscitur nullum, quid agendum?

℞. Matrimonium hoc à contrahentibus rehabilitari debet. Juvenis, à patre eo quod eo invito matrimonium inierit, exhæredatus, nihil non agere debet, ut cum eo in gratiam redeat, ejusque consensum obtineat. Si Pater assentiri renuat, qua par est observantia cum eo agat. Si verò Pater legitimis ex causis ad exhæredationem deveniat, eam revocare non tenetur. *De Lamet.*

CASUS LVII. Quanta est Episcoporum quoad dispensationem circa impedimenta matrimonii potestas?

℞. Episcopi aliquando habebant potestatem in hoc plenariam. Nec ulla generali Ecclesiæ lege Dispensatio summo Pontifici reservata est. Id juris Pontifex nonnisi longâ possessione præscripsit. Sunt nihilominus Episcopi, qui jus hoc conservarunt, quò & uti possunt, dispensationesque eorum sunt validæ & bonæ. *Fromageau.*

CASUS LVIII. An uxor post cohabitationis triennium, quo tamen matrimonium consummare maritus non potuit, ejus abrogationem petere potest?

℞. Potest. *Fromageau.*

CASUS LIX. Petitur dispensatio circa matrimonium, copulæ duntaxat suspitione expressa?

℞. Dispensatio hæc nulla est. Expri-menda enim foret *copula carnalis*, non

verò simplex copulæ suspicio. *Fromageau.*

CASUS LX. Qui duas habet proles à Judice proscriptas, potéstne facere donationes nuptiarum causâ puellæ, cum qua secundas nuptias inire cogitat?

℞. Non potest, nisi vi legum aut consuetudinis. Nemo nisi vi legum & consuetudinis bonorum suorum dominus est, & nonnisi juxtâ præscriptum legum de iisdem est disponendum. Harum legum & consuetudinem interpretes sunt iudices, quibus eas aliter ac ipsæ judicaverint, interpretari non licet. Et hæc est veritas sacrarum literarum, & SS. Patrum auctoritate firmata. *De Lamet.*

CASUS LXI. Quidam Ancillâ suâ, matrimonii data fide, abusus est, nec temerè præsumitur ex animo promississe; ad hæc puellæ nulla gravis causa credendi suppetit, non eam ejus voluntatem fuisse, ut se in uxorem duceret, aut ob conditionis disparitatem jus ei competere rescindendi promissionem. Tenetúrne promissis stare, & ancillam hanc uxorem dicere?

℞. Tenetur. Posset tamen à data fide se liberare, si matrimonium hoc gravium in familia discordiarum causa foret, & matris ætate gravis, maximèque ab hoc matrimonio alienæ mortem causaret. Curare nihilominus in hoc casu debet, ut, quam dedit, fides sibi condonetur à puella, prolis insuper curam suscipere, matrique dotem tradere debet, ut pro eo matrimonium conditioni suæ conveniens inire possit. *De Lamet.*

Vide *Cas. 62.*

CASUS LXII. Quidam puella abusus est, promittens tamen verbaliter, idque sæpius, se eam sibi in conjugem adsciturum tenetúrne stare promissis?

℞. Tenetur. Si tamen contrahentium conditio valde diversa sit, & inde adoloscanti grave damnum immineret, debet puellæ prospicere de alio matrimonio, non eam uxorem ducere. *Fromageau.*

NOTA.

NOTA. Juxta me omnes contractus sub conditione turpi sunt jure naturæ invalidi.

CASUS LXIII. Titius & Berta, uterque liber, ultrò, mutuòque consensu conjugalem sibi fidem obstringunt, & in Legitimum matrimonium consentiunt hoc ipso die coram Parocho & Testibus. Valétne hoc matrimonium sine præviis denuntiationibus initum?

℞. Si id fiat in loco, ubi denuntiationes præviæ ad valorem matrimonii necessariæ non sunt, cum verba quibus ad matrimonii fidem mutuo obstringendam usi sunt, sint promissio *de presenti*, matrimonium valet, quod non valeret, si promissio esset *de futuro*. Hinc non est opus rehabilitate matrimonii hujus, utpote validi. *Fromageau.*

NOTA. Denuntiationes ad licentiam matrimonii ubique requiruntur, ubi Tridentinum non fuit promulgatum.

CASUS LXIV. Tenetúrne uxor maritum suum in aliam provinciam, relicto domicilio suo habitandi ibi gratiâ proficiscentem sequi?

℞. Tenetur; nec dispensationi locus est. Nec potest marito, siquidem prodigus non sit, dotis, omniumque, quæ matrimonii titulo illi obvenerant, bonorum usumfructum denegare. *Fromageau.*

CASUS LXV. Valétne matrimonium, ad quod contrahendum cum puella, qua abusus est, Juvenem Judex sub pœna mortis adigit?

℞. Non valet, quamvis sententia quoad formam & procedendi rationem justa sit. Posset itaque in extranea regione aliam ducere, ubi de priore ipsius matrimonio prorsus non constaret. Interim tamen Ecclesia spectandò solum forum externum juvenem probabiliter posset ad vivendum cum priore uxore maritaliter adigere. *Lamet.*

CASUS LXVI. Valétne matrimonium, quod quis contrahit cum vidua Patru sui?

℞. Non valet; adeòque aliam ducere potuit, ex qua proles susceptæ sunt Legitimæ.

CASUS LXVII. Uxor non ignorans,

maritum suum cum alia matrimonium iniisse, & plura jam commississe adulteria, potéstne petere & procurare separationem?

℞. Non potest, si hac de re certior facta, debitum conjugale petenti reddidit. Si maritus sic dissolutè vivere pergat, malèque uxorem excipiat, potest illa, imo debet se ab eo auctoritate Judicis separare. *De Lamet.*

CASUS LXVIII. Quidam puellæ, ut ea abuti posset, promisit, se eam in conjugem adsciturum, adjectis tamen conditionibus, quarum executionem difficillimam judicabat. Tenetúrne stare promissis?

℞. Tenetur. Si tamen ex matrimonio hoc gravia in se incommoda & damna redundare credat, curare debet, ut congruè dotis ope à puella obstrictæ fidei solutionem obtineat. Si puella consentit, uterque pro suo arbitrio matrimonium inire potest. *De Lamet.*

Vid. *Pontas.*

NOTA. Imo potius vide *notam* ad *Casum. 62.*

CASUS LXIX. Paulus & Francisca Diocesis Viennensis plusquam viginti annis invicem conjugaliter convixerunt in Diocesi Lugdunensi. Mortua Francisca Paulus vult ad secundas nuptias transire?

℞. Cum Juridicè non constet, Francisam legitimè nupsisse Paulo, præter denuntiationes ordinarias, attestatum ab Episcopo Viennensi exigere Parochus debet, quæ Francisam legitimè Paulo nupsisse asseveret, ut ex eo appareat, Paulum mortua Francisca esse liberum, atque ad secundas nuptias transire posse.

CASUS LXX. Titius paucis post ultimam denuntiationem horis jam vult, ut Parochus Nuptialem Benedictionem sibi impertiatur.

℞. Parochus Titii votis annuere non debet; nam quamvis Concilium Tridentinum expressè non declaret, matrimonium non statim post ultimam denuntiationem celebrandum esse, tamen cum finis, quem Ecclesia præcipiendo, ut de-

nun-

nuntiationes fiant, sibi proposuit, sit, ut impedimenta, siquæ adessent, detegantur, juxta Ecclesiæ mentem non ageret, qui modicum tantum temporis inter ultimam denuntiationem & matrimonii cœremonias intercedere sineret. *Girib. de denun.*

CASUS LXXI. Petronius plura contraxit debita, quæ ut creditoribus solvere posset, largum accepit à sua uxore defuncta patrimonium adjecta tamen conditione, ut ad secundas nuptias non transeat?

R. Si Petronius ad secundas nuptias non transeundo gravi periculo salutis æternæ se exponeret, potest ad nuptias secundas transire, cum periculum salutis perdendæ tollat obligationem solvendi debita, quæ non nisi juris naturalis & conditionata est, ut observat Lacroix *de rest.* Si verò non transeundo ad secundas nuptias tali periculo se non exponeret, tenetur ab iis abstinere, eoquod alias negligeret medium, quod ipsi ad manus est facileque creditoribus satisfaciendi.

CASUS LXXII. Berta super impedimento matrimonii dirimente obtinet dispensationem. Sed cum odium mariti sui incurrerit, nescit, quomodo & qua ratione revalidandum sit matrimonium?

R. Primum quod facere debet, est, ut consensum internum renovet, & quia *Literæ dispensatoriæ exigunt. ut alter conjux certior fiat,* moneat maritum de nullitate prioris consensûs, non indicando tamen quare & quomodo fuerit nullus. Sicque eum ad renovandum consensum obliget. Et hæc est sententia plurimorum Doctorum. Alius matrimonii revalidandi modus, quicumque demum, non sufficeret. Ceterum circumstantia odii, quod maritus contra uxorem suam concepit, solum probat, magnâ ad indicandum viro consensûs primi nullitatem cautione opus esse.

NOTA. Alium revalidandi modum ostendi supra ad *Casum secundum.*

CASUS LXXIII. Petrus & Francisca contraxerunt matrimonium, in secundo gradu se conjunctos esse ignorantes: Pluribus à supposito hoc matrimonio elapsis

annis de impedimento hoc, quod occultum semper manserat, Parochum consulunt. Quid respondendum?

R. Si duo hi suppositi conjuges de impedimento hoc non fuerint informati nisi post decem ab hoc matrimonio inito elapsos annos, à Parocho respondendum est, tantum in hoc casu pro obtinenda dispensatione recurrendum esse ad *Pœnitentiariam*, cum Major Pœnitentiarius vi potestatis ab Innocentio XII. sibi concessæ, similem possit indulgere dispensationem. Si verò ante decem annos impedimentum hoc ipsis innotuisset, confugiendum esset ad *Datariam*, prout per eandem Innocentii XII. Bullam decisum est.

CASUS LXXIV. Titius Confessario aperit, se pro dispensatione facilius obtinenda circa impedimentum consanguinitatis, falsò in petitione sua posuisse, quod crimen cum sua consanguinea uxore sua commiserit.

R. Pro revalidatione hujus matrimonii ad *Datariam* scribendum; nam quamvis alii defectus, qui nullas reddunt *Dataria* dispensationes possint, quamdiu manent secreti, per favorabile Pœnitentiariæ Rescriptum corrigi, Pœnitentiariæ tamen potestas non se extendit ad casum propositum post Bullam Innocentii XII. qui hunc expressè per hæc verba excipit. *Præterquam si falsitas &c.*

CASUS LXXV. Lucius initò cum Livia matrimonio primùm advertit, ex baptismo illius se patrinum esse. Quomodo matrimonium revalidandum?

R. Si impedimentum spiritualis affinitatis ita jam sit notorium, ut celari amplius non possit, ad *Datariam* recurrendum, cum potestas Pœnitentiariæ ad impedimenta publica se non extendat. Si vero de impedimento hoc nemini, nisi Lucio constet, sufficit recurrere ad *Pœnitentiariam*.

CASUS LXXVI. Confessarius ex confessione Francisca cognoscit; illam se ignoranter contraxisse matrimonium cum impedimento affinitatis in primo gradu; timet

timet verò, ne Francisca de hoc impedimento monita, non continet vivere cum marito. Quid agendum?

R. Si Confessarius ignorantiam Francisca fuisse, & adhuc esse invincibilem, cum bona fide stante hoc impedimento contraxerit, eam de impedimento hoc informare non debet, sed in bona fide relinquere, monitionem suam in hoc casu non habituram finem propositum prævidens. Si verò Confessarius cognoscat, ignorantiam Francisca fuisse & adhuc esse vincibilem, adeoque culpabilem, ipsius est eam de impedimento hoc monere, sique monita putatitium maritum pro marito adhuc cognoscat, contrariumque facere recuset, à Confessario dimittenda sine absolutione est. *Alarius, Suarez tom. 4. disp. 32. Diana. Navarr. Girib. & alii.*

NOTA. Si maritus pacificè cohabitare velit: obliganda est ad petendam dispensationem, siue ejus ignorantia sit vincibilis, siue non.

CASUS LXXVII. Sacerdos quidam technis & fraude utitur, ut obtineat à Parocho absente Licentiam Seio & Bertæ impertiendi benedictionem nuptialem, jam dubitat, utrum talis licentia matrimonium non reddat invalidum. Quid dicendum?

R. Resolutio casûs propositi ex circumstantiis dependet: Si enim calliditas ista & fraus unica causa finalis petitionis factæ fuerunt, matrimonium nullum est, eoquod licentia & permissio non fundata in petitione Legitimè factâ, sit invalida. Si verò fraus non nisi causa petitionis impulsiva fuerit, matrimonium est validum, quia data licentia super reali & legitima causa finali fundata erat.

V. DE MATRIMONII IMPUGNATIONE.

1. Quis jus habet consensum præbendi alicui negotio, jus quoque habet illud impugnandi. Agitur in hoc titulo de impugnatione matrimonii, vel denuntiationum nuptiis præmittendarum, vel obtentionis dispensationum.

Dictio. Cas. Consé.

2. Quando impugnatur matrimonium, vel ejusdem denuntiationes in Ecclesia factæ vel faciendæ, impugnansque pro causa allegat, quòd alterutra contrahentium pars matrimonium præmiserit personæ tertiæ, judex ordinarius in hac causa est Officialis, ad quem pertinet desuper ferre sententiam, utpote cum agatur *de federe matrimonii*. Quando verò agitur de aliquo impedimento vel quovis alio facto non concernente vinculum matrimonii, cognitio juxta jurisprudentiam plurimum Parlamentorum spectat ad Judicem sæcularem. Interim tamen in plerisque Officialibus Regni judex Ecclesiasticus pronuntiat super quibusvis impugnationibus, exceptis nihilominus matrimoniis minorum sive interveniat raptus cum violentia vel cum seductione conjunctus, sive non interveniat: Cum utique in tali casu quæstio sit de executioni mandandis Edictis regis, quibus capitali supplicio plectitur raptus violentus, minori verò poenâ raptus cum seductione conjunctus.

3. Quando Officialis judicat super impugnatione matrimonii, facta ex causa promissionis, non licet ipsi vi Edicti de Anno 1639. probationes aliter nisi in scripto recipere, sique hæc fuerint certæ, aliud nil potest, nisi poenam Canonicam imponere.

4. Potest contingere, ut audiatur in judicio filius, matrimonium à matre sua contrahendum impugnaturus.

5. Cum in Gallia filii in ordine ad matrimonium contrahendum non reputentur majorenes nisi post 30. annos ætatis completos, filia verò post 25.; possunt pater vel mater, tutor aut curator impugnare matrimonium ætate hac nondum expleta contrahendum, sic tamen ut salva maneat Judici sua potestas discutiendi & bene ponderandi motiva talis impugnationis. Cæterum motiva tutoris vel curatoris debent esse fortiora motivis parentum.

CASUS I. *Innocentio* parochi confessanti se ad Ecclesiam die feriam quartam

Hhh

cine-

cinerum præcedente celebrandi matrimonii causâ exhibetur contra hoc matrimonium oppositio ab homine cæteroquin triobolario & nullius frugis, cum de se nullum jus ad illud impediendum competit; imo ex nulla alia causâ matrimonium impedire nititur, nisi ut lucretur dimidium Thaleri, sibi à quodam inimico futuri sponsi promissum, si efficiat id sponso fastidium, ut per hoc, ratione talis oppositionis nuptiæ usque post Pascha differendæ sint. Debétne talis parochus, cui de facto hoc evidenter constat, suspendere celebrationem matrimonii non obstante qualicumque scandalo inde orituro, præsertim si hæc sit secunda oppositio, quam inimicus iste homo fieri procuravit.

R. Sicut ad parochum non pertinet judicare de injustitia hujus oppositionis, Innocentius non potest ultra procedere post secundam, sed nec post primam oppositionem. *Ste Beuve, tom. 2. Cas. 104.*

NOTA. Si evidens ac notoria est injustitia oppositionis, parochus tenetur pergere.

CASUS II. Post primam publicationem matrimonii de futuro contrahendi inter Ferdinandum & Eleonoram, *Josephus Ferdinandi* frater parochus intimavit oppositionem contra hoc matrimonium. *Ferdinandus* super hoc fratrem suum provocavit ad judicem regium, tantumque effecit, ut rejecta fuerit ipsius accusatio & oppositio, simulque injunctum parochus, ut matrimonium celebret. Potéstne Parochus vi hujus sententiæ procedere?

R. Parochus nec potest nec debet procedere ad celebrationem hujus matrimonii vi sententiæ latæ à Judice Regis, cui nulla potestas competit similia injungendi solusque Judex Ecclesiasticus jus privatum habeat de causis matrimonialibus cognoscendi, solo casu excepto de quo supra num. 2. fuit mentio *Alexander III. in cap. ex Literis 1. de Consang. & Affinit.*

MEDICUS.

1. Medicus dicitur, qui callet artem infirmos sanitati restituendi, aut eosdem

per medicamina à se ordinata sublevandi, aut sanitate positos in ea sua constitutione conservandi.

2. Definitio hæc non convenit Idiotis, quorum non exiguus est numerus, nec circulatoribus, quos *Charlatan* vocant, nonnisi ad decipiendum populum aptis.

3. Medici labores & medicinæ justa mercede compensandæ sunt, & quidem priusquam mortui creditoribus satisfiat: id autem solum intelligendum de medicinis in ultima infirmitate applicatis.

4. Quivis Medicus incapax est Legatorum à defuncto sibi factorum.

5. Quicumque tentare, cujus successus infirmis periculosus esse posset, sine gravi peccato non potest.

6. Nec Clerico nec Religioso artem medicam exercere licet, nisi ex charitate, gratisque: at ne hoc quidem, nisi exacte omnia artis medicæ præcepta calleat.

7. Medicus infirmum, quem in periculo mortis constitutum credit, de hoc mone-re, nisi gravis se peccati reum facere vellet, debet; & si habeat rationem, cur ipsi hoc insinuare nolit, tenetur id insinuare ægroti propinquis, Parochus & ejusdem Confessario.

8. Planè non decet, Medicum cum infirmo convenire de summa ab eo, si reconvalescat, sibi solvenda.

CASUS I. *Galenus* Medicus pauper, ad ægros pauperes vocatus sæpe eos invisere recusat, eoquod labores suos non compensatum iri sciat. Peccátne?

R. Medicus ex Præcepto charitatis ægris pauperibus succurrere tenetur, fitque reus cujusdam speciei homicidii, si pauper moriatur, quia illius curam non habuit. *S. Antonin. 3. part. 7. C. 1. §. 1. init.* Interim tamen, addit *S. Antoninus c. 4. §. 5. Medicus non tenetur banc erga omnes pauperes charitatem exercere, id enim dependet ex circumstantiis, si e. g. non esset alius, qui pauperem infirmum sublevaret; vel malum adeo urgeret, ut nonnisi cum periculo mortis alium adire, aut accersere infirmus posset. Pontas.*

CA-

CASUS II. *Doryleus* unicus in quadam parva civitate Medicinæ Doctor, pauperes infirmos, quorum plures ibi invenire erat, sedulus visitat, gratisque medicinas eis suppeditat. Aliquot post annis vocatur ad ægrum quemdam divitem periculosè decumbentem, quem invisere renuit, eoquod nullum ab eo honorarium acceperit, divésque ille acerbè prius tulerit exactionem Salarii jam antecederet à longo tempore sibi debiti. Peccátne, si in hac recusatione perseveret?

R. Evidens videtur, eum non succurrendo huic diviti contra præceptum charitatis peccasse. Si unicus ille & solus in hac civitate est Medicus, ministerium suum etiam huic diviti denegare non potest, & sic eum mori permittere, præsertim cum actionem habeat adversus hæredes, si æger moriatur. *Pontas.*

CASUS III. *Philogonus*, postquam per quindecim jam annos artem medicam exercuisset, vult fieri Presbyter. An indiget dispensatione?

R. Ratione Professionis suæ, quamvis remediis non semper favorabilis responderit effectus, pluresque fuissent mortui, si artem suam juxta regulas artis exereuit, omnî simul adhibitâ curâ & cautione necessariâ, ad recipiendos Ordines sacros non indiget Dispensatione. *Clement. III. in can. Ad aures 7. de etate & qualitate. ff. l. 1. t. 14.*

CASUS VI. *Pomponii* Medici curæ traditur scœmina à tribus jam annis phthifica. Invenit illam in statu, ut vix quatuor dies adhuc vivere possit; nihilominus adhibet plures medicinas, quas nihil profuturas non ignorat. Mortuâ hac muliere post quatuor, ut prævidit, dies recipit Salarium sibi datum. An legitime?

R. Ministerium Medicorum non unice tendit, ad præservandum à morte ægrum; sufficit, si ægrum per sua medicamina recreet, soleturque: adeoque licitè potuit retinere Salarium. *S. Aug. de Aucona. lib. de potestate Ecclesiast.*

CASUS V. *Dagobertus* Medicus sollicitè curat *Anselmum* periculo mortis expositum. Interim tamen nonnisi medicamenta applicat, curâ animæ, quam ad se non pertinere credit, propinquis ægri aut Confessario relicta. An reus est coram Deo, si æger sine Sacramentis moriatur?

R. *Dagobertus* haud dubiè graviter peccavit, eoquod neglexerit monere *Anselmum*, aut qui illius curam gesserunt, de periculo mortis, in quo constitutus erat. *Inn. III. in can. Cum esset 13. de penit. & remiss. lib. 5. t. 39.*

MELITA.

CASUS. Magister vel clericus alicujus congregationis Sæcularis potéstne recipi in Ordinem Equitum Melitensium?

R. Cuivis Magistro vel Clerico congregationis Sæcularis, in qua nonnisi simplicia vota eduntur, in quibus dispensare Generalis potest, liberum est ingredi Ordinem Equitum Melitensium, ubi revera per vota Solennia fit Religiosus. *Fromageau.*

Vide *Eques.*

MENDACIUM.

1. *Mendacium* juxta *S. Augustinum* est: falsa significatio cum voluntate Fallendi. Mentiri, & falsa loqui, idem non sunt: Mentiri enim quis non potest, quin falsa proferat, aut quin ea, quæ dicit, falsa esse credat; falsa tamen proferre quis potest, quin mentiarur, quando nimirum falsa, quæ profert, vera credit.

2. *Mendacium* ad tres referri species potest: Aliud nimirum mendacium est OFFICIOSUM, quod est: *Locutio contra mentem causâ utilitatis propriæ vel alienæ.* Aliud est *Mendacium JOCOSUM*, estque *Locutio contra mentem causâ voluptatis propriæ vel alienæ.* Aliud denique est *Mendacium PERNICIOSUM*, seu *Locutio contra mentem cum proximi nocumento injusto.* *Mendacium Officiosum & Jocosum*

H h h 2

jam ordinariè non nisi peccata venialia sunt: *Secluso tamen injusto nocumento spiritali aut temporalis.* Mendacium verò *Perniciosum* ex suo genere est peccatum mortale, sicut superbia, ira, gula, acedia.

3. Certum est in nullo casu, ex nulla ratione, quæcumque demum sit, quempiam mentiri posse, aut uti terminis æquivocis sine causa, quin Deum offendat, cum omne mendacium ex sua natura sit peccatum.

CASUS I. *Palamedes* dixit, se vidisse *Alexandrum* in platea transeuntem, cum tamen transierit *Paulus*. An, si verum se dicere *Palamedes* credidit, nec, quod dixit, in præjudicium personæ ejusdem cessit, nihilominus peccavit?

R. Mendacium *Palamedis* non nisi *materiale* est, cum non habuerit intentionem falsum quid proferendi, nec peccavit, rem prout noverat, enuntiando. *S. Aug. l. de mendacio c. 3. seu n. 3.*

CASUS II. *Polybius* quicquam promissit, num censendus est mentiri, si promissis non stet?

R. Si promissit cum intentione promissum adimplendi, non mentitus est, etiamsi postea promissis non steterit. Si tamen non adimpleat, quod promissit, peccat contra fidelitatem, cui se oppignoravit, nisi iusta eum causa excuset. *S. Thomas 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5.* Si tamen quicquam promississet non habens animum standi promissis, mentitus fuisset.

CASUS III. *Cajus* signò vel actione quadam insinuat, rem esse veram, quam falsam credit, eò consiliò, ut & veram esse persuadeat. Mentiturne?

R. Signum, quod dedit, aut actio, quam fecit, eundem, quem verba, effectum produxerunt & producant: adeoque *Cajus* mendacii reus est. *S. Aug. loc. cit. c. 3. & 4. & S. Thomas loc. cit. art. 1. ad 2.*

CASUS IV. *Sebastianus* ex joco affirmat quicquam, non intendens, ut verum esse credatur, imo persuasus, neminem huic adhibiturum fidem. Dicit, exempli

gratià, se jam peragasse quatuor mundi partes, quamvis annum ætatis duodecimum primùm attigerit. An mentitur?

R. Omne mendacium intendit fallere proximum. Cum ergo *Sebastianus* in casu proposito non habuerit intentionem quempiam decipiendi, non censendus est mendacii reus. Excusandus tamen à peccato omninò non est, quod committere potuit, vel propter vanitatem, vel propter levitatem, vel ob quid aliud. *S. Aug. loco citato & lib. 9. in Genesim q. 145.*

CASUS V. *Landrius* solvit *Martialis* debitum 1000. fl. quorum, apocham accepit. Hæc aliquot post mense perditâ, mortuòque *Martiali*, hæredes *Martialis* summæ hujus, quam nondum solutam existimant, solutionem à *Landrio* petunt, qui, ut diuturnum securum processum evitaret, imitatus est chirographum *Martialis*, & quidem tam accuratè, ut apocham, quam conscripsit, veram esse *Martialis* hæredes crediderint. An egit contra justitiam, arguendusque de aliquo peccato? an non commisit mendacium, saltem scriptò?

R. Periculum, ne forte liti diuturnæ involveretur, non potuit *Landrium* compellere ad novam conscribendam apocham & falsam. *S. Aug. in Psalm. 5. n. 7. S. Greg. l. 18. Moral. c. 4. S. Thomas 2. 2. q. 110. art. 1. ad 3.* Imò nequidem licet salutem proximi mendaciò procurare. *Pontas.*

NOTA. Hæc fictio novæ apochæ pertinet potius ad æquivocationem vel restrictionem mentalem, quam ad mendacium; potest enim in sensu hæredum interrogantium sine ullius deceptione dicere: Hæc scriptura est *representativè* apocham *Landrii*, sicut de effigie vel icone dicimus: est Rex, est B. Virgo. Vide. *Æquivocatio, restrictio mentalis.*

CASUS VI. *Valerius* cujusdam Nobilis Janitor, frequenter Dominum visitare eo tempore quò à nemine visitari vult, cupientibus, usus terminis æquivocis, eum non esse domi, aut exiisse dicit, subintelligendo *manè*. An sic respondendò men-

mentitur? Peccatne Nobilis hic, qui, ut sic respondeat, Janitori præcipit?

R. *Æquivocationes*, restrictiones mentales, amphibologias lex Divina prohibet. *S. Aug. l. contra mendac. c. 1. 18. seu n. 35. & Inn. XI. Decret. de 2. Mart. 1679. contra 26. & 27. Propos. inter prop. à se damnatas.* Adeoque Dominus præcipiendo, famulis exequendo mentitus est. *Pontas.*

CASUS VII. *Theodulphus* Religiosus plura coram Laicis enuntiat mendacia vel officiosa, vel jocosa, quæ Laici cum summa offensione audiunt, eoquòd sciunt, dicta esse falsa. An peccavit mortaliter, si ex suis mendaciis oriturum scandalum cognovit?

R. Videtur dicendum cum Divo *Theodulpho* 2. 2. q. 110. art. 4. *Theodulphum* peccasse mortaliter ratione scandali, quod dedit, nec evitavit. *Pontas.*

CASUS VIII. *Briandus* quemdam suorum amicorum à gravi, quod illi imminabat, malo præservaturus, tutâ conscientia dissimulatione se uti posse credidit, peccavitne?

R. Nisi quid dixerit, aut fecerit veritati contrarium, ob solam hanc dissimulationem mendacii reus esse non censetur. *S. Thom. loco citato art. 3. ad 4.* Si tamen sic dissimulasset veritatem, ut simul usus fuisset terminis vel aliis signis inducentibus ad credendum aliquid oppositum veritati, à peccato excusari non posset. *S. Aug. lib. de mend. c. 17.*

CASUS IX. *Bertinus* subdiaconus puellam ad peccatum sollicitans, ipsi, se nondum sacris Ordinibus initiatum esse, asseverat, ut facilius peccato assentiretur. Confessus postmodum crimen suum, non se accusavit de mendacio, id veniale peccatum reputans. Estne Confessio *Bertini* integra, & num mendacium hoc tantum est peccatum veniale?

R. Negari non potest, mendacium *Bertini* esse peccatum mortale, ob impium quem intendit, finem. Quod si in Confessione non exprimat, Confessio ejus in-

tegra non est, sed sacrilega. *Gloss. in Can. Ne quis 13. cod. cod. c. 9. & v.* Non occidetur & *Concil. Trident. sess. 14. can. 7. & cap. 5. de sacr. penit.*

CASUS X. *Adrianus* aliquando à *Josepho* offensus, lethale erga illum odium fovet. An mendacii reus evadit, quoties Orationem Dominicam recitans ait. *Dirigite nobis &c.*

R. Propriè & rigorosè loquendo recitans hanc orationem non mentitur. *S. Thom. 2. 2. q. 87. art. 26. ad 13.* ejusmodi hominem à mendacii culpa eximit. Observandum tamen, quòd gravissimæ, ut ait *S. Doctor*, irreverentiæ erga Deum, quem interpretativè tentat, cujusmodi tentatio quædam species irreligiositatis est, reum se faciat. Attamen *S. Augustinus* sic precantem reum agit mendacii. *Serm. 49. novæ edition. aliis 217. de temp. num. 8.*

NOTA. Censeo, iterum distinguendas esse tres in uno actu moralitates. Una est intentio honorandi Deum: secunda est irreverentia concomitans erga Deum, quem non intendit fallere: tertia est obstinatio impenitentia contra actualem instinctum Dei & conscientia; prima de se est bona. Secunda venialiter, tertia mortaliter mala.

CASUS XI. Dux quidam dimissionem militi promissit, an tenetur promissis stare? Potestne deficiente magni momenti Scheda, quæ periit, concinnari alia ea simillima, quæ judici exhibeatur? Potestne literis fictis declarari; centum libras non deberi Petro, quas constat deberi Joanni? Num licet Janitori dicere, Dominum non adesse, cum verè domi sit? Mentiturne, qui ait nescire, quod solum sub secreto scit? Mentiturne, qui nil pecuniæ præsto sibi esse dicit, dum mutuum dare non vult? Mentiturne, siquis foeminas duas, quæ se diceris mutuo laceffivare, compositurus, excuset utramque, inquiring, pravo animo neutram fuisse, prout *S. Monica* fecisse legitur? Peccaturne, dum respondetur ad mentem interrogantis? Licetne uti æquivocationibus, amphibologis,

giis, & restrictionibus mentalibus? An maritus quicquam uxori tribuere potest, fideicommissi titulo, pro servitio quodam ab illa sibi exhibitio?

℞. Dux, qui dimissionem militi promissit, promissis stare, eique de capite periclitanti, si dimissione non recepta auferret, consulere tenetur. Perditâ magni momenti schedulâ, simillima ei concinnari non potest, quæ judici exhibeatur. Ex contra scriptis literis declarari non potest, centum libras deberi Petro, quas constat deberi Joanni. Janitori dicere haud licet, Dominum, qui domi est, non adesse. Mentitur, qui ait se nescire, quod tantum scit sub secreto. Mentitur quoque, qui ait, nil pecuniæ sibi ad manus esse, dum mutuam dare non vult. S. Monica potuit duas mulieres, qui dicerent se mutuo laceffivere, excusare dicendô, neutram pravô animô fuisse, quin fuerit mentita. Si quis scit, se respondendô ad mentem interrogantis mortaliter peccare, respondere non debet, sed potius quærere debet rationes, licitas tamen, ut eludatur, vel nequaquam pateat, quod reticendum est; restrictionibus verò mentalibus, æquivocationibus, amphibologiis uti non licet. Uxor tenetur ea, quæ potest, marito præstare officii, sicut & maritus uxori, quin propterea alterutri ulla compensatio debeatur. *Fromageau.*

Vide *Absolutio* Caf. IX.

Accusatus Caf. I. II. III. & VI.

NOTA. Circa schedulam Judici exhibendam, & circa notitiam secretam, & circa ea, quæ facti non licet. Vide *Notam* ad Caf. 5.

MERCATOR.

Vide *Emptio. Societas. Venditio.*

MERCES.

Generale Principium est; minoris emi quid licet non posse. eò prætextu, quod numeratâ pecuniâ, aut, ut quandoque contingit, anticipatò solvatur; nisi forte

in casu lucri cessantis, aut damni emergentis. Nihilominus tamen minoris emere licet, si solutio anticipetur, probabiliterque creditur fore, ut merx minoris valeat eo tempore, quo accipienda est emptori.

CASUS. Negotiator Margaritarius Saphirum, quam 70. tantum libris emit, 330. librarum pretio vendidit; tutane conscientiâ.

℞. Tenetur ad pretii exorbitantis restitutionem. *Fromageau.*
Vide *Emptio.*

MERCES seu SALARIUM.

1. *Merces*, & *Salarium* sunt termini synonymi, qui definiri possunt, quod sint retributio ex pacto saltem tacito debita labori.

2. Famulus potest, & habet jus postulandi justum Salarium à Domino, cui à servitiis fuit, quamvis de mercede pacto expresso non convenerit cum eo. Gravissimum est peccatum, cujus clamor cœlum usque penetrat, si mercenarius fraudetur mercede, quam meritis est.

3. Quædam tamen oriri possunt difficultates quoad operarios, qui constituto tempore opus suum non perfecerunt, de hoc autem agatur in titulo de *Locatione*, aut quoad famulum, qui se obstrinxit ad annorum determinatum numerum ad famulatum, proprio motu Dominum suum deserit, vel ab illo dimittitur ante definitum tempus, & de hoc agatur hic *Casu* 2.

CASUS I. Lentulus sua servitia obtulit Ferdinando viro in dignitate constituto, quin cum illo de salario conveniret, illique quatuor annis à servitiis fuit; verum cum liberius viveret, dimisit eum, Ferdinandus absque ulla mercede: cum igitur Lentulus de hoc conquereretur, Ferdinandus respondebat; se illi nihil promississe, & illum nullam petiisse mercedem; præterea addebat, Lentulum in suo servitio fuisse valdè negligentem.

℞. Censemus; Ferdinandum se excusare non posse, quin Lentulo æquam persolvat

solvat mercedem, quam suo famulatu meritis est. Verum est, justum salarium regulari debere æquitate, sicut pretium naturale reum vanalium. Excusationes Ferdinandi non sunt sufficientes. *Pontas.*

CASUS II. Si Ferdinandus conduxisset Lentulum ad sex annos pro salario 50. librarum annuo, & illum dimisisset ad finem quarti anni, teneretur illi mercedem pro sexennio persolvere? Aut si Lentulus discessisset annò tertio aut quarto à Ferdinando, an Ferdinandus teneretur ad mercedem solvendam Lentulo proportionatam tempori, quo Lentulus sibi à servitiis fuit?

℞. Quoad *primam questionem* dicimus; Ferdinandum teneri Lentulo solvere mercedem pro sexennio, si Lentulus aliud non reperiat servitium & Ferdinandus justam illum dimittendi causam non habuerit; nam alia sufficeret, si eum solveret pro rato temporis impensi servitii.

Quoad *secundam questionem* respondemus; videri, Ferdinandum eximi non posse ab obligatione solvendi Lentulum pro rato temporis, quo sibi famulatus est, nisi Lentulus pactus fuisset de privatione totius salarii, si suâ culpâ ante sexennium servitiò abscederet, aut si Ferdinandus pateretur damnum ex præmaturo discessu sui famuli. *Pontas.*

MERITUM.

Meritum generaliter acceptum est opus præmio vel supplicio dignum. Theologi duo meritum genera distinguunt, quorum primam vocant *Meritum de congruo*, alterum meritum *de condigno*. Meritum de CONGRUO est: *Opus bonum retributione divina dignum ex decencia & gratuita liberalitate* quin ex parte Dei detur *Obligatio ex obligatione justitiæ*. Meritum DE CONDIGNO est: *Opus bonum, cui ex sua operantisque dignitate, merces debetur ex justitia*. Et requirit hæc meriti species quinque conditiones, in responsione ad *Casum* I. recensendas.

CASUS I. *Pascalis & Paulus*, qui Theologiæ operam dant, de merito elemosynæ, quam prior cuidam pauperi erogaverat, disputant. Unus eorum ad merendum absolutè necessarium non esse tenet, ut quis sit in statu gratiæ, sed sufficere, ut bonum opus fiat ex motivo charitatis imperfectæ. Alter verò, nullum mereri posse, nisi ab omni peccato mortali immunis esset, defendit. Cui aquiescendum?

℞. Ad hoc, ut ex bono opere meritum acquirere quis possit, quinque requiruntur conditiones.

1. Requiritur, ut actio, quæ fit, sit libera. 2. Ut operans in hoc mundo vivat, sive loquuntur Theologi, ut sit *Viator*. 3. Ut opus bonum pro principio habeat gratiam. 4. Ut, qui vult mereri *ex condigno*, sit in statu gratiæ. 5. Ut opus bonum saltem virtualiter fiat ex motivo charitatis, *Pondus enim amoris*, ut ait S. Bonaventura, *est, quod dat valorem operibus meritoriis, in 2. sent. dist. 29. art. 8. q. 2.* Et sic sententia primi ex duobus his Theologis, bona est, dummodo non excluderit reliquas conditiones ad meritum requisitas. *Sylvius in 2. pent. S. Thom. quest. 11. art. 3. vers.* Accedit.

CASUS II. *Jacobus* in charitatem totus propensus tempus Pomeridianum instructioni & sublevationi pauperum infirmorum impendere solet, quæ tamen opera sæpe non refert ad Deum. Sûntne omnia meritoria? *Gregorius* Presbyter singulis diebus Dominicis & Festis tempus matutinum excipiendis Confessionibus impendit, ita huic operi intentus, ut Deo id offerre obliviscatur. An per hoc perdit meritum operis?

℞. Duæ dantur intentiones; una *actualis*, quâ quis actionem eo, quo fit, tempore Deo offert; *virtualis* altera, estque hæc relatio dependentiæ, quam habet effectus ad intentionem actualem, ex qua processit, & quæ, quamvis ipsa non subsistat, in sui tamen virtute perseverat.

Quodsi *Jacobus* Deo ab initio actionis suas obtulit instructiones, quibus tempus Pomeridianum impensurus erat, omnia ipsius opera erant meritoria, dummodo non defuerit aliqua ex conditionibus ad meritum requisitis. *S. Bon. in 2. sent. dist. 41. art. 1. q. 3. ad 6.* Idem dicendum de *Gregorio. Pontas.*

CASUS III. *Prosper & Antonius* unusquisque florenum cuidam pauperi donant; prior quidem animo munifico & ex spiritu liberalitatis; posterior tamen cum quadam repugnantia. An meritum prioris Majus est, meritò posterioris? aut æquale, utroque ex spiritu charitatis eleemosynam erogante?

R. Ne in judicio circa meritum, quod acquisivere *Prosper & Antonius*, inæqualitatem quis fallatur, sciendum 1. utrum repugnantia *Antonii* ex naturali inordinata propensione ad nimium diligenda bona terrestria proveniat. 2. Utrum illa repugnantia ipsi sit aliquo modo voluntaria; utrum nimirum non eam vincere aut destruere laboravit? aut utrum eò invito evenerit, & eandem vincere nifus sit? Si eam destruere conetur, erogando eleemosynam majorem de se reportaturus victoriam, videretur, quòd ob hanc ipsam difficultatem ex naturali terrenorum amore ortam, meritum ejus majus sit, quàm meritum *Prosperi* cum delectatione operantis. *S. Thom. in 3. dist. 24. art. 3. quest. 3. in corp.*

NOTA. Censeo; in Antonio concurrere duo diversa rationis merita; nempe victoriam sui, & actum misericordie. In genere misericordie actus *Prosperi* est perfectior; nam *bilarem dantorem diligit Deus. 2. Cor. 9.*

METUS.

Vide *Contractus. Impedimentum metus. Peccatum, Cas IX. Promissum, Cas V. Ordines, Cas XVII.*

MISSA.

1. Quidquid sit de etymologia vocis *Missæ*, quæ deducta videtur à voce latina *Missio*, vel græca *Muesis*, operatio mystica, vel ab Hebraicâ *Missath*, oblatio, à multis eam retrò sæculis jam receptam fuisse certum est.

2. Est autem *Missæ* juxta Theologos: Sacrificium incruentum corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini.

Verum in *Missæ* Deo offerri sacrificium, veritas fidei est. *Concil. Trid. sess. 22. can. 1.*

3. Quod Sacrificium à Theologis insuper vocatur *Propitiatorium, eucharisticum, & impetratorium.*

4. Cœremonias ab Ecclesia institutas immutare, aut omittere absque crimine quis nequit, sicut & novas privatâ auctoritate addere. Nec licet Presbyteris adjicere orationes privatas sub prætextu devotionis, prout olim factum esse observat.

5. *Maldonatus de Cœremoniis in Genere part. 2.* Non potest quis sine gravi crimine celebrare si non sit jejunos, nisi in quibusdam certis casibus, quorum fiet mentio. Regulariter loquendo non nisi semel in die celebrare *Missam* quis potest. Qui in statu peccati mortalis celebrat, sacrilegii reus fit.

6. Parochi diebus Dominicis & Festis in gratiam & pro Parochianis suis *Missam* celebrare tenentur.

7. Non potest quis *Missam* celebrare nisi in loco consecrato, & horâ convenienti, & unum saltem habeat, qui respondeat, sicut & ornamenta ad hunc usum destinata, & benedicta ab Episcopo, vel à Presbytero ad id ab Episcopo destinato.

8. In nullo unquam casu licet uti alio panè, quam ex tritico confiato, vel alio vino, quàm à vite edito.

9. Omnes fideles sub pœna peccati mortalis diebus Dominicis & Festis *Missam* corpore & spiritu interesse tenentur, nisi justam

justam causam, quæ eos excuset, habeant Dominicis & Festis solemnioribus *Missæ* Parochiali inter se tenentur. Presbytero ad intentionem alicujus *Missam* celebranti, sine peccato honorarium sibi oblatum, accipere licet, dummodo id fiat sine ullo pacto antecedenti, & absque importuna exactione, idque tanquam Eleemosynam accipiat.

10. Linguam quod attinet, observari debet Ritus Ecclesiæ Catholicæ, hanc si populus non intelligat. Pastorum & Presbyterorum est, eundem de his, quæ in *Missæ* leguntur, instruere.

11. Tenentur fideles *Missam* audire integram ac continuam Presbyteri ejusdem. Clerus Gallicanus A. 1700. censurâ perstrinxit sequentes hac de materia Præpositiones.

Propositio LXXIII. Satisfacit Præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul, à diversis celebrantibus audit.

CENSURA: Hæc propositio est absurda, scandalosa, illusoria, & sensui christianorum communi contraria.

Propositio LXXVII. Nullus in foro conscientie Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad *Missas* Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, quæ ibi in Catechesibus annuntiantur & docentur.

Propositio LXXVIII. Talem legem in hac materia nec Episcopi, nec Concilia Provincialia nec Nationalia Sancire, nec delinquentes aliquibus pœnis aut Ecclesiasticis censuris mulctare possunt.

Propositio LXXIX. Plebs virtute Concilii Tridentini cogi non potest censuris & pœnis Ecclesiasticis, ut se conferat ad suam Parochiam diebus Dominicis ad audiendam *Missam* Parochialem,

CENSURA: Harum propositionum doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, jam à Clero Gallicano graviter condemnata, sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicæ Traditioni contraria.

Distion. Cas. Consc.

CASUS I. *Didacus* Presbyter interdum ante celebrationem *Missæ* absorbet duas guttulas cujusdam liquoris confortativi ob debilitatem stomachi, & alia vice eluendo guttur casu demisit duas aquæ guttulas, aut exiguas ciborum reliquias in dentibus ex die antecedente residuas. An sic celebrando *Missam* peccavit mortaliter?

R. *Didacus* in primo casu peccavit mortaliter. *Concil. Constant. sess. 3. & S. Thomas 5. part. sum. q. 80. ad 4. item in 4. dist. 8. q. 1. art. 4. quest. 2. ad 2.* Sed in secundo casu non censendus est violasse jejunium, & absque peccato potuit celebrare *Missam*. *S. Anton. 4. p. Sum. Theol. tit. 13. c. 6. n. 8.*

CASUS II. *Justinus* Parochus, cum ad celebrandum haud obligari se existimaret, unicum duntaxat haustum aquæ sumpsit. Vocatus ad providendum moribundum non invenit hostiam consecratam. An in urgenti hac necessitate potuit celebrare?

R. Certum est, *Justinum* sine gravi peccato non potuisse celebrare. *Sylv. in 3. part. sum. S. Thom. cap. 8. art. 33.*

NOTA. Vide *Cas. 3.*

CASUS III. *Clarius* Parochus, ex inadvertentia in Natali Domini in prima *Missæ* sumpsit ablutionem, & si non celebret, duas alteras, aut saltem tertiam, duæ Parochianorum tertie *Missæ* privantur; an ad minimum tertiam ad evitandum scandalum celebrare potest?

R. Juxta *Sylvium loco citato q. 80. art. 8. sub fin.* præsens casus non debet excipi à regula generali, quæ celebrantem vult esse jejunium, nec scandalum, quod securum supponitur, est sufficiens ratio & legitima, quâ suffultus Parochus hic potest celebrare tertiam *Missam*. Parochiani in hoc casu debent se considerare quasi Parocho destitutos, & interea aliò pergere præcepto Ecclesiæ satisfactori, si ipsis sit possibile.

Vide *Decision. 18. 19. 22.*

NOTA. Cum defectus jejunii non sit notorius publicè, & scandalum sit majus malum, cenfeo; Justinum & Clarium non solum posse, sed etiam debere celebrare.

CASUS IV. *Medericus* Presbyter post sumptam ablutionem, dum adhuc altari adstat, vel dum jam rediit in sacristiam, recordatur, aliquam particulam consecratam adhuc hære in patena. An illam absumendo non peccat?

℞. Dum adhuc adstat altari, licitè id eum facere posse arbitror; secus verò, si jam rediit in sacristiam, nisi illas sine manifesto alicujus irreverentiæ periculo servare non posset, cum, antequam ab altari discedat, sacrificium non censeatur esse perfectum. *Navar. Manual. c. 25. n. 89.*

CASUS V. *Balduinus* Presbyter sumpta prima ablutione advertit, aliquot vini guttulas, quas in calicem, ut consecraret, infuderat, oræ calicis adhærere. An habendæ sunt pro consecratis, & consequenter sumendæ, an verò purificatorio abstergendæ?

℞. Si hæ vini guttæ calici adhæserunt foris habendæ sunt pro non consecratis, & purificatorio abstergendæ; si verò sint intra calicem, opinio communior, quæ verior esse videtur, tenet, eas non habendas esse pro consecratis, nisi specialem habuerit eas consecrandi intentionem; quamvis sit convenientius, securiusque, si cum ablutione absumantur. Non tamen *Balduinus* alicujus peccati, si bona fide, existimans esse licitum, eas guttas purificatorio extersit. Nihilominus in simili casu Presbyter debet eas guttas vel cum prima vel cum secunda simul ablutione absumere. *Pontas.*

CASUS VI. *Andreas* Presbyter quandoque ante celebrationem Missæ sumit tabacum, aut mandit. An violat jejunium naturale vel non?

℞. Jejunium naturale nunquam frangitur, nisi aliquid trajiciatur in stomachum per modum nutrimenti, aut per modum medicinæ. *Sylv. in 3. part. Sum. S. Thom. q. 89. art. 8.* Tabacum haustum naribus

non descendit in stomachum; idem dicendum de masticatione foliorum tabaci, nam foliorum illorum succus non absorbetur. Quodsi parum aliquid deveniret in stomachum fortuito cum saliva, id non impediret celebrationem, prout contingit in eluendo ore. Sed Presbyter tali modo sumens tabacum ad purgandum cerebrum summopere esset vituperabilis, ejusmodi indecentia magis toleranda facilius in milite esset quam in sacerdote, qui mox est sumpturus corpus I.C. Urbanus VIII. per Bullam suam de 30. Jan. A. 1641. omnibus, cujuscunque fuerint conditionis, in Ecclesiis tabacum sumere prohibuit, & principaliter Presbyteris celebrantibus, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ ab his, qui huic interdictioni contravenirent; & est observandum, quòd, quando quis vel parum fumi in fumigatione trajiciat in stomachum, frangat naturale jejunium, adeoque nec potest celebrare, nec sacrâ Eucharistiâ die illa passî.

CASUS VII. *Sallustius* Parochus Ruralis celebrare tenetur 1. quia est solennis festivitas, nec habet Vicarium, cujus audire sacrum posset. 2. quia vocatus ad providendum moribundum jam ad confirmam mortis deductum, non habet hostiam consecratam, nec adest casula; potestne in duplici hac necessitate celebrare, cum non habeat casulam, qui peccet?

℞. Absolutè Parocho non licet celebrare sine casula, & contra summam quam debet S. Mysterio, reverentiam peccaret. *Sylv. in 3. part. q. 83. art. 6. quest. 3. §. Sextum.*

CASUS VIII. *Lentulus* Presbyter, cum teneretur die festo celebrare, ne plures personæ privarentur Missâ, celebravit sine cereis accensis, in sacello sito in saltu vasto, ad hæc instabat jam Meridies. Peccavitne?

℞. Non est dubium, quin sic celebrando grave commiserit peccatum. *Concil. Trid. Sess. 22. Decreto de observandis & evitand. in celebr. Miss.* Etiam mortaliter peccaret, si uteretur aliis candelis, quam

ex cera factis, saltem si non urgeat gravis necessitas. *Sylv. loco citat.*

CASUS IX. *Sidonius* Parochus cum esset providendus moribundus, nec adestet hostia consecrata, nec insuper presentem haberet Ministrum, celebravit sine ministro, ut consecraret & adestet S. Hostia, quâ ægrum reficeret. An peccavit?

℞. Regulariter loquendo non licet celebrare, quin unum saltem respondentem habeat. *Alex. III. in can. Proposui 6. de bilis Presb. l. 1. t. 17.* Cenfeo tamen Canones intelligendos esse de casu, quo nulla urget gravis necessitas, quæ cum in hoc casu intervenerit, non peccati est arguendus *Sidonius* juxta plures Theologos & Canonistas. *D. S. Beuve. tom. 3. Cas. 8.*

CASUS X. *Hubertus* Presbyter consecravit calicem, in quem infuderat tertiam aut dimidiam partem aquæ cum vino. An peccavit graviter?

℞. Consuetudo Ecclesiæ universaliter recepta est, ut quando consecrandum est, plus infundatur vini, quam aquæ; quæ consuetudo confirmata est per Decretalem Honorii III. *in can. Perniciosus, de celebr. Miss. lib. 3. 41.* Itaque *Hubertus* commisit grave peccatum, vino commiscens dimidiam partem aquæ; Si verò tantum commisisset tertiam partem aquæ peccatum non fuisset adeo grave. *Pontas.*

CASUS XI. *Titius* sub celebratione Missæ recordatur, se nullam aquam commiscuisse vino. Quid illi agendum?

℞. Si *Titius* hujus suæ omissionis recordatur ante consecrationem calicis, licet hostia consecrata jam sit, quantocyus debet offundere aquam, peccaretque, id negligens graviter, quamvis consecratio solius vini fuerit valida. Si verò *Titius* hujus omissionis non nisi post consecrationem utriusque speciei recordatur, debet sacrificium absolvere, nec aliquid affundere, cum permixtio aquæ non sit de essentia Sacramenti, & aliunde Ecclesia ordinaverit, aquam affundendam & commiscendam vino, non sanguini Jesu Christi, qui

tunc est in calice. *S. Thom. 2. part. sum. q. 8. art. 6. ad 4.*

CASUS XII. *Delpbius* Presbyter in die Natali Domini tertiam Missam celebrans, post consecrationem advertit, se tantum aquam in calicem infudisse. Quid illi agendum?

℞. Si id advertat ante sumptionem corporis N. S., debet imittere calici vinum & modicum aquæ, & consecrare. *S. Thomas 3. part. citat. art. 6. ad 4.* Si verò id advertat post sumptionem Corporis Dominici, novam debet hostiam apponere, & aquam vino immixtam dein utrumque consecrare, & postmodum utrumque sumere. Interim tamen in casu presentis debet curari, ut evitetur scandalum. *Pontas.*

CASUS XIII. *Caspardus* Missam celebrans advertit, in calice esse araneam vel muscam. Quid agendum?

℞. Si id advertat ante Consecrationem, aliud vinum sumere, & illud consecrare debet. Si verò id post consecrationem advertat, araneam vel muscam cautè captam lavare, comburere, & in sacrario ablutionem cum cineribus reponere debet. Si aranea in calice fuisset mortua, & suum venenum jam communicasset speciebus consecratis, aut aliunde constaret in calice esse venenum, Presbyter non teneretur illud sumere, sed deberet in alio vasculo proprio repositum conservari, usque dum vini species totaliter decorrumpat fuerit. Et ne illud sacrificium remaneat imperfectum, aliud debet assumi vinum & consecrari; & si hostiam jam sumpsisset, novam consecrare deberet, nisi scandalum exinde timeretur. Hoc est doctrinæ *S. Thomæ 3. part. sum. q. 83. art. 6. ad 3. & S. Antonin. 3. part. tit. 13. c. 6. §. 3. in medio ex integro conforme. Pontas.*

CASUS XIV. *Carolus* valdè in excipiendis Confessionibus, visitandis infirmis, aliisque negotiis occupatus, ordinariè celebrat ante dilueculum, quia alias non posset celebrare nisi horâ meridianâ cum qua-

drante; peccatne alterutra hora celebrans?

R. Regulariter loquendo Missæ nec ante diluculum, nec post meridiem, nisi in casibus à Canonibus permissis, celebrandæ sunt: *Navarrus tamen Manual. c. 23. v. 28.* haud abs re existimat, non esse vituperandam ante diluculum celebrandi consuetudinem respectu eorum, qui, nisi hanc, nullam audire possent Missam. Celebrare Missam etiam licet post meridiem, ut dicit S. Leo, si justa sit celebrationem differendi causa. *S. Leo Epist. 79. aliàs 8. in can. Neesse 51. de consecr. dist. 52. & Navarr. Loco citato.* Ex quibus patet, Carolum peccati argui haud posse. *Pontas.*

CASUS XV. *Gervasius* Parochus celebrans Missam, post sacram communionem & ante ablutionem monetur, à Parochiano peti Viaticum; potestne, quin peccet, celebrare secundam Missam, ut hostiam consecrare possit, si non inveniatur consecratam? Possitne in iisdem circumstantiis, si id peteret adveniens in solenni Festo Princeps aut Episcopus, qui nondum audiisset Missam, prout censet *Panormitanus in Can. Consulisti*; aut si celebrandæ essent exequiæ, prout permittit *Alexander II. in Can. Sufficit 3. de Consecr. dist. 1.* aut denique, si aliàs Missis foundationis non posset satisfieri?

R. 1. Rarissimum esse, in casu, quo administrari debet Viaticum, non adesse hostiam consecratam. 2. Supposito, id evenire, verosimile videtur, Parochum celebrando secundam Missam non peccare, saltem mortaliter, dummodo id fiat sine scandalo, & cum consensu Episcopi. *de St. Beuve tom. 2. Cas. 83.* Nihilominus tamen censeo, contrariam multorum opinionem probabiliorē, & in praxi absolute tenendam esse; itaque dicendum, *Gervasium* in casibus positis non potuisse celebrare secundam Missam. *Pontas.*

CASUS XVI. *Patritius* Parochus in festo Corporis Christi celebrans Missam Parochialem recordatur, S. hostiam, in Pro-

cessione solenni circumferendam, jam fuisse consecratam ante duos menses; & quia credit, S. Hostiam debere esse novam, illam absomit, & loco illius recen-ter in hac Missa consecratam substituit. Peccavitne?

R. Celebrans debet sumere species à se consecratas, adeoque Parochus hic grave commisit peccatum. *Syl. in 3. part. sum. S. Thom. q. 83. art. 4.*

CASUS XVII. *Florius* Parochus monetur, à moribundo peti Viaticum, non adest autem nisi unica minor hostia. Celebrat *Horius*, & sub unica duntaxat vini specie communicare contentus, S. Hostiam pro infirmo reservat. An peccavit graviter?

R. Non est dubium, eum peccasse mortaliter; sub utraque enim consecrata à se specie communicare debuisset. *S. Thom. 3. part. q. 82. art. 4. in corp.*

CASUS XVIII. *Auxilius* sæpe celebrat ex motivo, ut habeat, unde vivat, propter honorarium scilicet, quod ipsi offertur. An peccat?

R. Si hoc sit motivum celebrandi principale, peccat mortaliter. *S. Thom. opusc. 63. de Offic. Sacerd. art. un.*

CASUS XIX. *Vincentius* sub celebratione Missæ apoplexia tactus obiit; Missam, quam incepit, complevit alius Sacerdos, qui non erat jejunus. An id facere licuit?

R. Si hic casus accidit ante Consecrationem, non potuit nec debuit supplere hic sacerdos, Si verò accidit post consecrationem, debuit Sacrificium à *Vincenzio* inceptum per alium finiri. *S. Thom. 3. part. sum. q. 84. art. 6. ad 1.*

CASUS XX. *Lucianus*, qui *Vincenzio* in Missa respondebat, asseverare haud potuit, num casus hic acciderit ante vel post consecrationem. An sacrificium loco defuncti debet suppleri per alium Sacerdotem, & qua ratione in hoc casu id faciendum?

R. In hoc dubio alius Presbyter supplere, & de novo inchoare integram Missam

sam debet, sicut & apponere novam hostiam, & illam, quæ est in altari, seorsim positam post communionem sanguinis sumere. *Idem in 4. dist. 8. q. 8. art. 4. q. 2. in corp. & 3. part. tit. 13. c. 6. §. 3. cit.*

CASUS XXI. *Orosius* Parochus scit se in statu peccati mortalis esse, nec habet, cui confiteatur. Potestne in hoc statu celebrare, quin novum committat, populò ad sacrum in Dominica vel aliquo Festo audiendum congregatò, si præterea non adest alius sacerdos, qui vices suppleat? aut quid fingere debet, quò se, cur à celebrando abstineat, excuset?

R. Parochus hic elicitò perfectæ contritionis actu cum proposito sincero, quam primum licuerit, confitendi, potest in his circumstantiis celebrare, quin sacrilegii reus evadat. *Idem ad Hannibal. in 4. dist. 9. art. 3. ad 5.*

CASUS XXII. *Valentinus* inchoatâ jam Missâ recordatur, se esse in statu peccati mortalis, vel se esse excommunicatum, vel non jejunum; quid, ut in conscientia possit esse securus, saltem in duobus ultimis casibus illi agendum?

R. Credo; *Valentinum* in tribus his casibus, si habet, cur timeat, oriturum scandalum, si ab altari discederet, sine crimine posse perficere inchoatam Missam, elicitò tamen prius actu perfectæ contritionis cum firmo petendi absolutionem à peccatis, vel censura, cui subiacere posset, proposito. Hæc est doctrina *Divi Thomæ 3. part. q. 83. art. 6. ad 2. Pontas.*

CASUS XXIII. *Tossinus* celebrans & mox consecraturus comperit adesse hæreticos, qui eum, nisi fugam capebat, essent interfectori. Si jam inchoavit Canonem, potestne ab altari discedere, aut posset, si jam inchoasset consecrationem?

R. Si evidens adest periculum mortis, potest fugere, si nondum inchoavit consecrationem, id ipsum etiam facere potest post consecrationem, debet nimirum accelerare summptionem specierum consecratarum ommissis precibus, & residuis Cœremoniis. Idem dicendum in casu, quo Ecclesia mi-

natur ruinam, in quo tamen casu deberet, si posset, sacram hostiam, cum calice secum deferre, & in alio altari Missam absolvere, si non habeat, quod ibi timeat. *Sylv. q. 83. art. 6. quæsto 2.*

CASUS XXIV. *Marsilius* Parochus in die festo jam pervenit ad Lectionem Epistolæ, cum quis adest eum rogans, ne continuaret Missam, sed expectaret adventum domini Parœciæ, qui nisi hanc audiret, nullam audiret. Aquiescit ille, & duabus horis expectat, comparente tandem Domino continuat, aut de novo inchoat Missam; an licuit sic interrumpere Missam, quin graviter peccaverit?

R. Missa extra casum urgentis necessitatis semper sine interruptione celebrari debet. Hinc tamdiu expectare sine gravi peccato haud potuisse *Marsilium* censeo. *Idem ibid. quæsto 3.*

CASUS XXV. *Eustratus* Parochus ante inchoationem Canonis Missæ monetur, allatum in Ecclesiam esse infantem morti proximum, quem baptizet. Licetne relicto altari baptizat infantem, & postea Missam absolvit?

R. Ante Consecrationem id licet, juxta sylvium supra citatum, non item post consecrationem, tunc enim omnis Presbyter tenetur continuare & consummare Sacrificium. *Pontas.*

CASUS XXVI. *Martinus* Parochus citò ad Parochianum moriturum se collaturus, omittit aliquas preces in Canone, quæ non pertinebant ad essentiam sacrificii, ut citius absolveret Missam. An in tam urgenti necessitate peccavit?

R. Non est dubium quin graviter peccaverit. *S. Thomas in 4. ad Hannibal. dist. 13. art. 2. in corp.*

CASUS XXVII. *Aurelius* Presbyter in aliqua regione, in qua vinum est valde rarum & carum. Solâ contentus aquâ duas ablutiones perficit post communionem. Arguendusne peccati mortalis reus?

R. Concil. Trid. *sess. 22. Decret. de Observandis & evitand. in celebr. Miss. ex-*

pressè prohibet, ne quid de cæremoniis Missæ mutetur: itaque vix credo. Aurelium excusari posse à peccato mortali.

Pontas.

CASUS XXVIII. In Ecclesia Cathedrali Segorbienſi immemorialis extat consuetudo, vñ cuius in Missa Canonicali ad finem non Datur Benedictio. Decanus & Canonici accedente autoritate Episcopi abrogare hunc morem volunt, quibus tamen se 42. Canonici, antiquæ innixi consuetudini, opponunt. Possuntne in sua oppositione salvâ conscientia persistere?

℞. Cæremonia hæc non adeo est antiqua, nec singularis hæc Ecclesiæ segorbienſis praxis est, adeoque quadraginta duo Canonici non tenentur à sua oppositione desistere. *De St. Beuve tom. 2. cas. 86.*

CASUS XXIX. *Tabianus* 12. Libras accepit, ut viginti quatuor Missas legeret; cum autem Episcopus honorarium pro una Missa statuerit esse debere 15. crucigeros, *Tabianus* nonnisi sedecim Missas legit, computato pro unaquaque honorario 15. crucigeris. An non tenetur celebrare Missas viginti quatuor?

℞. Obligatur ex debito iustitia legere viginti quatuor Missas, eoquod acceptis 12. lib. se obligaverit ad legendas 24. Missas. *Sylv. resol. variar. v. Missa 2. & in c. Fraternitatem de Sepulturis.*

CASUS XXX. *Albertus*, ut sex Missas celebraret, accepit sex honoraria valde modica, unam itaque duntaxat legit, ad omnes legendas in rigore haud obligari se existimans. An mortaliter peccavit contra iustitiam, aut contra charitatem? teneturne celebrare etiam alias quinque?

℞. Peccavit mortaliter, teneturque coram Deo alias quoque quinque Missas celebrare, aut honoraria restituere. *S. Thomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. quest. 3. ad 2.*

CASUS XXXI. *Victorius* à duabus personis accepit pro duabus Missis duo honoraria; potestne satisfacere unicâ Missâ, applicando alteri personæ suum fructum specialem, quem recipere ex sacrificio potest quâ celebrans?

℞. Id novum esset inventum, pietatem fidelium defraudandi. *Victorius*, si ita egisset, infidelitatis reus esset, & iniustitiæ, atque ad restitutionem teneretur. *Urban. VIII. in tit. Bull. Cum sæpe contingit. Bull. magn. tom. 4. pag. 88. col. 2.*

CASUS XXXII. *Demophilus* pro legendis quatuor Missis accepit crucigeros sexaginta; ipse verò eas legi curat per alium Sacerdotem, cui tantum dat quadraginta solidos, viginti pro se retentis, licitène?

℞. Lucrum hoc est manifestè turpe & iniustum, nec excusari à peccato potest *Demophilus*, aut quicumque tali lucro inquinatur. *Alex. VII. Decret. de 24. Sept. 1605.*

CASUS XXXIII. *Servius* Parochus plures quam centum Missas habet antiquæ foundationis, quolibet anno celebrandas; pro harum unaquaque autem honorarium nonnisi 10. crucigerorum est; itaque cum ad sustentationem vix 20. crucigeros sufficere sciret, quinquaginta tantum Missas celebrat. Salvâne conscientia?

℞. Ejusmodi Reductio Missarum non pertinet ad Parochum, sed ad Episcopum, adeoque centum Missas non potuit *Servius* reducere ad quinquaginta, sed debisset recurrere ad Episcopum, ejusque iudicio se conformare. *Concil. Trid. sess. 2. de Reform. c. 8.*

CASUS XXXIV. *Theophilus* habet Capellaniam, cujus foundationis Tabulæ simpliciter habent; Titularem teneri diebus Dominicis & Festis horâ sextâ celebrare Missam; cum verò in iisdem non exprimitur, ad cujus intentionem Missa dicenda sit, solet eam pro se applicare, aut aliis personis stipendium offerentibus. An tutâ conscientia?

℞. *Theophilus* tenetur applicare Missam juxta intentionem fundatoris; in dubio enim tenetur sequi id, quod videtur verosimilius. Verosimilius autem est, quòd fundator pro se velit applicari Missas. *In dubiis via est eligenda tutior. Conf. de Condom. tom. Conf. 7. sect. 1.*

NOTA.

NOTA. Cum fundator determinaverit horam, præsumendum est, eum pro fine tantum habuisse commoditatem & fructum eorum, qui summo officio interesse non possunt, præsertim si ea fundatio tenuis, aut sæculo dicimò quinto anterior est, quo tempore necdum viguerunt stipendia pactitia Missarum, aut fundatorum reservationes applicationum pro se solis.

CASUS XXXV. In quodam Religioso Ordine extat particulare statutum, vñ cuius in quovis monasterio quotidie celebratur Missa privata de beata. Religiosorum quidam, cui aliquot post annis Missam hanc celebrare demandatum est in monasterio, quod incolebat, applicat eam sibi ipsi, aut aliis personis petentibus, eoquod in statuto expressum non sit, cui sit applicanda. Licitène agit?

℞. Religiosus hic nonnisi pro bono Ordinis generali, aut sui monasterii particulari applicare hanc Missam potest, peccat igitur in casu proposito. *Sylvius resol. variar. 2. Religiosus 17.*

NOTA. Si Ordo obligationem posuit, haud dubitè poterit eam mutare, abrogare vel consuetudinem notoriè contrariam tacitè approbare.

CASUS XXXVI. *Adelaida* cœnobii cujusdam, penes quod non sunt eæ opes, quibus missam quotidie celebrari curent, Religiosa rogat Patrem suum, ut fundet Missam quotidianam & quidem pro Ecclesia sui monasterii. Fecit id Pater hujus Monialis, cum addito tamen, ut duo solennia officia Anniversaria celebrarentur in requiem animæ suæ & animarum defunctorum propinquorum. Tenenturne Moniales istæ in conscientia curare, ut Missa quotidiana applicetur fundatori, qui suam circa hoc intentionem non ita expressit, ut expressit circa Officia Anniversaria?

℞. Et æquitas & ratio videtur exigere, ut applicatio hujus Missæ fiat in favorem fundatoris; illius enim intentionem; cuius habenda ratio, fuisse præsumendum est, ut in requiem animæ suæ applicetur. *Idem V. Missa 8.*

NOTA. Vide *Cas. 35. de 4. sept. 1605.*

CASUS XXXVII. *Arcudius* singulis diebus lunæ cujusque mensis dicere Missam de Requiem tenetur vel ex foundatione. Sed cum sæpè contingat, ut in hunc diem incidat festum duplex aut semiduplex, dabitur, utrum possit sine peccato Missam pro defunctis hoc die dicere?

℞. Quamvis Missa de Requiem specialiter instituta sit in solatium animarum defunctorum, *Arcudius* tamen potest celebrare Missam diei, quando incidit festum duplex, & eandem applicare defunctis: Et hæc est doctrina *D. Thoma in 4. dist. 45. art. 3. quest. 3. ad 5.*

NOTA. Idem jam fuit declaratum per recentiores Rubricas.

CASUS XXXVIII. *Basilus* tenetur singulis diebus Mercurii dicere Missam de Requiem in altari privilegiato; potestne loco Missæ de Requiem celebrare Missam de Sancto, cujus die illa celebrat Officium, quin detrimentum aliquod patiatur effectus indulgentiæ?

℞. Si vñ hujus privilegii lucrari indulgentiam potest defunctus, celebrans, & cui applicatur indulgentia, *Basilus* potest dicere Missam diei; si verò ex Diplomate patet, Indulgentiam tantum concessam in favorem defuncti, pro quo dicitur Missa de Requiem, tunc & in hoc casu debet celebrari Missa de Requiem, ut defuncto prodesse possit indulgentia. Nihilominus tamen hoc tantum intelligendum est de illis diebus, in quibus nil prohibet celebrare Missam de Requiem, & in hoc semper conformare se quis debet disciplinæ in Ecclesia, in qua est, observari solitæ. *Conf. de Condom. tom. 2. Conf. 6. sect. 3.*

NOTA. Extant iterate declarationes Congregationis Indulgentiarum, quod valeant in festo Indulgentiæ pro defunctis, etsi Missa dicatur de festo. Vide in mea Theol.

CASUS XXXIX. *Isidorus*, cum videret, quòd incolæ cujusdam pagi ad suam Parochiam pertinentes, ad solenne sacrum & instructiones diebus Dominicis veni-

veni-

venire negligenter, quotiescunque via nonnisi cum quadam incommoditate teri poterant, & contenti essent audire Missam privatam in sacello ejusdem pagi, vult cum consensu fundatoris celebrationem hujus Missæ privatæ transferre in diem Mercurii, ut sic obligarentur incolæ venire ad Parochiam.

R. Parochus id privata sua autoritate facere non potest, etsi accedat consensus illius, qui fundatoris personam agit, sed debet recurrere ad Episcopum. *Sylv. resol. var. v. Missa.*

CASUS XL. Cœlestinus Presbyter ex titulo foundationis tenetur per hebdomadam tres Missas celebrare; poteritne salvâ conscientia illarum celebrationem anticipare vel differre, si ab harum celebratione aliquâ hebdomada impeditum se fore prævideat?

R. Si has Missas anticipet, quas tempore præscripto haud celebrare se posse prævidet, culpandus non est; peccat autem si easdem ex propria culpa differt. Observandum verò, quod nec liceat earum celebrationem anticipare, si per contrariam clausulam id Tabulæ foundationis caveant. *Conf. de Condom. tom. 2. Conf. 6. sect. 3.*

CASUS XLI. Aponius accipit trium Missarum stipendium, quod ipsi Paulus offert cum addito, ut eas celebret pro obtinenda per hoc S. Sacrificium felici terminatione litis intra quinque vel sex dies definiendæ. Aponius eas celebrare ultra mensem distulit, lite interim contra Paulum definita; teneturne ad restituendum trium harum missarum stipendium?

R. Cum negligentia suâ non satisfecerit speciali intentioni Pauli, tenetur harum Missarum stipendium restituere. *Cabass. l. 6. c. 14. n. 18.*

CASUS XLII. Emilia foemina Turcica ad fidem Catholicam conversa, cum maritum suum in infidelitate adhuc persistere cerneret, rogat Leandrum Presbyterum, ut S. Sacrificium ad suam intentionem offerat: poteritne id sine Peccato facere

Leander, aut potuisset, si ejusdem maritus esset idololatra?

R. Sive homo hic sit infidelis sive Paganus, Leander absque peccato hoc S. Sacrificium offerre potest, petens à Deo ejus conversionem, dummodo ad altare nomen ejus non exprimatur. *Sylv. l. in 3. part. Sum. S. Thom. q. 84. art. 1. quæstio 14. conclus. 4.*

CASUS XLIII. Euprepus Presbyter, cujus tota vitæ sustentatio ex Missarum stipendiis pendet, cum per septimanam iter ruri aggredi compulsus prævideret, nulla hoc tempore sibi oblatum iri stipendia, quotidie celebrat, applicatque S. Sacrificium ad intentionem illorum, qui à suo reditu sunt oblaturi stipendia Missarum. Redeunti offeruntur decem Missarum stipendia; poteritne tantum duas dicere, applicatis illis octo, quas jam in itinere constitutus celebrabat?

R. Praxis hæc est abominabilis, & fomes interioris avaritiæ, jam condemnata à S. Congregatione Rituum 5. Novemb. 1605. *Vid. Gavantus, Manuel. Episcop. v. Missa n. 12.*

CASUS XLIV. Hospitale in oppido S. Juliani fundatum erat pro recipiendis pauperibus loci, sub hac conditione expressa, ut quotidie celebretur Missa privata. Cum verò successu temporis numerus pauperum nimium cresceret, ita ut redditus non sufficerent ad satisfaciendum duplici huic fundationi, diebus Dominicis duntaxat & Festis legi missam curant. An licitè sic processerunt Administratores? & si non licitè, quid agendum?

R. Salvâ conscientia non potuerunt reducere numerum Missarum in fundatione præscriptarum: debent curare, ut quotidie celebretur Missa, & quod ex redditibus residuum fuerit, in solatium pauperum expendere: Omissas etiam Missas supplere tenentur. Si, quod ex redditibus residuum est, Hospitali sufficiat; secus nulla obligatio restat pro præterito. De cœtero, si qua foundationis mutatio necessaria foret, ea fieri autoritate Episcopi

scopi deberet *Sylv. resol. variar. v. Missa, respons. ad 2. quæsit.*

CASUS XLV. Lampadius miles à pluribus jam annis in statu peccati mortalis & pravæ consuetudinis vivit, cum proposito in ea perseverandi. In malo hoc statu diebus Dominicis & festis Missam audiit; an sic assistendo Missæ peccavit? & si peccavit, an non tenebatur non assistere, ne novum peccatum committeret?

R. Haud dubiè Lampadius in tali statu assistendo Missæ cum proposito in hoc statu perseverandi peccavit: Ideo tamen non debuit non assistere, utpote sub peccato mortali ad hoc obligatus, sed debuisset induere spiritum poenitentia, peccatis, malæque vitæ renunciando; & si ita dispositus astitisset Missæ, non solum non peccasset, etsi dein in peccatum suum relapsus fuisset, sed etiam si in hac dispositione continuasset assistere Missæ, ex virtute S. Sacrificii obtinuisset (fortè) perfectæ conversionis gratiam. *Conf. de la Rochelle du Sacrifice q. 57. 58. & 59.*

CASUS XLVI. Dorothea nobilis cujusdam vidua, post mortem mariti sui viginti diebus domi se detinuit, prout ejusdem conditionis personæ facere consueverant. An si intra hoc tempus non assistit Missæ, peccavit mortaliter?

R. Sunt authores, qui hanc viduam à peccato mortali excusant in regionibus, ubi ejusmodi consuetudo viget, nec Episcopi eidem, aliud ordinando, se opponant. Nihilominus tamen credibile haud est, quòd ejusmodi consuetudo etiam sæpe renovata possit derogare generali Præcepto Ecclesiæ circa obligationem audiendi Missam, & quod liceat non assistere Missæ absque peccato mortali in ejusmodi occasionibus, non obstante consuetudine contraria. *S. Cyprian. in Can. Consuetudo 8. dist. 8.*

CASUS XLVII. Hercules ex negligentia serò venit ad audiendum sacrum ita ut tertia illius pars jam transierit. *Pec. Diction. Cas. Conf.*

cætne mortaliter, si reliquum Missæ tantum audiat?

R. Non satisfecit præcepto Ecclesiæ & juxta S. Antonium 1. part. Sum. S. Thom. tit. 9. c. 10. §. 1. peccavit mortaliter. Sylvius tamen censet, quòd rigorosè loquendo etiam satisfaciatur Præcepto Ecclesiæ, si ex ratione legitima ad missam veniat, etiam finitò jam Evangelio. 3. part. Summ. S. Thom. q. 83. art. 6. quæst. 5. Nihilominus, cum opinio hæc sit incerta, quilibet conari debet, ut initio Missæ jam adsit. *Pontas.*

CASUS XLVIII. Germanus tempore Paschali die lunæ confitetur; incipit suam confessionem eo tempore, quo sacerdos Missam, præter quam alia non est, quam audire possit, inchoat. Suam tamen confessionem nonnisi paulo ante Præfationem absolvit, assistit itaque residuo Missæ. An satisfecit præcepto?

R. Censeo Germanum non satisfecisse; attentio enim, quæ debetur Confessioni, longè alia est, ac exigit S. Sacrificium Missæ. *Cabass. l. 2. c. 32. n. 4.*

NOTA. Personæ, quas necessitas ab audiendo alio Sacro excusat, consuetudo notoria tacitè approbara excusat quoad attentionis perfectionem.

CASUS XLIX. Helena maritus adeò graviter decumbit, ut periculum sit, ne si illum derelinquat, in phrenesim incidat; est autem dies Paschatis, nec habet, cujus curæ committat maritum; peccatne mortaliter non assistendo Missæ? & num peccaret, si domi duos teneros infantes, qui sine periculo notabili derelinqui non possunt, habeat?

R. Helena non peccaret juxta S. Antonium 2. part. Sum. Theol. tit. 9. c. 10. §. 2: Leges ordinariè non faciunt exceptionem, cum impossibile sit, Legislatorem attendere posse ad omnes casus in praxi possibiles; in ejusmodi itaque casibus leges interpretari licet, prout æquitas exigit & permittit. *Pontas.*

CASUS L. Vobertum inter & Gervasium juniores Theologos agitur quæstio, K k k k me-

méliusne sit, si sacerdos frequenter celebrat, aut si rarò? Vobertus tenet affirmativam. An jure?

R. Sententiæ *Voberti* in praxi subscribendum censeo, dummodo sacerdos non ponat obicem, & nullum habeat affectum ad aliquod peccatum veniale, sacrificiumque ex vehementi amore Dei celebret. Ita S. Antonin. 3. part. tit. 13. c. 6. §. 13. Contrà verò si sacerdos esset, aut crederet in statu peccati mortalis se esse, haud liceret ei celebrare, essetque sine dispensatione celebrationi renunciandum, donec sinceram deposuerit confessionem; si impedimentum, quominus possit celebrare, ex propria malitia aut negligentia proveniat, excusari haud potest sacerdos, si dignum se reddere negligat. Hoc est, quod adhuc addit S. Antoninus. Nihilominus quodsi interdum sacerdos ex motivo humilitatis & ut melius ad hoc sacrificium celebrandum se præparet, à celebratione absteineat, culpandus haud est. *Pontas.*

CASUS LI. *Alexius* Presbyter per tres jam aut quatuor annos ex motivo humilitatis à celebratione Missæ abstinet. Peccatne, aut non tenetur sub peccato saltem in Paschate & solennioribus festis celebrare?

R. S. Thomas in 4. dist. 13. q. 2. art. 2. q. 2. in corp. censet, quod Presbyter, etiamsi ex obedientia celebrare non teneatur, nec habeat curam animarum, ob negligentiam sit culpabilis, si potestatem per Ordinationem sibi traditam non exerceat. Sic *Alexius* peccat & quidem graviter juxta *Gavantum* *Commet. in Rubr. part. 3. tit. 11. n. 6.* nunquam celebrando.

CASUS LII. Peccantne mortaliter fideles, fornicarii Presbyteri Missæ scienter contra Ecclesiæ prohibitionem assistentes?

R. Certum est peccare mortaliter juxta mentem Divi Thomæ, quod l. 11. art. 6. in corp. Si Presbyter ille sit fornicarius publicus; non verò, si sit occultus. *Pontas.*

CASUS LIII. *Flavianus* magnæ cujusdam civitatis incola ex particulari quadam devotione ferè semper ad audiendam diebus Dominicis & Festis Missam ad Convantum Religiosorum domui suæ vicinum se confert. Confessarius ejus vult eum obligare, ut saltem diebus dominicis & festis solennioribus Missæ Parochiali assistat, qui tam se excusat dicendo, ad hoc sub peccato se non obligari. An legitimè?

R. Confessarius insinuare illi debet obligationem assistendi Missæ Parochiali, quoties potuerit, saltem diebus Dominicis & Festis solennioribus. Ad hoc tamen eum per denegationem absolutionis non deberi adstringi censeo, nisi à Parochia absit ex formali contemptu Ecclesiæ aut sui Pastoris, aut sine causis legitimis. *Pontas.*

NOTA. Tales sunt denunciandi Ordinario.

CASUS LIV. *Artus* miles diebus Dominicis & Festis sacro interest, nunquam tamen flectit genua nisi sub Elevatione, nec orat, sed totum, quod agit, est circumspicere, & oblatâ occasione etiam garrire. An rigorosè loquendo, præter hoc, quod peccet, etiam præcepto non satisfacit?

R. Jesus Christus realiter in Altari post Consecrationem est præsens; debet insuper considerari; quod ex summa sui humiliatione sit in loco hoc ut Patri suo se offerat, ac tandem attendendum est, quod Ecclesia verè sit domus Dei. Hinc qui nonnisi corpore præsens est, sine fide, sine pietate, sine religione, S. Sacrificio huic non assistit; adeoque *Artus* præter peccatum & irreverentiam, adhuc reum se fecit peccati mortalis, eoquod non satisfecerit præcepto Ecclesiæ. *Pontas.*

CASUS LV. Teneturne Hæres curare, ut Missis defuncti testamento institutis satisfiat?

R. Hæres tenetur exequi voluntatem testatoris; nec has Missas substituere Sacris jam aliàs in suo sacello legi solitis Missarum in sacello celebrari solitarum locum sufficere debet; de earum enim celebran-

darum

darum loco Episcopus consulatur oportet. *De Lamet.*

CASUS LVI. Quid de sacerdote celebrante Missam, & non consecrante?

R. Sacerdos hic gravissimo se crimine obstrinxit, quamvis non incurrerit excommunicationem; teneturque à celebrando abstinere, jejunare, orare, eleemosynas erogare, & in monasterium sese recipere. *Fromageau.*

CASUS LVII. Audit quis Missam cum habitudine tamen & affectione ad peccatum mortale; peccatne graviter, & num etiam aliquando mortaliter?

R. Eorum opinio, qui graviter eum, & aliquando etiam mortaliter peccare afferunt, malè fundata est. Peccator Missæ interesse debet attentè, reverenter, ac religiosè. *Fromageau.*

CASUS LVIII. Teneturne Parochus diebus Dominicis & Festis quibusvis Missam celebrare pro Parochianis? an, qui diebus Festis juxta peculiarem cujusdam privati devotionem celebravit, supposito, quod non potuisset, ad restitutionem tenetur?

R. Tenetur; si tamen Parochus nec Beneficii qualitate, nec quodam Dioecesis statuto, nec consuetudine extra dies dominicas & Festa celebrare tenetur, potest cæteris diebus Missam celebrare & stipendium recipere. Quod numerum Missarum, quas Parochus pro parochianis offerre tenetur, attinet, Episcopus, aut vir doctus & prudens consulendus est. Si verò die Festo ad privati cujusdam intentionem celebrasset, supposito, quod non liceret, ad restitutionem teneretur. *Fromageau.*

NOTA. Juxta recentiores declarationes Romanas licebit parochus non habenti sustentationem congruam in diebus Dominicis & Festis accipere stipendium, dummodo Missa parochialis suppleatur per hebdomadam. Vide meam Theol.

CASUS LIX. Sacerdos quidam incidit in dementiam.

est

R. Sacerdos factus mentis impotens à Missa celebranda abstinere debet, peccatque mortaliter superior, eundem celebrare permittens, quem & Episcopus, tanquam irreligionis, & sacrarum rerum profanationis complicem, si monitus id rursum permittat, punire debet. *Fromageau.*

CASUS LX. Sacerdos Matutinò nondum recitatò celebrat, peccatne mortaliter?

R. Nulla adest obligatio sub pœna peccati mortalis, Missam post Matutinum primùm celebrandi, adeoque hic Presbyter mortaliter non peccat, nisi intervenerit simul formalis contemptus ejus praxis, quæ in Ecclesia viget. Nihilominus tamen juxta communiorem sententiam à veniali peccato immunis non esset, si sæpenumero, & absque legitima causa sic celebraret. *Fromageau.*

CASUS LXI. Licetne Parochus præter suam Parochiam se obligare ad legendas Missas in Ecclesia alia, non sua?

R. Non licet. Nec licet possidere Commissionem Missarum in cathedrali aliqua Ecclesia sex leucis à sua Parochia distita. *De Lamet.*

CASUS LXII. Daturne obligatio, Missis conformiter ad stipendia accepta satisfaciendi?

R. Datur, & omnimodo se quis factæ super retributione accipienda constitutioni conformare debet. *De Lamet.*

CASUS LXIII. Possuntne ubilibet celebrari Missæ Motivæ?

R. Missæ Motivæ nonnisi in ea Ecclesia celebrari possunt, in qua eas celebrari fideles volunt. *Fromageau.*

CASUS LXIV. Potestne sacerdos altari jam adstans interrumpere Missæ sacrificium ad excipiendam jamjam morituri Confessionem, tribuendamque eidem absolutionem, aut ad administrandam moribundo in quodam Hospitali extremam unctionem?

R. Potest, Canone nondum inceptò, & præsertim in sacello privato; imo potest etiam

K k k k 2

etiam ad conferendam morituro absolutionem interrumpere Missæ sacrificium, si ad Canonem jam pervenerit. *Fromageau.*

CASUS LXV. Cum quidam Peregrinationis locus haud plusquam tertiam partem proventus possideret, qui necessarius esset tam ad subsistentiam ac Decorationem Ecclesiæ, quam ad subsistentiam Sacerdotum duodecim in eum finem institutorum, ut Peregrinorum devotioni satisfaciant, honorarii pro Missis oblatis parte suppletur id, quod aliunde deest, & ex omnibus Missis, quarum legendarum obligatio suscipitur, non pluribus satisfit, quam quot duodecim Sacerdotes celebrare possunt, nisi fortè deductis omnibus expensis quicquam superfit, in quo casu Missas vel à Sacerdotibus illac peregrinantibus, vel à pauperibus Parochis, quibus & stipendium concedunt, celebrari curant. Laudabilisne & licita hæc consuetudo? Prostat in hac Ecclesia capsula recipiendis fidelium elemosynis accommodata, in qua nihil inscriptum est; elemosynam hanc, quæ in ea deponitur, Episcopus, Capitulumque, unde locus Peregrinationis dependet, inter se partiuntur. Licitène?

Capitulum unà cum Episcopo Canonico eligit, qui in Peregrinationis loco resideat. Residet ibi, sustentaturque ejusdem loci expensis, Præbendæ proventus interim aliis Canonicis inter se partientibus. An licite? Denique Capitulum, sciente ac vidente Episcopo, quæpiam quandoque sumpsit de muneribus quæ offerebantur, non levis aliàs in hac Ecclesia momenti. Licitène?

R. Consuetudo hæc & usus, de quo agitur, verus abusus est. 1. Sacerdotum, & Ecclesiæ sustentatio ex oblationibus & elemosynis, non ex Missarum, quas fideles legi curant, honorariis sumenda est. 2. Episcopus & Capitulum inter se partiri non possunt id, quod in capsula deponitur. 3. Ut ut exigui fuerint Canonicorum

capituli hujus proventus, partiri inter se non possunt redivus Canonico ibi residenti provenientes. 4. Multominus Capitulum quidquam ex donis huic loco offerri solitis vindicare sibi potest. *Fromageau.*

CASUS LXVI. Possuntne Missæ celebrari alibi, quas Peregrini dici in locis Peregrinationum volunt?

R. Non possunt, alibi enim si celebrarentur, satisfactum esse haud censeretur. Missarum celebratio in alium diem, ac Peregrini postularunt, differri nequit, nisi iisdem commonefactis & consentientibus. Celebranda est omnino Missa pro ratione pecuniæ à Peregrinis donatæ, etiam si pro quavis Missa tantum octo crucigeri oblatis essent. Majus, ac in Diocesi generatim taxatum est, stipendium exigere nequit. Missarum itidem reductio nisi ex ordinatione Episcopi fieri potest. *Fromageau.*

CASUS LXVII. Potestne fieri Reductio Missarum in aliqua Peregrinationis Ecclesia, si fundi pro sustentatione Ministrorum non sufficiunt?

R. In hoc casu dona ac munera, quæ eò deferuntur, vendenda, & ad fundum reducenda sunt. Quod si & tunc nondum pro sustentatione sufficiat, Missæ permittente Episcopo reduci possunt, Peregrinis de reductioe hac ad mentem Episcopi facta commonefactis. Missæ verò, pro quibus stipendia data & accepta sunt, ibidem & non alibi celebrandæ sunt, juxta intentionem Peregrinorum. *Fromageau.*

CASUS LXVIII. Collegiatæ cujusdam Ecclesiæ Canonici applicant Chori Missam ad Missarum quarundam fundatarum satisfactionem. Licitène?

R. Non possunt; Sicut & Missas fundatas ad minorem numerum absque Episcopi autoritate reducere nequeunt. *Fromageau.*

CASUS LXIX. An plurium per hebdomadam Missarum fundatio in facello quodam ad Patronatum Laicum spectante vi testamenti ita à fundatore facta, ut Pres-

Presbyter, aut saltem Clericus denominetur, qui vel ipse per se, vel per alium eidem deserviat, Simoniaca est, quia nec in beneficalem est in Beneficium erecta, neque ab Episcopo ad formam redacta, ac proinde Beneficii rationem non habent? An de similibus Capellanæ abdicatione à titulari facienda cum pensione, Romana Curia inconsulta, agi potest? Venditène potest jus Patronatus? Tribuitène aut promitti quid temporale potest, ut à Patronis, præsertim cum necessitate premuntur, ad ejusmodi Capellanias nominatio obtineatur? An Titularis Clericus ejusmodi Capellania potitus, qui Regi est à servitiis, irregularis, & ad eandem possidendam inhabilis est? & incapax? An ad hoc, ut incurrat irregularitatem, necesse est, ut quempiam occidisse probetur, an verò ex eo omnino incapax Præbendæ recipiendæ efficitur, quod arma gestaverit, & vitæ rationem mutaverit?

R. Is, qui fundationem præfatam possidens Regi à servitiis fuit, eam fundationem legitime retinere non potest. Alius tamen in ejus locum nominandus non est, nisi ille antea monitus fuerit, ut intra certum tempus habitum Ecclesiasticum resumat. Ea Missarum institutio propriè tamquam Simoniæ materia spectanda non est; Titularis tamen de ulla pensione agere, aut illam ex dicta Missarum fundatione sumere non potest. Jus nominandi, aut jus Patronatus vendi non potest. Beneficiarius Patrono necessitate presso optulari tenetur, non tamen ex conventionem prævia. Titularis non censetur irregularis, adeoque fundationis retinendæ incapax, qui nec ipse occidit, nec pugna interfuit, in qua homicidia contigerunt, vel sanguis effusus est. Gestatio armorum non reddit quempiam ejusdem incapacem *ipso facto*, nec est fundationis proventibus *ipso jure privatus*, sed est *privandus*. Probandum est eum homicidia patrasse, ad hoc ut fundatio eidem adimi possit & ab alio impetrabilis efficiatur. *Fromageau.*

CASUS LXX. Extatne Canon aliquis, aut textus juris, vi cujus expressè prohibetur, ne Feria quinta in Cœna Domini, & Sabbatho Sancto aliæ Missæ præter solemnem celebrentur?

R. Non extat. Parochus permittente Prælato potest dicere Missam collegialem, horâ tamen, quæ servitium Canonicum non interrumpit, ut hostias consecret, easque distribuat Parochianis, qui Missæ collegiali interesse non possunt. *Fromageau.*

CASUS LXXI. Potestne Missarum fundatarum absque Episcopi Ordinatione fieri Reductio?

R. Non potest fieri. *De Lamet.*

CASUS LXXII. Offeritur stipendium plurium Missarum devotionis gratiâ celebrandarum, daturne obligatio omnibus satisfaciendi?

R. Datur; nec aliis precibus satisfieri eidem potest, nisi illis, qui legi eas curarunt, consentientibus. *De Lamet.*

CASUS LXXIII. Sacerdos, qui in Natali Domini in prima mediæ Noctis Missa purificationem sumpsit, potestne alias duas Missas celebrare?

R. Non potest. *De Lamet.*

CASUS LXXIV. Prior quidam jam senex, qui Tonfurâ tantum est insignitus, teneturne deferre habitum Clericalem?

R. Tenetur. *De Lamet.*

CASUS LXXV. Potestne Vicarius Episcopi facultatem confessario cuidam concedere, Pascatis tempore, independenter à Parocho, familiæ alicujus confessiones excipiendi?

R. Potest. *De Lamet.*

CASUS LXXVI. Sacerdos quidam vi statutorum Diocesis interdicto subjacet, & fit religiosus, potestne in eadem Diocesi celebrare Missam?

R. Non potest, quin ab Episcopo fuerit absolutus. *Fromageau.*

NOTA. Inspicienda sunt privilegia cujusvis Ordinis.

CASUS LXXVII. Daturne sub poena peccati mortalis obligatio assistendi Missæ Parochiali?

R. Datur. Antiqua hæc est Ecclesiæ disciplina, quam Gallia observavit semper, habueruntque Episcopi, & habent jus hanc obligationem cum vigore renovandi, prout & factum est. Ex quo sequitur, graviter peccari, si obligationi huic non fiat satis, quando commodè fieri potest, ut loquitur Concilium Tridentinum. *Seff. 22. Decret. de Observ. &c. & Seff. 24. de ref. c. 4. Fromageum.*

CASUS LXXVIII. Latrones in Vigilia alicujus diei festi omnia ornamenta sacerdotalia rapiunt, præter Ornamenta nigri coloris. Licitumne est Parocho, aut debet altero die suis uti ornamentis ad altare?

R. Parochus, exposito prius, quòd contigit, ne detur locus contemptui, potest residuis Ornamentis uti, juxta Rubricas de Festis. *Suarez. Homob. Gavantus. Diana. Tamburni.* addo, quòd debeat: Nam eo ipso, quòd Parochus non peccet, si utetur his Ornamentis, Præceptum audiendi Missam adhuc subsistit, sed si præceptum audiendi Missam adhuc subsistit, tunc Parochus tenetur celebrare, ut Parochiani hoc die Præcepto huic satisfacere possint.

CASUS LXXIX. Titius moriens ordinavit, ut singulis annis de mortis suæ anniversario cantaretur Missa de *Requiem*; cum verò quodam anno in hunc diem simul incideret festum duplex Primæ Classis, Parochus Missam transtulit in alterum diem, in quem incidebat festum duplex minus. An bene?

R. Non bene. Nam ut possit celebrari Missa pro defuncto die illo, in quem incidit officium sub ritu duplici majori vel minori, requiritur semper, ut Missa illa fuerit ordinata à Testatore, & ut illa dicenda sit ipso die anniversario (Sac. Cong. Rit. Decembris 22. Novembris

1668. & 25. Septembris 1669.) Si ergo Parochus eandem celebrare non potuit in anniversario, debuisset eligere diem non impeditum festo duplici quocunque.

NOTA. Hac scrupulositate amplius opus non est; cum per decreta recentiora liceat etiam in festo duplici celebrare Anniversaria in colore nigro.

CASUS LXXX. Titius die festo inter est sacro, impuris se voluntariè cogitationibus implicans & occupans?

R. Non satisfacit Præcepto, si tempore notabili iisdem inhæreat. De cætero accusans se in confessione de hoc impuritate peccato non tenetur hanc temporis circumstantiam declarare, nisi peccatum hoc commississet durante Missa ex contemptu formali. S. Sacrificii Missæ. *Suarez. t. 1. de Relig. l. 2. c. 18. n. 16. Cassian. à S. Elia.*

NOTA. Si ab Offertorio usque ad Communionem continuò mortaliter peccet, non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Vide *Cas. 54. & 93.*

CASUS LXXXI. Berta magnam Missæ partem confitendo consumit.

R. Non satisfacit Præcepto. Quando enim confitendo habebat intentionem audiendi Missam, necessariam ad confessionem habere attentionem non potuit. *Rog. de Miss. audien. art. 18. Lugo Gir. de obser. Fest.*

NOTA. Vide exceptionem *Casu 48. & 93.*

CASUS LXXXII. Rustici die festo audientes Missam, tempore notabili, interrupto tamen, de negotiis suis domesticis conferunt.

R. Non satisfaciunt præcepto; ejusmodi enim colloquia quamvis interrupta excludant attentionem necessariò ab Ecclesia ad præcepto satisfaciendum requisitam. *Gohet. n. 288. La Croix Pasqual.*

CASUS LXXXIII. Titius, cui Ecclesiæ ingressu interdictum est, eoquod non satisfecerit Præcepto de Communione Paschali, audit Missam in sacello quodam privato.

R. Non peccat, nec violat interdictum; siquidem, quando Ecclesia interdictò percutit eos, qui sæpius moniti Præceptum

de

de Communione Paschali adimplere neglexerunt, eosdem quidem privat omni participatione Sacrorum Mysteriorum, quæ in Ecclesia celebrantur, sed non prohibet preces, aut alia Religionis exercitia, quæ extra Ecclesiam obire possunt; adeoque cum sub nomine Ecclesiæ, in rebus odiosis, non comprehendatur sacellum quoddam privatum, juxta Regulam juris 15 & 16. concludendum est, Personam interdictò subjacentem posse interesse sacro, confiteri, & communicare in sacello privato, quin peccet, aut interdictum violet. *Suarez. de censura disp. 35. sect. 4.*

CASUS LXXXIV. Lucius auditâ unâ Missâ in Natali Domini ad aliam eodem die adhuc audiendam haud obligari se credit.

R. Reipsa non tenetur. *Filliuc. tr. 5. c. 7. n. 207. Leand. de præc. Eccl. tr. 2. disp. 1. q. 19. Pasqual. Bonac.*

CASUS LXXXV. Valerius summo mane è pago suo exiens die, quo celebrabatur Festum Patroni, ad quamdam civitatem, ubi idem festum celebrabatur pergebat. An tenetur audire sacrum?

R. Tenetur, nisi jam audierit ante abitum suum, fundaturque hæc obligatio in consuetudine, ac Praxi universaliter recepta. *Bossius de Jubil. sect. 4. Cas. 18. n. 44.* Suarez opinionem contrariam in casu proposito omnino absurdam esse asserit. *Suar. tom. 1. de Relig. l. 2. c. 14.*

CASUS LXXXVI. Rusticus Diocesis Lugdunensis tenetur ratione negotiorum indispensabilium summo mane pergere Viennam, die quo lugduni festum quoddam celebratur. Teneturne audire sacrum, & ubi?

R. Non tenetur; estque hæc sententia *Diana, Castropalao, Antonii à S. Spiritu, Sanchez, Giribaldi & aliorum.* Aliqui doctores limitant hanc opinionem, quæ sine dubio est communior. Juxta Naldum non tenetur audire sacrum, si ante meridiem ob rationabilem causam è territorio

sua diocesis exeat, sed Suarez addit: *Si absit scandalum.*

CASUS LXXXVII. Parochus videt, quòd Rustici quidam absque necessitate sacrum ad portam vel ad fenestras Ecclesiæ audiant: peccatne, si eos, ut intrent Ecclesiam, non commonefaciat?

R. Non peccat. Sic enim rustici revera Præcepto satisfaciunt, nam quamvis non sint in Ecclesia, dici tamen non potest, eos ab Ecclesia esse distos, nisi quidquam sit, quòd eos separet. *De Lugo. disp. 22. n. 2. Girib. tr. 8. de obser. fest. c. 2. dub. 3.*

CASUS LXXXVIII. Cum Titii domus nonnisi plateâ angustâ ab Ecclesia sit separata, præcepto satisfacere se Titius credit, si ad fenestram domus suæ, ubi sacerdotem videre facillè potest, sacrum audiat.

R. Non satisfacit præcepto. Quia cum Titius est ad fenestram domus suæ, dici haud potest, quòd Physicè aut moraliter Missæ assistat, nisi Turba fidelium Missæ assistentium ad Titii usque domum peringat. Sicque Titius, etsi commodè videat, audiâtque Sacerdotem, cum tam non sit in Ecclesia, nec pars populi sacrificio assistentis, errat, si præcepto satisfacere se credit. *Pasqual. Rog.*

CASUS LXXXIX. Domesticus cujusdam Rustici sæpè diebus festis Missæ non inter est, eoquod eum Rusticus domi ad custodienda pecora relinquat.

R. Non peccat, quia si alio modo securitati domus invigilari tempore Missæ non potest, nisi aliquò ad eandem custodiendam relictâ, uti hoc medio licet, nec tenetur ille, cui id oneris incumbit præceptò audiendi Missam, ob moralem id implendi impossibilitatem.

CASUS XC. Mater quædam infantem duorum mensium secum ad Missam portat, cum non habeat, qui domi eundem custodiret. Infans tamen clamore suo & ploratu non leviter & matrem & alios distrahit.

R. In casu proposito Mater melius facit, si hoc die etiam festo non assistat Missæ,

fæ,

ſæ, vel quia *Respectus*, qui loco ſacro debetur, prohibet portari ad Eccleſiam infantem, qui clamore poſſet turbare Myſteriorum, quæ tractantur, excellentiam, vel quia non datur obligatio aſſiſtendi Miſſæ, ſi eidem aſſiſti non poteſt abſque gravi ſui, aliorumque incommodo. *Gobat.*

CASUS XCI. Vidua quædam gravida, crimen ſuum palam fieri timens, ſi extra domum compareret, domi ſe abdit, quæ nec diebus Dominicis auditura ſacrum exit.

R. Non peccat, ſi verum eſt, eam exire non poſſe, quin dehonoretur, nec ſalvâ ſuâ famâ manè in Eccleſia, vel in Sacello occulto Miſſam audire poſſe. Præcepta enim Eccleſiaſtica non obligant, quando iisdem ſatiſfieri non poteſt niſi cum gravi aut vitæ, aut honoris periculo. *Pafqual. ac ſacriſ. Marchin. de ord. Layman. l. 4. tr. 7. c. 4. n. 16.*

CASUS XCII. Caja ſe accuſat, integrum jam annum ſe prætermiſiſſe, quo nec jejunavit, nec Miſſam audivit, præciſè ut obediret marito id præcipienti & dura quæque, ſi ſubmittere ſe nollet, minanti.

R. Si maritus præciſè pro motivo ſui mandati habeat, ut cum uxore convenientius cœnet, vel ſi unice, cur eam domo exire non permetteret, in cauſa eſſet emulatio, Caja non peccavit, quia leges humanæ non obligant, ſi quis iisdem ſubmittere ſe non poteſt, quin gravibus malis exponatur, qualia ea erant, quæ Maritus Cajæ, ſi jejunaret aut Miſſam audiret, minitabatur. Si verò Caja ſcit, id maritum tantum prohibere ex formali contemptu Religionis aut præceptorum Eccleſiæ, Caja, cum omiſſio hæc ſit intrinſecè mala, ad dura quæque ſubeunda parata eſſe deberet potiùs, quam ſe ſubmittere, ad eoque Caja in ſuppoſitione ſecunda peccavit. *Corrad. q. 2. fol. in 4. diſt. 22. q. 1. n. 4.*

CASUS XCIII. Roſa verè toto Miſſæ tempore voluntariè de negotiis domeſticis cogitat.

R. Probabilius eſt, Roſam præcepto non ſatiſfeciffe, quia Eccleſia, ordinando, Miſſam ad honorandum Deum audiendam eſſe, indirectè etiam vult, ut cum omni attentione morali audiatur, quandoquidem abſque hac attentione honorari Deus non poſſet.

Vid. *Calix. Conſecratio. Corporale Ornamenta Eccleſiæ.*

MISSIONARII S. LAZARI.

Presbyteri Miſſionarii facti Lazari congregationem componunt à *S. Vincentio à Paulo* inſtitutam, quorum primum ac præcipuum munus eſt, de populorum tum ruri, tum ignobilioribus in urbibus Episcopopi ac Præſidis dignitate carentibus, degentium inſtructione ac ſalute laborare Miſſionibus cum authoritate Episcoporum & conſenſu Parochorum obeundis. Alterum eorum munus eſt, Clericorum in pietate ac ſtudiis eorum ſtatui congruis progreſſui invigilare, eundemque promovere per Seminaria hunc in finem inſtituta, exercitia Ordinandorum, Conferentias Eccleſiaſticas, ſecefſus Spirituales, ad quos pariter & Laici, cujuſcunque demum conditionis exiſtant, admittuntur. Caput Ordinis Congregationis hujus eſt domus *S. Lazari* Pariſiis, unde & *Lazarista* dicti ſunt. In hac eadem domo recipiuntur ii, qui de *Gremio* eſſe cupiunt, appellanturque *Seminariſtæ*, qui titulus iſtis tribuitur integrum biennium, quo elapſo vota edunt; in quibus Generalis, qui eſt perpetuus, diſpenſare poteſt. Septem Cogregatio hæc Provincias complectitur, quæ ſunt Gallicana, Campanica, Piſtavienſis, Lugdunenſis, Aquitanica, Polonica; conſtituuntque hæ ſeptem Provincie domos circiter viginti quatuor.

CASUS I. Poſſuntne conſeſſarii tempore Jubilæi diſſolvere vota, quæ edunt Miſſionarii ſancti Lazari?

R. Non poſſunt, imo nec Episcopopi poſſunt; quia poteſtatem hanc Papa ſanctæ ſedi & Congregationis Generali reſervavit.

vit. Miſſionarius *S. Lazari* à ſtatu ſuo recedere non poteſt, ut conſanguineis ſuis, niſi Patri & matri ſuccurrat; id quod etiam non poteſt ex prætextu curæ ſalutis, quam in ſe ſuſcipere vult, aut ex prætextu infirmitatum, morborumque. Votorum ab his Presbyteris emiſſio modò iſtis conſueto ſufficit, ut coram Deo obligatio inducatur. *Fromageau.*

Vid. *Pontas.*

MODUS VESTIUM.

1. Sumitur hoc verbum pro quodam more & modo ſeſe ornandi in certis rebus, ut in veſtibus, aliſque, conſenſu vix non generali cujuſdam regionis, aut nationis approbato. Hinc dicitur, *Modo*, vel *mori* recepto, ſe accomodare.

2. Planè nonniſi gemitus edere coram Deo quis poteſt, ſi vanos nunc Nobilium mundi ornatus conſideret. Senſa noſtra de ejuſmodi Modorum, ut vocant, genere hic loci non pandimus; pandemus autem, ſimulque hac de materia ſcitu neceſſaria dabimus in Titulo *Ornatus*, ubi dicitur, quando, & in quo caſu illi peccent, qui ejuſmodi Modos aut inveniunt, aut ſequuntur.

Vid. *Miſſa, Caſ. Dorothea 46. Ornatus. Peſtus. Veſtitus.*

MONASTERIUM.

1. *Monasterium* ſive *Conventus* locus eſt, ubi Perſonæ Religioſæ congregatæ, ſub una eademque Regula ab Eccleſia aut Pontifice approbata vivunt.

2. Monasteria inſtitui cæperunt in Occidente, poſtquam D. Athanaſius edidit vitam *S. Antonii*, tunc temporis erant tot ferè Regule, quot Monasteria, donec *Ludovicus Pius* per Concilium Aquisgranenſe ordinaret, ut in omnibus Regni ſui Provinciis pro monachis ſola *S. Benedicti* Regula admitteretur. Verum poſt illud tempus tot excreverunt Ordines, ut *Innocentius III.* in Concilio Lateranenſi *IV.* nova inſtituere prohibuerit.

Diction. Caſ. Conſe.

3. Nulla in Gallia Communitas, quæcunque demum, inſtitui poteſt niſi permitte Rege, per literas patentes, quas Parliamentum ratas habuit. Quodvis Monasterium quamdã ſui Ordinis Congregationem tenetur agnoſcere. Juxta Ordinationem *Henrici III.* omnes, qui Profeſſionem emittere volunt, neque directè neque indirectè de bonis ſuis in favorem alicujus Monasterii Ordinis, imò nec alterius, quem intrant, ordinis diſponere valent. Juxta eandem Ordinationem Episcopopi injungitur exactè Clauſura in omnibus Monasteriis Monialium ubi minus cuſtodita fuerit, reſtitui jubetur recuſantesque Moniales cenſuris, aut aliis, quas juſ ſuppeditat, viis compelluntur, & injungitur Miniſtris juſtitie, ut & ipſi manum commodent.

4. Monialis nonniſi ex cauſa legitima approbata ab Episcopopo aut Superiore, non obſtantibus quibuſcunque diſpenſationibus & Privilegiis, è monasterio exire poteſt.

CASUS I. In atrio cujuſdam Monasterii Religioſorum à juſdiſtione Episcopopi exemptorum habitant & Sæculares, Eccleſiaſtici, & Laici, qui & ſe in exemptione comprehenſos eſſe prætendentes recuſant Parochum Loci pro ſuo agnoſcere, quos & ſuperior Regularis ſuffulcit, Parochus eiſdem Sacramenta adminiſtrare non permittens, eòſque, cum ſint domeſtici & à ſervitiis Religioſorum, ſicuti Religioſos, exemptos eſſe debere cauſatus.

R. Juſta & Parochi prætenſio, juſtque communi conformis. Omnes ſæculares, Clerici ſive Laici extra hoc Monasterium habitantes ſunt revera Parochiani. *Concil. Trid. Seſſ. 23. de reform. c. 2.*

NOTA. Monachis ex primævo ſtatu laicis parochialitas non competiit, ſed tantum collegiis clericalibus.

CASUS II. Monasterium Ordinis *S. Cordula*, ſubtractura ſe juſdiſtioni Episcopopi ab octoginta annis jam ſe aggregavit cuidam congregationi alterius Ordinis. An hac ratione Episcopopo eſt in hoc monasterium juſdiſtio adempta, quam

Prædecessores ejus habuerunt, nullumque ergo jus adhuc exercere potest?

℞. Monasterium hoc cum non esset exemptum, incio & non permittente Episcopo Diocesano, cujus Jurisdictioni subjecta erat, aggregare se haud potuit. *De S. Beuve tom. 3. Caf. 132.* nec hæc unio quicquam juri Episcopi præjudicat.

CASUS III. Monasterium S. Gundulvi cujusdam Bullæ datæ 1562. recipitur sub Protectione SS. Petri & Pauli. An hæc Bulla sufficit ad stabilendam Exemptionem ab Episcopo, & immediatam subjectionem erga sedem Apostolicam?

℞. Non sufficit, quando hoc monasterium annuum censum S. Sedi persolvit, cum & alius inferior non minus protegi possit, quam proprius subditus immediatus. *Idem loco citato.*

CASUS IV. Cum Octavianus Archiepiscopus Ulyssiponensis cerneret, in quodam Monialium Monasterio non observari clausuram, illud visitandi gratiâ ingressus est, Monialibus exemptionem frustra præ-tendentibus. An non incurrit censuram latam à Tridentino in omnes, qui Monasteria Monialium ingrediuntur?

℞. Non incurrit. Prælato enim in tali casu jus competit ingrediendi Monasteria Monialium, si visitandæ clausuræ causâ ingrediatur, cum sic sit naturalis quasi de jure communi superior omnium Domorum Regularium & Sæcularium in sua Diocesi sitarum. *Innoc. IV. in cap. Quia periculofum 4. de Sent. excom. in 6. l. 5. t. 11.* Observandum tamen, si quæstio sit de actu non pertinente ad jurisdictionem Episcopi in ejusmodi Monasteriis, v. g. si præciperet, ut Monialis sibi confiteatur, id difficultate non carere, & secundum S. Beuve *tom. 3. Caf. 42.* Episcopus absque justa causa intrans ejusmodi Monasteria peccaret, quamvis non incurreret aliquam censuram. *Pontas.*

CASUS V. Cajetanus Episcopus Sistonensis jus in Monasterium S. Cunegundis, licet à jurisdictione Episcopali exemptum, & immediatè summo Pontifici sub-

jectum, exercere vult visitatione Tabernaculi, sacrorum oleorum, Reliquiarum & clausuræ Regularium. 2. Vult facere Scrutinium pro Electione, prohibere suspensionem Novitiarum, aut easdem prius à se excommunicatas ad Professionem admittere, & habere jus invigilandi receptioni, ingressui & egressui Pensionariarum, & Sæcularium in Monasterium. Abbatissa illi ratione exemptionis se opponit; an licitè privaturne Episcopus alterius horum jurium exercitiò?

℞. Si Monasterium hoc non est unitum alicui Congregationi, quomodocunque à jurisdictione Episcopali exemptum, plenum & generale Episcopus illud ingrediendi jus habet, utpote quod illi, sicut alia monasteria non exempta, subjacet. *Concil. Trid. sess. 25. c. 9.* Monasteria verò alicui congregationi unita ingrediendi tam plenum ac generale jus non habent Episcopi, nisi in certis casibus.

1. Possunt ea cogere, ut se censuris à se latis, & interdictis submittant.

2. Obligare ad dies festos Diocesis observandos.

3. Punire Religiosos aut Moniales, scandalosi authores, & sine formali erga suum Superiorem obedientiâ, extra Monasterium habitantes.

4. Monialibus etiam exemptis Confessarios extraordinarios constituere.

5. Judicare unà cum Superiore Regulari de valore aut nullitate votorum, siqui contra ea reclamant.

6. Permittere aut prohibere, ne cionatores ad populum dicant, & quidem etiam illis, qui sunt *de Gremio*, ne sine eorum approbatione in propriis Ecclesiis ad populum dicant.

7. Quicumque habitant extra clausuram regularem intra exteriora septa Monasteriorum, jurisdictioni Episcopali quoad spiritualia subjacent, à qua non nisi ea monasteria juxta Concilium Tridentinum excepta sunt, in quibus resident Abbas aut Generalis, & ubi celebrantur Capituli Ordinis, & ea, quæ exercent Jurisdictionem

nem

nem Episcopalem & temporalem in eas personas, quarum animarum curam gerunt, & Monasterium cluniacense.

8. Denique possunt Episcopi intrare Monasteria ad visitandam clausuram, ad perficiendum scrutinium, ad examinandam hac de causa Superiorissam, & Moniales, transgressoresque puniendos. A fortiori Episcopis competit jus visitandi Tabernaculum, sacra olea, Reliquias &c. ut & ordinatum est Clero Gallicano.

9. Quod attinet Examen ratione vestitus & Professionis, jus hoc Episcopis concessit Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 17.* Interim Decretum Concilii non est generaliter observatum in omnibus Regni Diocesisibus, nec modus observandi in omnibus est uniformis. Sunt enim loca, ubi haud opus est, ut Superiorissa Episcopum moneat de examine ratione vestitus, sed solum de examine ratione vestitus.

10. Quod attinet ingressum Personarum sæcularium in Monasteria, si sermo est de Pensionariis, Episcopus non nisi simplici jure inspectionis in casu, si committeretur abusus, gaudet, loquendo de exemptis.

11. Ingressum mulierum conjugatarum, aut consanguinearum, si sine suo aut Superioris Regularis consensu fiat, impedire potest, eoquod hic violatur clausura.

12. Si quæ Superior Regularis hanc licentiam sine justa necessitate impertiatur, Episcopus impediendi jus habet, prohibendique, ne in similibus eandem concedat.

CASUS VI. Moniales S. Galiani coguntur reædificare Ecclesiam & Claustrum. A mense jam laborant operarii, & quindecim aut viginti constituuntur, qui claustrum dicunt, & aperturas notabiles faciunt, prout jussi erant. Plures personæ sæculares per dirutorum murorum ruinas dormitorium ingrediuntur, consentiente Superiorissa, ratione consuetudinis, quæ pro legitima habetur, v. cujus claustrum tali modo dirutò non amplius datur clausura.

℞. Consuetudo hæc manifestus abusus est, constitutionibus Canonicis, Regulis-

que Ecclesiæ prorsus contraria, adeoque abolenda. Personæ Sæculares, quæ Monasterium ingressæ sunt, à violatione clausuræ non excusantur, nec consentire Superiorissa potuit. Si tamen quis bona fide, non illicitum quid agere se ratus est, Excommunicationem latam à Concilio Tridentino *sess. 25. c. 5.* non incurrisset.

Vid. *Sylv. V. Monasterium 1. conclus. 3.*

CASUS VII. Athenodorus vir magni nominis, Presbyter & Doctor, meritisque conspicuus neptem in quodam Monasterio habet, quâ apoplexia tactâ ab Abbatissa rogatur, ut in monasterium veniens ægræ, si posset, Sacramenta administret. Præstitit id Athenodorus duobus diebus continuis vesperi & mane, & tempus notabile aliquoties consumpsit, partem apud infirmam, & residuum temporis visitando aliquot alias Moniales. An hac occasione peccavit, culpandaque est Abbatissa, eoquod eum in Monasterium vocaverit?

℞. In casu, quo nec Superior Ordinis, nec Confessarius Ordinarius vel extraordinarius aderat, potest dici: Athenodorum ob visitationem neptis suæ sic constitutæ non peccasse; si enim alteruter adfuisset, Abbatissa graviter peccasset, nec licuisset Athenodoro ingredi Monasterium, eoquod tunc defuisset necessitatis titulus. Addendum tamen, Athenodorum absque peccato diutius, ac postularat ægrotantis necessitas, ibi morari, & visitare Moniales non potuisse. *De S. Beuve tom. 1. caf. 17.*

NOTA. Abbatissa pessimè egit, committendo administrationem sacramentorum, etiam poenitentiae, proximo agnato moribundæ, si alius Sacerdos haberi potuit. Episcopus pro ejusmodi casibus posset generaliter declarare, Sacerdotem simplicem pium admitti posse.

CASUS VIII. Monasterium S. Euphoniae immediatè à Sede dependet. Amadeus ejusdem Visitator pleno jure, & sine approbatione Diocesani excepit confessiones Monialium, atque sine prævia licentia Missam celebravit. Episcopus id haud

licere Amadeo præterdicens prohibuit id profequi, Pœnas quoque eidem, si id continuaret, minuit.

R. Bulla *Gregorii XV.* vi cuius Confessarii Monialium etiam exemptarum ab Episcopis approbari debent, in Gallia non est recepta, adeoque pleno jure potuit Amadeus earum Confessiones excipere, prout & Missam celebrare in Ecclesia, aut Sacellis Monasterii tantum, absque obtenta ab Episcopo licentia. *Idem tom. 3. cas. 132.*

CASUS IX. Didacus Confessarius Monialium S. Donatillæ quærit, quid sibi agendum? videt enim in hac domo non exactè custodiri clausuram, quia ibi viget consuetudo, vi cuius ingredi possunt, & ingrediuntur.

1. Infantes utriusque sexus à tertio anno ad septimum usque, quorum aliqui sanguine juncti sunt Monialibus, quæ & eosdem blandè excipiunt, habentque, quin & sine scrupulo osculantur.

2. Pueri & puellæ pauperes ad novas vestes probandas, quas ipsis Moniales conficiunt, Xeniique loco ad novi anni auspiciam ex motivo charitatis donant.

3. Infirmi, aut vulnerati utriusque sexus pauperes, curandi, & Medicamina gratis recepturi à duabus vel tribus Monialibus, quæ artem hanc callent, & ejusmodi Charitatis operibus præpositæ sunt, ut miseris, ne pereant, succurrant.

4. Cognati & cognatæ, qui invisunt propinquas suas, quas ibi habent, & quæ graviter decumbunt.

5. Id ipsum etiam faciunt domestici extranei, qui & ipsi moniales sibi propinquas moribundas invisunt.

6. Ex Personæ, quæ ingrediuntur ob aliquam causam justam ac necessariam & cum Licentia Superioris, ultra tempus necessarium in claustris se detinere solent, ibique cum Monialibus conversari, & confabulari.

R. Confessarius in Conscientia tenetur pravis hæc consuetudinibus se opponere, Abbatissam, Monialesque monere, quod ejusmodi praxes abolere teneantur, recu-

fantibus denegare absolutionem. Interim Superiorem ordinis, ut rem componat, monere tenetur, quod facere si negligat, nihilque apud Moniales suis monitis proficiat, tenetur muneri confessarii renuntiare. *De S. Beuve tom. 3. cas. 131.*

CASUS X. In quadam Gallie civitate duo Monialium diversi Ordinis claustra adeo sibi vicina sunt, ut ad invicem loqui Moniales horum monasteriorum possint. Superior fenestras, per quas ad invicem loquebantur, muro claudi jussit & ordinavit, cui tamen tota unius ex duobus his monasteriis communitas se opposuit. Peccantne Moniales, quæ sic sibi invicem loquuntur? tenenturne Superior, non obstante Monialium oppositione, fenestris murum opponere?

R. Evidens est, id Monialibus non licere. *Concil. Bituric. tit. 37. de Monasteriis &c. can. 24. an 1584. tenenturque Superior fenestras muro cingere & occludere. concil. Mediol. l. 1. 3. tit. 9. de clausura &c. §. Curent.*

CASUS XI. Moniales S. Irenes Longo jam tempore ita à fervore remiserunt, ut vix quidquam adhuc regularitatis observent.

1. Abbatissa ex sola sua autoritate ordinat, quæ vestitum, & Professionem Novitiarum concernunt, ac pro libitu suo de bonis Monasterii disponit.

2. Non recipiuntur ad Professionem, nisi benè dotata, & cum pensione notabili, et si monasterium amplos habeat redditus.

3. Quælibet Monialis in particulari vivit, id quod plurimum disciplinæ obest, eo quod pro sua itentidem sustentatione curare quælibet debeat. Plures ex Monialibus verè & sincerè desiderant, ut disciplina instauraretur, omnesque abusus tollantur; quid iis agendum?

R. Hæ in Conscientia tenetur apud Antistitem, & in ejus absentia apud Superiores legitimos urgere reformationem, quantum possunt. Nec sufficit, ut silentio tantum in dispositiones tollendi abusus, &

& instaurandi disciplinam consentiant, quando Superiores eò se occupant, debent enim & illæ, quantum rationabiliter possunt, ad hoc conferre, nec timeant, se contra obedientiam, quam Abbatissæ debent, peccaturas. *De S. Beuve tom. 3. cas. 133.*

CASUS XII. An Fundatoribus & Benefactoribus competit jus ingrediendi Monasteria?

R. Nec Fundatoris nec Benefactoris titulus per se jus affert monasteria ingrediendi. Episcopus ejusmodi ingressum concedere potest ex causis evidenter rationabilibus, ita tamen ut nihil eorum, quæ prudentia requirit, omittatur. Ecclesia hac super re Regulas condidit, à quibus non recedendum. *Fromageau.*

Vide *Fundatio. Religiosus. Monialis.*

MONETA.

1. Solus supremus Princeps jure cudenti monetas gaudet, id quod facere omnibus aliis subditis sub pœna capitis prohibitum. Debet autem Moneta constare ex genuino nativo metallo, non ex factitio.

2. Moneta est unum ex antiquissimis Principum juribus, seu *Regaliis*. In Gallia in eum, qui monetas adulterat, aut alias, quam Rex, exponit, si sint bonæ, sive malæ, seu adulterinæ, tanquam falsarium pœnâ mortis animadvertitur.

3. Falsarius Monetæ est. 1. Qui monetas cudit, falsâ materiâ usus. 2. Qui privata autoritate, absque permissione Principis, monetam cudit, quamvis nec in materia, nec pondere quidquam deficiat. 3. Si Moneta, etsi ex bona materia cusa, non habeat requisitum pondus & vicissim. 4. Qui monetas adulterinas, quamvis non à se cusas, pro veris distrahit.

4. Soli Regi competit jus statuendi, elevandi, minuendi pretium & monetæ usum interdicens.

5. Clericus falsatæ monetæ reus privilegio clericatus privatur, & judiciario foro sæculari subicitur.

CASUS I. *Gustavus* Princeps supremus promulgari jussit Decretum, vi cuius monetarum in statibus suis nondum exauthoratarum valorem partim minuit, partim sustulit. Incolæ plurium oppidorum in remota quadam Provincia ex condito inter se statuunt: monetas in priori valore expendere & accipere. Tutanc conscientia?

R. Tenentur se conformare Decreto Principis, tam valorem monetarum minuendo, quam tollendo. Leges enim Principum obligant subditos sub pœna peccati, prout obligant leges Ecclesiasticæ in Ecclesiasticis. *S. Paul. Rom. 13. 1. 2. 4. 5. & 7. S. Thomas 1. 2. q. 96. art. 4. in corp. sylv. resol. var. v. Moneta 1. adeoque, nisi Princeps tacitè consenserit, etiam peccant.*

CASUS II. Joannes Baptista Nobilis, ut numerosam familiam suam sustentare posset, cudit falsam monetam, sic tamen ut non aliud illi exinde lucrum proveniat, nisi illud, quod alias cederet Principi, ita, ut nemini injuriam inferat & decipiat. Peccavitne mortaliter?

R. Lex Principis, quam transgreditur & periculum amittendæ vitæ, cui se exponit, si crimen palam fiat, manifestè ostendunt, illum peccare mortaliter. Nec motivum, quod allegat, legitima est excusatio. *Pontas.*

MONIALIS.

1. MONIALIS vocatur, quæ Ordinem Religiosum ingressa animò in eo perseverandi ejusdem habitum recipit.

2. Moniales vel sunt *Novitiæ* vel *Professæ*. Novitiæ sunt, quæ per annum probationem suam vel Novitiatum sustinent, intra cujus decursum vel possunt relicto monasterio redire ad sæculum vel eo absoluto anno decimo sexto ætatis completo emittere vota solemnia. Professæ vo-

cant, quæ jam nuncupârunt tota solemnitate Religionis, nec amplius possunt dimittere statum quem liberè amplexæ sunt.

3. Moniales conformant se, quantum quidem ipsarum sexus permittit, regimini illorum Religiosorum quorum institutum ac Regulam sibi elegerunt. Interdictus ipsis in perpetuum est egressus ex suo monasterio absque valdè gravi causa ab Episcopo approbata; nec etiam ulli alii licet ingredi ipsarum claustra & loca regularia.

4. Cum ordinariè habeant unum tantum eundemque omnes Confessarium, statuit Concilium tridentinum, ut iisdem ter vel quater in anno permittantur etiam Confessarii extraordinarii.

5. Dantur Moniales, quæ in Congregatione generali plurium Monasteriorum existentes, uti illæ Ordinis Cisterciensis & Ordinum mendicantium, vi suorum privilegiorum subsunt talium Congregationum Superioribus Generalibus & per Religiosos sui Ordinis reguntur, exemptionem à Jurisdictione Episcoporum prætendentes.

6. Moniales habent superiorissas vel perpetuas vel triennes tantum. Superiorissæ perpetuæ sunt Abbatissæ, quæ penè omnes nostris his temporibus nominationi Régis subsunt. Triennes sunt illæ antiquarum Abbatiarum reformatarum, vel novarum Congregationum sive Ordo sit ex mendicantibus sive ex non mendicantibus: posteriores hæc omnes sunt electivæ, eligunturque per scrutinium vel per suffragia secretæ, in præsentia visitatoris stantis ad clathros & electionem Confirmantis.

7. Hæ superiorissæ debent habere annos ætatis 40. vel saltem 30. aut 35. professionis verò suæ octo.

8. Electæ Superiorissæ eliguntur etiam quatuor vel sex discretæ ab eadem in rebus difficilioribus Consilii causâ adhibendæ. Attamen in rebus valde gravis momenti requiritur Consensus vel Consilium totius communitatis.

9. Penes Superiorissam est conferre officia minora monasterii quæ finito tem-

pore ipsius Superioratûs & ipsa expirant.

10. Puella aspirans ad Religionem debet habere plenissimam libertatem; prohibetur sub excommunicationis pœna, ne puella invita & contra suam voluntatem compellatur ingredi Religionem, vel ab ejusdem ingressu impediatur.

11. De iis quæ concernunt dotem monialium tractabitur in titulo de *Simoniam*. Hic solummodo observandum, Concilium Tridentinum nec clarè nec fusè satis hac super re declarare mentem suam, sed tantum statuere, ne durante Novitiatu aliud quidpiam accipiatur præterquam quod necessarium est pro necessitatibus Novitiæ. 2. Concilium Senonense de A. 1528. permittit ut acceptentur pensiones vitalitiæ à puellis supernumerariis, ea conditione, ut ab iis, quæ ad conservandum numerum monialium statutis determinatum nihil omnino exigatur, gratisque recipiantur. 3. Ex Burero Concilii primi Mediolanensis de A. 1565. deponendam esse à parentibus alicubi dotem filiarum suarum, ut iisdem quàm certissimè reddatur si ante professionem ad sæculum reverti ipsis placuerit; alterum verò Mediolanense A. 1569. præcipit, ut Diocessani Episcopi autoritate sua determinent quantitatem pensionis. 4. Reperiri formulas instrumentorum præfatis Conciliis juniores, quibus dos limitatur ad 3000. francos, pensio verò vitalitiæ ad 500. pro civitatibus. Pro pagis verò aliisque locis campestribus ad 2500. & 300. dotis, sub termino unius *franci* intelligitur proximè una *Libra* gallica, seu circiter viginti quinque crucigeri. His regulis ac Constitutionibus decisiones suas attemperat sacra Congregatio Concilii Tridentini.

CASUS I. Calixtus Confessarius monasterii monialium, potèstne absolvere illas quæ sæpius absunt ex Horis Canonicis falsò sibi blandientes quòd nullo ad hoc præcepto obligentur sub pœna peccati gravis, quæque nolunt promittere iisdem se interfuturas ex religiosæ disciplinæ legibus?

R. Con-

R. Confessarius hic non potest absolvere hujusmodi moniales, nisi sunt dispensatæ ab obligatione ac onere recitandi Horas Canonicas ob justam causam v. g. morbum. *Cabassut. lib. 1. c. 21. in fin.*

CASUS II. Martha omnibus naturæ animique dotibus ad Abbatissæ munus requisitis excellens, potèstne tutâ conscientiæ sollicitare pro obtinenda Abbatia?

R. Id faciendo ambitionis ream se faceret: repugnat sanè humilitati ut aliis regendis idoneam se reputet. *Ste Beuve tom. 3. cuf. 19.*

CASUS III. Scholastica nauseans Confessarium Ordinarium sui. Conventûs in faciem declarat suæ superiorissæ, tantum non posse se imperare sibi et impofterum, ut occulta conscientiæ suæ ipsi aperiat. Teneturne Superiorissa hæc permittit ipsi alium Confessarium eo motivo ut miseræ infirmitatibus condescendat?

R. Non tenetur ad hoc Superiorissa. Imò nec debet esse adeo facilis ad concedendam talem licentiam huic moniali, ne simile exemplum etiam reliquis animis addat ad mutandum Confessarium. Consilio ergo cum suo Directore habito remittenda est ad Confessarium ordinarium. *Idem tom. 2. cuf. 177.*

CASUS IV. Iduberga & Honorina duæ moniales vivunt in quodam conventu, ubi ante annos non ita multos vigeat consuetudo vescendi carnibus diebus Sabbati à Festo Nativitatis Dominicæ usque ad Purificationem, sed in quo nuper primùm ex motivo regularioris disciplinæ abusus hic fuit abrogatus; tenenturne sub peccati reatu novæ huic observantiæ se accommodare?

R. Abusus ille ex nulla lege Ecclesiastica unquam auctoritatem habuit, sed mera duntaxat est tolerantia, ac proin ipsum abolendo bene fuit factum. Cum ergo Duæ hæc moniales teneantur per omnia se conformare laudabilibus consuetudinibus suæ communitatis, tenentur etiam observare abstinentiam præfatis diebus; secus quippe faciendo scandalizarent

reliquas. *Sylvius de Prierio v. Jejunium q. fin. §. 3.*

CASUS V. Fara Monialis interest capitulo in quo deliberatur de receptione cujusdam puellæ ad Novitiatum. Observat, quòd Superiorissam nihil moveant rationes, ut sibi quidem videtur graves ac justæ in Contrarium allatæ, sed identidem inculcet ut omnia suæ curæ & dispositioni relinquatur. Ut promptius obsequatur superiorissæ, tenenturne Fara renuntiare propriis instinctibus, & cæco modo sese accommodare nutibus, vel si mavis, quasi imperio ejusdem?

R. Debet liberrimè dicere suam sententiam, & sub prætextu perfectius obediendi superiorissæ non tenetur suffragio suo favere Novitiæ. Inutile planè foret convocare capitula, si moniales tenerentur ad cæcam sui conformationem pro nutibus superiorissæ. *S. Beuve tom. 1. cuf. 87.*

CASUS VI. Eleonora Monialis cujusdam Ordinis in quo strictissima viger regularis observantia jam multo abhinc tempore scandalo est communitati, petens ut restituta sibi sua dote dimittatur ad aliud monasterium; passa repulsam non amplius frequentat missam, nec Confessionem, nec Chorum aliasve functiones communes: Debètne Superiorissa carceribus ipsam mancipare aliæve pœnâ castigare, ne tanti scandali rationem Deo reddere teneatur?

R. Supra citatus Theologus *tom. 1. cuf. 19.* judicat Eleonoram considerandam esse tanquam læsæ imaginationis vitio affectam, ac proin nullo modo pœnis malè habendam, quin potius humaniter & cum mansuetudine tractandam; si transferatur ad aliud monasterium charitatis opus exercebitur, quòd si hoc fieri nequeat absque gravi incommodo communitatis, prudentiæ & charitatis est connivere ac indulgere ipsius excessibus ne penitus tandem ad insaniam redigatur.

CASUS VII. Godeberta puella prædives, sed variis infirmitatibus abnoxia ad Religiosum Ordinem aspirat. Offert cuidam monasterio 20000. francos illuc recipien-

pienda tanquam benefactrix. Acceptatur hæc summa, & paulò post benefactricis titulo Godeberta admittitur ad professionem solemnem. Estne vitiosa & simoniaca hæc receptio?

R. Nemo est admittendus ad professionem nisi valeat viribus ut vivere possit juxta constitutiones Ordinis & statuta monasterii. Si his oneribus ferendis impar sit Godeberta, non potuit recipi præcisè ut benefactrix ratione donationis 20000. francorum monasterio factæ; potuit tamen per dispensationem admitti gratis afferendo sufficientem dotem, nihilque ab ea ultra exigendo, omni ipsi libertate relicta quoad propositam animoque conceptam donationem, atamen pro eo solummodo casu, quo ejus virtutes & præclaræ animi dotes abundè compensarent ejusdem infirmitates corporales; dummodo aliunde cum ad professionem admitteretur, nullum cum illa, vel cum alia persona ad hoc constituta intervenit patrum super dispensatione circa observantiam regulæ & constitutionum. *Idem tom. 2. cas. 78.*

CASUS VIII. Marcella monialis cujusdam monasterii, ubi ab immemoriali tempore exigebatur dos 8000. francorum indiscriminatim ab omnibus, etiam supernumerariis ad hunc conventum aspirantibus, potestne tuta conscientia dare votum suum in capitulo, in quo deliberatur super receptione Novitiæ insistendo antiquæ huic consuetudini, stante quòd nullam simoniæ criminis habeat notitiam, imò etiam evitet & recuset desuper instrui, ne scrupulos sibi arcessat & dubia forsitan valde rationabilia?

R. Pessimè agit Marcella nec excusari à culpa potest eoquòd nolit instrui super simoniæ vitio, à quo Monasterii hujus consuetudo licet inveterata excusari nullo modo potest, respectu Marcellæ consuetudo hæc nil est nisi vana & inutilis excusatio.

CASUS IX. Pelagia Monialis monasterio in quo Religionem professæ est intulit dotis loco pensionem vitalitiam 400. li-

brarum argenti. Post aliquot annos cum aer loci minus conducere ipsius sanitati transiit ad aliud monasterium vel vi licentiæ desuper obtentæ, vel restituendæ ibidem regularis disciplinæ causâ, vel tandem ut Superiorissæ munus obiret; poteritne ad hoc secundum monasterium sequi pensio quam monasterio professionis suæ intulerat?

R. Non est æquum & justum ut ipsam sequatur pensio ad monasterium in quò ultimò se receperat. Primum quippe ad hanc acquisivit jus integrum & perfectum per professionem solemnem Pelagiæ, nec jure hoc amplius potest privari; atamen intelligendum hoc est de solo casu, quo voluntariè primum suum monasterium reliquit absque jussu Superiorum, *Sylvius, Novella Conversationis s. aut Hæreticorum coll. tit. 1. c. 7.*

CASUS X. Firmina monialis emisit professionem in aliquo monasterio cui intulit pensionem vitalitiam 600. francorum. Post annum ex hoc monasterio cum venia Superiorum egressa transiit ad aliud alterius Ordinis, ad quòd statuta pro habitatione & alimentatione mercede secum transtulit pensionem priori monasterio vi contractus ante professionem initi præstandam. Cum verò expensæ omnes in victum & habitationem in secundo hoc monasterio non excedant 300. Francos, eidem reliquos trecentos permittit titulo mutui sed ea conditione, ut si conventus solvendo non sit, post suum obitum & in solatium animæ suæ celebrentur missæ sub obligatione foundationis, simul tamen sibi etiam exinde reservans parvulam portionem, pro modicis largitionibus quibusdam religiosæ hujus familiæ monialibus erogandis. Estne de peccato aliquo arguenda propterea?

R. Pensio constituta moniale eo pacto, ut una cum moniali sit transferibilis ad quodcunque aliud monasterium, non est conformis menti Ecclesiæ, utpote cum proprietatem inducat. 2. Totus Firminæ agendi modus est vituperabilis, cum pro arbi-

arbitrio de sua pensione non possit disponere. *De St. Beuve tom. 3. cas. 130.*

CASUS XI. Bernardina monialis Ordinis reformati complures habet consanguineos opulentos valdè, qui visitationis officium eidem persolventes ipsi munera largiuntur, hic plus alter minus Ludovico aureo; simul insinuantes id fieri intuitu vel succurrendi parvis ejus necessitatibus, vel ut habeat unde pauperibus solatium impendat, vel pro minoris pretii artefactis munusculis quæ inter amicos vel amicas postmodum distribuere solent. Bernardina pecuniis his Depositariæ ad custodiam traditis, de iisdem postea cum præcitu ac licentia suæ Superiorissæ disponit. Peccatne contra votum paupertatis?

R. Juxta eundem Theologum *tom. 2. cas. 169. & 178. & tom. 3. cas. 129.* Bernardinæ agendi modus merito est reprehendendus utpote voto paupertatis contrarius. Hujusmodi largitiones non aliâ certè intentione fiunt à consanguineis quàm ut de iisdem pro suo beneplacito disponat monialis, cui tamen non licet easdem impendere ad usus à consanguineis intentos. Monasterium tenetur providere ipsius necessitatibus si per facultates liceat. Quod si obstante paupertate fieri haud possit, munuscula hujusmodi sunt monasterii & non monialis, quæ ob votum solemne paupertatis nec accipere nec retinere quidpiam potest tanquam proprium. Et hæc est doctrina D. AUGUSTINI & sacrorum Canonum. *S. Augustin. in can. non dicatis 2. §. 22. q. 1.*

CASUS XII. Paulina monialis ex Ordine D. Augustini obtinuit licentiam à suo Episcopo acu pingendi, aulae, peristromata &c elaborandi, eaque postmodum pro suo libitu vendendi vel donandi; potestne sine scrupulo uti hujusmodi licentiâ; supposito verò quòd eadem uti non possit, nihilominus tamen pertinaciter tum vendendo tum donando artefacta sua distrahat, poteritne Confessarius ipsi negare absolutionem?

Diction. Cas. Conf.

R. Monialis hæc vitii proprietatis ream se facit utendo licentiâ quam Episcopus nullo jure concedere potest, sique in ejusdem usu obstinato animo pergat, tenetur Confessarius eidem denegare absolutionem. Imò ne quidem licentia Superiorissæ eam à peccati reatu immunem redderet, quæ hujusmodi licentiam validè concedere non posset absque justa causa bonum Monasterii concernente. *St. Beuve tom. 2. cas. 72. & 177.*

CASUS XIII. Antigonus munuscula quædam magni pretii accepit à certis monialibus, poteritne ea sibi legitimo titulo retinere?

R. Non est in potestate personarum religiosarum elargiri pretiosiora munera, & qui hujusmodi acceptant, tenentur ea reddere monasterio. Doctrinam hanc docuit *Urbanus Papa VIII. in cap. nuper §. 1. & 2. post Bullam Clementis VIII. Utriusque sexus §. 1. 3. & 7.*

CASUS XIV. Genoveva & Marcellina moniales professæ certiores factæ de vacatura Beneficii à monasterio dependentis illud ab Abbatissa & communitate impetrarunt pro Ludovico fratre germano, sperantes imò etiam securitate accepta, quod idem frater præfati Beneficii redditus qui non excedebant 200. francos, sibi duabus sororibus relicurus sit, ne posthac Consanguineis molestæ essent, eosdemque tum pro levioris momenti necessitatibus vel indigentibus tum pro ornatu Cappellæ claustralis impenderent. Suntne quoad hoc reprehensibiles?

R. Sunt certè reprehensibiles quòd fratrem suum induxerint ad acceptandum hoc Beneficium eo fine quem propositus casus declarat, nec possunt absque peccato vindicare sibi hos redditus, nec iisdem uti ad usus sibi propositos etiam consentiente fratre, qui citra peccatum consentire nequit: quid quòd etiam simonia confidentialis hinc interveniat. *St. Beuve tom. 3. cas. 102.*

CASUS XV. Est in extremis finibus Regni Galliarum alicubi Monasterium monia-

nialium Ord. S. Augustini, in quo clausura nunquam fuit introducta, adeo ut ne in professionibus monialium ulla unquam de hac fuerit mentio. Statuit Episcopus easdem nolentes volentes adstringere ad illam acceptandam. Poteruntne tutâ conscientiam opponere se Decreto Episcopi & vivere sine clausura, quemadmodum hucusque ab immemoriali tempore vixere?

R. Tenentur etiam sub pœna peccati mortalis obedire suo Episcopo, seseque subicere clausuræ ab ipso introducendæ. Sic enim docet *D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. Sylvius v. Clausura* defendit Episcopo jus competere ipsas cogendi ad recipendam clausuram etiam in casu quo emisissent professionem cum expressa clausula illam non observandi, nisi tantum conditionatè consensissent vota à se emissa sed quæ casu sic posito forent invalida.

NOTA. Si Novitiæ non fuerunt monitæ de obligatione recipiendi clausuram, quamprimum id Episcopo placuerit, non possunt ad eam obligari. Possunt tamen Novitiæ de hac obligatione moneri, & interea excursions ac visitationes reciproca exterorum sic limitari, ut arceatur omne periculum dissolutionum, ac distractionum ab animi recollectione.

CASUS XVI. Margarita monialis cujusdam Conventus Parisiensis à jurisdictione Ordinarii exempti justam habet causam transeundi ad alium ordinem; potestne Prælati regularis sola sua autoritate concedere ipsi hujusmodi licentiam?

R. Non potest; opus quippe est etiam consensu Ordinarii.

Vide *Conc. trid. sess. 25. de Regul. & Mon. c. 5.*

CASUS XVII. Ruffina monialis mitioris ordinis proposuit transire ad reformatum; licitène transibit petita sed non obtenta à sua Abbatisa licentiâ?

R. Oppositio Superiorissæ nihil obstat quò minus possit transferri ad ordinem in quo regularior floret disciplinæ observantia; oportet nihilominus sequi quoad hoc punctum nostris his temporibus usitatas leges, & consuetudines circa modum transeundi. *Pontas.*

CASUS XVIII. Clementia monialis cujusdam Conventus, nuper ab incendio devastati à suo Superiore fuit translata ad alium conventum ejusdem Ordinis, in quo aeris malignitas multum nocet ipsius sanitati. Poteritne ob hanc solam rationem etiam secunda vice transmitti ad aliam domum?

R. In Gallia ubi Bulla Pii V. non est recepta ratio Clementiæ est satis sufficiens, quæ possit movere ipsius Superiorem ad permittendam hanc etiam secundam mutationem.

CASUS XIX. Augustina monialis professà suo legitimo Superiore obtinuit facultatem invisendi suos consanguineos, & apud eos manendi per hebdomadas duas; non latet ipsam, & ne Superiorum quidem levitas motivi: suntne ergo ambo peccati mortalis rei?

R. Non apparet, Augustinam peccati mortalis ream esse, non obstante levitate motivi quo inducebatur ad petendam facultatem parentes suos vel consanguineos invisendi, utpote cum nihilominus hanc illi Superior concefferit; sed longè aliter se habet res cum ipso Superiore, qui non potuit dare licentiam hanc absque causis valde gravibus. *St. Beuve tom. 2. cas. 130. & 142.*

CASUS XX. Hector Præfectus Provinciæ cujusdam Gallix per plures jam annos assuevit uti torculari certi monasterii monialium, quod intra ipsa loca regularia & claustralia perpetuò asservatur. Prohibet severè ipsarum Superior ne posthac torcularis hujus usum Præfecto concedant moniales. Hector qui, uti etiam ipsius prædecessores semper usus est hac machina, acerbissimè ferens hanc repulsam in prædia monasterii immisit milites, qui multo damno ibidem causato, non obscure confessi suat nec sic ferociam ipsorum fore mitigandam. Ad avertenda hujusmodi injusta gravamina & vexationes poteritne Superior permittere, ut ob usum torcularis Provinciæ præfectus clausuram regularem violare pergat?

R. Quan-

R. Quando prudentes habet rationes metuendi, ne impostero etiam Præfectus Provinciæ pergat gravia damna inferre monasterio huic, potest desistere à prohibitione monialibus à se facta. Clausura est juris humani, quod non obligat si absque gravissimis incommodis & damnis observari non possit. *Sylvius Resolut. variar. verb. Clausura 6.*

MONITORIUM.

1. Monitorium vocant literas monitorias, quibus Judex Ecclesiasticus subditos obligat, ut, qui certam rei in literis expressæ, v. g. rei perditæ aut furto ablatae, notitiam habent, id manifestare sub pœna excommunicationis, sive pœna hæc in Monitorio expressa teneantur.

2. Monitorium tribus Dominicis continuis promulgari debet, & post tertiam denuntiationem exprimens terminus, quò elapsò, qui inobedientes fuerint, ipso facto incurrant Excommunicationem, id quod nominatur *Edictum Peremptorium.*

3. Juxta Concilium Tridentinum Excommunicationes, si ab Episcopis non sobriè & circumspèctè ferantur, non solum vilipendi, sed & saluti Fidelium noxiæ esse solent, hinc vult. 1. Ut Excommunicatio non feratur in reum, nisi præviis monitionibus Canonicis. 2. Ut non decernatur Monitorium, nisi post maturam deliberationem, & in causa gravissimi momenti, concurrente rei contumacia. 3. Ut Judices suas constitutiones & Edicta non nisi per vias ordinarias exequantur.

4. Quando Monitorio conjungitur excommunicatio, non solum opus est, ut qui illam infligit, gaudeat jurisdictione contentiosa, sed & requiritur, ut præmittat tres Admonitiones Canonicas; quod tamen locum non habet in Excommunicationibus à jure latis, quæ in instanti commissi criminis, cui annexam esse hanc pœnam constabat, incurruntur.

5. Propinqui aut consanguinei vi monitorii non tenentur denuntiare reum.

6. Idem dicendum de illis, qui in causa criminis consulti fuerunt: *Nullus enim ex consilio, dummodò fraudulentum non fuerit, obligatur.*

7. In omnibus Monitoriis primo exprimi debet nomen & qualitas decernentis Monitorium. Ordinariè dirigitur Monitorium ab Officiali ad Parochos, eoquod ex Cathedra sub Missa Parochiali promulgari debet. Et si Monitorio inscriptum legitur, seu aliis Presbyteris, hæc additio solum locum habet, Parochus id recuset, ad quem solum de jure communi pertinet, monere, publicèque populum in Ecclesia exhortari, & denuntiare Excommunicationes, id quod in ejus defectu Judex Ecclesiasticus potest.

8. Discrimen *Monitorium* inter & *Monitionem* intercedit; monitio enim simplex est cohortatio, & correctio ex charitate proveniens, cum alicujus pœnæ comminatione conjuncta, si fortè monitus nolit se corrigere. Monitorium autem Mandatum est, vi cujus Superior Ecclesiasticus universis & singulis fidelibus præcipit sub pœna Excommunicationis, ut occultum quoddam crimen, prout noverint, patefaciant.

9. Quæstio, an Monitorium ob res profus omnes tum temporales tum spirituales concedi possit, decisa hætenus non est. Episcoporum prudentiæ relictum est, ut pro rerum ratione censuris Ecclesiasticis uterentur; qua quidem in re non ita facile est certas assignare regulas. Afferi tamen potest, ob negotia merè civilia, in quibus nullius honor in discrimen adducitur, Ecclesiæ autoritate abutendum non esse. Possunt & debent concedi Monitoria publici criminis causâ, cui annexa est pœna temporalis.

10. Si Monitorium effectu careat, ut certa reddatur contumacia, severitate utendum.

CASUS I. *Paternus*, civis Parisiensis obtinuit, & executioni dari curavit Monitorium, in quodam negotio, in quo unice agebatur de manifestatione & punitione

tine cujusdam criminis, quod tamen Prohibet Bulla *S. Pii V.* volentis, Monitorio non nisi in causis civilibus utendum. An Paternus peccavit? licuitne Superiori Ecclesiastico, concedere Monitorium, id prohibente hac Bulla?

℞. Licuit Superiori Ecclesiastico concedere, & Paterno petere Monitorium, & obtentō uti, nec peccavit. Bulla Pii V. nec est promulgata, nec recepta pro lege, huic Bullæ in Gallia consuetudo contraria universaliter semper observata, in jure communi fundatur. *Pontas.*

CASUS II. Archiepiscopus quidam in Germania concessit cuidam hæretico in causa maximi momenti Monitorium. Peccavitne?

℞. Violavit leges Ecclesiæ, adeoque graviter peccavit. Et quod modo de Hæreticis dictum, id intelligendum quoque est de Excommunicatis denunciatis. *Eveillon. Tr. de Excommun. c. 19. art. 1. & Conf. de condom. tom. 1. Conf. 4. sect. 2.*

CASUS III. Filia undennis Æcolampadii hæretici vult amplecti Religionem catholicam; ob propositum hoc suum malè se habendam non nescia, horâ noctis undecima, relicta domo sua ad quamdam viduam Catholicam confugit, ubi inscio Patre se occulit. Æcolampadius filiam suam raptam & clam in scelus inductam apud Judicium & Procuratorem Regis conquestus obtinuit Monitorium, quo, qui habent puellæ, ejusque commorationis notitiam, ubi habitet, indicare jubentur. Vidua hac super re informata puellam hanc cuidam amicæ ruri degentem instruendam tradit. Tenenturne parere Ecclesiæ, & puellam hanc in manus Patris remittendō, aut ubi sit, declarandō, latam per Monitorium Excommunicationem evitare.

℞. Ad neutrum tenetur; sicut & persona, cui puellam instruendam tradidit. Intentio enim judicis alia non fuit, quam ut manifestarentur, qui puellam rapuerunt aut seduxerunt, eamdémque invito

Patre retinent. Quod hîc locum non habet. *De S. Beuve tom. 1. cas. 109.*

CASUS IV. Gallinicus abstulit Publico 1000. flor., qui exegit Monitorium ad detegendum furem. An Gallinicus sub pœna Excommunicationis tenetur aperire furtum à se commissum?

℞. Author criminis, cujus causa conceditur Monitorium, non tenetur denunciare seipsum. Tenetur tamen ad restitutionem, aut reparationem, aut ad damna parti læsæ refarcienda, pro casûs ratione. *Eveillon loco citato, cap. 21. art. 2. §. 2.*

CASUS V. Evodius Parochus promulgavit Monitorium in causa furti apud Balduinum commissi. Mathildis hujus criminis rea Parocho Evodio confitetur cum promisso restituendi summam ablatam, omnésque expensas cum lucro cessante & damno emergente Balduino debitas per parochum restituendi. Simul rogat, ut secundam & tertiam denuntiationem suspenderet. Debétne Evodius in gratiam hujus pœnitentis residuas denuntiationes omittere?

℞. Justitia charitati prævalere debet. Evodius in conscientia tenetur Secunda ac tertia vice promulgare Monitorium, usquedum Mathildis ex integro satisfecerit. Mathildis enim posset promissis non stare, & fortè Balduinus sufficientia contra ipsam argumenta non haberet. Prætereà Parocho nunquam licet propria autoritate suspendere sic denuntiationes & sine expresso consensu Episcopi aut Officialis, aut saltem partium, quarum interest. *Bouvot tom. 2. v. Merit. q. 23.*

CASUS VI. Hervæus magnam summam abstulit Simoni, qui, ut in notitiam furis veniret, argumentaque suppeditarentur, curat publicari Monitorium. Vincentius de furto Hervæum convincere posset; an ante denuntiationem tenetur prius monere Hervæum, ut ablata restituat?

℞. Si furtum ita est occultum, ut Hervæus sit extra suspicionem, charitas Vincentium obligat, ut fraternæ correctionis præceptum observet. Si verò Hervæus passim

passim jam author criminis, utpote publici, habeatur, tenetur eum denunciare. Observandum, quod monitio secreta in primo casu cautè fieri debeat, ne cedat in præjudicium parti læsæ. *Conf. d' Ang. Nov. 1711. q. 1. pag. 480.*

CASUS VII. Pomponius, ne denunciaret furtum, cujus & ipse complex est, recepit 100. florenos. Tenenturne redditus 100. florenis furtum, cujus notitiam habet, denunciare? & num ad eam denuntiationem teneretur, si eam jam per integrum annum neglexisset?

℞. Salvâ conscientia 100. florenos retinere non potest. Interim tamen eum ipsemet sit criminis complex, se ipsum denunciare non tenetur; tenetur tamen ad restitutionem furto ablati, si eandem author Principalis negligat. Si criminis hujus complex non esset, attamen denuntiationem per integrum ab Edicto Excommunicationis promulgato annum omisisset, potest dici, quod ad denuntiationem non amplius teneretur, ratione ignominie, quam incurreret. *De S. Beuve tom. 3. Cas. 196.*

CASUS VIII. Joachimus tenetur bonis cedere; id clam fatetur cornelio Amico suo, aut Advocato suo, aut Notario suo, consilium ab iis accepturus. Interim contra Joachimum & conscios publicatur Monitorium. Conscii tenenturne, in conscientia id, cujus notitiam habent, manifestare?

℞. Certum est, eos non teneri. *S. Thomas, art. 2. q. 70. art. 1. ad 2.* Excipiendum tamen; si sub secreto agnovissent propositum de crimine perpetrando, sed nondum executioni dato, aut si tenderet in ruinam, aut damnum spirituale aut temporale Reipublicæ, aut cujusdam privati, & si esset quæstio de impedimento matrimonii dirimente. *Navarr. in cap. Inter verba. §. 12. q. 3. concl. 6. n. 222.* Et *Eveillon. c. 23. art. 2. §. 1.*

CASUS IX. Bernardus foro cedere compulsus, creditoribus in omnia bona immisissis, in domo cujusdam amici se abscon-

dit, quod & duo vicini noverunt. Hac super re promulgatum est Monitorium. Tenenturne amicus & duo vicini eum prodere?

℞. Si occultatio hæc præjudicat creditoribus, tenetur amicus eum prodere; secus nec ille nec duo vicini tenentur. *St. Beuve tom. 2. cas. 136.*

CASUS X. Quarinus antequam cesserat bonis suis, solvit Renato & Jacobo debitum, unicuique 400. libr. clam illis propositum suum manifestans. Facta cessione, creditores curant publicari Monitorium, vi cujus omnes, qui habent actorum notitiam, manifestare jubentur, secus censuras incurfuri. Renatus & Jacobus, solutō sibi in præjudicium aliorum creditorum debitō, tenenturne aperire, quæ contigerint, eo tempore, quo bonis cedere statuit, debitum nimirum sibi jam esse solutum?

℞. Parere huic Monitorio in conscientia non tenentur, id enim si faterentur, præsupponeretur in foro externo, ex parte ipsorum intercessisse fraudem, & sic cogentur restituere debitum solutum; ad quod in foro interno non tenentur. *Idem. ibid.*

CASUS XI. Gallerius foro cessurus rogat firminum amicum suum, ut commutato nomine sub titulo quodam specioso à se ficto ad se partem bonorum recipiat, suum tamen ipsi propositum celat. Firminus nulli hominum id in præjudicium cessurum existimans consentit. Octo post diebus firminus quæ contigerunt cum Gallerio, qui fraudulentam, quam animo conceperat, bonorum cessionem fecit, clam rem gestam confidit dionisio. Promulgatur Monitorium. Tenenturne Firminus, & in ejus defectu Dionysius in conscientia denunciare factum?

℞. Haud dubiè tenetur Firminus, & eo id facere negligente Dionysius. Firmino tamen factum manifestante, Dionysius ad denuntiationem, utpote quæ frustranea esset, haud amplius tenetur. *Idem ibid.*

CASUS XII. Flaminius occidit Lambertum, cujus uxor & liberi faciunt tribus diebus Dominicis publicari Monitorium, id quinto die qui manifestare noluerint, supposito quòd ejus notitiam habeant, *ipso facto* excommunicationem incurrunt. Nepos Flamini novit Flaminium hujus sceleris reum esse, eum tamen, ne perdat, non prodit. An incurrit excommunicationem?

R. Certum est, quod non incurrat excommunicationem, non enim tenetur manifestare crimen sui propingui. *Idem. tom. 2. cas. 63.*

CASUS XIII. Petronilla, ancilla Luciani, non ignorat, Lucianum fraudulentam fecisse bonorum cessionem, qua de causa & creditores obtinent Monitorium. An potest Petronilla crimen Domini sui non manifestare, quin incurrat excommunicationem?

R. Non concordant in hujus quæstionis solutione Authores. *S. Beuve* & Author *Conferentiarum Condomensium & Andegavensium* tenent, domesticos in simili casu non obligari ad manifestationem criminis à Domino suo commissi. Verùm eorum rationes tantæ non sunt, ut nos ad subscribendum moveant. Rarùmque esse credo, domesticis notabile damnum ferendum esse, si pareant Monitorio contra Dominum suum promulgato. Petronilla itaque in conscientia tenetur ad manifestationem fraudis Luciani, ita, ut si hoc omittat, excommunicationem incurrat. *Pontas.*

NOTA. Ex hac ipsa responsione sequitur, domesticum, si merito damnum grave sibi timet, non obligari ad parendum Monitorio.

CASUS XIV. *Raculfus* civis Parisiensis habitans in Parochia S. Eustachii ad Festa Pentecostes *Versailias* se confert, ubi audit in causa gravissimi momenti, cujus notitiam habet, publicare Monitorium, quod in Parochia S. Eustachii promulgatum non est. An factum, quod novit, manifestare in conscientia tenetur?

R. Per se vi Monitorii *Versailis* publicati non tenetur; tenetur tamen ex respectu & obedientia, quam debet constitutionibus Superioris sufficienter sibi intimatis, & in certis casibus ex ipsa facti natura. *St. Beuve tom. 2. cas. 158. & tom. 3. cas. 32.* id etiam in doctrina Divi Thomæ fundatur. *2. 2. q. 83. art. 2. in corp.*

CASUS XV. *Renatus* plenam de re gravissimi momenti, cujus causa auditur publicari Monitorium, notitiam habet. Peccavitne, si non nisi post tertiam publicationem, etsi potuisset post primam, factum denuntiavit?

R. Errant, qui credunt, denuntiandi obligationem non dari nisi post tertiam promulgationem Monitorii, hæc enim obligatio datur statim post primam publicationem Monitorii. Præterquam quod obedientia debeat esse prompta, sæpe posset quis utilitati obtinentis Monitorium prospicere, si prompte factum, quod novit, manifestaret. *Conf. de Condon. tom. 1. Conf. 4. sect. 2.*

CASUS XVI. Episcopus Turonensis justit promulgari Monitorium in causa furti. Promulgatio tribus diebus Dominicis continuis facta est, cum addito; illos, qui hujus notitiam haberent, teneri ad manifestandum furtum, secus Excommunicationem *ipso facto* incurfuros, si intra sex dies sequentes id facere neglexerint. Biduò post ultimam publicationem moritur Episcopus; impeditne hæc mors, quominus *Joannes* qui furti notitiam habet, nec hætenus denuntiavit, elapsis sex diebus incurrat excommunicationem?

R. Mors hujus Episcopi, si ante excommunicationem incurfam contingat, impedit effectum; adeoque *Joannes* non manifestando furem non incurrit excommunicationem. *Cabassut. l. 5. c. 15. n. fin.*

CASUS XVII. *Guillelmus* certò scit, *Oliverium*, qui impetravit Monitorium ad detegendum authorem furti apud se commissi, sufficientia jam habere ad convincendum furem argumenta. An hoc non

ob.

obstante, tenetur, quod novit, denuntiare?

R. Tres præcipuæ rationes persuadent, *Guillelmum* teneri parere Monitorio. 1. quia Ecclesia non censetur velle excipere casum si manifestatio parti læsæ prodest. 2. quia non est privati, examinare & judicare, utrum argumenta jam sint sufficientia. 3. Nova argumenta parti læsæ profutura addere potest. *Conf. de condom. tom. 1. conf. 4. sect. 3. & d' Angers. Nov. 1711.*

CASUS XVIII. Cùm *Coriolanus* occultè feminasset doctrinam hæreticam, & quasdam personas jam seduxisset, Officialis iussit tribus vicibus publicari Monitorium ad detegendum Authorem, quod & promulgatum est. *Paolo* certò quidem constat, *Coriolanum* esse authorem, sed certò ipsi quoque constat, eum jam esse conversum, & actu laborare, ut reducat seductos. An nihilominus tenetur denuntiare reum sub pœna Excommunicationis *ipso facto*, contra se ut conscium sequenti Dominica pronuntiandæ?

R. Paulus & crimen & conversionem *Coriolani* tenetur manifestare *Pontas.*

CASUS XIX. *Alexius* præmeditatè *Antonium* secreto occidit, cujus homicidii voluntarii testis oculatus est *Petrus*, qui tamen scit, de eo neminem suspicari posse, & suum unicum testimonium ad reum condemnandum haud fore sufficiens. Num, quæ vidit, potest non manifestare, adeoque non parere Monitorio à Procuratore Regio, ut haberentur argumenta, promulgatò?

R. Tenetur manifestare. *Pontas.*

CASUS XX. *Lysander* annum duodecimum tertium agens, vidit raptam esse filiamfamilias. Publicato ad obtinenda raptus argumenta Monitorio, vir alius, qui cum eo erat, jam deposuit. Quid respondere Confessarius debet, ex quo *Lysander*, utrum teneatur crimen denuntiare, quærit?

R. Juxta Constitutionem de A. 1670. tit. 6. art. 8. Confessarius respondere de-

bet, eum teneri, quæ novit, manifestare. Constitutio hæc derogavit antiquæ disciplinæ, quæ impuberes ad manifestandum crimen non obligabat. *Pontas.*

NOTA. Impuberes in testes adhibendi sunt solum circa crimina per jus excepta, de quorum NB. malitiosâ commissione vel machinatione præcessit femiplena probatio.

CASUS XXI. *Ithacius* reus furti 1000. floren. à Judicibus indagatus aufugit, vadium contumaciter deserti nomine ad mortem damnatus est, omnibus ejus bonis, quorum pretium ad 3000. libr. ascendebat, fisco addictis. Domesticus *Ithacii*, haud solutum iri sibi 200 libr. perspicens, æqualem summam, quam à Domino suo abscondam noverat, sibi sumit. Publicatur Monitorium, quod Excommunicationem *ipso facto* minitatur omnibus, quicumque quid bonorum aut facultatum *Ithacii* haberent. An domesticus tenetur prodere, quod habeat 2000 libr. & num si id facere recusat, incurrit excommunicationem?

R. Cùm Domesticus hic hanc summam injustè non retineat, non tenetur prodere, nec incurrit censuras. Siqui & alii scirent, eum pro compensatione legitima accepisse hanc summam, ad id manifestandum non tenerentur. *Eveillon. c. 23. art. 3.*

CASUS XXII. *Narfes* Toporcha, cui soli competit jus Columbarii, scit quemdam ex suis Vasallis sæpe sibi columbas occidere; ut itaque eum convincere & punire posset, jubet promulgari Monitorium. Duo Vicini non semel in ipso facinore eum deprehendunt. Tenenturne sub pœna censurarum illum denuntiare?

R. Non est dubium; Rusticum hunc occidendo columbas graviter peccare, cum id Constitutiones prohibeant, tenenturque facti conscii eum denuntiare ex obedientia, quam debet Ecclesiæ, quæ jus habet per censuras ad reparandum damnum temporale obligandi. *Concil. trid. sess. 25. de reform. c. 3.*

NOTA.

NOTA. Si rusticus columbas ob damna notabilia feminibus illata occidit, non peccat; ac proin non est denuntiandus.

CASUS XXIII. *Alpbaida* magnæ pietatis scemina audivit promulgari Monitorium ad detegendum authorem alicujus homicidii. Illa à pluribus personis Fulbertum hujus criminis reum esse audiens, Parochum suum consulit, utrum eum manifestare teneatur. Quid consulat Parochus?

R. Si Nullam aliam hujus notitiam habeat, Parochus respondere potest, eam ad denuntiationem non teneri. Si verò non absque fundamento de utilitate vel inutilitate suæ denuntiationis dubitat, tenetur denuntiare, salvò jure judicis, agendi, quæ meliora judicaverit. *Conf. d' Angers. Novemb. 1711. pag. 458.*

CASUS XXIV. *Panasius* in actione contra Jordanum ob causam merè civilem, cum indigeret argumentis, alià viâ non procurandis, impetravit Monitorium. Licetne Judici Laico id admittere, & Ecclesiastico Monitorium concedere, quasi peccaret contra mentem Ecclesiæ & Constitutiones regias?

R. Juxta *Ferretum, traité des Abus. l. 7. c. 2. n. 30.* Monitoria etiam in causis merè civilibus locum habere possunt. Intentio tamen Ecclesiæ non fuit ea concedendi, nisi ob causas extraordinarias, & alicujus momenti: *Non aliàs quàm in re non vulgari*, ut loquitur Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 3. de reform.* Judicium itaque Laicorum & Ecclesiasticorum est, accuratè examinare, utrum damnum, de quo agitur, sit censendum momenti gravioris non vulgaris? *Pontas.*

CASUS XXV. *Geminus* Parochus in Vigilia Dominicæ Passionis recepit ab Officiali Monitorium, in quo declarantur excommunicati *ipso facto*, qui intra sex dies proximos post ultimam factam publicationem non denuntiaverint facta in Monitorio expressa si eorundem notitiam habent. Primam itaque publicationem facit in Dominica Passionis, alteram Do-

minicâ Palmarum, dubitat autem, utrum tertiam facere debeat in die Paschatis?

R. Nullus Parochus, quin inobedienciæ notam incurrat, potest recusare Monitorio, quæ vel ab Officiali recepit, publicare, aut publicationes interrumpere sine expresso unius aut alterius mandato, sive quia, qui impetravit Monitorium, id non requisivit, sive quia alia oppositio postmodum significata intervenit. Intentio interim Ecclesiæ non est faciendi has publicationes diebus Paschatis Pentecostes & Nativitatis Domini, præsertim quando tertia publicatio continet censuras *ipso facto* incurrendas. Sicque in hoc casu creditur, præsumi posse, intentionem Superioris non fuisse, tertiam publicationem faciendi die Paschatis, quòd fieri nunquam debet, nisi quando speciale habetur mandatum. *Statut. synod. d' Angen de 1555. art. 6.*

CASUS XXVI. *Lazarus Gualterum*, cum quo liti implicitus est, sufficientibus argumentis convincere posset de ablata sibi ab eâ obligatione 6000. librarum. *Gualterum* tamen per judicem laicum, & per Ecclesiasticum puniri volens, Monitorium sibi concedi petit, Licetne Episcopo illud concedere?

R. Si Episcopo certò constat, à *Lazaro*, etiam non habito Monitorio, *Gualterum* de furto, de quo agitur, sufficienter convinci posse, concedere Monitorium non licet. In hac enim circumstantia illud Ecclesiæ *Lazarus*, utpote ejus autoritate absque necessitate uti volens. Et hæc decisio est conformis Edicto de 1695. occasione Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Vid. *caf. seq.*

CASUS XXVII. *Odilo* cui 40. aureos ablati sunt, obtinuit Monitorium contra eos omnes, qui facti in monitorio expressi notitiam haberent, eos, qui id ex testimonio alterius scirent. *Joannes* ex *Petro* audivit, *Paulum* eosdem eo præsentem furatum esse. An in conscientia tenetur & sub pœna excommunicationis,

id

id denuntiare, etsi denuntiatum jam à *Petro* sciat?

R. In casu proposito non tenetur, cum ejus testimonium foret prorsus inutile. *Bail. de examin. pœnit. q. 68. p. 476.*

CASUS XXVIII. *Pelagius* nominetenus excommunicatus, cum transiret per sylvam, ex insidiis Latronum grave & periculosum vulnus accepit. Recurrit ad Judicem Regium, facti seriem expositurus, rogaturusque, ut liceat sibi petere Monitorium. Licetne Judici hoc permittere, & licetne, illò permittente, Judici Ecclesiastico concedere Monitorium?

R. Excommunicatus nec curâ, nec protectione Ecclesiæ dignus est. *Greg. IX. in c. Immunitatem. fin. de Immunit. Eccles. lib. 3. tit. 49.* Et sic etiam si judex sæcularis ex errore permiserit, Judex tamen Ecclesiasticus nec potest, nec debet ei concedere Monitorium. *Cælestinus III. in cap. Præterea 7. de testibus cogendis, l. 2. tit. 2.* hominem infamem à ferendo testimonio quoque removendum asserit. *Pontas.*

CASUS XXIX. *Polgus*, civis *Lingoniensis Dolam* se contulit, ubi audit *Lingonii* promulgatum esse Monitorium in causa criminis, cujus ipse optimam habet notitiam. An etiam si absens, tenetur, quæ novit, revelare?

R. Si nonnisi ad tempus *Dolam* subjeus esse censetur, & si prima publicatio ante ejus è Diocesi discessum facta est, ad denuntiationem tenetur. Si verò Monitorium nonnisi post ejus discessum promulgari cœpisset, omniâque in ejus absentia facta fuissent, ob denuntiationem non tenetur.

2. Si rediret in Diocesim, antequam expirasset terminus fixus per tertiam Monitorii promulgationem, obedire eidem teneretur, si haberet notitiam.

3. Si prima publicatio facta esset ante ejus è Diocesi *Lingoniensi* discessum ita tamen, ut interim fixerit domicilium *Dolæ*, teneretur ad denuntiationem facti in Monitorio expressi, utpote factâ has publicationis. *Caf. Conf.*

blicatione adhuc jurisdictioni Episcopi *Lingoniensis* subjectus.

Observandum, hætenus dicta tantum locum habere, supposito, Polgum esse Christianum, secus aliter ratiocinandum foret.

CASUS XXX. Quandonam sunt concedenda Monitoria?

R. Monitoria nonnisi ob gravissimas, summique momenti causas concedenda sunt; majori adhuc prudentia opus est, minusque concedi monitoria debent, quando agitur de Monitoriis obtinendis contra Episcopum, quæ tam inusitata agendi ratio tunc solum probari potest, quando datur absoluta necessitas negotiumque summi momenti. *De Lamet.*

CASUS XXXI. An, ut Monitorio pareat, etiam rem sibi secretò creditam revelare quis debet?

R. Debet, si aliàs grave inde in proximum damnum redundaret. Non debet verò, si certò sibi ac indubitato constet, denuntiationem suam fore unicam, ac proinde inutilem ad intentum, ac proin plus mali quàm boni causaturam, & potius noxiam quam proficuum. *De Lamet.*

CASUS XXXII. Mercator quidam bonorum cessionem meditatus, ut legitimos suos creditores frustraretur, usus est opera liberorum suorum, aliorumque propinquorum ad bona sua & libros alio distrahendos. Creditores verò obtinent Monitorium, quid agendum?

R. Propinqui, de quibus hic agitur, tam parum quam complices si interrogarentur, deponere tenentur. *De Lamet.*

Vide *Pontas.* Vide *Excommunicatio.*

MONOPOLIUM.

1. Digesta, Codex, & Institutiones Justiniani diversas distinguunt, & severè condemnant Monopolii species.

2. In sua origine terminus hic non erat terminus odiosus, nil aliud enim significabat, ac consilium & propositum unius, pluriùmve mercatorum in unum conspi-

Nnnn ran-

rantium, ut ipsi soli certum quoddam mercaturæ genus venderent, emerentque pretio licito, justoque. Verum in moderna acceptione *Monopolium* est terminus odiosus; per illud enim nunc intelligitur conventio factiosa, & illicita plurium mercatorum in unum conspirantium, aut etiam propositum unius, merces certò pretiò comparandi, easque pretiò multum cariore distrahendi, in præjudicium reipublicæ, & præsertim pauperum illorum, qui obligantur & compellantur ejusmodi merces sibi comparare.

3. Vocatur etiam *Monopolium* conventio artificum, quando nimirum inter se ineunt pactum operam suam non nisi pro certo pretio collocandi operamque ab alio inchoatam non perficiendi. Et ejusmodi Monopolium in Gallia prohibitum & sub pœna relegationis perpetuæ, & confiscationis honorum. Monopolium invehunt Mercatores, dum fraudulenter impediunt, ne certæ merces, vel annonæ invehantur, ut suas eò carius vendere possint, id quod à legibus civilibus severe prohibetur, sub pœna etiam gravis multæ pecuniariæ.

4. Monopolium insuper secretò committi potest, quando res per subhastationem veneunt, & quis alteri certam summam tradit, ut impediatur, ne pretium augeatur.

5. Licet tamen est Monopolium illius, cui soli Princeps, exclusis aliis, concedit, ut certas è longinquis regionibus asportatas se authore merces aut alias ad necessitatem, utilitatemque reipublicæ, inventas solus distrahere possit, quasi in compensationem factarum expensarum.

6. Monopolium verò injustum privatarum personarum, absque autoritate Principis, ut divitias suas expensis reipublicæ, & principaliter in præjudicium pauperum, augeant, crimen sanè gravissimum est.

7. *Monopolium* græcæ originis nomen est, eumque vè suapte significat illud commercium, quando quis solus aliquod mercis genus vendit, aut solus emit. Mono-

polium dividi potest 1. in Monopolium, quod auctoritate publica fit, cum Rex aut Magistratus certas Mercium aut annonarum species vendendi concedit, v. g. Vitra, pulverem Nicotianum, salem &c. 2. In Monopolium quod auctoritate privata fit, dum duo, pluresve Mercatores simul conveniunt, in eo, quod velint augere quarumdam mercium pretium. Monopolium, quod fit auctoritate publica, prohibitum non est; taxandum verò est pretium mercis aut annonæ, ut carius vendere, quam ad boni publici utilitatem necessarium fuerit, iisdem non liceat. Monopolium verò, quod fit auctoritate privata, gravissimum crimen est, quod pluribus modis committitur. 1. Cum Mercatores inter se conveniunt, merces non nisi certo pretio emere & vendere. 2. Cum Mercatores ad omnes certi cujusdam loci merces emendas conspirant, eas deinde carius vendituri, utpote soli & unici, qui has merces haberent. 3. Cum Artifices, aliique operarii simul conveniunt, ne quis eorum perficiat opus ab alio operario inchoatum. 4. Cum Mercatores fraude aut mendacio impediunt, quo minus merces aut alia aliunde comportentur, ut eas, quas ibi habent, in publici boni præjudicium & damnum carius vendant.

NOTA. Quod numero quinto dictum est, non est semper verum. Si enim talia monopolia opprimunt jura vel statum mercatorum privatorum, vel si consecutivè, eripiendo privatis occasionem lucrandi ab exteris, bono publico inferant plus damni, quam emolumentum, potius ad publica privilegiata latrocinia, quam ad justa Monopolia referenda sunt.

CASUS I. Cleonicus & Vincentius, duo divites Mercatores, Mense Novembri ex condicito, triticum in eo loco, ubi morantur, & in vicinia coëmunt, ut, qui illud necessitate compulsus vendiderunt, iterum emere ab eis cogantur, præsertim tribus aut quatuor ante Messum mensibus, quo tempore ordinariè triticum carius venit, quam aliàs. Sed idcirco tamen non ultra justum pretium, quod Theologi summum appellant, illud vendunt, nec cum

alio

alio Mercatore, ut & ipse pretium augeat, condicunt. An peccant, tenenturque ad aliquam restitutionem?

R. Verum committunt Monopolium, non solum contrarium charitati, sed & justitiæ; adeoque obligantur ad reparanda omnia damna illis, qui ab eis triticum emere pretio cariore, ac aliàs, si non commississent monopolium, coacti sunt. *Sylv. in 2. 2. q. 77. art. 1. quæst. 2.*

NOTA. In hoc casu intentio, non ipsa industria horum mercatorum vitiosa est, dummodo illa provisio nulli ansam justæ querelæ det.

CASUS II. Camentarii in quadam urbe condixerunt, ut nullus posthac laboraret, nisi pro salario diurno 25. crucigerorum, cum prius tantum laboraverint pro 20. præterea convenerunt, ut nullus perficeret opus ab alio inchoatum. Simile pactum inierunt Sartores & Serinarii.

R. Omnes verum committunt Monopolium, in damnum Magistrorum, eorumque, qui eos ad laborem conducunt, cariusque artefacta solvere coguntur. Tenentur ad reparanda damna illata. *Idem. in 1. 2. q. 7. art. 1. quæst. 2. in fine.*

NOTA. Censeo, talia pacta, si non excedant moderatum pretium, esse justa, quamdiu à magistratu notoriè tolerantur.

CASUS III. Mercatores ad merces aliquas emendas conspirant, & honoraria dant iis, qui easdem merces carius emere velut desistant à proposito carius emendi.

R. Eorum conventio tanquam Monopolium spectanda est. Si quicquam infra justum pretium emant, restituere tenentur, qui verò honorarium receperunt, non tenentur id restituere. *Fromageau.*

NOTA. Si præfati mercatores justum pretium, quamvis infirmum offerunt; dehortando, & honorariis alios emptores sollicitando, ut desistant; non peccant contra justitiam, possunt tamen peccare contra charitatem.

MOTUS.

CASUS Motus dicti à Theologis *primò-primi* suntne mortaliter peccaminosi?

R. Motus hi cum sint planè indeliberati utpote prævenientes omne judicium ra-

tionis quod requiritur ad constituendum peccatum mortale, non sunt peccata mortalia. *Lamet.*

NOTA. Quando tamen sunt liberi in sua causa, v. g. si oriuntur ob negligentiam in oratione, in refrenatione sensuum, in exercitiis sacris, prout plerumque contingit, non carent culpa veniali.

MULCTA.

1. Terminus hic significat aut pœnam afflictivam in corpore, quæ dicitur *multa corporalis*, ad quam à Judice condemnatur reus criminis cujusdam: aut significat pœnam pecuniariam, ad quam Judex condemnat eum, qui illam ob delictum minus grave fuit promeritus: & hæc pœna pecuniaria propriè vocatur *Mulcta* seu *Multa*, de qua hic agendum. Observandum solummodo est

2. 1. Quod si crimen inducat mortem civilem mariti, uxor non tenetur quidpiam contribuere ad multam, ad quam maritus fuit condemnatus: extra hunc casum ex communibus utriusque bonis solvenda est.

3. 2. Non multa pecuniaria, sed solum reparatio damni illati, & lucri cessantis in favorem partis civilis læsæ imponitur, solutioque pro damno illato debet præferri solutioni multæ, quæ Regi adjudicatur.

4. 3. Si Ecclesia fiscum non habet, Judices Ecclesiastici non possunt condemnare ad pœnam pecuniariam, sed solum ad eleemosynam quamdam, applicandam ad pias causas.

4. In materia civili, si plures condemnantur ad pœnam pecuniariam, quilibet tantum tenetur ad solvendam partem se contingentem; in materia autem criminali singuli tenentur in solidum.

5. Condemnatio ad multam pecuniariam etiam importat potestatem coactivam corporalem, præterquam in iis, qui condemnati sunt ad multam, eoquod prætermiserint censum pendere Domino suo,

& quod testimonium ferre in judicio recusarint.

6. Multa semel à Judice statuta absolute debet solvi, & non potest quis evitare incarcerationem sub prætextu beneficii Cessionis bonorum.

CASUS I. *Arnaldus* judicialiter accusatus de crimine quodam, à Judice subalterno fuit condemnatus ad multam pecuniariam, vel ad compensationem damni illati, & lucri cessantis; ille autem interponit appellationem ad Parlamentum, sed moritur, antequam Parlamentum tulisset sententiam. Tenentur hæredes in conscientia ad solvendam hanc multam?

B. Appellatio suspendit effectum sententiæ etiam tunc, quando poena pecuniaria jam foret judicialiter exacta, ab accusato. Dein omnis processus criminalis cessat per mortem accusati, exceptis criminibus læsæ Majestatis Divinæ aut humanæ, duelli, suicidii, ac rebellionis contra justitiam interveniente aperta violentia, quando accusatus in tali occumbit. *Pontas*.

NOTA. Hæc jura Gallica sunt.

CASUS II. *Evrulus* intulit damnum centum florenorum vicino suo per vastationem, quam pecus illius in hujus segete intulerat. *Evrulus* convenitur judicialiter, & condemnatur non solum ad solutionem centum florenorum pro reparatione damni, sed etiam ad multam pecuniariam viginti quinque florenorum vicino suo solvendam. Potestne hic, cum damnum penitus compensatum sit per centum florenos, insuper exigere multam solvendam? num *Evrulus*, condemnatus ad hanc multam per sententiam Judicis, tenetur eam solvere?

B. Justè potest exigì hæc multa, & *Evrulus* tenetur eam solvere. *Pontas*.

MUTILATIO.

Vid. *Irregularitas* Cal. 80. 81. 99. 101. 102. 105. 106. & 107. *Surdus & Mutus Occidere*.

MUTUUM.

1. *Mutuum* idem est, ac *ex meo tuum*. In hac acceptance & sensu Mutuum est contractus, quo quis gratuito alteri commodat rem aliquam *usu consumptibilem*, ut frumentum, vinum & alia similia, eo animo, ut ii, qui commodatum accipiant, rei illius aquirant proprietatem cum onere tamen, eandem quoad qualitatem & naturam in æquivalenti restituendi. Atque in hoc mutuuum differt à commodato propriè tali, per quod nullum transfertur dominium in commodatarium, qui rem sibi commodatam tenetur restituere in natura.

2. *Mutuuum* fit vel ad tempus determinatum, vel ad beneplacitum mutuuum dantis: quod mutuuum licet ex natura sua debeat esse *gratuitum*, poterit tamen mutuantis sibi procurare compensationem in certis casibus, in quibus deberet subire damnum aliquod ex suo mutuo.

3. Qui mutuuum dant, pro scopo suo unicè habere debent charitatem, illudque semper & in omnibus respicere, ut proximo suo in necessitate constituto subveniant.

4. Certum nihilominus est, in mutuo dando observandas esse regulas prudentiæ, personarumque delectum, neque enim expedit indiscriminatim, in quoscunque se profundere; simul tamen etiam considerandum est, in certis casibus mutuuum dare esse de præcepto, quia lex divina obligat Christianos, ut gratis succurrant fratri ac proximo suo, non tantum in extrema, sed etiam simpliciter in gravi necessitate constituto.

CASUS I. *Samson Landulpho*, malè ceteroquin rem suam domesticam administranti, mutuas ad biennium dedit bis mille libras pactis pro interesse usuris annuis *quincuncibus*, persuasus, non nisi difficillimè & diu post conventum terminum summam hanc sibi reddendam; & quia valde probabile videbatur, notabile lucrum Landulphum ex his pecuniis sibi aquisiturum,

rum, quod absque hoc mutuo sperare nunquam potuisset. Poteritne *Samson* citra usuræ labem acceptare hoc *interesse*?

R. Certum est; *Samsonem* nec exigere, nec acceptare posse istius modi interesse, quin usuræ reum se faciat. Quando enim actio aliqua ex natura sua mala est, & jure naturali omnibusque legibus divinis & humanis prohibita, nulla conditio poterit excusare à peccato illum, qui talem conditionem pacto vel contractui apponit, nisi circumstantiæ mutent naturam actionis, id est, nisi hæc ex mala & illicita qualis antea erat, bonam & licitam reddant actionem. *S. Thomas Opusc. 73. de usuris c. 6. Dubium ac periculum* de summa capitali amittenda non possunt mutare naturam actionis qua exigitur interesse usurarium, nec eam ex mala uti in se est, reddere bonam & licitam. Si hujusmodi *dubium & periculum* posset alicui jus & auctoritatem conferre ad exigendum interesse, sequeretur evidenter; quò majus est periculum, eò majores posse exigì usuras etiam ultra sortem principalem. *Lucrum* quod facere potest mutuatarius, æque parum potest esse motivum exigendi ex summa principali *interesse*, quia pecuniarum sibi mutuo datarum usadeo est dominus, ut si has casu aliquo perire contingeret, soli sibi & non mutuo danti perirent. Imo juxta *S. Carolum Borromæum* prohibitum est exigere usuras ex pecuniis etiam *Judeo* mutuo datis, licet evidenter præsciatur, immodicum exinde lucrum ipsum sibi comparaturum. *Conferent. trucion. tom. 1. confer. 38. q. 2.*

NOTA. In mea *Theologia* cum communi auctorum doceo, quod licitum sit, ratione periculi circa sortem principalem exigere auctarium annuum Summæ tanquam affecurationem periculi circa Summam principalem. Hanc tamen doctrinam limitavi hac clausula: nisi in casu particulari mutuantis ex speciali titulo: v. g. propinguitatis, gratitudinis, amicitiae, charitatis &c. teneatur gratis subire periculum.

CASUS II. *Joannes* promptum sese offert ad commodandas mille argenti libras

Jacobo, cui res angusta domi erat, optione ipsi data, vel cautionis de solvendo, vel annuæ usuræ quincuncis solvendæ absque cautione, quam veluti emolumentum pretio æstimabile considerat; & nihilo fecius eo privaturum se spondet, modò *Jacobus* pro indemnificatione aliqua in interesse hoc satis, ut ipsi videbatur, moderatum consentiat. *Jacobus* neminem inveniens, qui cautionem præstaret, usuras soluturum sese promittit. Poteritne *Joannes* acceptare has usuras per modum indemnificationis vel compensationis?

B. Non potest *Joannes* absque criminis usuræ labe à *Jacobo* exigere hoc interesse sub prætextu, quò velit ipsum liberare ab onere cautionis pro summa ipsi commodanda. Exemptio certè à cautione non impedit, quò minus *Jacobus* ipsi debeat mille argenti libras ex contractu mutui. *Idem ibid. & Theolog. moral. tom. 1. tractat. 6. cap. 13. demonstrat. 4.*

NOTA. Vide *Cas. 1.* Si vera esset hæc compilatoris sententia, vix ullus reperiret creditorem; quia etiam in commercio humano, dum venduntur & emuntur actiones, jura, seu præsentiones, vix unquam eodem pretio emitur jus ad rem, v. g. ad summam mille aureorum, quò valet jus in re, seu mille aurei in arca.

CASUS III. *Saturninus* pauper rusticola penes se asservabat dotem uxoris suæ *Hunegundis*, mille nummorum argenteorum. Timentes autem mulieris hujus consanguinei, ne à marito decoqueretur substantia hæc, coegerunt ipsum, ut summam commodaret mercatori, lucraturus ex fœnore, unde matrimonii onera sustineret. Sûntne securi in conscientia consanguinei?

R. Sola societas legitima cum hoc mercatore potest licitum reddere lucrum ex mille his nummis captandum. Consanguinei *Hunegundis* non possunt tuta conscientia & absque usura exinde lucrari quidpiam ex titulo mutui. *Theol. moral. tom. 1. tract. 4. cap. 14. q. 8.*

NOTA. Non arbitror, hoc præcepti anno 1761. quo adhuc durat bellum Gallo-Anglicanum, quempiam dotem collocaturum in commercii

Gallicanis sine pacto aſſecurationis circa Summam capitalem.

CASUS IV. *Cacilius* habet 100. florenos, quorum valor uſque ad finem menſis currentis erat notabiliter minuendus; inſtat *Sempronius* pro iisdem mutuo ſibi dandis ad tempus bi-meſtre; conſentit *Cacilius*; ſed cum expreſſo pacto, ut non obſtante monetarum mox futura diminutione centum nummi in iisdem ſpeciebus ſibi ſolvantur, & inſuper tantum pecuniæ, quantum interim nummis ex priori valore deceſſit. Eſtne uſurarium huiusmodi pactum?

R. Hoc pactum nequaquam eſt uſurarium. *Cacilius* non intendit lucrari quidpiam titulo mutui, ſed ſolummodo evitare jacturam, quam pateretur apud ſe cuſtodiendo ſuas pecunias, id quod neutiquam eſt prohibitum. *D. Thomas Opuf. 73. de uſuris cap. 14.*

CASUS V. *Herveus* mutuos à *Bernardo* accepit 50. dupliones aureos ex cauſa cujuſdam debiti ad quod ſolvendum & ſe & corpus ſuum obligaverat; dum verò domo *Bernardi* egreſſus ad proprias ædes revertitur, pecunias has omnes furto amittit. Redit ad *Bernardum* & furtum ipſi enarrat, ſimul declarans iniquum planè fore, ſi ad pecuniarum harum ferendam jacturam obligaretur, cum nunquam iisdem uſus fuerit, imo ne ædibus quidem ſuis fuerint illatæ, & aliunde etiam de caſu merè fortuito hîc agatur, de quo, ut rationem reddat, nemo certè ipſum obligaverit. Verène ad ferendam jacturam hanc *Bernardus* obligatur?

R. *Bernardus* non tenetur ferre jacturam 50. duplionum, ſed ea tota impu-tanda eſt *Herveo*, qui à momento facti ſibi mutui horum factus eſt proprietorius, juxta principium juris: *res perit domino ſuo*; concordat *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 6. in corp.*

CASUS VI. *Guibertus* menſe *Novembri* à *Philemone* mutuavit 560. vini ſextarios cum obligatione eodem menſe *Junio* anni ſequentis reſtituendi. Cùm verò

condicto tempore promiſſum falleret *Guibertus*, in judicium vocatur à *Philemone*. Promittit itaque ſatisfacturum ſe ſolutione pretii quo tempore inſtitutus vinum æſtimabatur: valebat autem tunc florenos 30. At verò *Philemon* præſendit florenos 60. eoquòd vineis hiberno frigore enecatîs, vini pretium ad alterum tantum excreverit. Jurène exigit hoc pretii auctarium?

R. 1. Qui aliud quidpiam quàm pecunias mutuavit, nec ſtatuto tempore reddit in natura, tenetur ad æſtimationem huius rei. *Lege ſi merces ff. de conditioni triticaria lib. 13. tit. 3.* 2. Quando præſata vini quantitas fuit à *Guiberto* accepta juxta æſtimationem puram ac ſimplicem, qualis erat tempore traditionis, *Philemon* in conſcientia nihil ultra poteſt præſendere, etiamſi vini pretium ab eo tempore etiam immodicè excreviſſet: in tali quippe caſu æſtimatio venditionis regula eſt. *Leg. æſtimata res ff. de ſolut. matrim. &c. lib. 24. tit. 3.* 3. Quando æſtimatio non fuit facta tempore mutui, res debet reddi juxta æſtimationem pretii, quod valebat tempore pactæ reſtitutionis, & in eo loco, in quo erat reddenda. Quod ſi nec de tempore nec de loco fuerit conventum, ſolutio eſt regulanda juxta pretium in eo loco ac tempore, quo mutuum ſollicitabatur, currens. *Loge vinum 22. ff. de rebus creditis &c. lib. 12.* Et hæc leges licet ſequi etiam pro foro interno.

N.

NAUFRAGIUM.

1. Naufragium vocatur jactura cujuſcunque navis, quæ mari veſta vel ad ſcopulum frangitur, vel à fluctibus abſorpta unà cum populo & mercibus ex toto vel ex parte perit.

2. Præcipuæ regulæ in Gallia ſuper hæc materia obſervandæ explicantur in quatuor diviſionibus huius tituli.

CA

CASUS I. *Trophimus* & *Germanus* cum octodecim aliis communiter poſſident navim quampiam jamjam ex Indiis redeuntem. Sæva tempeſtas ſubitò ingruens præſentiſſimum minatur naufragium. Portior mercium pars, ac earum quidem, quæ ad trophimum & Germanum pertinent, in mare ejiçitur. Tandem verò ſedata tempeſtate navis cum reliquorum mercibus feliciter in portum invehitur. *Trophimus* & *Germanus* præſendunt hæc teneri quilibet pro rata, ad reſarciendum damnum quod perpeſſi ſunt.

R. Juſte & legitime hoc præſendunt. Quando enim in periculo naufragii hoc unum flebile remedium re-inquitur *Navarcho*, ut partem oneris ac mercium ad ſalvanda reliqua ejiçiat, ii quorum commodum hoc modo ſalvantur merces, tenentur quilibet juxta proportionem ferre partem jacturæ mercium pro ſalute communi totius navis projectarum. *Leg. Lege 1. ff. de leg. Rhod. de jactu. lib. 14. tit. 2. leg.* Si laborante 2. ff. eod. tit. Quantum ad valorem mercium ſic ejetarum æſtimatio debet fieri juxta mercium valorem præſentem. *Leg. Nav. 4. §. 2. ff. de leg. Rhod. de jactu.*

CASUS II. Navis quædam pretioſiſſimas ferens merces ad *Nicolaum*, ad *Joſephum* demumque alios jure proprietatis pertinens, qui ſumptibus communibus ipſum navigium emerunt, & neceſſario apparatu, nautis &c. inſtruxerunt; capitur, vel jam capta immodico pretio 10000. librarum monetæ Gallicæ extorto poſt capturam dimittitur, *Pirata* nil aliud rapiente, quàm quidquid *Nicolai* & *Joſephi* fuerat.

R. Duæ dantur in hoc caſu difficultates. Quoad primum certum eſt, jacturam 10000. librarum debere diſtribui in omnes ſocios juxta proportionem mercium ex captura conſervatarum. Quoad 2dam verò dicendum, reliquos non teneri ad partem ullam jacturæ, quam ſuſtinuere *Nicolaus* & *Joſephus* *Leg. Si laborante cit. §. 2. ff. de leg. Rhod. de jactu.* Fundatur

hoc quoad utramque partem 12. regula Juris, *res perit Domino ſuo.*

CASUS III. Peregrina navis mercatoria ex Indiis rediens naufragio haud procul à littoribus Galliæ tubmerſa eſt cum omni populo. *Iſidorus* exercitatiſſimus Urinator partem harum mercium, inter quas erat theca Adamantibus (quorum pretium 10000. thaleris æſtimabatur) reſerta, qua pollebat dexteritate expiſcatus eſt. Potèſtne *Iſidorus* merces, & adamantes ſibi ut *Dominus* retinere, quando nemo eas reclamat.

R. Juxta leges, illud quod naufragiò perit, non ceſſat propterea pertinere ad ſuum proprietarium. In regno Galliarum leges atque edicta unum tantum annum ſtatuunt pro termino intra quem licet reclamare ſeu repetere ejusmodi merces. Sicque vi huius principii *Iſidoro* non licuit tanquam rem ſuam ſibi vendicare, quidquid taliter piſcatus eſt, niſi poſt lapſum integri anni à die facti naufragii. Imo poſt lapſum huius anni tertia tantum pars erit *Iſidori*, quippe cum altera tertia ærario regio ſit inferenda, reliqua verò *Clauſum* Regio Gallicarum ſupremi *Archithalaffi* per leges regni ſpolium ſit.

CASUS IV. *Cymba* quædam mercibus *Huberti* onerata naufragium fecit ad littora alicujus provinciæ. ubi ex antiqua conſuetudine ſupremus territorii *Dominus* habet jus capiendi ſibi partem tertiam omnium bonorum naufragorum, quæ mare ad litus deponit. *Ferdinandus Auvaiçi* dominus in ſuam poteſtatem redegit plures magnas ciſtas eorum lignorum, quibus tinçtuarii pro colorandis pannis utuntur unà cum aliis varii generis mercibus, quæ omnia *Hubertus* intra annum & diem reſtitui ſibi coram judice poſtulat.

R. Tales Naufragii reliquias neutiquam ſibi vendicare poteſt *Ferdinandus*, prædicta conſuetudine non obſtante, quæ vim legis habere non poteſt, cum juri naturali ſit contraria, juxta *S. Thomæ principia 2. 2. q. 61. Art. 1. 2. 5. & 6. &c.* Hoc etiam intelligendum de omnibus iis quæ in mare pro-

projiciatur. *Sylvius in 2. 2. q. 66. art. 5. conclus.*

NOTARIUS.

1. *Notarius* in eo sensu, quo hodie ista vox accipitur, est persona publica, quæ scribit & acceptat conventiones partium inter se contrahentium vel paciscentium, aut testamenta aliæve acta publica quorum originalia penes se servat.

2. In Regno Galliæ officia Notariorum ad hæredes transeunt. Notarius tenetur ad fidem arcani servandam in omnibus in quibus ipsius opera requiritur sive agatur de actis, quæ ipsemet in publicam scripturam digessit, sive de Consiliis à se datis. Nunquam ipsi licet acceptare acta Religionis vel bonis moribus contraria, vel aliunde legibus prohibita. Requiritur in eodem ætas annorum 24. ut celebrationi contractuum possit interesse.

3. Omnis contractus factus & in scripturam redactus à Notario absente est nullus, licet ab eodem Notario signatus. Oportet ut talis contractus conscribatur præsentibus partibus interessatis & testibus, & ut iisdem partibus prælegatur antequam signetur.

4. In Contractu necessario debet exprimi nomine suo domus, in qua celebratus fuit contractus, qualitas & domicilium partium contrahentium, imo etiam an contractus manè vel à prandio fuerit celebratus?

5. Ex Senatusconsulto Parlamenti Parisiensis de dato 5. Septemb. 1680. prohibitum est Notariis sub *pæna cassationis* scribere quemcumque actum, quo mares & foeminae mutuo sese in maritos & uxores accipiunt.

6. Notarius conficiens falsa Acta, ultimi supplicii reus agnoscitur. Et quando in instrumento à se conscripto scribit; ea bona, quæ sibi ipsi fuerunt hypothecata, esse hypothecata personæ tertiæ fictæ, amittit hypothecam suam utpote à se non manifestatam.

7. Solis Notariis Castellanae Parisiorum curiæ jus competit conficiendi inventaria in Urbe Parisiensi ejusdemque suburbiis.

8. Notarii non possunt ad acta admittere testamenta illa, in quibus ipsimet insituuntur Legatarii. Interim tamen consuetudo Urbis Parisiensis, quæ testes prohibet quò minus legatarii esse possint, Ordinationes tamen Aurelianenses, & Blesenses non loquuntur de Notariis.

9. Nullus Notarius potest extradere partibus sua scripta prototypa, seu Archetypos commentarios procurationum, quas vocant *ad resignandum*, nec etiam procuratores expeditionarii, pro curia Romana constituti eosdem mittere Romam possunt sub pœna 500. librarum multæ nomine persolvendarum. Idem Notarius non potest extradere bis tabulam authenticam ex iisdem archetypis commentariis excerptam, ne quidem partibus interessatis, absque præscitu & Decreto Judicis.

10. Omnis contractus à Notario non signatus, imperfectus est & nullus, & ne quidem vim hypothecæ habet.

11. Quidquid Notarii apponunt in margine instrumentorum, debet sub pœna nullitatis signari chirographo tam partium contrahentium quam testium si sciant scribere.

12. Notariis non nisi post partes interessatas licet signare sua instrumenta & acta.

13. Divisiones bonorum seu partitiones voluntariæ debent fieri coram Notariis; verùm lata coram partibus, causâ utriusque dictâ, indicia in ordine ad executionem sententiæ tribuni Capitalis Castellanae Parisiorum curiæ debent fieri coram Notariis præfatae curiæ.

14. Notariis Parisiensibus competit jus conficiendi instrumenta per totam Galliam. Eadem prærogativâ gaudent Notarii Urbium Aureliani & montis Pessulani, qui tamen Parisiis nullum possunt scribere actum aut instrumentum in judicio validum.

15. Notarius scribens contractum vel alium actum validum non potest esse pars contrahens. Tantùm in Belphinatu toleratur hic abusus.

16. Notarii subalterni non possunt conficere instrumenta nisi pro partibus suæ jurisdictioni subjectis sub pœna nullitatis instrumenti & rationis reddendæ de damnis & præjudicio qualicumque partibus per hoc causato.

17. Quando pars contrahens nescit vel non potest signare actum, Notarius tenetur sub pœna nullitatis actus de hoc facere in scriptura mentionem, hujusque impotentia vel nescientia causam exprimere.

19. Nullus omnino Notarius scribens contractus, aliæve acta, vel acceptans testamenta, potest adhibere testes, qui ætatis annum vigesimum necdum expleverunt, nec etiam scribas hac ætatis prærogativa carentes, sub pœna falsi & nullitatis.

19. In locis in quibus vi consuetudinis per locationem tabellionatus officium potest in alium transferri, ii, quos proprietarius sibi habet à negotio, antequam possint instrumentum conficere, tenentur in judicio deponere juramentum de ministerio suo fideliter exercendo.

20. Notarius dum solus est, nullum potest scribere contractum nisi in præsentia duorum testium, qui cum pariter subscribant. Attamen Parisiis defectum testium potest supplere secundus Notarius. Idem dicendum de testamentis apud Notarios depositis.

21. Notarii non habent potestatem acceptandi donationem inter vivos factam in favorem cujusdam absentis, licet tanquam magistratus publici polleant auctoritate acceptandi donationem per contractum matrimonialem factam in favorem prolium ex tali matrimonio nasciturorum.

22. Debent rationem reddere de omnibus actis, quæ conficiunt super interdictis, quorum etiam habere debent syllabum in tabellario Notariatûs expositum.

Diction. Caf. Conf.

23. Notarii Apostolici, qui simul non sunt etiam Notarii Regii nullam omnino habent potestatem conficiendi & scribendi instrumenta in omni re, quæ directè concernit negotia sæcularia & trajcalia. In iis tantùm causis ministerium suum ipsis licet impendere, quæ in curia Romana pertractanda & expedienda sunt.

CASUS I. Menander Notarius scripsit obligationem vel contractum inter Fulbertum & Anthimum, quem respectu Fulberti sciebat esse usurarium.

R. Absque dubio Notarius hic peccavit mortaliter. Nam 1. quidem fuit principale instrumentum injustitiæ. 2. autem violavit juramentum in sua receptione præstitum, & legem Principis. *Conf. Luccon. tom. 1. Confer. 36. q. 2.*

CASUS II. Lyfimachus juridicè nuper condemnatus tanquam usurarius adit Daniele Notarii manus in loco sui domicilii exereentem, implorans ejus officium pro scribenda in sui favorem obligatione mille librarum; dicens se eam summam commodasse Renaldo quem etiam secum adducebat pro signanda obligatione. Daniel persuasum sibi habens Lyfimachum certè non gratuito elocasse hanc summam, potestne citra peccatum scribere hanc obligationem.

R. Cùm nullus Notarius obligetur recusare suum ministerium pro actu nihil in se continente vicioso, imo etiam teneatur illud impendere tanquam magistratus publicus, Daniel potest absque omni peccato scribere obligationem, ad quam signandam Renaldus sese offert. *St. Beuve tom. 3. Caf. 144.*

CASUS III. Nazarius Notarius decreto supremi Senatus condemnatus fuit tanquam falsarius. Interim tamen scribit contractum venditionis inter Joannem & Jacobum celebrare. Estne validus hujusmodi contractus?

R. Quando Notarius hunc actum scripsit ante suam condemnationem, licet jam judicialiter accusatus, actus est validus. *Sylvest. verb. Falsarius n. 5. quando*

O o o o

au-

autem scripsit post jam latam in se sententiam ob crimen falsi in suo ministerio, & non ex alio capite commissum, actus est absolutè nullus. *Idem q. 4.*

CASUS IV. Hildegardus Diaconus pecuniariorum pretio emit & jam ab anno integro exercet officium Notarii. Ipsi Confessarius vult ipsum adstringere ad renuntiandum huic officio negando eidem absolutionem Sacramentalem. Teneturne in hoc casu obedire confessario suo Hildegardus?

R. Officium hoc nullatenus convenit homini Statui Ecclesiastico mancipato; Confessarius itaque bene agit taliter cum ipso procedendo, & Hildegardus non potest tutam conscientiam continuare exercitium talis professionis respectu negotiorum secularium, quod exercitium ne quidem toleraretur in aliis clericis, qui non sunt in sacris constituti, si gestarent habitum clericalem. *Fagnanus in d. cap. Sicut, n. 28.*

Vide Dominica & Festa. Restitutio Cas. 158. & 159.

CASUS V. Quænam sunt obligationes Notarii?

R. 1. Notarius non potest indicare vel manifestare illos, qui eidem falsi sunt habere se pecunias ad usuram elocandas, neque in illos potest inquirere, qui tales pecunias habent ad usuram destinatas. 2. In instrumento suo non potest summam capitalem unam cum interesse, tanquam unam summam mutuo datam scribere. 3. Quando notitiam habet de conventionem usuraria ipso absente ante conscriptum instrumentum facta, debet abstinere a confessione instrumenti; quando, dum actu scribit instrumentum id ipsi innotescit, debet cessare ab ulteriori scriptura. Quando jam est finita scriptura sed nondum extradita, debet lacerare chartam instrumenti. 4. Quando adest obligatio solvendi statim temporibus neque huic obligationi hætenus fuit satisfactum; si Prætores propterea vellent exigere interesse ex summa capitali, non potest citra peccatum ad eorum requisitionem scribere

novam obligationem, nisi sciat creditorem verum incurrere damnum ob morositatem debitoris. 5. Non tenetur scribere obligationem quam partes volunt vim habere ad dies quindecim, quando scit vel justam credendi causam habere, fore ut quod commodans solutione post finitum terminum non secuta per sententiam judicis faciat sibi adjudicari interesse ex suis pecuniis. 6. Potest scribere obligationem pro summa, ex qua bene se solvendum interesse, licet nulla de hoc fiat mentio in obligatione, neque in summam principalem sit computatum. 7. Potest scribere actum cessionis obligationum, in quibus sub summa principali comprehenduntur etiam interesse, quando non apparet in eadem etiam comprehendendi lucrum ex mutuo, tamen si aliunde hoc sciat: melius tamen faceret si in tali casu sese excusaret. 8. Non potest exprimere in instrumentis erectis ratione pecuniarum, de quibus cavere debent ac spondere tutores & curatores, lucra forsitan esse ex pecuniis à mutuatorio debitis. 9. Peccat scribendo contractum permutationis, vel locationis aut conductionis loco emptionis, si fraudem resciat notarius. 10. Non potest scribere nec signare actum in quo eo sine supprimeretur promissio annuam pensionem alicui domui impositam pacto tempore abolendi, ut hac ratione dominus amittat jus suum, ejusque consanguinei facultatem revocationis, seu jus retractus de quo non extat apud Notarium scriptum originale. 11. Neque etiam potest facere contractum permutationis, & promissi particularis, quæ ambo ex speciali contrahentium intentione separantur ad eludendam legem, vi cujus apud Pictavos jus revocationis locum habet in favorem consanguineorum quando una pars compati solvit certam summam, apud quos etiam territorialis dominus jus suum in talem summam habet. 12. Potest scribere de constituta annua pensione vel censu ex fructibus agrorum solubili, mediante aliqua summa pecuniaria danda illi qui

cen-

censum vel pensionem constituit, quando hic exprimit in contractu frumentum fuisse æstimatum pretio tunc currente, nihil attendendo ad annum fertiliorem vel steriliorem. 13. Potest acceptare confessiones super his pensionibus, quæ chirographo munitæ sunt, factæque in favorem personarum ad eadem jus habentium, quando earum creatio seu constitutio non involvit notabilem injustitiam. 14. Non potest tutam conscientiam scribere obligationes super pecuniis ludendo deperditis. 15. Non potest acceptare obligationem, qua quis promisit redditurum se post anni lapsum frumentum melioris conditionis illo quod commodato accepit, quando aliunde jam certus est speciem frumenti reddendam statutam majore pretio quam eam quæ commodata fuit. In dubio tamen potest recipere talem obligationem. 16. Potest acceptare pensiones pro fructibus nondum perceptis vel in horrea nondum illatis quæ anticipato solvuntur, nisi ratione anticipatæ solutionis usura interveniat. 17. Non potest citra peccati noxam scribere obligationem donationis consanguineis suis factæ pro iis, qui obligationi huic mentitum nomen commodatæ pecuniæ affingunt. 18. Potest acceptare quitantias seu obligationes de accepto, quæ dantur ab aliquo nepotibus & liberis reliquorum consanguineorum super illorum pensione, postquam aliquamdiu in illius domo & quasi potestate vixerunt, modo persona talis aliunde similis obligationis constituendæ sit capax. 19. Viget consuetudo apud Pictavos, ut actio seu incrementum gregis vel armenti sit commune inter proprietarium, illumque, cui custodiendi & nutriendi gregis cura committitur; pecorum porro propagandæ speciei destinatarum jactura pariter communis est utrique parti. Interim tamen fiunt contractus, in quibus partes ultro citroque stipulantur, ut jactura pecorum, quæ pereunt, sit penes custodem gregum; & iterum alii contractus in quibus convenitur, ut incrementum totum soli relinquatur cu-

stodi eo tantum onere ut quotannis pro parte sui lucri pendat novem vel decem libras. Notarius non potest scribere contractus prioris generis utpote injustos & usurarios nec illos 2di generis, quando summa specificata excedit justum valorem partis dimidiæ de incremento. 20. Notario non licet acceptare contractus matrimoniales, in quibus maritus chirographo suo cavet uxori de aliqua summa vel pecuniaria, vel in mobilibus constituta, quæ tamen vi pactorum dotalem nihil ad eum pertinet. Non licet, inquam, nisi lex vel consuetudo hoc approbet. 21. Sciens obligationem aliquam exhiberi sub nomine mutui, vel cessionis, quod vel ex obligatione vel per sententiam debetur, ut nempe res vel bona videantur non amplius esse proprietarii, non potest talia acta scribere. 22. Absolutè loquendo potest scribere acta illorum, quorum bona sunt sub Decreto, & qui sub nomine mutui eadem sibi faciunt adjudicari, ut postmodum possint locare iis, qui nomen suum commodarunt, tamen inde plus recipiant quam dederunt, quando satis certus est nullum subesse dolum malum vel imposturam. Quod si verò hoc posterius certius ipsi videatur, nullatenus sese debet intromittere. 23. Potest scribere obligationem in favorem alicujus creditoris, cui debitor ultro consentit solviturum se censum ex aliqua summa, quam reddere non potuit elapso constituto tempore, quando debitor fuit citatus ad audiendam sententiam de censibus persolvendis. 24. Non potest scribere contractum ab eo locationis à tali initum, qui mutuas dedit pecunias suas privatis quibusdam, merces suas pro viliori pretio recognitionis seu gratitudinis ipsi concessuris. 25. Potest signare venditiones frumentorum, quæ promittuntur tradenda post duos vel tres menses, quæque leviori decem vel 12. denariorum per singulos modios pretio venduntur, quam tempore traditionis valitura sunt. 26. Non potest salvam conscientiam scribere contractus emptionis,

ventionis, obligationis quas minores in commodum aliarum personarum in-eunt. *Lamet.*

CASUS VI. Notarius potestne secundo loco subsignare actum, cum ipsemet eisdem praesens non fuerit?

R. Non potest hoc facere; debet saltem antea perlegere scripturam. *Lamet.*

CASUS VII. Notarius diebus Dominicis & Festis conficit & scribit instrumenta. Potestne inde exigere vel acceptare pecunias?

R. Potest. Si vero habeat alia bona, extra suum officium Notariatus, ex quibus possit subscribere, bene faceret, si in pauperes saltem partem aliquam hujus lucri erogaret.

CASUS VIII. Quisnam modus est observandus Notariis in instrumentorum confessione?

R. Possunt & debent illa conficere juxta consuetudines & leges suae Patriae. Illos qui contractus ineunt, tenentur instruere, quanta sit vis, & quales sint effectus obligationum quas suscipiunt in se per clausulas contractus, quando vident, contrahentes de similibus minus bene informatos esse; multoque magis ad id tenentur circa personas simplices & ignorantes, qui nihil omnino in jure & rebus forensibus intelligunt. Cum fidei commissum sint contra leges, Notarii nunquam debent consentire ut fiant contractus vel pacta fidei commissaria. Omnes qui ad talia pacta cooperantur, vel consentiunt, in solidum tenentur ad restitutionem iis faciendam, ad quos bona legata ex dispositione legum debent pertinere. *Lamet.*

Vide *Pontas.*

NOVITIATUS.

1. *Novitatus* est tempus illud probationis, intra quod probantur illae vel illi, qui cupiant admitti ad professionem religiosam. Regulae in admittendis ad professionem Novitiis observandae satis notae sunt. Post assumptum habitum debet No-

vitius per annum integrum sustinere Novitium; professio enim ante finitum hunc annum emissa nulla foret. In aliquibus ordinibus religiosi Novitatus extenditur ad duos annos a die suscepti habitus computatos.

CASUS I. Novitius emisit professionem in anno Bissextili, non expectato die post secundum bissextum.

R. Professio est nulla, cum Novitius completus non sit. *Fromageau.*

CASUS II. Novitius quidam egressus est ex suo monasterio in quo habitum assumpsit.

R. Quando egressus est cum sui Superioris consensu, non censetur interrupisse suum Novitium; tales egressus Superiorum scitu & auctoritate facti nullum ipsi tribuunt jus recurrendo Romam annullandae professionis gratiam. *Fromageau.*

CASUS III. Sanctimonialis Novitium suum fecit in duobus monasteriis ejusdem Ordinis.

R. Cum hoc factum sit ex Superiorum dispositione, potest utique admitti ad professionem. *Fromageau.*

CASUS IV. Novitia quaedam ad finem anni Novitatus egressa est ex suo monasterio sanitatis recuperandae causa. Teneturne post reditum suum ad conventum eundem ex toto reincipere, ut ad professionem admittatur?

R. Potest admitti quin teneatur reincipere suum Novitium. *Lamet.*

Vide *Pontas.*

NOVITIUS.

1. *Novitius* vocatur illa vel ille, qui statim religiosum amplexus est, quique inchoavit annum probationis quem praescripsit Ecclesia, antequam liceat emittere professionem Religiosam solemnem.

2. Annus Novitatus debet computari a die suscepti habitus Religiosi, debetque esse penitus completus absque ulla interruptione, nisi ex gravissima causa a Superiore approbata.

3. Ut

3. Ut Novitius possit admitti ad professionem debet habere annum aetatis decimum sextum completum.

4. In casu quo Religiosus transfertur ex uno ad alium conventum postquam jam in priore conventu per annum sustinuit Novitium, consuetudinis est ut admittatur dispensatio Papae, qua ipsius Novitatus ad semestre reducitur.

5. Omnis professio tacita in hoc consistens quod quis portaverit habitum Novitii longo tempore post factum Novitium, est juxta Jurisprudentiam Regni Galliarum absolute nulla. Ut enim professio religiosa sit valida, debet esse expressa.

6. Novitius expleto anno aetatis suae potest intra duos menses ante professionem disponere de bonis suis, nisi consuetudo plures quam 16. annos requirat; non tamen potest disponere in favorem sui monasterii (in Gallia).

7. Novitii non possunt sibi reservare ex suis bonis pensionem usufructuariam vitalitiam.

8. Sub nullo peccato vel poena Canonica tenentur observare regulas & statuta Ordinis quem ingressi sunt. Solammodo tenentur obedire illi, qui est ipsorum Superior, & observare, quae Novitiis a regula praescribuntur.

9. Acta Novitium & professionum debent (in Gallia) scribi una continua serie nullo spatio vacuo intermedio relicto, debentque signari a Superioribus vel a Superiorissis monasteriorum, ab illo qui habitum religionis assumpsit vel professionem emisit, simulque a duobus proximis consanguineis vel amicis qui coere moniae assumpti habitus vel professionis interfuerunt. Registra, in quae acta haec referri solent, debent notari per singulos numeros & capita consueti chirographariis symbolis Episcopi dioeceseos vel dictorum Superiorum aut Superiorissarum.

CASUS I. Sede Abbatiali cujusdam monasterii actu vacante, Maria pro impetrando habitu religioso sollicitat. Impe-

trat hunc ab Episcopo dioeceseo, cujus jurisdictioni abbatia illa subest, sola sua auctoritate eundem ipsi conferente.

R. Episcopus hic non potuit puellae illi conferre habitum, nec ad eum suscipiendum poterat admittere nisi postquam a tota communitate fuit suscepta. In praesenti vero casu neque communitati compete-bat jus recipiendi Novitias; sede utpote Abbatiali vacante. *St. Beuve. tom. 2. cas. 179.*

CASUS II. Florianus decem abhinc mensibus Novitium ingressus tentatur redire ad saeculum. Vadit ergo ad quemdam suorum amicorum cum certo proposito deponendi habitum religionis, quamprimum nactus fuisset habitum saecularem, quem eodem ipso die recepturum se sperat. Interea vero temporis Superior monasterii ipsum perquirens apud praefatum amicum invenit, & multa verborum lenitate delinito persuadet, ut ad conventum reverteretur. Ultro, libentique animo obsequitur Novitius sincerè dolens quod tentationi succubuerit: opusne est in tali casu ut Novitium suum de novo incipiat, an vero sufficit ad professionem valide emittendam, ut duos menses adhuc superstites compleat?

R. Si Novitius nullum exercuisset actum continuationi sui Novitatus contrarium, juxta vulgatum proverbium: *parum pro nibilo reputatur*, non obligaretur eundem de novo inchoare; verum cum discedendo ex conventu renuntiaverit Continuatione Novitatus & proposito vivendi sub obedientia sui Superioris, proverbium allegatum amplius locum habere nequit. *Sylvius resol. var. v. Novitius 3. & apud eum Sanchez l. 5. in Becal. c. 4. n. 31. &c.*

CASUS III. Romualdus continuato per novimestre suo novitatu, jamque fastidians hoc monasterium proprio motu aliud ejusdem ordinis, septem inde leucis distans ingreditur, nunquam deposito religioso habitu, & absque alia interruptione quam quinque vel sex horarum. Expleto in hoc

secundo conventu trimestri admittitur ad vota solemnia. Estne valida ipsius professio?

¶ Est planè nulla ex defectu temporis pro Novitiatu requisiti. *Novarr. lib. 3. consil. cons. 17. item consil. 19. & 29.*

CASUS IV. Genucius aspirans ad statum religiosum ingreditur monasterium S. Iusti primo Januarii, ibique per sex menses vacat omnibus functionibus & exercitiis Novitiatus, in habitu tamen sæculari, die primùm Julii primo religionis habitu indutus: potèstne expletis sex mensibus emittere professionem validam? censeretur etiam validè professus, si transacto in monasterio cum habitu religioso semestri, inde egressus in sæculo per tres menses commoraretur, indeque iterum rediens ad suum conventum per alios sex menses in habitu religioso conversaretur?

¶ 1. Genucius censetur tantùm per sex menses fecisse Novitiatum, ideoque non potest validè profiteri. 2. Æquè parum validè potest profiteri interrupto per tres menses suo Novitiatu. *Innocent. III. in cap. ad apostolicam 14. de regul. & transeunt. ad relig. lib. 3. tit. 31.*

CASUS V. Spiridion assumpsit habitum Novitii. Sed cum crederet; à Novitiorum magistro nimio secum rigore agi in Confessione Sacramentali; secum deliberat alium accedere Sacerdotem ejusdem conventus, ab Episcopo tamen approbatum: potèstne hoc facere in conscientia?

¶ Libertas hæc non potest ipsi permitti juxta *Laurent. de Peyrinis de Offic. Prælati regul. q. 3. c. 1. n. 202. fundantem se in Bulla Clementis VIII. Regularis 84. §. 28.*

CASUS VI. Euthalia inchoato suo Novitiatu, post sex menses cogitur una cum aliis monialibus fugere ex conventu ob incursionem ab hostibus obsidione capta vicina urbe factam, insuper hæc Novitia discessit cum consensu suæ Superiorissæ & Episcopi, manens nihilominus semper sub obedientia dictæ Superiorissæ. Bello hoc

primùm post anni lapsum finito non potuit citius cum securitate reverti ad conventum explendi sui Novitiatus gratiâ. Satisne, si compleat semestrem quod adhuc reliquum erat, quando à conventu discessit?

¶ In hac hypothesi potest ipsa omnino admitti ad professionem, si nulla substat alia causa, quæ ipsam indignam reddat; nec obligatur per alios sex menses manere in Novitiatu. *Sylvius resolut. var. v. Novitiatu & apud cum Suarez. tom. 3. de Relig. l. 5. c. 14.*

CASUS VII. Eugenia Religionem ingressa, suscepta fuit ad probationem Ordinis ante 10. vel 11. menses. Sed velò acceptò adeo variis infirmitatibus continuò affligitur, ut vix spes appareat ipsam onera religionis ac regulæ diutius ferre posse. Interim tamen instantissimè magnòque cum fervore rogat admitti ad professionem; & ne domui suæ oneri sit, promittit ampliorem dotem quàm antea promiserat. Potèstne virgo hæc tutâ conscientia admitti ad professionem?

¶ Si aliàs egregiis dotibus prædita sit, quæ possit compensare ipsius infirmitates corporales, simulque ducat vitam sanctam & exemplarem, potest admitti. Promissio porro Eugeniæ de augenda sua dote, facta non eo fine ut ad professionem recipiatur, sed præcisè ideo ne parthenoni oneri sit, nihil vitiosi nec digni vituperatione habet. *St. Beuve tom. 1. cas. 50.*

Vid. *Abbas. Cal. 4. & 5. Abbatissa. Cal. 1. & 2. Approbatio Cal. 15.*

NUMMULARIUS.

1. *Nummularii* ii dicuntur, qui certam pecuniæ summas in regione externa cuiusdam numerandas curant, aut ab una urbe in aliam dirigunt, idque ope procuratorum, quos ibi habent, aut per literas cambiales; ex quo labore modicum lucrum reportant; tum pro cura ac sollicitudine, quam adhibent; tum propter pericula amittendæ pecuniæ, quæ subeunt; tum

etiam

etiam pro expensis, quas propterea facere tenentur.

2. Edictum generale de anno 1673. in Regno Galliarum sequentia circa nummularios statuit. 1. Ut habeantur pro majoribus, etiam si adhuc minores forent; ac per consequens nunquam possint obtinere literas restitutionis ad annihilandum aut ad suspendendum effectum obligationum, quas contraxerunt, antequam majores evaserint. 2. Ut habeant codicem fideliter ac in forma consueta confectum, in quo ratio negotiationis, literæ cambiales, debita tam activa quàm passiva, ac omnes expensæ contineantur. 3. Ut obtinere nequeant prorogationem termini, quo solvenda pecunia, nisi in Tabulario forensi deposuerint statum authenticum & exactum omnium suorum bonorum, mobilium & immobilium, ac debitorum, nisi que creditoribus registra sua ac codices exhibuerint, si ab illis exigatur. 4. Denique, ut, si in fraude deprehendantur, excidant Beneficium accessionis bonorum, omnique spe priventur admissionis ad illud.

Vide *Campfor.*

3. Nummularii in Curia Romana fant ii, quibus solis conceditur potestas requirendi, obtinendi, ac per suos Procuratores expediendi, Bullas Romanas, Provisiones, Rescripta &c.

4. Edictum mensis Martii 1673. Rex eos creavit sub Titulo officii hæreditarii in omnibus Galliarum Urbibus, in quibus Curia aut forum præsidiale existant. Per sententiam à Majori Consilio anno 1655. latam prohibentur ullas Beneficiorum provisiones, etiam jure devolutionis, sibi ipsis, ut liberis suis, sive Avenione, procurare.

CASUS I. *Galerius* Nummularius exercet commercium cambii, cumque summam 500. florenorum Genevæ cuidam solvendam curasset, recipit ex hoc negotio aliquod lucrum, licet totus ipsius labor in eo positus fuerit, quod scripserit ad amicum quempiam aut mercatorem ur-

bis illius, à quo solvenda erat hæc summa, sive debita prius *Galerio*, sive ab hoc ad mandatum illius vicissim solvenda alteri.

¶ Hoc lucrum, modo non sit immoderatum, justum est ac legitimum. Ratio est 1. quia tenetur ferre damnum in casu, quo perderetur hæc summa. 2. Quia ipsi labor incumbit, ac expensæ faciendæ sunt pro translatione pecuniæ; & licet in hoc casu translatio pecuniæ nullo labore, nec expensis constiterit *Galerio*, non potest tamen injustitiæ argui, aut de usura condemnari, si modicum lucrum recipiat; quia subit periculum amittendæ pecuniæ; facilitas autem, qua hanc summam solvendam curat, propriæ ipsius industriæ adscribenda. Notandum autem, usurarium fore, si *Galerius* majus lucrum reciperet retardatæ solutionis causâ, quod posset contingere ex parte illius, cui dedit literas cambiales; aut si se obligaret ad solvendum interesse, si summa 500. florenorum non solveretur tempore designato. *Pontas.*

CASUS II. *Guarinus* cum opus haberet 100. Ducatis, eos petiit à quodam Nummulario Florentino, ac sub hac conditione obtinuit, ut eos post decem dies redderet in eo valore, quem tunc haberent Venetiis, utque, si *Guarinus* eos diutius servaret, tempus solutionis prorogetur de mense in mensem sub nova semper litera cambiali, iisdemque conditionibus. Accidit autem, ut elapsò terminò 100. Ducati Venetiis sex plus valerent, quàm valebant Florentiæ. Estne hoc lucrum Nummularii legitimum?

¶ Juxta S. Antoninum hujusmodi commercium communiter censetur usurarium; eoquod tantum exerceatur ob spem lucri exinde capiendi. 2. *part. Summæ Theol. tit. 8.*

CASUS III. *Bernardus* Nummularius exercet cambium, quod vocatur, temporis præfiniti aut solutionis, quale exercent mercatores in foro argentario, qui dant 1000. florenos post tres menses solvendos cum

eum duobus aut tribus pro centum, & sic à trimestri in trimestre.

R. Cum hoc lucrum tantum recipiatur ob dilationem solutionis, ac per consequens sub-ratione mutui, hæc cambii species veram usuram continet, Bernardusque hoc cambium ea intentione exercens peccat. Si tamen Bernardus negotiationem exerceret, excusari posset ratione lucri cessantis, & damni emergentis. *Pontas.*

CASUS IV. Bombardus dives nummularius cum in se suscepisset prægrandes summas Statui subministrandas, ac insuper plura alia maximi momenti negotia ipsi gerenda essent pro bono commercii sui, hæcque omnia ex præsentis sua pecunia præstare non posset, notabiles pecuniæ summas ab aliis privatis personis recipit mutuas, datoque vicissim syngrapho se obligat ad solvendam fixo tempore summam, ac interea consuetum legibus determinatum interesse; dum tamen ipse ex summa Regi subministrata recipiat interesse decem pro centum.

R. Lombardus non potest tutâ conscientia pecunias accipere mutuas cum interesse solvendas, ut mensam suam argentariam sustineat. Absolutè tenetur se conformare sententiæ Confessarii sui, obligantis ad restitutionem, eoquod hæc absque usura fieri non possint; non obstante, quod dicat, periculum se subiisse. Tenetur itaque lucrum integrum ex pecuniis mutuo acceptis reportatum, tanquam usurarium restituere illis, à quibus id percepit. *Pontas.*

NOTA. Cum valor periculi à nummulario in se solim recepti sit duplo major in Lombardo, quam in aliis mutuantibus, & ratione periculi justè accipiatur auctarium ultra sortem, Lombardus non est obligandus ad restituendum lucrum. Vide Tit. *Mutuum Cas. 1.*

NUNDINÆ.

Vide *Dominica & Festum, Cas. V. XI. & XII.*

O.

OBEDIENTIA.

1. Obedientia est virtus disponens hominem ad exequenda mandata sui Superioris. Theologi distinguunt inter materiale, & formalem obedientiam. Materiale, definiunt, quod sit: *Virtus inclinans ad executionem precepti, non quâ precepti*: formalem verò: quod sit *virtus inclinans ad executionem precepti Superioris, quâ preceptum est.*

2. Obedientia involvit obligationem indispensabilem obediendi in omnibus quæ justa & rationabilia sunt, non solum Superioribus Ecclesiasticis, verum etiam omnibus Superioribus laicis: *Non est potestas, ait Paulus Apostolus, nisi à Deo, & S. Petrus: Subjecti estote omni humanae creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis.* Et sic quilibet fidelis tenetur obedire in omnibus quæ concernunt animæ suæ salutem, dogmata fidei, & regulas conscientiaæ suo Confessario, suo Parocho, & suo Episcopo. Quilibet Clericus obligatur præstare sinceram & perfectam obedientiam suo Prælato, quilibet Religiosus suis Superioribus in omnibus quæ concernunt observantiam regularem, liberi suis parentibus, famuli & ancillæ suis Dominis, ac tandem quilibet homo statui politico subjectus debet obedire statutis & legibus sui principis, adeoque etiam mandatis Ducum, ministrorum, & judicum politicorum sui principis, tam civilium quam militarium.

3. Ex prima præsentis tituli decisione intelligitur, in quibusnam circumstantiis aliquis juxta doctrinam *D. Thomæ* excusetur ab obedientia suis Superioribus exhibenda.

CASUS I. Parochus quidam in conscientia publica proponit, an inferior semper teneatur sub reatu peccati obedire suo legitimo Superiori in omnibus rebus? quidam absolutè & indiscriminatim tenent affirmativam, reliqui contrariam tuerent sententiam.

R. Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 104. Art. 5. in corp.* potest duobus modis contingere ut inferior non teneatur in omnibus obedire suo Superiori. 1. Quando à Superiore Superioris, inferiori id fuit prohibitum. In exemplo: Parochus præcipiat quidpiam, licet justè suo vicario, si Episcopus prohibuerit vicario illud exequi non debet hic obedire suo parochi. Prior monasterii quidpiam tamen justè imperet religioso subdito, non licet huic parere mandatis Prioris invitis Provinciali vel Generali, aut quando hic expressè obedire prohibent. 2. non tenetur quis obedire suo superiori, quando præcipit quidpiam, in quo eidem subjectus non est; veluti si prohiberet cogitare de aliqua re, quæ de se mala non est.

Ut teneatur quis obedire oportet imò, ut Superior præcipiens sit legitimus, & Canonicè institutus. 2do, ut nihil quod sit de se malum, & præceptis Dei, aut Ecclesiæ contrarium jubeat. 3tio, ut nihil præcipiat nisi quod est de ejus potestate. Ex quibus sequitur non deberi eidem obedientiam quando viâ injustâ & legibus contraria ad superioratum pervasit, vel quando injungit peccaminosa, vel talia ad quæ auctoritas ipsius sese non extendit. *S. Thom. in 2. Sent. dist. 44. q. 2. art. 3. in corp. & ad 1. 2. 3. 4. & 5. item quod &c. 2. q. 5. art. 9. in corp.*

CASUS II. Æmilianus Superior Ecclesiasticus Petro subdito suo injungit rem, eidem à Superiore laico prohibitam.

R. Utraque potestas Ecclesiastica & secularis est à Deo. Certum est potestatem sæcularem non esse subjectam Ecclesiasticæ potestati, nisi in quantum illam huic Deus subditam esse voluit. Sed Deus illam huic, non subjecit nisi in rebus ad salutem pertinentibus. Petrus itaque non tenetur præferre jussa Superioris Ecclesiastici nisi in rebus æternam animæ salutem spectantibus: in omnibus aliis rebus debet magis ac prius obedire Superiori sæculari. Quod si verò utraque potestas in eodem Superiore resideat, nulla utique *Diction. Cas. Consc.*

fieri potest & facienda est distinctio. *S. Thomas in 2. Sentent. cit. dist. 44. q. 2. art. 4. ad 4.*

CASUS III. Leontius Religiosus estne obligatus vi voti obedientiaæ ad obediendum Superiori suo præcipienti sibi rem quampiam contra regulam Ordinis, vel quæ in praxi tendit ad majorem rigorem quam regula intendit & præscribit?

R. Indubitatum est Religiosum in neutro casu obligari. *S. Thomas quodlib. 10. art. 10. in corp. item in 2. sentent. dist. 44. q. 2. art. 3. ad 3.*

CASUS IV. Basilius Superior certi monasterii *Benigno* subdito suo religioso præcipit rem, circa quam dubitat an in conscientia teneatur obedire.

R. Dubium *Benigni* respicit vel ipsam personam Superioris, vel rem ab eodem præceptam? Si *primum*, debet tollendi sui dubii gratiâ se conformare opinioni communiori & magis receptæ reliquorum religiosorum: ita ut si pars major ipsum agnoscat tanquam Superiorem legitimum, licet nonnulli ut talem ipsum non reverentur, teneatur obedire. Si *secundum*, & non possit deponere suum dubium circa rem, quam ipse judicat posse esse non licitam, debet consulere virum doctum, cui aliunde nullam debet obedientiam, & si posthæc dubium necdum sit sublatum, non tenetur obedire. *S. Thomas 1. 2. q. 96. art. 6. in corp. & ad 2.*

CASUS V. Chrysologus Abbas regularis Religiosis suis imperat res ab ipsorum Diocesano prohibitas.

R. Quando res ab hoc Superiore imperatæ simpliciter respiciunt solam disciplinam *monasticam*, tenentur in conscientia eidem obedire in omnibus, quæ ad eandem disciplinam pertinent, quod si verò concernant disciplinam *Ecclesiæ*, tenentur obedire Episcopo, qui utique habet jus factam tectam conservandi in tota sua Diocesi disciplinam Ecclesiasticam ejusque urgendi observantiam, Regularibus nullatenus exceptis, uti clarè colligitur ex De-

Pppp cre-

cretis Tridentini Concilii *sess. 25. de Regul. & Monachis c. 11. 12. 13. 14. & 22.*

CASUS VI. *Hidulphus* Religiosus Ordinis reformati vult interdum scribere literas ad suum Diœcesanum, cui monasterium, in quo regulam proficetur, subiectum est. Expressè ac severè hoc prohibet ejus Superior, nisi tam literas à se exaratas, quàm responsa ab eodem accepta, Episcopo ad legendum exhibeat.

R. Religiosus hic non tenetur in conscientia Superiori suo exhibere ad legendum literas quas ad Episcopum, à cujus jurisdictione dependet monasterium, mittit, nec eidem tenetur communicare responsorias ab Episcopo acceptas. *Sylvius resol. variar.*

CASUS VII. *Josephus* Procurator cujusdam monasterii sacramentaliter confitetur *Hieronymo*, seque accusat, disposuisse sese propriâ sua autoritate de summa valde notabili, quam clanculum sibi reservaverat. Id Subodoratus Abbas regularis *Hieronymo* confessario præcipit, ut sibi manifestaret singula quorum scientiam habeat. Renuit obedire *Hieronymus*, non obstante licentia à *Josepho* obtenta, declarandi omnia & singula si ex re fore id arbitraretur.

R. *Hieronymus* confessarius non tenetur obedire Abbati, nisi jam aliunde quàm ex Confessione, rei hujus notitiam habeat, licet *Josephus* in sui manifestationem expressè consenserit. Si verò aliunde id rescivisset tanquam rem jam extra dubium positam, posset hoc manifestare, cavendo tamen, ne diceret; ex confessione hæc sibi innotuisse. Quin imo requiritur etiam, ut hoc fieri possit absque scandalo exinde secuturo. Ea quæ tractantur ac geruntur in foro pœnitentiæ, nullo prorsus modo pertinent ad forum externum, nec ad hoc relationem ullam habere debent. *Palud. in 4. dist. 21. q. 3. & idem ibid. art. 3.*

CASUS VIII. *Athanasius* Superior cujusdam monasterii graves ob causas suspicatur quempiam ex suis Religiosis com-

mississe peccatum grave contra votum paupertatis. Injungit Juniorum magistro, qui scit Religiosum illum revera peccati hujus reum esse, ut rei totius ac delicti feriem sibi exponat.

R. Quando Religiosi hujus peccatum est penitus occultum, nec quispiam saltem cum fundamento de hoc suspicari potest, Juniorum magister non tenetur in conscientia obedire Superiori. Si verò jam in plurium notitiam res pervenerit, vel ob violentas suspiciones jam orta sint scandala, tenetur manifestare delictum. *S. Thomas quodlib. 4. q. 8. Art. 12. item 1. art. 16. in corp.*

CASUS IX. *Florentinus* Religiosus in pleno capitulo accusavit quemdam suorum confratrum de gravi peccato contra vota monastica commisso. Superior præcipit omnibus delicti notitiam habentibus, ut ea, quæ vera esse scirent, palam edicerent.

R. Superior hic habet jus obligandi suos religiosos ut comperta sibi manifestent. Idem potest præcipere quando agitur de peccato de quo proximè perpetrando jamjam Consilia inita sunt, necdum tamen hucusque in opus externum prodit. Imo datur obligatio illud Superiori manifestandi etiam non expectata, desuper ipsius jussione, quando facile prævidetur, tale peccatum vergere in damnum vel spirituale vel temporale plurium aliorum. *S. Thomas quodlib. art. 26. in corp.*

CASUS X. *Mauritius* Visitator cujusdam monasterii fœminarum grave habet fundamentum suspicandi unam aliquam ex monialibus grave commisisse peccatum contra votum aliquod substantiale. Ipsam propterea examinat in particulari, jubetque, quod verum est, fateri.

R. Monialis hæc non obligatur fateri suum peccatum; non enim vovit obedientiam absolutam & cæcam, sed justam & rationabilem. *S. Paul. Rom. 12. v. 2.*

CASUS XI. *Vindomius* Parochus Bynastæ suæ parochiæ impendit correctionem fraternam corripiendo eundem in-

se & ipsum solum ob depravatos & scandalosos mores, atque hac sua discretionem procuravit ejus conversionem. Episcopus brevi post certior factus de dissolutiore vita hujus toparchæ accersivit ad se parochum sciendæ veritatis gratiâ. Vindomium fixum ratumque est conservare famam Bynastæ, sed urget Episcopus & imperat parochum, ut ea quorum notitiam habet, nihil occultando sibi aperiat.

R. Doctissimus *Gerson de correctione proximi* putat, parochum hunc ob obedientiam quam debet suo Episcopo, posse eidem citra peccatum aliquod manifestare crimen hujuscemodi hominis tametsi jam placè emendatum. Verum debet bene attendere. 1. Ne illud manifestet in præsentia illorum, quibus præterita ipsius vitæ licentia adhuc potest esse incognita. 2. Ne illud manifestet, quando persuasum non habet ex gravibus rationibus Episcopum non habere præ oculis bonum spirituale hujus toparchæ, sed agere ex mera tantum curiositate, quippe cum talis curiositas non possit non displicere Deo. *Pontas.*

CASUS XII. *Robertus* presbyter, filius *Leonardi* tenetur obedire in conscientia patri suo jubenti interdum ut pro se missam celebret dum viæ sese parat pro itinere quod non raro solet facere. Vel potestne hoc recusare licet nullam habeat causam non celebrandi vel non applicandi?

R. Tametsi possit contingere ut *Robertus* peccet contra charitatem, dum adest occasio exercendi actum notabilem charitatis erga suum parentem, quando verum est ipsum non habere legitimam causam abstinendi à celebratione; potest nihilominus dici ipsum non peccare contra obedientiam patri debitam. In casu de quo agitur *Robertus* debet attendere & obsecundare internis motibus gratiæ suæ dum missam celebraturus est, & nequitiam ex solo motivo complacentiæ. *Pontas.*

CASUS XIII. Homo quidam nobilis turpe exercet commercium cum *Julia*;

dumque ad ipsam invisit, semper sibi assumit pedisequum, unum ex famulis suis. Hic nequitiam ignorans turpem consuetudinem heri, eam ex animo detestatur, sed ægrè dimittens conditionem quam apud herum hunc habet optimam, petit ex confessario, an licitè possit obedire domino suo jubenti secum domum *Amaliæ* accedere; an verò potius teneatur domino simul & famulatio valedicere, quàm hujusmodi imperata facere.

R. *Æstimo*; famulum hunc obligari in conscientia ad derelinquendum servitium *Egberti* posito, quod non possit obtinere exemptionem ab hoc mandato comitandi herum. Exponit quippe se periculis peccandi per cogitationes obscenas, vel etiam per carnalia desideria. *Pontas.*

NOTA. Etiam cessante personali periculo repugnat honestati nominis Christiani, sponte servire in malum cum *Apostolus* 2. Cor. 5. v. 11. scribat: *Scripti vobis: ne commisceamini fornicariis. Si quis inter vos fornicator, aut idolis serviens cum bis nec cibum sumere.*

CASUS XIV. *Alphonus* sexdecim annos natus veniam sibi à patre expetiit religionem ingrediendi. Renuit hoc pater, imo expressè & absolutè prohibet, ne ante annum ætatis 18. ingrediatur.

R. Si *Alphonus* verè sit vocatus ad statum religiosum, evidens est ipsum non teneri attendere prohibitionem patris, potestque quidquid contradicat pater, Religionem amplecti. *S. Aug. Epist. 143. aliis 38. n. 9.*

CASUS XV. *Polixena* filia *Milonis*, annorum viginti, absque ambagibus declarat patri, se nequitiam inclinare ad statum religiosum, simulque constanter recusat inire matrimonium. Milo absolutè & cum imperio jubet ut vel claustrum vel nuptias eligat.

R. In simili occasione omnino non tenetur obedire patri. Superna Numinis vocatio est sola regula quam sequi oportet. *S. Thomas 2. 2. q. 104. art. 5. in corp.*

CASUS XVI. *Mathurinus*, Superior *Claudio* subdito suo prohibet prosequi

opus bonum aliquod, quod jam jam inchoaverat.

R. Si opus hocce bonum est obligationis indispensabilis, Claudius non tenetur obedire suo Superiori, imo peccaret obediendo; quando verò non est strictæ obligationis, potest interdum obligari ad illud differendum, si ita Superior præcipit, imo illud continuando peccaret contra obedientiam Superiori debitam. *S. Thomas 1. 2. q. 104. art. 3. ad 3.*

CASUS XVII. Potestne Superior præcipere quidpiam quod est ultra regulam, vel quòd non est à regula præceptum.

R. Non potest præcipere talia. Monialis non potest obligari vel cogi ultra id quod vovit. Prohibitum est in Bulla Urbani VIII. cogere moniales ut ex uno cœnobio ad aliud transeant. Quare non sunt mittendæ ad alios conventus si nolint.

NOTA. Responsio hæc est nimis indefinita. Aliud est lex generaliter omnes obligans, & novam austeritatem notabiliter majorem invehens; & aliud est mandatum particulare.

OBLATIO.

1. Oblatio potest definiri, quòd juxta Canonum dispositionem sit *voluntaria & spontanea præstatio, quam Christiani Sacerdotibus ad obtinendam facilius placationem divinam pro peccatis suis offerant.*

2. Oblatio ordinariè fit post Evangelium missæ parochialis.

3. Oblationes principaliter debentur parochio, neq̄ veniunt in computationem portionis congruæ; vel partis tertiæ quæ pro reparationibus debetur.

4. Parochio nulla competit actio contra illos, qui recusant facere oblationes; interim tamen si non posset honestè subsistere absque tali juvamine, procul dubio daretur obligatio, succurrendi per oblationes ipsius recessitatibus juxta *S. Thomam 2. 2. q. 86. art. 1. & 4.*

5. Oportet, ut fideles dum dona sua ad altare offerunt, simul etiam interno aliquo

acta animam, cor & bona sua Deo offerant & consecrent.

CASUS I. *Bomitus* parochus, & *Jodocus* Vicarius per aliquot abhinc annos notabilem summam perceperunt, ex oblationibus, vel ex Sacramentorum administratione; possuntne de hujusmodi pecuniis disponere pro lubitu suo?

R. Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 86. art. 2. in corp.* Clerici tantum sunt Depositarii & Dispensatores talium bonorum, non autem proprietarii. Adeoque *Bomitus* & *Jodocus*, quæ talibus titulis perceperunt, tenentur expendere 1. ad propriam suam sustentationem. 2. Ad conversationem eorum, quæ ad cultum divinum pertinent. 3. In subsidium & levamen pauperum.

CASUS II. *Pompejus* toparcha alicujus parochiæ quia sine multis & magnis incommodis hyemali tempore non potest accedere ad Ecclesiam parochialem cum licentia Episcopi in suo castro fecit extrui Sacellum, in quo fundavit Sacrum quotidie celebrandum à suo Capellano domestico. Ingens quotannis hominum agrestium multitudo in Festo Patrocinii ad Sacellum hoc peregrinantur, ibique post Sacrum dona sua offerunt, eaque vel Altari imponunt, vel in pelvim mittunt impostam mensulæ ad latus Altaris collocata. Oblationes hæc Capellanus jam à viginti annis sibi vendicat, quas econtra novus Plebanus illius parochiæ suas esse præterdit.

R. Homines accolæ & rustici dum hæc oblationes faciuntne quidem cogitant de parochio, censenturque habere intentionem, quòd in commodum celebrantis cedant, ad quem proin juxta *S. Thomam 1. 2. q. 80. art. 3. in corp.* pertinent. 2. Sacerdotes Capellis domesticis deservientes non sunt deterioris conditionis quàm Religiosi, qui secundum Doctorem Angelicum sibi possunt attribuere oblationes, quando capellis privatis deserviunt; ac tandem Capellanus hic eò fortius jus ad similes oblationes habet, cum jam per

anao

annos viginti sit in possessione easdem sibi arrogandi. *Pontas.*

NOTA. In Germania oblationes, quæ in separata ab altari mensa offeruntur, ex intentione offerentium cedunt Ecclesiæ.

CASUS III. Datur in aliqua parochia celebris Confraternitas de SS. Sacramento; præterdit parochus omnes oblationes factas sub officio solemni quod singulis diebus Dominicis ad se pertinere? jurène hoc præterdit.

R. Quando non derogavit juri suo per conventionem contrariam, vel quando per consuetudinem legitime præscriptam tales oblationes non applicantur ipsimet Ecclesiæ, vel pauperibus, parochus jure easdem sibi præterdit. *S. Beuve tom. 3. casu 142.*

OBSCOENA COGITATIO.

1. Vocabulum hoc *cogitatio* interdum sumitur pro sententia, opinione, vel proposito quod animo conceptum fuit, vel pro reflexione in mente facta. Hic autem sumitur ad significandum actum mentis cogitantis, vel Ideam rei per imaginationem exhibitæ.

2. Omnis cogitatio vel bona vel mala est juxta qualitatem sui objecti finis, effectus, vel circumstantiæ; ac verò quomodocunque mala sit peccaminosa tamen nunquam erit nisi accedat actus aliquis voluntatis; *morositas* tamen, quæ est tacita quædam duratio voluntatis, efficit, ut fiat magis vel minus criminosa, pro varia nempe natura subjecti, vel prout consensus aut capta exinde delectatio fuerit magis minusve perfecta. Consequenter etiam negligentia major vel minor in resistendo erit plus vel minus peccaminosa.

CASUS I. Renata interdum voluntariè & cum delectatione immoratur cogitationibus impuris, quin tamen ullum habeat desiderium committendi peccatum de quo cogitat, imò mavult mori quàm illud committere. Estne peccati mortalis rea

ob solam delectationem ex talibus conceptam?

R. Nullum est dubium, quin mortaliter peccaverit Renata. *Perversa cogitationes separant à Deo: Abominatio cogitationes mala* ait Scriptura *Proverb. 15. 26.* consentiunt in hoc SS. Augustinus, Gregorius & Thomas. Delectatio, quæ ex talibus cogitationibus percipitur ejusdem est generis ac ipse actus quam earundem quasi objectum est. *S. Thomas qq. disput. de vent. q. 15. art. 4.* Ut discernatur an verè quis assensum præbuerit hujusmodi cogitationibus, attendendum est, dari motum concupiscentiæ, qui totaliter prævenit voluntatem, & consequenter liber non est; & alium qui non est ex integro liber, quia voluntas ipsi resistit, cum verò non resistat satis efficaciter, censetur consentire imperfectè; & denique tertium, qui perfectè liber est, quia voluntas in ipsum fertur scienter absque necessitate, imò affectuosè etiam. Prior horum motuum non est peccatum, secundus est peccatum tantum veniale, tertius verò seu posterior quàm certissime est peccatum mortale. *Videatur Philothea seu Introductio ad vitam devotam S. Francisc. Sales:*

NOTA. Natura cogitationis obscenæ non bene describitur ab authore, dum asserit; cogitationem esse ejusdem generis, cujus est objectum. Si enim juvenis vel puella sibi vivaciter cum omnibus circumstantiis repræsentet variarum personarum conjugatarum actus conjugales, objectum erit licitum, & tamen cogitatio erit obscenæ. Dicendum ergo; cogitationem obscenam esse illam, quæ disponit aut fovet naturæ corruptæ inclinationem ad actus obscenos. Si circa objectum de se licitum illa dispositio creat periculum grave, peccatum est mortale aliàs est veniale.

CASUS II. Magdalena sæpius interne agitatur cogitationibus obscenis, simulque in corpore suo experitur motus ad libidinem excitantes, qui tamen nihil ipsa cooperante adveniunt: nunquam quidem hæcenus ad prava desideria indui se passa est, nec delectationi sensibili ex hujus-

modi cogitationibus ortæ innæsit, interim tamen reflexere agnoscendæ quod malæ sint, negligit eas repellere, ne continua hac lucta nimis animum suum torqueat & fatiget. Peccatne taliter se gerendo?

R. Nullus dubio relinquitur locus, quin hac sola sua morositate peccet, est enim quædam complacentiæ species, quæ obstat, quò minus pravam cogitationem simul ac semel animo equiat. *S. Thomas 1. 2. q. 74. art. 6. in corp.*

Vide *Peccatum.*

NOTA. Quando cogitatio & delectatio versatur circa objectum hic & nunc sibi graviter prohibitum, tanquam intentionaliter præfens. Peccatum morosæ delectationis semper est mortale; quia gravis malitia est, sponte fovere & augere corruptionem naturæ, seu propensionem in malum.

OBSESSUS à DÆMONE.

r. *Obsessi à Dæmone* vocantur illi, qui illas etiam vocari solent *Dæmoniaci*. Interdum dæmon loquitur per obsessum, & valde difficile est distinguere, an dæmon vel obsessus verba proferat. Potest nihilominus discerni. 1. Quando dicite quædam, vel profert verba, quorum intelligentia superat captum dæmoniæ vel illorum, qui præfentes ipsum audiunt. 2. Quando pandit res occultas, quæ sciri à nemine possunt. 3. Quando persona in momento temporis ex statu exhaustionis penè totalis omnium virium, extremique languoris subito transit ad extraordinarias vires ac vix non herculeum robur.

2. Dantur personæ, quæ exagitantur vaporibus atris & malignis, dumque per hos cerebrum inundatur & corrumpitur, simul plantasia sus deque versa turbatur, à dæmone se obsessos credunt. Viri cauti ac prudentis est, tales laqueos vel interdum etiam imposturas declinare, nec facile similibus personis exorcizandis ministerium. Suum impendat nisi cum permissione sui Episcopi, qui non nisi rei veritate per luculenta argumenta perspecta,

maturaque deliberatione adhibita eandem concedere debet.

CASUS I. Achilles à Dæmonio obsessus sæpius eructat blasphemias, & juramenta, quin etiam interdum exercet actiones gravissimè peccaminosas. Peccatne per hoc mortaliter?

R. Non peccat, cum libertate careat, & dæmon in ipso ac per ipsum operetur. *S. Thomas 1. 2. q. 2. art. 3. in corp.*

CASUS II. Balthasarus parochus in parochia sua habet ænergumenum periculosè decumbentem, potestne ipsi petenti administrare SS. Viaticum?

R. Juxta *S. Thomam in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. q. 3. in argum. Sed contra*, de ænergumenis discurrendum est sicut de iis, qui usu rationis privati sunt, id est, si habeant lucida intervalla, edantque signa, ex quibus dignoscitur ipsos cum affectu devotionis anhelare ad SS. Sacramentum, non est neganda ipsis S. Communio, adeoque Balthasarus debet se conformare doctrinæ D. Thomæ.

NOTA. Non est credendum, ullum esse verè obsessum, nisi in eo reperiantur indicia soli dæmoniabilia. Reliqua aut corruptæ phantasie, aut imposturis, quarum varia novæ exempla, tribuenda sunt.

OCCASIO PECCATI.

CASUS I. Illi, qui introducendis & vendendis mercibus lege publica prohibitis quæstum faciunt, (contrebandiers) possuntne absolvi quando recusant renuntiare huic suæ professioni?

R. Non sunt absolvendi. Quia præter periculum maximæ infamiæ, cui & se ipsos & familiam suam exponunt, sæx hæc hominum habet propositum saltem habituale vi armata sese defendendi etiam, si opus fuerit, contra ministros justitiæ, hujus insolentiæ reprimendæ causâ in se emissos. Jam verò homines taliter animo comparati & semper sic dispositi non sunt capaces absolutionis Sacramentalis. *Bonucina, Navarrus, & Girib. de poenit.*

CASUS II. Titius vir nobilis domi suæ instructas habet mensas lusorias tam de die quam noctu paratos, ad quos alii ejusdem secum conditionis nobiles ludendo tempus possint fallere, tamen probè sciat, horum aliquos exinde occasionem aucupaturos, amores turpes ac obscænos nutriendi?

R. Peccat gravissimè. Tamen enim quis possit absque crimine procurare aliis medium recreationis de se penitus indifferens, ac proinde persona nobilis hoc Titulo domi suæ possit instruere mensas moderato lusui destinatas: cum autem habere mensas lusorias nocturnis ac diurnis temporibus pro viris ac fœminis promiscuè paratas non sit res indifferens, præcipuè quando jam constat ex his aliquos prensaturos occasionem fatuos suos amores fomentandi, evidens est peccare Titium, eoquod absque necessitate ad aliorum peccatum ipse concurrat. *Suarez de charit. disp. 10. sect. 4. Conincb. disp. 18. n. 217.*

CASUS III. Sacerdos sciens ex pluribus confessionibus Titium esse in occasione proxima ac voluntaria peccandi, recusat die quodam ipsum licet seriò rogantem, audire pro confessione.

R. Potest hoc facere. Quia per hoc nihil eorum revelat quæ audivit in præcedentibus confessionibus Titii, neque ulum in eundem exercet actum auctoritatis unde alter rationabiliter posset offendi. Quin potius ratio hæc agendi confessarii poterit esse utilis poenitenti ipsumque movere ut ad cor redeat; sicque in tali casu nedum vituperio sed laude dignus est. Attendendum tamen nihilominus est, quod si repulsa Confessarii ansam præberet suspicionibus sinistris circa vitam & mores poenitentis, quia tali casu saltem indirectè præjudicium fieri posset sigillo Sacramentali, Sacerdos non posset se excusare ab audienda confessione hujus poenitentis. *Tambur. l. 5. de poenit. c. 6. §. 3. n. 15.*

NOTA. Hæc responsio pessima est, non enim solummodo prohibetur jure naturali & divino revelatio confessionis, sed etiam usus notitiæ Sacramentalis extra actualem administrationem Sacramenti in gravamen poenitentis absque hujus licentia. Vide in mea Theol. *De Sigillo Conf.*

OCCASIO PECCATI PROXIMA.

Vide *Absolutio*, Caf. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & 22.

OCCISIO.

Vide *Perpetratio homicidii. Peremptio. Homicidium.*

ODIUM.

1. Odium, quod dicitur, odium inimicitiae, hujus tituli argumentum est, & definitur, quod sit aversio à persona, imprecatioque mali, ut ei malè sit. Vel: Actus voluntatis personam averfantis, malumque optantis, ut ei malè sit.

2. Præceptum charitatis in nullo casu permittit odium erga proximum: odisse licet vitia, & peccata, non autem persona proximi, imò verus amor proximi est odisse peccatum proximi, quod illum ipsi Deo reddit exosum:

3. Non licet odiò prosequi inimicos nostros, aut eos, qui nos gravissimis etiam malis afficiunt: Diligite inimicos vestros, dicit Dominus. Possumus tamen odisse peccatum inimicitiae ipsorum erga nos.

4. Odium ex suo genere peccatum est mortale, solum tamen veniale esse potest ob imperfectionem actus, vel quia non est odium deliberatum, vel quia circa minimum bonum.

Vide *S. Thomam 2. 2. totâ q. 25.* ubi de charitate proximo debita, cui Odium contrarium est, agit. Vide etiam dicta in titulo: *Charitas.*

CASUS I. *Frodulphus*, vir probus, videns, Basilium jam à pluribus annis vitam vivere dissolutam, & impiam, concipit magnum odium erga illum.

R. Potest & debet odisse in Basilio dissolutionem & impietatem ejus, sed absque peccato non potest odisse ipsam personam,

nam, abstrahendo ab ipsius peccato. Distingui debent in homine, quæ à Deo habet, & quod à se ipso, & Diabolo habet, & quod à se ipso, & Diabolo habet, hinc sine gravi peccato odio habenda non sunt, imò potius amanda sunt in proximo ea, quæ à Deo habet, scilicet natura humana, & gratia: sic etiam non amanda, sed potius odio habenda sunt in proximo ea, quæ à se ipso & dæmone habet, nimirum defectus justitiæ, & peccatum. S. Thom. 2. 2. q. 34. art. 3. in corp.

OFFICIALES.

CASUS I. Prohibitio à Papa Officialibus facta, ne exequendo dispensationes accipiant quidquam, obligatne ipsos in conscientia ad conformandum sese prohibitioni huic ut præfertur?

R. Prohibitio hæc videtur esse meri filii, moris est in Gallia acceptare pecunias pro hujusmodi dispensationibus exequendis. De Lamet.

NOTA. Hæ prohibitiones Romæ non sunt meri filii, sed obligant in conscientia, sensus tamen earum est, ne aliquid accipiat ultra Taxam.

CASUS II. Potestne solus officialis exequi dispensationes in votis?

R. Non potest solus exequi, si dispensatio ad ipsum, conjunctim cum Superiore sit directa. Et hujusmodi Superior non potest se excusare ab hujusmodi executione.

OFFICIALIS.

1. *Officialis* in sensu proprio vocatur illa persona, quæ vice Episcopi exercet Jurisdictionem Ecclesiasticam contentiosam. In Gallia Officialis differt à vicario majore, qui *voluntariam tantum* jurisdictionem exercet; debetque esse in Gallia natus, Sacerdos, & Gradu publico in Jure Canonico, insignis, nec illo excepto quem *Foraneum* vocant.

2. Officium Vicarii non est vendibile, & unus tantum in quavis diocesi datur; possunt nihilominus constitui duo, quando Diocesis est valde ampla. Debent au-

tem esse duo, quando Diocesis aliqua jurisdictione duarum supremarum Curiarum seu Parlamentorum cingitur.

3. Jurisdictio Officialis est *ordinaria*, estque propriè Officialis *Episcopatus*, & non *Episcopi*.

4. Omnes Personæ Ecclesiasticæ *in Sacris* subsunt Jurisdictioni Officialis Diocesani in actionibus merè personalibus, quales nempe sunt illæ quæ concernunt Servitium seu cultum Divinum, Administrationem Sacramentorum, quæque nullum sibi habent annexum scandalum publicum; dantur autem plures casus, qui matrimonii respectu, sunt de foro Judicis laici.

5. Dicitur in actionibus *merè personalibus*; si enim parum quidpiam insit actionis *realis*, vel solum *mixtæ*, non permittitur cognitio judici Ecclesiastico, cui etiam ademptum est jus cognoscendi in materiis Beneficialibus, & pluribus aliis.

6. Officiali in Gallia nullum competit jus condemnandi ad multas pecuniarias, vel relegationem, nec potest cognoscere de actionibus crimen falsi intentatis, de damnis & interesse, de immisionibus in bona mobilia, sequestrationibus, decimis infeudatis, executione Edictorum & Ordinationum Regis, penes quem est jurisdictio in temporale Beneficiorum pro pensionibus & portionibus congruis, pro contributionibus etiam quæ exiguntur à Clero ob publicas necessitates Regni.

7. Sententia ab Officiali lata est executoria provisionaliter usque ad summam 25. librarum, idemque potest procedere ultra, non obstante appellatione ab ejus sententia interposita, quando agitur de correctione morum vel de facto meræ disciplinæ.

8. Ut ab Officiali procedatur legitime, requiritur comparitio coram iudice, et cujus auctoritate facta est citatio, item contestatio partium, & sententia postmodum conformiter causæ lata. Ob defectum vel comparitionis vel contestationis sententi censetur injusta, nec vim aliquam

quam potest habere. Partes citari tantum possunt diebus non festivis per quosvis Bedellos vel apparitores, eodem planè modo quo proceditur coram iudice laico. Quando iudex Ecclesiasticus est delegatus, Bedellus debet exhibere copiam commissionis à iudice sibi factæ, diemque ac locum designare, ubi parti citatæ comparendum est.

9. Talis iudex non habet auditorium proprium; alioquin in locum incompetentem in jus vocatus jure prætereundum causam ignorantia de competentia sui iudicis posset.

10. Primum fundamentum processus criminalis est informatio prævia à iudice Ecclesiastico ad instantiam Promotoris facta, qui solus tanquam persona publica jus habet postulandi punitionem Clerici qui delicti alicujus reus habetur.

11. In causa criminali non nisi ad penas canonicas reos condemnare licet.

12. Gallia non proceditur juxta Decretum Concilii Tridentini, vi cujus Episcopus potest amovere administratorem Hospitalis, qui malè negotium sibi commissum gessit & administravit, imò ne quidem in ordine ad reddendas rationes iniquè administratæ œconomia contra illum agere potest.

13. Quando iudex regius pronuntiavit super possessorio alicujus Beneficii, non amplius potest implorari Officialis pro petitorio.

14. Officialis non potest decernere aliquod monitorium nisi ex permissione iudicis laici, nec Decretum quodcumque contra personam laicalem, nec alium quemcumque actum validum extra territorium suæ jurisdictionis.

15. Recusatio in iudicio Episcopo censetur etiam recusatus Officialis, sed non econtra; imò officiali recusato posset Episcopus nominare alium iudicem *ad hoc*.

16. Jurisdictio & potestas Officialis finitur morte constituentis, vel per simplicem revocationem diplomatis, quo ad Officialis munus gerendum institutus fuit.

Distion. Cas. Conf.

CASUS I. Decennium jam lapsam est, ex quo *Ymelinus* ab Episcopo suo Officialis creatus fuit, quamquam non esset persona graduata, utpote cum Concilium Tridentinum insinuet sufficere, ut talis persona huic munus aliunde sit idonea. Potestne *Ymelinus* exercere hoc munus, & sententiæ ab ipso latæ suntne valoris alicuius?

R. Modificatio Concilii, *vel aliis, quantum fieri poterit, idoneus*, non est acceptata in Gallia, sicque necessariò requiritur, ut Officialis sit publico aliquo gradu insignis; interim tamen sententiæ ab *Ymelino* latæ censentur validæ ac legitimæ respectu habitu ad maxima inconvenientia & incommoda, quæ aliàs inde emergerent; magnum enim discrimen est, inter *Officialem esse*, & *Officialis munere fungi*. Supremæ Regni curiæ clausulam Edicti, sententiæ ab Officiali non graduato latas nullas decernentis, non haberent tanquam comminatoriam.

CASUS II. *Diomedes* presbyter coram Officiali homicidii in iudicio reus accusatur, sed ad ipsum de hoc crimine convincendum sufficientes non adsunt probationes; potestne Officialis absque læsione suæ conscientia, & absque periculo irregularitatis incurrendæ decernere Monitorium, quando moraliter certum est *Diomedem* commissi criminis esse convincendum, & tanquam homicidam extradendum Judici Regio, ab eoque capitali sententia plectendum.

R. In Italia monitoria non aliter possunt fervire, nisi quantum interest partium in ordine ad effectus civiles; in Gallia observatur contraria consuetudo, potestque officialis illæsa conscientia contra *Diomedem* decernere monitorium, licet certo prævideat capitali afficiendum supplicio; nec etiam executione hujus suæ sententiæ irregularitatem incurrit, quam non incurrit, qui est causa tantum remota mortis reo inferendæ, juxta Decretalem *Honorii III. in cap. Exhibita 22. de homicidij*.

CASUS III. *Syrenesius* diœcesis turo-
nensis presbyter Parisios proficiscitur, dum-
que *Blesas* transit, atrox ibi crimen perpe-
trat, ratione cujus ad instantiam promo-
toris judicialiter convenitur, postmodum
verò ab Officiali *Blasensi* suspensus ab or-
dinibus declaratur. Teneturne se gerere
tanquam verè suspensum, cum ut talis
nec ab Episcopo suæ originis, nec ab Ep-
iscopo sui Beneficii fuerit declaratus?

℞. Tam Jus Canonicum, quam leges
civiles uno consensu statuunt, reos sub-
esse jurisdictioni judicis ejus loci, in quo
delictum commissum fuit, licet ille, qui
delictum commisit, tantum transeat per
talem locum. Itaque *Syrenesius* sese ut
verè suspensum gerere debet. *Ducasse Prat.*
de la jurisd. Eccl. content. cb. 7. n. 1. &
Cabassut. l. 1. c. 1. t. 3.

CASUS IV. *Blasius* iudicio contendit
cum *Artemone* viro præpotente. Agitur
de successione eidem apud Judicem con-
troversa ab *Artemone*, qui donationis ti-
tulo, quam fraudulenter in suum favorem
sibi procuravit, cujus tamen nullitatem
probare non potest *Blasius* (testibus veri-
tatem edicere recusantibus) eandem jure
suam esse contendit; itaque *Blasius* ab Of-
ficiali diœcesano impetrat monitorium, vi
cujus sub interminatione censurarum Ec-
clesiasticarum injungitur *Artemoni*, ut *Blas-*
io Actori respondeat & satisfaciatur, testi-
bus verò, ut ea, quæ vera esse noverint,
palam edisserant, monitorium hoc bina vi-
ce fuit publicatum; potuitne *Artemon*
temerè vindicatarum jurisdictionis nomine
ad iudicem regium appellare, ne veritas
patefiat, nec hæreditas sibi eripiatur? tes-
tes verò, nonne sunt obligati ad verita-
tem manifestandam? quòd si taceant, an
non incurrant excommunicationem mox
à Vicario in se fulminandam?

℞. *Artemon* gravissimi peccati reus est.
Attamen cum monitorium non nisi ad sim-
plicem instantiam *Blasii* fuerit impetra-
tum, potuit juxta leges regni ab eodem
appellare; dumque adhuc pendet appel-
latio, testes ratione monitorii non tenen-

tur sistere sese revelationis faciundæ gra-
tia; tenentur tamen sub mortali dicere
veritatem, quando ad instantiam *Blasii* fue-
runt vocati.

CASUS V. *Epigenes* mortuus est, re-
lictæ unica prole ex *Irene*, quam ante
biennium uxorem duxerat; *Eduardus* hu-
jus frater germanus bonorum illius se hæ-
redem esse jactabat, propugnans, & legiti-
mis probationibus evicturum se promit-
tens, matrimonium fuisse contractum cum
impedimento dirimente, de quo nulla un-
quam fuit petita vel obtenta dispensatio,
licet impedimentum illud à contrahenti-
bus non fuerit ignoratum, ac proin pro-
lem relictam esse illegitimam. Causam
hanc suam peroravit coram Officiali diœ-
cesano tanquam solo competente Judice
circa vinculum matrimonii; at verò tutor
infantis Judicis regii imploravit officium.
Cuiam ex his duobus iudicibus compe-
tit causæ istius cognitio?

℞. Certum est, Officialem posse solum
cognoscere legitime de fœdere matrimonii;
sed tamen hoc intelligi debet de matrimo-
nio actu subsistente, & non de tali, cu-
jus vinculum per mortem alterutrius con-
jugum solutum fuit; in tali enim casu
causa cessat esse fori Ecclesiastici, potest-
que Judex laicus solus cognoscere, juxta
statuta regni. Ergo *Eduardo* nullum assi-
stit jus procedendi coram Officiali, & be-
ne fecit tutor dicendo causam suam co-
ram Judice laico. *Pontas.*

CASUS VI. *Leridius* legitime accusa-
tus coram Episcopo vel Officiali iustam
habet causam recusandi Episcopum; po-
tèstne hoc non obstante Officialis perge-
re in causa, & etiam ferre sententiam?
& si recusetur Officialis, potèstne illam
ipsam causam ad se evocare Episcopus,
substituendo aliam personam in in locum
recusati Officialis?

℞. In priori Casu Officialis nullum am-
plius habet jus, recusato semel iustis de
causis Episcopo, juxta *Cabassut. l. 1. c. 13.*
n. 13. In posteriori casu Episcopus non eo
ipso censetur esse revocatus, licet recusa-

tus fuerit Officialis, potèstque proin sub-
stituere alium iudicem ad terminandam
causam sub illo qui recusatus fuit, pen-
dentem. *Panorm. in cap. super 2. de Offi-*
cio & Potest. Jud. de leg. 9. quam verò.
Felinus, Sandeus ibid. n. 15.

CASUS VII. *Crystoralis* parochus de-
tentus in Carcere Officialitatis, decla-
ratus fuit ab Officiali *suspensus à divi-*
nis ad requisitionem Promotoris, qui
solus Accusatoris vices gerebat. Con-
demnatus præterea ad jejunandum ter-
per hebdomadem in solo pane & aqua,
manendumque in carcere per tres menses.
Appellat ab hac sententia ad suum metro-
politanum, cumque aliorum sub bona &
debita custodia sit transferendus, Officia-
lis contra ipsum decernit Executorium,
vi cujus adstringitur parochus ad expen-
sas pro sua deportatione faciendas. Egit-
ne Officialis contra iustitiam in tali casu?

℞. Officialis absque læsione suæ con-
scientiæ non potuit cogere hunc parochum
per Executorium ad solvendas expensas
suæ deportationis. Quando processus ali-
quis fuit à Promotore intentatus *ex Offi-*
cio, penes Episcopum est onus suppedi-
tandi sumptus, donec causa finita fuerit
apud Metropolitanum, salvo tamen jure
regressus contra accusatum, quando hic
solvendo est. *Pontas.*

CASUS VIII. *Theofridus* Vicarius ma-
jor, & Officialis incepit processum Cri-
minalem contra aliquem parochum; fini-
ta jam causa usque ad sententiam statim
ferendam Episcopus à Papa excommuni-
catur, vel à Concilio Provinciali. Potèst-
ne *Theofridus* tali casu interveniente ni-
hilominus continuare processum, & ferre
sententiam?

℞. Cum Vicarius major, & Officialis
habeantur pro una sola persona cum Ep-
iscopo, in iis quæ concernunt jurisdic-
tione Episcopo, eadem ultra nec à Vi-
cario majore, & Officiali ullo jure exer-
ceri poterit. *Cabassut. l. 1. c. 13. n. 12. &*
17. ex quo sequitur, *Theofridum* non am-

plius posse procedere contra præfatum pa-
rochum. *Pontas.*

CASUS IX. Ivo Officialis Episcopi &
simul parochus sub sigillo arcani scit cri-
men, de quo unus parochianorum apud
ipsummet fuit accusatus; quæstio est, an
possit vel teneatur super hoc crimine fer-
re sententiam ut Judex?

℞. Caveat ne sententiam ferat. Cum
enim simul sit parochus, ut talis est pa-
ter spiritualis suorum parochianorum. *Ste*
Beuve tom. 1. cas. 5.

CASUS X. *Valerius* Diaconus criminis
pessimi convictus ab Officiali Diœcesano
condemnatus fuit ad subeundam pœnam
Canonicam, & post hæc Diœcesi excedere,
jussus. Teneturne in conscientia obedire
huic sententiæ?

℞. Tenetur in Conscientia subicere se-
se pœnæ Canonicæ, sed nequaquam sen-
tentia relegationis ex Diœcesi, ex qua
Officialis non potuit ipsum proscribere ju-
xta Jus Canonicum Gallicanum. *Pontas.*

CASUS XI. *Maximilianus* Officialis
scit quemdam usurarium publicum esse in-
corrigibilem; in ipsum ergo fulminat ex-
communicationis sententiam absque præ-
viis admonitionibus Canonicis? peccavit-
ne taliter procedendo?

℞. Nullum est dubium, quin valde gra-
viter peccaverit, utpote cum violaverit
ordinem ab Ecclesia stabilitum, quæ jubet,
ut omnem Excommunicationis senten-
tiam præcedant tres admonitiones Cano-
nicæ; quin etiam requiritur, ut valde
probabilis fieri possit conjectura, has ad-
monitiones speratum non fuisse fortitas
effectum. *Ducasse l. cit. & 8. §. 3. n. 5.*

CASUS XII. *Embertus* propriæ ma-
nûs chirographo fidem suam obstrinxit *Ma-*
riæ de matrimonio cum ipsa contrahendo,
sed pœnitentiâ postmodum ductus renuit
stare promissis. Citatus ad Officialatum
Camere Episcopali applicandarum, ad
aliam 200. librarum *Mariæ* pro damnis ac
interesse solvendarum, ac tandem ad 4.
libras pro Hospitali loci. Habèntne funda-

mentum sufficiens appellandi ab hac sententia?

R. Quoad multam sibi ab Officiali impositam rectè appellat. Nam 1. Ecclesia non potest condemnare ad multam ipsi Episcopo applicandam, sed tantum ad Eleemosynam in favorem Hospitalis vel alterius particularis Ecclesie. 2. Officialis non potuit condemnare ad 200. libras Mariæ solvendas, cum soli Judici Regis in Gallia competat jus sententiæ in similibus causis ferendæ. Interim Officialis potest condemnare Clericum ad multam, uti etiam ad damna & interesse adversæ parti præstanda, quia Clericus ut talis Judici Ecclesiastico subjacet; estque notandum, quod, dum Officialis Episcopalis, Metropolitanus & Primatis uniformem super eadem causa tulerunt sententiam, appellationi tanquam de abusu haud amplius locus sit.

CASUS XIII. Parochus & Æditui vel Curatores Ecclesie inter se litigant super materia fabricam Ecclesie concernente; Officialis pronuntiavit conformiter ad intentionem & petitionem parochi, expertus Curatores esse temerarios litigatores, ordinavitque, ut sententia ab iisdem executioni mandaretur juxta formam suam & tenorem, non obstante oppositione & appellatione quacunque. Jurène poterunt appellari æditui citra labem inobediendiæ contra Ecclesiam commissæ?

R. Juxta Jurisprudentiam Gallie Ecclesiasticus Judex non potest præcipere, ut ipsius sententia executioni mandetur non obstante oppositione vel appellatione quacunque: sicque curatores utpote læsi poterunt appellare non tantum ad Metropolitanum, verum etiam tanquam de abusu plus nimium extensæ potestatis, ad Parlamentum Regium. Pontas.

CASUS XIV. Vandrillus Diocesis Tarbensis presbyter, & in vicina Diocesi Vicarius cujusdam parochiæ campestris licentiosâ vitâ suâ scandalo est parochianis. Episcopus Diocesanus mandat Promoto-

ri sui Officialatus, ut contra ipsum procedat Criminaliter; itaque instituto desuper & finito processu juridico, ab Officiali per sententiam præscribitur & relegatur & Diocesi. Legibusne conformis est hic procedendi modus?

R. Juxta antiquam Canonicam disciplinam Ecclesia condemnabat clericos vel ad flagella vel ad exilium, pro qualitate scilicet personæ vel gravitate commissi criminis. Episcopus quæ talis in Gallia nullum habet tenitorum suæ jurisdictioni subjectum, unde clericum aliquem ejicere possit: Audientiam habet, non territorium ait Blondau in additionibus suis ad Bouchel: ad eoque Officialis non potest punire aliquem Clericum quacumque pœna inferente infamiam, quæ non est approbata à Canonibus, vel est contraria Edictis Regiis, aut consuetudinibus Ecclesiarum, uti fatetur & tenet Ducaffe. Notandum tamen est, Officiale posse compellere clericum extraneum, ut in propriam diocesi se recipiat, sub pœna procedendi contra ipsum viâ juris in casu inobediendiæ. Pontas.

CASUS XV. In certa Gallie Diocesi orta est inter duos parochos controversia super materia merè ad forum Officialis diocesani pertinente. Lite jam inchoata circa Officialis illegitimum modum procedendi haud abs re utriusque cœpit oriri suspicio aliqua. Petunt ergo ab Episcopo, judicem in præsentia causa sibi dari Archidiaconum, vel unum ex advocatis Parlamenti regii. Potestne ipsis Episcopus concedere hanc gratiam?

R. Non potest hoc Episcopus. Imò quia cum omnem suam jurisdictionem contentiosam quasi deposuerit in manus sui Officialis, non potest amplius delegare alium Judicem, nisi Officialis hic sit abiens vel infirmus, in forma juris à partibus recusatus, aut etiam ob aliam rationem legitimam & gravis momenti. Imò neque ipse in persona causæ talis judicium potest ad se trahere, secus enim ab ipsius sententia ad curiam regis temerariæ jurisdictionis nomine posset appellari.

2do. Ob

2do. Officialis est Judex naturalis & perpetuus dioceseos, habetque jurisdictionem ordinariam, nec potest qualitate & potestate Judicis privari, quamdiu dignitatem hanc suam gerit.

Interim tamen posset delegare Archidiaconum, & aliquem Advocatum. Obligatur enim nomina unum quendam, qui pollet potestate Judicis Ecclesiastici. Vide Fevret. traité de l' Abus.

CASUS XVI. Euphemianus & Florus ambo ejusdem loci Parochi inter se disputant ob erectionem alicujus confraternitatis; Euphemianus Florum provocat & citari facit ad comparandum coram Officiali, at verò Florus, cui aliunde non bene convenit cum Officiali, accedit ad officialem metropolitanum, eidemque supplicat, ut causam hanc & causæ cognitionem ad se evocet; potuitne hic annuere postulatis, canonicèque vel validè saltem causam hanc judicare.

R. Officiali metropolitano nullum prorsus competit jus evocandi ad se causam pendentem in prima instantia coram Officiali Suffraganei. Metropolitanus non est Judex subditorum suorum Suffraganeorum, nisi in solo casu legitimæ appellationis. Innoc. IV. can. Romana 3. de Appell. §. cum autem.

CASUS XVII. Anthemius Officialis à Joanne & Jacobo electus fuit arbiter, laudumque pronuntiavit; huic laudo noluit acquiescere Joannes, qui læsum se exinde credebat, renuensque comparere, provocavit Jacobum ad Judicem regium. Potestne prosequi causam suam coram tribunali seculari?

R. Certum est, Joannem posse citra inobediendam erga Ecclesiam & absque injustitia causam suam prosequi apud tribunal seculare; Jacobus nullum habet jus petendi executionem laudi arbitralis, nisi hoc ipso titulo; Fevret. loc. cit. Et aliunde qui fuit arbiter inter partes, earundem amplius nequit esse Judex. Glossa. in dict. Can. V. vel cognitor.

Vide Judex & Promotor.

CASUS XVIII. Leander amplissimæ Diocesis Episcopus indigus Summæ 10000. librarum pro reparatione Palatii sui Episcopalis munus Officialis vendidit Festo pro 8000. libris. Estne simoniaca venditio hæc? & si sit simoniaca, potestne bona fides à peccato excusare Leandrum?

R. Munus Officialis est res verè spiritualis, non potuit ergo vendi à Leandro absque Simonia, & Leander emens ipse quoque ejusdem peccati particeps est. Concil. Chalcedon. part. 2. act. 15. can. 2.

CASUS XIX. Philostorgio parochio argumentis evidentibus constat Gautierium olium Vicarium suum non sine scandalo parochianorum suorum ex sordida avaritia extorsisse pecunias ab iis, quibus Sacramenta ministraverat; quare ob sæpius reiteratas eorundem parochianorum querelas ad Officialem ipsum evocat reddendæ rationis ergo. Instructo processu ultro citroque proceditur juxta formam à jure præscriptam; sed cum jam mox ferenda esset sententia, Officialis persuasus Philostorgium agere ex mera malevolentia & passione usque adeo distulit ferre sententiam, ut tandem parochus consuetis juris remediis ipsum interpellaverit ad causam finiendam. Hoc verò nihilo minus tardante Philostorgius contra ipsum denegatæ justitiæ causâ appellat, eoque nomine ceu privatam personam accusat, quæ quidem accusatio tanquam benè & debite facta declarata fuit. Promittit ergo Officialis mox ferendam à se esse sententiam; Philostorgio nihilo serius ipsum ut judicem recusante. Potuitne parochus hic ita se gerere contra Officialem? potestne etiam salvâ reverentiâ huic Officiali debita ipsum recusare ut judicem suum, præsertim si Gautierius nolit acceptare alium?

R. Certum est, in casu proposito non esse reprehensibilem; nihil enim fecit quod non sit conforme legibus Regni; & non potest amplius judicare ab alio quam à Vice-gereunte Officialatus posito quod detur talis, vel ab alio officiali specialiter ad hoc ab Episcopo deputato. Officialis

taliter accusatus condemnari debet à Judice appellationis ad expensas, damna & interesse Philostorgii denegata in poenam justitiæ. *Pontas.*

Vide *Accusatus* Cal. 5. *Appellatio*. Cal. 7. & 8. *Dispensatio Matrimonii*. Cal. 39. & 42.

OFFICIUM BREVIARII.

1. *Officium Breviarium* antiquis temporibus in occidente vocabatur *curfus Divinus*, in Oriente verò *Canon*, *Synaxis*, *collecta*. Vocabulum hoc *Breviarium* in eo sensu, in quo hinc accipitur, est terminus in Catholica Ecclesia usitatus ad significandas certas preces publicas vel privatas, quas Ecclesiastici in *Sacris* constituti, Beneficiati, & Religiosi professi tenentur recitare quotidie, sive in choro certis horis diurnis & nocturnis, sive privatim.

2. Numerus horarum Canoniarum pro variis variarum Ecclesiarum & Religiosorum ordinum consuetudinibus fuit varius. Hodie sunt septem horæ Canonice, quæ vocantur *Matutinum*, *Laudes*, *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, *Vespera*, & *Completorium*, quarum diversas significaciones sequentes quinque versus exprimunt.

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis.

Matutina ligat Christum, qui crimina solvit.

Prima replet sputis, causam dat *tertia* mortis.

Sexta cruci nectit, latus ejus *Nona* bipertit.

Vespera deponit, tumulo, *completa* reponit.

3. Sub hoc officio non comprehenditur illud, quod vocant *Officium parvum B. Mariæ Virginis*, quod ex antiqua consuetudine in aliquibus Ecclesiis cantatur in choro, nec ad illud recitandum obligantur qui ad horas Canonice *privatim tantum* dicendas tenentur, sicut nec obligantur ad *Officium Defunctorum* quod non reputatur pertinere ad *Officium Breviarium*

nisi in die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum.

4. Circa medium sæculi quinti incipit in qualemcunque ordinem redigi officium divinum, quod fuit compositum ex *Hymnis*, *Psalmis*, *Lectioibus* ex Scriptura sacra excerptis, *Homiliis* SS. Patrum, *Collectis* & aliis precibus. Episcopi cum essent domini plenissimi regiminis & disciplinæ in propria cujusque Diocesi observandæ, quilibet ut bonum meliusve ipsi videbatur officium ordinavit! indeque provenit difformitas illa, vel penè nulla conformitas in Breviariis quibus in Gallia & alibi personæ Ecclesiasticæ utantur, & cur totidem vix non dentur diversa Breviaria, quot in Ecclesia dantur diversi Ordines Religiosi.

5. Quilibet Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus indispensabiliter tenentur recitare officium Breviarium, nisi ex causa legitima impediatur, vel omnino non valeat satisfacere huic suo oneri, veluti ob morbum aliave impedimenta. Idem dicendum de omni alia persona Ecclesiastica, quæ licet non sit in *sacris*, Beneficium tamen vel simplex vel curatum habet; & tales præterea obligantur etiam ad restitutionem fructuum sui Beneficii quos perceperunt illis diebus & intra tempus illud quo ex culpa sua omiserunt recitare Breviarium.

CASUS I. *Lucanus* Subdiaconus quater aut quinquies tantum per annum omittit recitare Breviarium absque ulla causa legitima.

R. Nullum est dubium quin peccat mortaliter toties quoties ex culpa sua omittit recitare Breviarium. Est hæc sententia unanimis omnium Theologorum. *Pontas.*

CASUS II. *Augustinus* ordinatus fuit Subdiaconus inter undecimam matutinam, & duodecimam; quæstio jam est, utrum teneatur in conscientia ad recitandum integrum officium illius diei, vel tantum *Nonam*, *vesperas* & *completorium*?

R. Juxta ordinem ab Ecclesia stabilitum, *matutinum* & *Laudes*, *Prima*, *Tertia* ac *Sexta* debent recitari antemeridiano tempore. *Augustinus* ante suam ordinationem non obligabatur ad officium horarum; dicimus ergo ipsum non teneri nisi ad partem convenientem horis reliquæ diei in qua ordinatus fuit, nempe ad *Nonam*, *vesperas*, & *completorium*, aliter enim lex Ecclesiæ respectu *Augustini* haberet vim retroactivam, quod de nulla lege dici potest, nisi expressè hoc exprimat in lege. *Pontas.*

CASUS III. Si *Augustinus* fuisset ordinatus in ipsa meridie, horâ scilicet duodecima, sique ad præveniendâ impedimenta, quæ plurima per reliquum diem prævidebat occurrura, recitasset, *Nonam*, *vesperas* & *completorium* mane, essetne liberatus ab obligatione sua pro tota illa die, an verò obligaretur in conscientia ad repetendam illam partem officii?

R. Sentimus, ipsum in tali casu post suam ordinationem debere repetere illam partem Breviarium taliter anticipatam; non enim potest intelligi, quomodo aliter satisfaceret obligationi suæ per ordinationem recens contractæ. *Pontas.*

CASUS IV. *Gerbertus* presbyter ex pura puta negligentia omisit quodam die totum Breviarium; Commisitne totidem peccata mortalia, quot sunt horæ Canonice?

R. Aliqui Authores defendunt ipsum totidem committere peccata mortalia, alii econtra, quod unicum tantum committat. Licet possit contingere, ut quis plurium peccatorum internorum seferum faciat ob plures reiteratos actus voluntatis ac distinctos qua quis proponeret non satisfacere huic suæ obligationi, qua utique voluntate sua & propositis successivè plura mortalia contraheret, posterior tamen sententia verior nobis apparet & majori fundamento nixa quam prior, quia verum est dicere talem non nisi unicum officium diurnum omittere, id est, solum illud officium ad quod illo die obli-

gabatur. Interim tamen *Gerbertus* omitendo totum officium multò gravius peccat quam omitendo duntaxat aliquam ejus partem. *Pontas.*

CASUS V. *Andreas* Diaconus negligit recitare *Nonam*, tametsi commodè potuisset recitare.

R. Credo ipsum peccasse mortaliter. Imo sunt Authores, qui tenent peccari mortaliter, si omittatur pars dimidia unius horæ minoris, sed hæc sententia videtur nimis rigorosa. Verumtamen conformiter ad sensum communem omnium Doctorum non potest absque noxa peccati mortalis & sine ulla causa omitti hora aliqua Canonica integra, qualiscunque ea sit; unâ solâ omisâ destruitur significatio mystica Officii divini. S. Antoninus 3. part. *Summæ Theolog. tit. 13. c. 4. init.*

CASUS VI. *Lælius* Parochus propter functiones & occupationes continuas non potuit totâ Dominicâ Paschatis recitare suum Breviarium ante horam mediam decimam noctis. Dum incipit, accurrunt qui monent esse rixas inter quosdam ex ipsius parochianis, & esse præsens periculum, ne ingens oriatur confusio, nisi omnibus relicis sedandas turbas mediator veniat. Non potest autem venire nisi totum pensum horarum canonicarum ante aliquot momenta inchoatum omittat. Potestne abire ad compescendas rixas pacemque restituendam, simulque, quod aliter fieri nequit, omittere suum Breviarium absque peccato?

R. Parochus hic absque ullo peccato potest in tali casu omittere suum Breviarium. Quando duæ obligationes incompatibiles concurrunt eodem tempore, principaliori & urgentiori debet cedere altera. Verum quando possibiliter prævidere potest occupatio magni momenti & irrevocabilis, datur obligatio anticipandi horas Breviarium si fuerit possibile. Nemo debet in se suscipere functiones vel occupationes incompatibiles cum recitatione officii divini, quando tales occupationes possunt prævideri, nec ad eas suscipien-

das quis ex Officio & ratione muneris quod gerit, obligatur; secus enim absque iusta necessitate censeretur quis consentire in omissionem Breviarii. *Conf. de la Rochelle q. 14. de Offic. divin.*

CASUS VII. *Arsacio* hora decima nocturna oritur dubium, an recitaverit vesperas?

R. Si non possit per rationem valde probabilem deponere hoc suum dubium, quæ ratio ipsum persuadeat dubium illud carere fundamento, tenetur in conscientia recitare partem illam officii. *In dubiis semitam eligere debemus tutiorem.*

NOTA. Illi, qui sciunt se esse valde obliviosos circa actiones diurnas, possunt se juvare per præsumptiones.

CASUS VIII. *Fredulphus* in favorem Bernardini Clerici tonsurati resignavit Prioratum simplicem. Bernardus jam quatuor abhinc mensibus habet provisiones hujus Beneficii nec tamen hucusque ejus possessionem voluit aggredi. Tenueritne recitare officium à die qua resignavit à Papa in curia fuit acceptata, vel saltem à die ex quo accepit suas provisiones, potuitque capere possessionem Prioratus?

R. Aliqui Authores putant ipsum teneri ad recitationem statim ex quo accepit collationem Beneficii; nos autem credimus ipsum non teneri in conscientia ante arreptam possessionem Prioratus. *Pontas.*

Interim tamen dantur certa Beneficia, quorum fructus grossi jam percipiuntur ante arreptam possessionem, dummodo hæc capiatur intra certum determinatum tempus, & in tali casu existimamus obligari aliquem ad Officium. Qui ex negligentia differt capere possessionem Beneficii actu vacantis, æque parum est exemptus ab onere recitandi.

CASUS IX. *Chryfogonus* Religiosus professus, sed nec in Sacris constitutus, nec Beneficium aliquod habens, & Petrus Novitius omittunt interdum suum Breviarium.

R. Magnum est faciendum discrimen inter utramque hanc personam; primus

peccat mortaliter, secundus verò nullo modo peccat, quando nec ordinem aliquem Sacrum nec Beneficium habet. Omnes omnino Religiosi professi tenentur ad officium, sicut Beneficiati, & quidem et aliqua consuetudine, quæ vim legis habet. *Pontas.*

CASUS X. *Chrysostronus* Religiosus professus, necdum Sacris initiatus, nec Beneficium gaudens ejectus fuit ex suo monasterio per sententiam Judicis; teneturne semper & quotidie ad recitandum Breviarium? tenereturne etiam si ex dispensatione Papæ reversus fuisset pro semper ad Sæculum?

R. Potest defendi, ipsum in rigore non obligari ad recitationem, cum non amplius censeatur membrum monasterii, nec ad eandem imposterum tenetur in casu legitimæ dispensationis redeundi ad Sæculum. *Domin. Sotus lib. 10. de Insti. & Jure q. 5. art. 3.*

CASUS XI. *Polydorus* audit confessionem monialis professæ, quæ actu commoratur in domo paterna; quærit ex ipsa an quotidie recitaverit officium majus respondet, quod non, utpote cum nec crediderit se ad id teneri, ex quo suo conventus ab hostilibus copiis destructus & everfus fuit, ob quam etiam causam ipsa, sicut & omnes reliquæ moniales, compulsæ sunt ad ædes paternas sese recipere. Estne hæc ratio sufficiens ad ipsam eximendam ab onere Breviarii? potestne etiam absolvi à Polydoro non imposita illi obligatione recitandi imposterum?

R. Hæc ratio est legitima, potestque ipsam absolvere confessarius absque obligatione recitandi posthac. *Cabassutius lib. 1. cap. 21. in fin.*

CASUS XII. *Basilus* Parochus primus per sententiam fuit suspensus ab ordinibus, postmodum verò ob commissam criminam etiam excommunicatus. Ex eo ergo tempore sese gerit veluti simplicem clericum, nec amplius dicit Breviarium.

R. Non potest se eximere ab onere privatum recitandi Breviarium, licet illud

scire non possit legere publicè tanquam Ecclesiæ minister: iniquum planè foret, si criminofus commodum aliquod ex suo crimine reportaret. *Conf. Andegav. April. 1712. q. 2.*

CASUS XIII. *Lazarus* presbyter manè recitavit Matutinum & Laudes ex mero motivo devotionis cujusdam specialis erga Virginem Beatissimam, cujus eo die recurrebat officium, recitavit, inquam, cum expresso proposito, præfatas horas secunda vice persolvendi ut satisfaciat præcepto Ecclesiæ. Tenueritne ad hoc sub peccati reatu?

R. Ecclesia non obligat nisi ad semel tantum de die recitandas has horas; non est credibile, quòd non possit satisfieri ex motivo particularis devotionis: & sic Lazarus est liber coram Deo à parte Breviarii, jam persoluta, licet absque formali intentione satisfaciendi suæ obligationi. Nihilominus dantur variæ Authorum circa hoc sententiæ. *Pontas.*

CASUS XIV. *Benignus* annò ætatis suæ duodecimo, vel tertio decimo accepit Prioratum compulsus ex metu reverentiali erga patrem hoc præcipientem. Itaque nunquam recitat Breviarium, persuasus se ad id non teneri in conscientia, utpote cum nolens volens tantum sit Beneficiarius; Valèntne ratio hæc ad ipsum ab hac obligatione absolvendum?

R. Si metus hic sit præcisè metus reverentialis, vel metus levis, non potest excusare sese ab hac obligatione sua; quòd si verò fuerit metus gravis non tenetur hoc onere. Interim verò si percipiat fructus ex hoc suo Beneficio, qualiscunque metus utut gravis quo urgente illud accepit, non poterit ipsum liberare ab obligatione Breviarii; quin etiam, ex quo ad legitimam ætatem pervenerit, debet renuntiare suo Beneficio. Qui sentit commodum, par est, ut sentiat onus, ait *regula Juris 55. in 6.*

CASUS XV. *Germanus* provisus fuit Prioratu simplici, cujus redditus annuam ad 1000. libras excurrerant; nescit *Diction. Cas. Conf.*

recitare suum Breviarium, nec commodè potest invenire quempiam, qui ipsum doceat regulas ac Rubricas. Poteritne ratio hæc ipsum excusare à recitatione?

R. Quando prævidit impotentiam suam moralem, qua laborat in ordine ad recitandum Breviarium, non potuit absque gravi peccato acceptare Beneficium; & si habeat Breviarium, tenetur in conscientia illud recitare modo meliori quo potest.

Quando ipsius Prioratus habet redditus pingues, tenetur pro mercede conducere personam habilem, quæ ipsum doceat legere Breviarium. Ac tandem si non habeat Breviarium, vel si habens non possit per se ipsum, & absque alterius auxilio illud addiscere, vel si sit in vera impotentia illud recitandi, & foundationem sui Beneficii exequendi, ejusdem onera persolvendi, jura defendendi, tenetur illud dimittere propter officium datur Beneficium inquit LEO X. in Bulla *Superna* 7. §. 38.

CASUS XVI. *Bonaventura* Sacerdos cæcitatatis vitium contraxit; tenueritne in conscientia quærere personam, qua juvante possit recitare suum officium?

R. Sacerdos cæcus non tenetur ad Breviarium cum nemo teneatur ad impossibile. Interim tamen si noverit aliquam ejus partem dicere memoriter dubio procul obligatur ad illam partem. Quando facile potest invenire aliquem amicum, quo gratis illum velit juvare ad recitandum ex integro dubitandum non est, quin teneatur uti in rem suam hæc alterius humanitate. Et si fuerit Beneficiatus, possitque invenire personam idoneam, quæ ipsum juvet, redditusque Beneficii ad hoc sufficiant, omnino tenetur sibi procurare juvamen hocce. *Navarrus in Man. de Orat. & Hor. Canon. c. 21. n. 14.*

CASUS XVII. *Aimevicus* Beneficiatus jam à tribus mensibus terrianà laborat, nec toto hoc tempore dixit Breviarium suum, sibi persuadens hanc ægritudinem ipsum eximere ab obligatione, monetur postea ab aliquo ex amicis, ipsum certò

certius obligari sub peccato mortali. Re-
 Æne. amicus hic monuit?

℞. Æstimo Aimericum sibi met blandi-
 tum fuisse, nec febrem tertianam suffi-
 cientem præbere posse rationem ad dispen-
 sandum semetipsum ab onere Breviarii, ob
 sufficiens intervallum quod est inter paro-
 xismos febriles. Accedit etiam, quod
 possit anticipare Matutinum & Laudes pro
 die sequenti. Tenetur saltem diebus pa-
 roxismi ad horas minores, si nequeat le-
 gere majores; quod evidens est ex Cen-
 sura Innocentii XI. in hanc propositionem:
*Qui non potest recitare matutinum & lau-
 des, potest autem reliquas horas, ad nihil
 tenetur, quia major pars trahit ad se mi-
 norem.* Quam quidem propositionem
 Pontifex laudatus prohibuit defendi ac
 doceri sub pœna excommunicationis ipso
 facto incurrendæ, & Sedi Apostolicæ,
 præterquam in Articulo mortis reservatæ.
*Conf. Rupell. q. 24. & Theol. moral. Ge-
 neti tr. 2. tract. 1. c. 10. n. 15. & 20.*

CASUS XVIII. *Arsenius* presbyter
 ægrotat, & ipse dubitat, an tantus sit
 hic ipse morbus, ut possit ipsum liberare
 ab onere Breviarii. Sed nequidem ipse
 medicus audeat decidere hoc dubium: pec-
 cātne non recitando?

℞. Sentio Arsenium in tali hypothesi
 non posse absque peccato omittere horas
 Canonicas, quia *obligatio stat pro præce-
 pto* tamdiu, donec deposito dubio in-
 ternè sit convictus de impotentia morali
 recitandi. Cum præceptum sit lex vivida
 ac vigorosa, judicium medici ipsum nihil
 juvaret, propriâ conscientiâ non in Con-
 siliium vocatâ. *Pontas.*

NOTA. Si sit dubium, quamvis tenue, aut levis
 metus, aggravandi morbum, vel retardandi
 effectum medicinæ, non tenetur recitare.

CASUS XIX. *Euprepus* Sacerdos ple-
 rumque matutino jam tempore post alias
 horas recitat etiam Vesperas, imo etiam
 Completorium, ut eò liberior sit per reli-
 quum diem.

℞. Sacerdos hic elongat se à regula Ec-
 clesiæ in institutione horarum Canonicarum

rum, cui regulæ tenetur tamen sese con-
 formare, nisi habeat excusationem legit-
 mam, quam si non habet, valde peccat,
 licet peccatum hoc non sit mortale. *Na-
 varrus in Manual. de Orat. & Hor. Canon.*
c. 2. n. 45. & seqq.

CASUS XX. *Gerhardus* Parochus sa-
 pius differt dicere horarum Canonicarum
 pensum usque ad horam octavam vel non-
 nam vespertinam, tuncque incipit à Ma-
 tutino, pro excusatione dicens, tranqui-
 lius, & securiorem à negotiis & personis
 sese crebrius interpellantibus hoc tempore
 quam diurno orare.

℞. Ratio hæc ipsum non excusat à pec-
 cato; non tamen creditur peccare mor-
 taliter. *S. Antonin. 2. part. Sum. Theolog.*
tit. 13. c. 4. §. 4.

CASUS XXI. *Anistius* non raro cele-
 bravit missam non dicto prius Matutino
 Laudibus. Quantum est ipse pecca-
 tum?

℞. Quando habuit justam aliquam cau-
 sam, nullo modo peccavit. Sed sine rationa-
 bili causa sic celebrans venialiter peccat.
Navarr. Manual. c. 25. n. 83. & apud Soto
in 4. dist. 13. q. 2. art. 2.

CASUS XXII. *Frobertus* dum recita-
 suum officium ipso momento quo incho-
 turus est tertium Nocturnum Matutini
 vel ultimum psalmum vespertinarum inter-
 rumpitur à persona tam ordine quam di-
 gnitate multum Superiore, quæ ipsum in-
 visendi gratiâ advenerat; sufficitne
 postmodum pensum orationis finiat, inci-
 piendo ibi, ubi interruptus, ab oratione
 cessaverat.

℞. Tenetur reincipere officium, quando
 interruptio duravit per tempus valde no-
 tabile. Tenetur etiam, quando interro-
 ptionis hujus, ut non diurnæ nullam
 habuit justam causam; atqui talis justis
 causa non est officiosa salutatio, nisi per-
 sona invisens adeo sit ipsi ordine aut di-
 gnitate Superior, ut omnibus relictis statim
 eidem patere debeat aditus, in quo casu non
 existimo ipsum in rigore teneri ad inchoan-
 dum de novo Officium; si denique interrup-

ruptio fuerit notabilis & sine justa causa,
 peccat graviter, possit, etiam peccare
 mortaliter, nisi repetat horam antea in-
 choatam.

NOTA. In hujusmodi legibus merè humanis, præ-
 fertim introductis mera consuetudine, eaque, &
 adiaphora, prout est consuetudo recitandi Bre-
 viarium extra Chorum, pharisaico more mihi
 desipere videntur, qui peccata mortalia som-
 niant ob interruptionem precum, quæ seorsim
 constituunt integram orationem.

CASUS XXIII. *Eutropius* Beneficiatus
 interdum dicit tertiam ante primam, vel
 completorium ante vespertas absque justa
 causa. Quæstio est, an peccet, & teneatur
 repetere Horam sic perturbato ordine
 dictam, vel an satisfaciatur, si tantum reci-
 tet Horas quæ ordine præcedunt jam
 recitatas.

℞. Nullum est dubium quin peccaverit
Eutropius taliter miscendo horas sui Offi-
 cii absque justâ causa, utpote cum egerit
 contra spiritum & consuetudinem Eccle-
 siæ; nihilominus non tenetur repetere ho-
 ram jam recitatam. Sufficit ad ipsum li-
 berandum à mortali ut dicat Primam &
 vespertas, *S. Antonin. 2. part. Sum. Theol.*
tit. 13. c. 2. §. 4.

CASUS XXIV. *Anatolius* Subdiaco-
 nus plerumque quatuor priores horas sui
 Officii dicit sub Missa cui interest diebus
 Dominicis & Festis. Satisfacitne?

℞. Potest in conscientia recitare par-
 tem hanc sui Breviarii dum Missæ interest
 ex obligatione, quemadmodum posset
 persolvere preces pro pœnitentia injun-
 ctas, *Fr. Tolet. instruct. Sacerdot. lib. 2.*
c. 13. n. 6.

CASUS XXV. *Sixtus* Parochus dum
 legit Horas Canonicas variis sese occupat
 actionibus externis. Quæstio est an pec-
 cet, & an teneatur in conscientia easdem
 sic recitatas repetere. Vel an teneatur
 ad restitutionem si non repetat?

℞. Sunt quædam actiones externæ pro-
 fus incompatibiles cum attentione ad ora-
 tionem requisita, uti legere, scribere &
 similia; tunc etiam hujusmodi actiones,

quæ non sunt incompatibiles, veluti de-
 ambulare, salutandi prætereuntes sese in-
 clinare &c., qui prioris generis actiones
 exercet dum dicit vel integrum Brevia-
 rium vel ejusdem partem notabilem, pec-
 cat mortaliter, & si sit Beneficiatus, nec
 sic recitata repetat, tenetur ad restitutio-
 nem. Sed longè aliud est circa actiones po-
 sterioris generis. *S. Thomas 2. 2. q. 83.*
art. 3. cap. 13.

CASUS XXVI. *Arnaldus* Diaconus
 culpâ suâ perdidit suum Breviarium fa-
 ciendo iter per aliquam regionem, in qua
 postmodum non potest sibi amplius com-
 parare aliud. Estne peccati mortalis reus
 omittendo propterea Breviarium?

℞. Indubitatum est, quod cum pecca-
 verit in causa, eo ipso etiam peccaverit
 in effectu. Quando perdidit suum Bre-
 viarium cum intentione ad eximendum
 sese posthac ab onere recitandi, peccavit
 mortaliter. Quando verò id contigit ex
 mera oblivione nullius peccati mortalis
 si ipsâ inadvertentiâ peccaverit; & si hæc
 inadvertentia fuerit venialis, etiam pec-
 catum veniale erit. *Sylvester de Pœnitentia*
v. Hora 7. 4.

CASUS XXVII. *Albanus* Sacerdos ferè
 semper recitat suum Breviarium voce
 adeo submissa, ut se ipsum non audiat.
 Satisfacitne coram Deo obligationi suæ?

℞. Si habeat attentionem sufficientem
 & requisitam ad horas dicendas, easdem-
 que recitet non spiritu solum sed etiam
 ore, distinctè articulando ac pronuntian-
 do singula verba, satisfacit suæ obligationi
 juxta *Sylvium. v. Hor. Can. 3.* attamen hic
 orandi modus nullatenus est consulendus,
 nec in praxin deducendus. *Pontas.*

NOTA. Hic modus orandi est potius consulendus
 cum attentio, alioquin divisa in sonum verbo-
 rum, sic longè sit collectior ad Deum, quem
 adorare oportet in spiritu & veritate. Sola
 oratio & attentio vocalis est superstitio Eth-
 nica.

CASUS XXVIII. *Sebastianus* Paro-
 chus quotidie recitat Matutinum & Lau-
 des circa horam quartam vel quintam po-

meridianam pro die sequenti, tum ut maturius possit celebrare die altera, tum etiam ut eo commodius possit suis vacare negotiis; peccatne saltem venialiter sic anticipando?

R. In hoc casu, uti proponitur, ne venialiter quidem peccat. S. THOMAS quodlib. 5. art. 28. in corp. & in argum. sed contra.

CASUS XXIX. *Quintinus* presbyter assuetus recitare Matutinum horâ sexta pomeridiana pro die sequenti, semel obliviscitur recitare, nec recordatur hujus oblivionis nisi post biduum. Estne reus alicujus peccati?

R. Aestimo nihil ipsum peccasse. De tali oblivione idem sentiendum quod de ignorantia invincibili, quæ excusat ab omni peccato.

CASUS XXX. *Epimachus* presbyter vel ex inadvertentia, vel præmeditate recitavit aliud Officium ab eo quod illo die occurrebat & præscriptum erat; dubium est an peccaverit, & an teneatur adhuc recitare Officium pro illa die præscriptum; cum de hoc suo errore nihil cogitaverit vel non habuerit saltem scrupulum nisi primùm horâ decimâ nocturnâ?

R. Dicunt aliqui Authores peccari tantum venialiter si recitetur Officium aliud à præscripto; & alii dicunt, quod non peccetur mortaliter si adsit causa legitima: huic opinioni in præsentiarum non subscribimus. Defendimus quippe, talem mutationem contrariam uniformitati quam constanter observat Ecclesia, si sit affectata & studiosè facta, esse peccatum veniale grave. S. Antonin. 3. part. Sum. Theol. tit. 13. c. 4. §. 5. imo juxta *Navarrum* potest etiam esse mortale. *Manual.* c. 19. n. 217.

CASUS XXXI. *Arnulpbus* parochus in Diocesi Lugdunensi semper hucusque recitavit Breviarium juxta morem Romanum; teneturne sub pœna peccati conformare se consuetudini suæ Dioceseos?

R. Tenetur recitare juxta morem Dioceseos Lugdunensis, cum sit membrum hu-

jus Ecclesiæ, ex eo tempore, quo arripuit possessionem & hujus parochiæ *Bellarmin*, de bonis operibus in particulari c. 18. Sacerdos tamen, qui nec Beneficium habet, nec alicui Ecclesiæ est alligatus, potest pro libitu suo dicere Officium vel Romanum vel Diocesanicum, *Conf. Rupel. q. 14. de Offic. Divin. q. 17.*

CASUS XXXII. *Eucberius* Parisiis potiori tempore habitans, in Diocesi Blesensi simplicem possidet Prioratum: questio est, an teneatur dicere Breviarium in illa Diocesi usitatum?

R. Non tenetur; debet recitare Breviarium juxta consuetudinem Diocesis Parisiensis, in qua de facto habitat; conforme hoc est menti *S. Ambrosii* citati à *S. Augustino* *Epist. 36. aliàs 86. in fin. & Epist. 54. aliàs 118. n. 2.*

CASUS XXXIII. *Sigebertus* Diocesis Augustodunensis presbyter, fixo Antisiodori in collegiata quadam Ecclesia domicilio, in qua in choro cantantur horæ Canonice juxta morem & Statuta Dioceseos, privatim semper recitat Breviarium propriæ Dioceseos, quod valde differt à Antisiodorensi, & propterea non curat attendere ad officium publicum, notabilem ejusdem partem absque scrupulo omittens; queritur num peccet?

R. Graviter in hoc casu peccat; destruit quippe uniformitatem, quam Ecclesiæ tanta cum zelotypia conservare festagunt. *Concil. Agath. cap. 30. in Can. convenit 15. de consecrat. dist. 5.*

CASUS XXXIV. *Menander* Subdiaconus Diocesis Atrebatensis studiorum Theologorum causa per triennium commoratus est Parisiis, animò iisdem finibus in patriam redeundi: potestne Parisiis semper recitare Horas juxta consuetudinem suæ Dioceseos?

R. Juxta *S. Augustinum* *Epist. 54. aliàs 118. n. 22.* regula rationi conformior & multumque tutior est, ut quis se conformet Ecclesiæ, in qua actu commoratur, faciliusque quod ibidem usitatum est. Sicut *Menander*

Menander debet recitare Officium quod in Diocesi Parisiensi obtinet.

CASUS XXXV. *Manilius* Sacerdos vix unquam genuflexus recitat suum Officium. Peccatne illud sedens recitando?

R. Decet omnino devotum clericum, ut illud recitet flexis genibus. Non tamen est condemnandus qui illud stans vel sedens persolvit, dummodo in corde suo necessariam attentionem & reverentiam conservet. *Navarrus Manual. de Orat. & Mor. Can. 9. 4.*

CASUS XXXVI. *Jacobus* provisor aliquo Prioratu à suo Episcopo, & *Joannes* eodem Beneficio provisor in Curia Romana, tribus vel quatuor abhinc mensibus in judicio contendunt super hoc Prioratu, cujus uterque juxta formam consuetam possessionem arripuit *titulò Beneficii*. Tenenturne ambo ad Breviarium usque ad finem litis?

R. Quando ipsorum jus verè est incertum & dubium, non tenentur. Arreptio possessionis nullum confertius ad Beneficium; quod si verò alterutrius jus sit justum & certum, illudque jus habens de hoc sit moraliter certus, nullum certè dubium est, quin hic obligatur ad recitationem. Præterea tamen observandum est, illud qui percipit fructus, præ altero obligari, juxta regulam, *Propter quod Beneficium Ecclesiasticum datur. Bonifac. VIII. in cap. Quia fin. de rescript. in 6. lib. 1. tit. 3.*

CASUS XXXVII. *Lavius* Clericus Tutoratus habet Capellam, cujus annui proventus, utpote 100. tantum librarum non sufficiunt honestam ipsius sustentationem. Tenenturne ad quotidie recitandum majus Officium?

R. Censeo ipsum obligari, quia proventus alicujus Beneficii non sunt sola & unica causa obligationis quam contrahit Beneficiatus in ordine ad recitandum Breviarium. *St. Beuve tom. 2. Cap. 15.*

CASUS XXXVIII. *Harduinus* presbyter Beneficiatus cujusdam Ecclesiæ, in qua ab immemoriali tempore receptum est Of-

ficiam juxta Ritus Romanum, putat sufficere, si die 2. Novembris dicat officium omnium Sanctorum, prætermisso Officio Defunctorum, peccatne mortaliter per hanc omissionem.

R. Juxta doctrinam *D. Thomæ* quod lib. 6. art. 8. sacerdos hic peccat mortaliter. Dantur nihilominus Dioceses in quibus præfata die præter officium defunctorum dicitur quoddam officium proprium, & in talibus dioceseos possit absque peccato omitti Officium illud Defunctorum, nisi extaret speciale mandatum Episcopi ad hoc Officium obligans, vel consuetudo habens vim legis.

CASUS XXXIX. Episcopus quidam Galliæ mutat Officium Breviarii jam à tempore immemoriali in sua Diocesi usitatum; potuitne hoc facere propria sua Auctoritate, & capitula quædam quæ super præfata hac ejus potestate appellarent ad Curiam Regis, possuntne profectui suam appellationem?

R. Secundum leges Galliæ Episcopus non potest reformare Breviarium suæ dioceseos absque consensu Capituli & absque assensione Regia publica. Et sic Capitula præfata justè in casu proposito urgent appellationem suam.

Vide *Beneficiatus. Canonicus. Penitentia injuncta. Pensio.*

CASUS XL. Monialis quædam nec interest choro, nec privatim recitat suum Officium.

R. Peccat mortaliter. Potest Superiorissa eximere ex dispensatione monialem à choro, dum id judicat è re fore. Distractiones durante Officio admittæ non semper sunt peccatum mortale. *Fromageau.*

CASUS XLI. Extatne Canon universaliter receptus obligans dicendi publicè *Officium de Beata*?

R. Non extat talis Canon; dicitur tamen officium hoc ex consuetudine introducta ex quo ordines mendicantes in Ecclesia esse cæperunt. In Ecclesiis, in quibus statutis diebus in choro recitatur, nulla est obligatio illud dicendi privatim.

Consuetudo certè & statuta ad hoc non obligant. *Fromageau.*

CASUS XLII. Officium de Beata fuit introductum in quadam Ecclesia unà cum distributionibus pro assistentibus huic Officio.

℞ Debet ergo jugiter continuari nec abrogari potest vel ex toto vel ex parte, nec absentes ab hoc Officio possunt participare ex distributionibus, contraria consuetudo foret abusus omnino tollendus; hæcque obligatio multò fortior evadit, quando originem habet ab aliquo Concilio Provinciali, illud expressè, injungente Ecclesiis suæ Provinciæ.

CASUS XLIII. Decanus quidam recitat aliud Officium ab Officio Ecclesiæ suæ, potestne hoc facere?

℞. Tenetur dicere Officium juxta consuetudinem & praxin suæ Ecclesiæ, præcipuè cum teneatur cantare cum reliquis vi ministerii seu officii sui tanquam caput Canonicorum. *De Lamet.*

Vide *Pontas.*

CASUS XLIV. Sacerdos quidam plerumque dicit Vesperas & Completorium, dum ad nocturnam quietem compositurus sese vestes ponit.

℞. Non peccat graviter, cum actio hæc & similes aliæ non impediunt attentionem & reverentiam. Aliàs frustra egisset Ecclesia præscribendo certas preces dicendas à Sacerdotibus dum manus lavant, & saceris paramentis sese induunt pro sacro dicendo. *Suarez tom. 2. de Relig. l. 4. c. 26. n. 2. Rosig. de ord. art. 31. n. 3. Gavant. c. 5. §. 1. t. 6.*

NOTA. Quod peccet venialiter, certum est, quia non disponunt ad internam attentionem, prout tamen disponunt actiones mysticæ preparatorie ad Missam. Imo consuetudo sic faciendi longo tempore est peccatum mortale.

CASUS XLV. Sacerdos dolore miserè tabescens super morte matris suæ, querit an die obitus illius non sit dispensatus ab onere Breviarii.

℞. Nullo prorsus modo est dispensatus; imo exercitium hoc orationis multò magis conferret ad leniendum quàm irritan-

dum dolorem. *Tambur. l. 2. in Decal. §. Sancti. l. 7.*

CASUS XLVI. Sacerdos quidam ordinariè recitat suas horas in loco, in quo plurimarum distractionum occasionibus expositus est. Satisfacitne præcepto?

℞. Non satisfacit, quando distractiones hæ attentionem & devotionem necessariam ipsi per notabilem partem divini Officii auferunt. Ratio est, quia talis, qui orationis gratiâ voluntariè secedit in locum distractionibus undique patentem, reverà vult esse distractus, ac proin parum curæ sibi habet satisfacere præcepto Ecclesiæ, quando autem hæ distractiones non adeo multum sunt diuturnæ in animo orantis, peccatum ipsius ait veniale; verum præcepto erit satisfactum. *Gavant. in Rubr. March. de Ord. Girib. de Hon. Canon.*

CASUS XLVII. Sacerdos Lugduni habitans ubi cras dicendum est Officium de Feria, sequenti die debet iter facere Viennam Allobrogum ubi recitandum est Officium de aliquo sancto; potestne pridie sui itineris legere vespertas & Matutinum de Sancto.

℞. Potest, sed nequitquam obligatur. Ratio est, quia cum die crastina jam futura sit Viennæ, potest, sed citra obligationem, sese pro illa die conformare consuetudini Ecclesiæ Viennensis. Jam vero cum Officium vespertinum sit pars Officii diei sequentis, probabile est quod possit anticipare tempus, & incipere frui privilegio sacerdotum illius loci, ad quem die crastina accessurus est. *Tambur. Diana. Giribald.*

CASUS XLVIII. Sacerdos quidam querit an teneatur ad horas Canonice illis diebus quibus febri quartana vexatur?

℞. Vel Febris relinquit ægro tantum temporis & virium, ut possit absque notabili suo incommodo explere Officium suum ex toto vel ex parte? an vero non? In primo casu tenetur ad totum Officium vel ad illius partem, juxta proportionem temp-

temporis ac Virium quas habet. In secundo casu ad nihil tenetur. Communissima Doctorum sententia est; talem ægrotum si manè sentiat se sat habere virium ac vigoris ad recitandum integrum Breviarium, teneatur etiam dicere Vesperas, & Completorium, supposito quod prævideat, id sibi per morbum pomeridiano tempore haud possibile futurum. In dubio an teneatur? debet consulere personam prudentem, & si talis nil audeat decidere, infirmus debet deponere suum dubium, ac credere se esse dispensatum.

NOTA. Circa ejusmodi leges humanas relatè ad bonum publicum indifferentes seu adiaphoras juxta me securè licet sequi sententiam æque probabilem in favorem libertatis.

OPINIO.

1. *Opinio juxta Polmanum est actus intellectus ad hærentis objecto asimato vero, cum formidine de opposito.*

2. Dantur opiniones verè probabiles, & aliæ quæ non sunt sufficienter tales. Inter opiniones probabiles dantur etiam aliquæ plus minusve probabiles prout nempe rationes, in quibus fundantur, plus minusve convincentes sunt.

3. Sunt etiam Opiniones, quæ licet minus probabiles, tutiores nihilominus sunt relatè ad conscientiam.

4. Distinguendæ sunt duæ probabilitatis species *extrinseca*, & *intrinseca*, quarum explicatio in decisione invenietur.

5. Conventus Generalis Cleri Gallicani anno 1700. damnavit sequentes undecim propositiones circa probabilitatem, & ex his aliquas quidem, *tanquam falsas, temerarias, perniciosas, & scandalosas, alias verò tanquam injurias, ac contumeliosas antiquis Doctoribus, moralem Theologiam arbitrariam facientes spreta scripturarum ac traditionis auctoritate, viamque pavantes ad humanas traditiones & Doctrinas, Christo prohibente stabiliendas.* An denique alias veluti tendentes ad destructionem veritatum quæ in Evangelio continentur, & erroneas.

CXVI. *Propositio.* Puto omnia esse hodie melius examinata, & hanc ob rem in omni materia, & præcipuè in morali libentius juniores quàm antiquiores lego & sequor . . . doctrina fidei à veteribus; doctrina morum magis à junioribus petenda.

CXVIII. *Propositio.* Ex auctoritate unius tantum potest quis opinionem in praxi amplecti; licet à principiis intrinsicis falsam & improbabilem existimet.

CXIX. *Propositio.* Hæc propositio: sexdecim ad probabilitatem requiruntur, non est probabilis. Si sufficiunt sexdecim, sufficiunt quatuor. Si sufficiunt quatuor, sufficit unus . . . ad probabilitatem suffiunt quatuor: sed quatuor, imo viginti & supra testantur unum sufficere: ergo sufficit unus.

CXX. *Propositio.* Si liber sit alicujus junioris ac moderni debet opinio censi probabilis; dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

CXXI. *Propositio.* Opiniones non debent haberi pro scandalosis & erroneis, quamdiu à Sede Apostolica non sunt correctæ.

CXXII. *Propositio.* Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

CXXIII. *Propositio.* Si quis vult sibi consuli secundum eam opinionem quæ sit faventissima, peccat qui non secundum eam consulit.

CXXIV. *Propositio.* Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: Hinc sententia tantum probabiliter utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis.

CXXV. *Propositio.* Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

CXXVI. *Propositio.* Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

CXXVII. *Propositio.* In morte mortaliter non peccas, si cum attritione tantum Sacramentum suscipias, quamvis actum Contritionis tunc omittas liberè; licet enim unicuique sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori.

Sequens casus continet tres maximè momenti difficultates, frequentiusque ceteris super hac materia recurrentes.

CASUS. *Sylvanus* in materia probabilitatis legit plures Authores, qui defendunt imò posse semper aliquem absque peccato sequi opinionem probabilem, licet fortassis non sit tuta. addò. Licere eandem sequi in conscientia etiam in concurrentia alterius opinionis probabilioris. 3tio. Inter duas opiniones æqualiter probabiles posse aliquem eligere & sequi utramlibet; potestne *Sylvanus* absque peccati periculo in praxi conformare se huic doctrinæ?

R. 1. Per opinionem *probabilem* intelligitur juxta Aristotelem, & D. Thomam opuscl. 39. de fallaciis c. 12. Opinio quam omnes sapientes, vel plerique, vel saltem horum aliqui qui sciuntur esse sapientes, approbant.

2. Juxta Theologos opinio probabilis est iudicium quod fertur de bonitate vel malitia alicujus actionis, quodque reverà fundatur in rationibus proprio iudicio *solidis*, ac talibus, ut possint movere personas pias ac prudentes ad consensum iisdem præstandum; nec tamen excludit metum errandi speculative. Differt opinio probabilis à *conscientia* quæ vocatur *recta*, fundata in principio certo & veritati conformi; cum illa econtra hoc ipso quòd sit probabilis duntaxat fundetur in principio, ex quo falsum æquè ac verum deduci potest.

Differt quoque *Conscientia probabilis ab erronea* in eo, quòd conscientia erronea nitatur principio falso, quod non est conforme legi. Differt etiam à conscientia

dubia, quæ iudicat tantum; subesse periculum peccati faciendo vel omitendo quidpiam quin tamen magis inclinatur in affirmativam quàm negativam; differt denique à *conscientia scrupulosa*, quæ est iudicium fundatum in principiis tantum in anibus ac frivolis.

3. Potest quis tenere opinionem vel ob auctoritates non infallibiles, vel ductus rationibus ex ipsa rei natura deductis; indeque oritur distinctio probabilitatis in *extrinsecam* & *intrinsecam*.

β. Extrinseca non excusat à peccato illud qui juxta, eandem operatur contra opinionem evidenter probabiliorum quando agitur de fide vel moribus. Ita docet *S. Thomas quodl. 1. 3. q. 4. art. 10.*

γ. Probabilitas intrinseca quæ fundatur in ratione probabili animum movente ad assensum speculativum circa veritatem objecti secundum se seorsim spectatam non potest excusare à peccato juxta talem conscientiam operantem circa ea quæ salutem animæ æternam concernunt quando rationes oppositæ sive ab autoritate, sive à ratione sumantur, agnoscuntur esse evidenter probabiliores cum scriptura in hoc casu *intrinsecum* & *extrinsecum* pariter damnet, uti patet ex *proverb. 14. - 2. & ex S. Matthæo 15. 14.*

Sylvanus in praxi debet sequi has regulas, ne memoratorum Auctorum lectio ipsum in errorem inducat, imò leducat

ORATIO.

1. *Orare* est idem ac *exponere Deo proprias suas necessitates*, vel etiam necessitates proximi, cum intentione ac desiderio obtinendi per merita Christi auxilia illa quæ postulamus à Deo.

2. Tres sunt Orationis species, quæ non nisi in modo quo à nobis ad Deum funduntur, differunt. 1mo Enim dantur Orationes *publicæ*, quæ ab Ecclesiæ ministris fiunt in templis aliisque locis specialiter ad hos usus deputatis. 2do Orationes *privatæ*, quas quisvis privatim & pro se persolvit. 3tio. Oratio vel est *vocalis* vel *mental*

talis tantum. Vocalis nunquam meretur nomen veræ orationis nisi dum cor & verba, quæ proferuntur, conspirant. Mentalis est elevatio spiritus & cordis ad Deum, à quo interno affectu petimus auxilia illa, quibus indigemus.

3. Quæcunque Oratio, ad hoc ut sit utilis oranti & Deo accepta, debet esse conjuncta cum debita attentione vel actuali vel virtuali saltem, semperque dirigi ad Deum in nomine & per merita Jesu Christi. Non est absolutè necessarius status actualis gratiæ ad hoc ut utilis sit oratio; debemus nunquam non orare in spiritu humilitatis & in animo contrito. *S. Augustinus* docet utiliter posse nos orare quocunque situ Corporis, vel jacendo, genua flectendo, sedendo aut stando.

CASUS I. Malchio Sacerdos Missionarius in quadam instructione tractans de Orationis necessitate, docuit eandem in pluribus occasionibus esse de præcepto divino; rogatus ut casus illos exponeret, nihil quòd ad rem erat, respondit. Verè est ipsius propositio, & in quibusnam casibus potest defendi necessariam esse orationem necessitate præcepti divini?

R. Propositio hæc Malchionis est satis certa ac vera; invictum assertionis hujus argumentum sunt verba illa Christi: *petite & dabitur vobis &c.* fundatur hæc necessitas in extrema indigentia divinæ gratiæ, quam solus Deus potest nobis largiri. Præcipuæ occasiones implendi hoc à Deo nobis injunctum orandi præceptum sunt 1. Dum inflat morbus, afflictio vel persecutio. 2. Calamitates publicæ. 3. Violenta aliqua tentatio. 4. Extrema necessitas vel periculum salutis proximi. 5. Dum versamur in periculo vitæ. 6. Quando adest occasio audendi magnum aliquid pro Gloria Dei, bono Ecclesiæ vel religionis. 7. Quando versamur in statu peccati mortalis. *Pontas.*

CASUS II. *Jodoco* novello sacerdote, dum sacrum facit, adeo non sufficit recitare Canonem missæ qualis in Missali Romano exhibetur, ut eidem etiam immi-

Diction. Cas. Conf.

sceat preces privatas, quas ad Deum fundit, eliciendo actus fidei, spei & charitatis, contritionis, bonorum propositorum &c. interdum etiam ad B. Virginem & ad Sanctos oratione sua conversa postmodum prosequitur Canonem quem semel & iterum taliter orando interrumpit. An non intempestivæ sunt hujusmodi preces, nonne malè regulata & damnabilis est hæc *Jodoci* devotio?

R. Non possunt excusari talia devotio- nis privatæ exercitia: non licet celebranti quidpiam addere ad Canonem Missæ, si *Memento* excipias. Quid quòd etiam sacerdos toties & sine necessitate interrumpens Canonem Missæ, notabiliter se distrahatur ab attentione quam debet habere ad sensum verborum quæ profert, & ab applicatione ad SS. Missæ sacrificium. Accedit quòd talis orandi modus consuetudini generali hætenus in Ecclesia observatæ planè contrarius sit. *Cardin. Bona lib. 2. cap. 12.*

CASUS III. *Ferrandus* satis modicam domi suæ substantiam possidens, ad pinguiorem fortunam aspirat, ut commodius jucundiusque impofterum vivere possit, quare sæpius in orationibus suis Deum pro amplioribus bonis impetrandis impellat. Peccatne hujusmodi oratione?

R. Quando *Ferrandus* pro fine ac scopo orationis suæ habet solam majorem commoditatem suam temporalem & propriam satisfactionem, peccat hac sua oratione, de qua dici nequit, quòd sit *elevatio mentis ad Deum* uti loquitur *S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 17. in corp.* pro eo ut ad Deum sese eleve, inclinatur se & abjicit desiderando & petendo quòd est infra Deum, nec esse potest finis ipsius principalis & vera felicitas. Juxta Doctorem Angelicum *loc. cit.* fideles non alio intuitu à Deo debent petere bona temporalia, nisi in quantum sunt adjumenta & media obtinendi bona æterna. *Pontas.*

CASUS IV. *Sylverius* in peccatum mortale lapsus, statim admittæ noxæ penitentiam ducitur, cum verò contritio ipsius

tantummodo sit imperfecta, semperque coram Deo peccator perseveret, poteritne accepta esse coram Deo oratio ejus?

R. Verum est quidem, Deum non exaudire peccatorem in peccato suo perseverantem & quasi inordescentem; attamen ex speciali misericordiae suae effectu exaudit eos, qui peccato suo ex corde renuntiantes redire in gratiam desiderant, modo oratio ipsorum quatuor has conditiones adjunctas sibi habeat, quas D. Thomas enumerat 2. 2. q. 73. art. 16. in corp. ut scilicet pro se petat, *necessaria ad salutem, pie & perseveranter. Sylvesterii* ergo, tametsi peccati mortalis rei, oratio poterit esse Deo accepta, quia de commisso peccato dolet, & serio in gratiam redire studet. *Pontas.*

CASUS V *Theorianus* verbi apud Calvinianos minister nuper ad Ecclesiam Romano-Catholicam reversus, videtur adhuc conservasse quasdam reliquias Calvinismi; quia, licet eidem serio renuntiaverit; nunquam tamen nec ad B. Virginem nec ad Sanctos, sed ad Deum per Jesum Christum orationes suas dirigit. Estne erronea & damnabilis haec ejus orandi ratio? quid agendum ipsius confessario?

R. Pium ac bonum & utile est invocare Deiparam & Sanctos cum Jesu Christo in Coelis regnantes tanquam intercessores apud Deum per merita Jesu Christi; nec absque errore damnari potest haec invocatio. Hinc licet necessarium non sit ad Salutem invocare Sanctos, tamen si *Theorimus* cultum Sanctorum non reprobet tanquam erroneum, semperque sit dispositus ad eosdem, si id praecipitur, orationibus suis invocandis non est inquietandus super hac materia a suo Confessario. *Pontas.*

NOTA. Monendus tamen *Theorianus*, puniendum fore a Deo etiam *contemptum interpretativum* eorum, quae morali certitudine, imo per ipsam professionem fidei, & generalem praxin ac sensum fidelium, nec non per universalem experientiam sensuum & mentium constar, esse inspirata, approbata, & commendata a Deo.

ORATORIUM.

I. Duae dantur Congregationes *Oratorii*; Romae una, & in quibusdam Italiae locis, a *S. Philippo Nerio* instituta, quae nullis regulis, sed doctrinae tantum morali Evangelii adstringitur, nec alias qualescunque Regularium constitutiones adoptavit. Instituti hujus alumni nullo obligantur voto sed solo vinculo mutuae civitatis; hunc spiritum tenentur perpetuo conservare in eoque perseverare & si quisquam vellet adstringere congregationem ad aliqua vota emittenda, omnino non audiretur, etiamsi major reliquorum numerus ab ipsis partibus & opinionibus staret. Romae haec congregatio habet domum, ei tamen non licet aliarum domorum suscipere regimen, sique alibi erigantur domicilia, illa Romano non erunt annexa ad constituendum unum inter se corpus, sed quodlibet juxta id quod Romae est, regulatum proprio suo regimine & stare & conservari debet, sique formare quasi totidem corpora nullo inter se nexu ab invicem dependentia. Tria tamen hodie dantur inter se unita. Romanum Oratorium Superiorem habet quem *Prapositum* vocant, quatuorque presbyteros eidem ad assistentiam datos ac deputatos. Superior habere debet aetatis ad minimum quadraginta, & quindecim in congregatione transactos; eligitur per pluralitatem votorum a Presbyteris qui decennium solidum in domo exegere. Est tantum triennialis nisi confirmetur. Penes ipsum est cura temporalia administrandi. Ipse una cum quatuor suis Assistentibus constituit Officiales domus, qui & ipsum tantum per triennium tantum possunt stare in Officiis suis, debentque habere annos aetatis saltem viginti duos, sed pauciores quam quadraginta quinque. Exacto in Congregatione triennio censetur quis ejusdem esse membrum, nec potest amplius ex illa dimitti nisi ob valde graves culpas. In tali casu causa hujus judicium pertinet ad omnes presbyteros qui decennium jam in Congregatio-

ne expleverunt, requirunturque in ordine ad expulsionem duae partes tertiae suffragiorum.

2. Altera Oratorii Congregatio per Galliam & etiam Belgium florens fuit instituta Anno 1611. a Cardinale *Berullo*. In Conventu Patrum Oratorii Parisiis Anno 1631. celebrato agente *P. de Gondri* qui secundus Generalatum gessit, fuit decisum; statum Clericorum Oratorii esse pure Ecclesiasticum; nullum ex hac congregatione posse ligari quovis voto sive simplici sive solemniter; separandam hoc ipso a corpore Congregationis esse, quisquis vel alium voluerit adstringere ad emittenda vota, vel ipsemet emiserit. Definitum insuper fuit supremam Auctoritatem Congregationis residere in toto corpore debite ac legitime Congregato, eidemque ipsum etiam Generalem esse subiectum, cujus est sequi in omnibus pluralitatem suffragiorum, ita tamen ut duorum votorum ferendorum ipsi jus competat. Ad continendam justis limitibus potestatem Praepositi Generalis, duo ipsi junguntur Assistentes, cautumque est, ut qui patrimonium habent, statutam quamdam pensionem solvant.

CASUS. Obliganturne Patres Oratorii Gallicani sub peccati reatu statutis in conventu Generali congregationis suae Conditis?

R. Cum statuta haec vel decreta obligent sub peccato, quod in certis circumstantiis etiam potest fieri mortale, tenentur utique accommodare se talibus statutis. *Fromageau.*

NOTA. Mirum est, quod Statuta hujus Congregationis, a qua excluduntur omnia vota. Licet fundata in Consiliis Evangelicis, obligent sub peccato, dum econtra Statuta, Constitutiones, & ipsius Regulae decreta in Ordinibus Religiosis credantur non obligare sub peccato.

ORDINATIO.

CASUS I. Quisnam est *Episcopus Ordinationis*?

R. Juxta Bullam Innocentii XII. Episcopus Ordinationis ille agnoscitur in cuius Dioecesi quis natus est. Absque hujus dimissorialibus literis nullus alius Episcopus cuiquam potest conferre tonsuram Clericalem.

CASUS II. Potestne Episcopus adstringere clericum a se ordinatum, ad inserendum Ecclesiae in sua Dioecesi?

R. Potest hoc etiam sub poena suspensionis adversus inobedientes ferenda, priusquam tamen poenam hanc imponat, bene faceret, si in Synodo Dioecesana moneret, Clericos imposterum a se ordinandos teneri omnes ad serviendum in aliquo Officio Ecclesiastico, sectis non admittendos ad Curam & parochias Dioeceseos.

CASUS III. Incurritne irregularitatem Acolythus Subdiaconi functionibus sese ingerens?

R. Quando hoc fecit absque manipulo, & absque Vasorum sacrorum contractu, non incurrit irregularitatem, utpote cum id non fecerit solemniter. *Fromageau.*

CASUS IV. Potestne Episcopus Clerico concedere literas dimissorias ad effectum suscipiendi Ordines in alia Dioecesi?

R. Potest. Imo potest iisdem concedere licentiam recipiendi Ordines ab Episcopo loci ubi morantur, modo credat ipsos satis idoneos ac habiles ad ministerium Ecclesiae. *De Lamet.*

NOTA. Per Constitutionem Benedicti XIV. debet in Dimissorialibus etiam exprimi causa, cur non ordinetur in propria Dioecesi.

CASUS V. Clericus ob animi deliquium, in quod durante ordinatione labitur, non potest recipere ultimam manuum impositionem. Oportetne illam in alia subsequenti ordinatione supplere, vel reiterare primam?

R. Sufficit si suppleatur. *Fromageau.*

CASUS VI. Valentne Dimissoriae ab Episcopo in omnem eventum Concessae, etiam nulla easdem petendi, praesenti necessitate urgente.

℞. Quamdiu non fuerint revocata ante ipsius mortem, quovis tempore suum habebunt effectum.

CASUS VII. Religiosus aspirans ad Ordines, & ab Episcopo repulsus, ab ejusdem Coadjutore petit recipit Ordines.

℞. Religiosus hujusmodi incurrit suspensionem. *Fromageau.*

CASUS VIII. Ecclesiasticum Statum amplexurus adolescens quidam suo sese Episcopo sistit pro Tonsura Clericali, à quo repulsus in aliena postmodum Diocesi furtive & absque Dimissoriis tonsuratur.

℞. Nullas quidem incurrit Censuras, attamen peccat gravissime. Interim tamen debet rehabilitari à suo Episcopo, imò etiam Romam recurrere, ut possit possidere Beneficia. *Fromageau.*

CASUS IX. Abbas quidam Jurisdictioni Episcopi subjectus præterito Episcopo cui Abbatia subest, Religiosos suos mittit ad Extraneum Episcopum Sacris Ordinibus ab eodem initiandos.

℞. Non potest hoc facere Abbas; & quando ex parte Abbatis & Religiosorum intervenit mala fides, Abbas incurrit suspensionem, Religiosi non sunt canonicè ordinati, potestque per censuras cogere Abbatem Episcopum, ut ad se tantum nec ad quemvis alium pro ordinibus recipiendis Religiosos mittat. *Fromageau.*

CASUS X. Religiosus suscipiendo ordines ratificatne hoc ipso tacite vota professionis suæ?

℞. Cum susceptio ordinum, & Professio Religiosa sint duæ res valde diversæ, recipiendo ordines non censetur quis ratificare vota sua. *Fromageau.*

ORDINES.

1. Ordo in genere est Sacramentum, quo Clerico confertur gratia habitualis, & certa potestas Spiritualis in ordine ad conficiendam Evcharistiam, ritèque obsequandas functiones illas, quæ ad ejusdem administrationem pertinent.

2. Juxta S. Thomam septem sunt diversi Ordines. Quatuor nempe quos *Minores* vocant, suntque *Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolybatatus*. Tres Ordines Sacri, *Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus*. Quibus S. Isidorus addit *Episcopatum*.

Quilibet horum septem Ordinum est verum Sacramentum.

3. *Ostiariatus* pro materia sua habet Claves Ecclesiæ quæ Episcopus ordinando tradens dicit: *Sic agito, quasi redditurus Deo rationem &c.*

4. *Lectoratus* habet librum sacrum, qui traditur his verbis: *accipe, & esto velatur verbi.*

5. Exorcista ex manibus Episcopi accipit Librum Exorcismorum, Acolythus verò Urceolos tanquam materias horum Ordinum.

6. Juxta Concilium Tridentinum solus Episcopus est Minister Ordinarius Sacramenti Ordinis.

7. Duo in Sacramento Ordinis distinguendi sunt effectus. Primus & præcipuus est gratia habitualis; secundus est character animæ impressus, quique necessarib & essentialiter supponit Sacramentum Baptismi & Confirmationis ex necessitate præcepti.

8. Functiones Subdiaconi sunt juvare Diaconum eique servire in ministerio Sacro, solemniter cantare Epistolam in Officio summo, aquam affundere vino in calicem à Presbytero in Missa solemniter consecrandum, apertum tenere librum Evangelii, dum illud cantatur à Diacono, eumque exosculandum afferre presbytero, Oblationes Fidelium recipere; præferre crucem in processionibus absente Acolytha, habere curam lintheaminum & vasorum sacrorum ad sacrificium Missæ pertinentium; lavare etiam corporalia, Purificatoria & Palas.

9. Diaconi functiones sunt ministrare Sacerdoti solemniter celebranti quicquid ad celebrationem pertinet, cantare Evangelium, instruere populum & in defectu pres-

presbyteri prædicare verbum divinum cum licentia Episcopi, in casu necessitatis solemniter administrare Baptismum, ab Ecclesia expellere Infideles, Energumenos, Excommunicatos ut tales denunciatis, Interdictos, aliisque ab ingressu Ecclesiæ prohibitos.

10. Functiones Presbyteri sunt consecrare corpus JESU Christi, administrare omnia Sacramenta, præterquam Confirmationis & ordinis; instruere, prædicare, atque in via salutaris dirigere Fideles, benedicere aquam & Sal diebus Dominicis, aquam Baptismalem, Cereum Paschalem, panes sub Missis solemnioribus ad Altare offerendos, & reliqua omnia quorum benedictio non est reservata soli Episcopo, uti benedictio Abbatum & Abbatissarum, Regum & Reginarum quando ex more antiquo consecrantur, consecratio item Ecclesiarum, Altarium, & Sacrorum oleorum Infirmorum nempe & Catechumenorum pro Baptismo, ac charismatis pro Confirmatione; præter alia quædam quæ Ecclesia potest committere presbyteris, qualia sunt benedictio Sacellorum privatorum, Ornamentorum Ecclesiæ, cæmeteriorum, campanarum, fasciarum, & vexillorum militarium.

11. Absque Dispensatione Summi Pontificis Ordines non possunt recipi extra quatuor tempora, nec ante ætatem à SS. Canonibus præscriptam.

12. Præter requisitam ætatem oportet etiam, ut Ordinandus habeat probatæ vitæ ac morum testimonium, careatque omni impedimento Canonico, nempe ut non sit bigamus, suspensus, aliisve censuris innodatus, aut defectu natalium laborans.

13. Quando suscipiuntur Ordines absque vera vocatione divina, species quædam sacrilegii committitur.

14. Quatuor minores Ordines communiter simul ac eodem die conferuntur. Licet tamen nunquam uno eodemque die possunt recipi duo Ordines majores: bi-dui saltem intervallum requiritur.

15. Non tantum peccat quis mortaliter suscipiendo Ordines sacros ante legitimam ætatem, sed incurrit etiam suspensionem donec ab Episcopo absolvatur.

16. Non possunt absque crimine suscipi Ordines *per saltum*, id est, non potest suscipi ordo gradus Superioris, antequam quis actu initiatus sit ordine inferiori.

17. Tandem non potest quis ordinari ab alio quam à suo proprio Episcopo sine dimissorialibus ab eodem obtentis.

18. Omnes ministri Ecclesiæ de quibus hucusque fuit sermo, intelliguntur sub hoc vocabulo *Clerus*, quod derivatur à Græca voce *Κληρος*.

19. Græca Ecclesia non convenit cum Latina circa numerum Ordinum minorum; illa enim solum *Lectoratum* habet pro Sacramento, reputans reliquos tres Ordines tanquam meras cæramonias Ecclesiasticas, quarum functiones exercentur à Lectoribus & Subdiaconis, sicut Superiores Ordines exercentur à Diaconis & Presbyteris. Verumtamen hæc Ecclesiæ Græcæ consuetudo non reprobatur nec condemnatur ab Ecclesia Romana.

CASUS I. Episcopus quidam Galliæ ordinavit Guillelmum in alia Diocesi natum, absque permissione ab Episcopo originis obtenta. Quæstio est, an Episcopus hic peccaverit, incurreritque aliquam pœnam Canoniceam?

℞. Clerus Gallicanus ad occurrendum difficultatibus ratione Episcoporum Domicilii & Beneficii occurrentibus, in Conventu suo A. 1655. statuit, ut juxta præscriptum Concilii tridentini nullus Episcopus conferat Ordines nisi iis tantum, qui vel in propriis ipsorum Diocesisbus nati, vel saltem dimissorias literas à suis Episcopis exhiberent; adeoque Episcopus de quo in præsentiarum est sermo, non tantum peccavit valde graviter, verum etiam incurrit pœnam à tridentino, quod circa hoc punctum in Gallia receptum est, latam sic ordinando Guillelmum, nisi hic per continuum triennium fuerit de ipsius familia, vel nisi in ipsius Diocesi acquisive-

rit legitimum domicilium. Adde talem Episcopum absque iusta & valde gravi causa non posse recedere à consuetudine, quæ tanto jam tempore in Gallia obtinet.

CASUS II. Tiburtius ex Diocesi Nemausiensi Originem habens, & uno ab hinc mense Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Mospeliensis jam per quadriennium apud Episcopum Carcassonensem munere Secretarii fungitur; volens jam recipere Ordines minores & majores, ac postmodum administrare suum Beneficium, quæritur à quonam trium illorum Episcoporum possit ordinari Canonicè?

R. Extra dubium est, Tiburtium posse eligere quemlibet ex his Episcopis. Nemausiensis enim respectu ipsius est Episcopus Originis, quoad Mospeliensem sufficit Beneficium ab eodem non fuisse obtentum in fraudem, ac tandem Carcassonensis Episcopi verè est Domesticus. *St. Beuve tom. 1. cas. 12. & 13.*

CASUS III. *Bertrandus* natus ex Diocesi Engolismensi, apud Namurcensem Episcopum per quatuor vel quinque annos in Secretarii munere ministravit. Ab hoc Episcopo recepit tonsuram & quatuor minores unà cum Subdiaconatu, tandem verò ab illius successore Diaconus & Presbyter ordinatus est absque ullis Dimissoriis ab Engolismensi Antistite obtentis. Dubium jam est, an omnes hæ ordinationes fuerint Canonice, nullamque censuram incurrerit *Bertrandus*?

R. Evidens est Episcopum Namurcensem *Bertrando* utpote Domestico suo juxta dispositionem tridentini potuisse conferre tonsuram unà cum minoribus & Subdiaconatu. Et si idem *Bertrandus* in hac Diocesi suam continuavit residentiam, in eadem potuit etiam recipere Diaconatum & Presbyteratum ab ejus Successore tanquam suo Episcopo Domicilii. *St. Beuve tom. 1. cas. 12.*

CASUS IV. *Appius* natus Aurelianensis omnes Ordines suscepit ab Episcopo Cadurcensi cui per triennium fuit ab ero-

gandis eleemosynis. Teneturne Episcopus hic ipsi providere de Beneficio statim ac Ordines ipsi contulit; juxta Decretum Concilii tridentini statuentis Episcopos in simili casu ad hoc obligari *Sess. 23. de Reform. cap. 9.*

R. Si *Appius* non aliunde habeat bona congruæ sustentationi sufficientia, Episcopus Ordinator tenetur in conscientia ipsi providere de Beneficio, vel donec provisus sit de alio Officio unde congruè sustentari possit. *Cabassut. l. 1. cap. 14. n. 2.* & hujus ratio est, ne *Appius* cogatur mendicare. *Pontas.*

CASUS V. *Honoratus* in Diocesi Andegavensi natus inde uno ab hinc Anno egressus apud Rhedones perpetuum domicilium fixit. Suscepturus jam Ordines potestne eosdem petere ab Episcopo Rhedonensi absque Dimissoriis Episcopi Engolismensis?

R. Ex quo bona fide Domicilium suum fixit in Diocesi Rhedonensi, rectè ac legitimè ab hujus Episcopo potest petere Ordines. *St. Beuve tom. 1. cas. 12. & 13. & tom. 2. cas. 17.*

CASUS VI. *Eberhardus* Clericus tonsuratus ex Diocesi Blesensi in qua actu moratur, in Pictaviensi Diocesi possidet Beneficium Capellanice, cujus annui proventus ad 100. libras excurrunt. Potestne bonâ Conscientiâ ratione hujus sui Beneficii ordinari ab Episcopo Pictaviensi tanquam proprio suo Ordinario?

R. Cum antiqua Ecclesiæ disciplina quoad Beneficia fuerit immutata, & plerique Authores non exigant residentiam in Beneficio simplici, teneantque eadem posse possideri quin actu à Beneficiario in persona administrantur, habentes talia Beneficia simplicia non ab alio quam ab Episcopo suæ Originis possunt ordinari quando non resident in Diocesi Beneficii. Sicque *Eberhardus* non potest suscipere ordines à Pictaviensi Episcopo. *Pontas.*

CASUS VII. *Fastredus* Clericus tonsuratus Burdigalæ natus, & tolosanæ Ecclesiæ Canonicus ubi per plures jam annos residet, susce-

susceptis tonsurâ & minoribus ab Archiepiscopo tolosano propositum sibi habet recipere Ordines Sacros ab Archiepiscopo Burdegalensi Præfato suæ originis. Opusne habet Dimissoriis Archiepiscopi Tolosani?

R. Ex quo Clericus pluribus Episcopis ex variis titulis subiectus sibi unum delegit ad recipiendos ab eo Ordines, adeo Episcopi hujus jurisdictioni subiectus manet, ut non ampliùs penes ipsum stet eadem se subtrahere. *Cabassut. l. 4. c. 2. n. 4.* Ex quo sequitur *Fastredum* non posse accipere Ordines ex manibus Archiepiscopi Burdegalensis absque Dimissoriis Tolosani. *Pontas.*

CASUS VIII. *Firmilianus* Archiepiscopus Neapolitanus existens in Diocesi Episcopi Monopolitani Suffraganei sui, absque Episcopi hujus consensu Presbyteratus ordinem contulit Diacono cuidam? quæritur an peccaverit, incurreritque pœnas Canonicas?

R. Peccavit certè, & incurrit pœnam suspensionis latam à Tridentino *sess. 29. de Reform. cap. 8. id quod D. Thomas* diu ante hoc Concilium docuit.

CASUS IX. *Manilius* Clericus tonsuratus ob indignitatem repulsus fuit pro semper ab Ordinibus. Interim tamen in eadem ipsa Diocesi obtinuit parochiam in curia Romana, proque *Visa* seu Approbatione ad curam obtinenda Metropolitanum imploravit. Cumque sit obligatus ad suscipiendum intra annum Sacerdotium nî velit excidere jure suo ad parochiam, potestne à suo Diocesano jam rejectus, ordinari à Metropolitanano? & postquam jam ordinatus est, potestne Episcopus adstringere parochianos ne tanquam parochum suum agnoscant *Manilium*?

R. Metropolitanus hic nec debet nec potest Ordinare *Manilium* absque expressa licentia proprii Episcopi, qui in iis, quæ jurisdictionem voluntariam concernunt, quemadmodum in conferendis vel negandis ordinibus nullum omnino Superiorem supra se agnoscit. Interim tamen iniquè

agit Episcopus non agnoscendo *Manilium* pro parochio, imo etiam prohibendo parochianis, ne ut talem agnoscant. *St. Beuve tom. 2. cas. 39.*

CASUS X. *Ætius* Episcopus Schismaticus, Hæreticus, & Excommunicatus contulit Ordines tam minores quam majores. Quæstio est, num validè ordinaverit?

R. Hæ Ordinationes sunt validæ juxta Canonem 8. *Concilii Nicæni 1mi.* Sciendum tamen est, eos qui scieater à tali Episcopo suscipiunt Ordines, incurrere suspensionem Papæ reservatam. *Confer. Andegav. Mens. Septemb. 1712. q. 2.*

CASUS XI. *Æmilius* ordinatus fuit presbyter à suo Episcopo, qui sub ordinatione ipsi præbuit tangendum calicem in quo ex incuria & inadvertentia nec vinum nec aqua continebatur. Habétne anam dubitandi ac timendi de valore suæ ordinationis?

R. Ipsius dubium est rationabile juxta Doctrinam *D. Thomæ Opusc. 5. de Sacrament. Eccles. tom. 17. fol. 92.* Adeoque *Æmilius* debet accedere suum Episcopum, ipsumque rogare, ut ordinationem circa se factam repetat. *Fagnan. in can. cum venisset 1. de Sacra unctioe l. 1. tit. 15. &c.*

CASUS XII. *Leidradus* accipiendo Presbyteratus Ordinem instrumentis Ordinibus sibi ab Episcopo porrectis non nisi manus admovit, absque ullo contactu physico. Valétne ipsius Ordinatio?

R. Juxta *Moldonatum* valida effet ipsius ordinatio. Attamen plures alii insignes Theologi sequuntur opinionem contrariam, quæ etiam firmatur Autoritate *D. Thomæ in 4. dist. 24. q. 1. art. 1. q. 5. ad 3.* Sed quia in dubio semper debemus sequi sententiam tutiorem, præsertim quando agitur de valore alicujus Sacramenti, absolute tenendum est *Leidradum* debere recurrere ad suum Episcopum ut privatim suppleat quod fuit omissum. *Innoc. III. in cap. Pastoralis 1. de Sacram. non iterandis.*

dis. l. 1. lit. 16. & Gregorius IX. in cap. Presbyter fin. eod. tit.

CASUS XIII. *Eustadius* presbyteratus ordinem suscipiens tangendo calicem & hostiam, patenam tamen nequam tetigit. Habéne causam dubitandi legitimam & rationabilem de valore suæ ordinationis? Estne de novo ordinandus sub conditione saltem?

℞. *Eustadii* dubium omni fundamento caret, nec opus est ut de novo ordinetur. *Sylvius resolut. var. v. Presbyteratus.*

CASUS XIV. *Raimundus* Diaconus ordinatus non tetigit instrumenta illa, quæ Episcopus ordinandis porrigit. Estne valida ipsius ordinatio?

℞. Theologi non satis conveniunt circa materiam & formam Diaconatûs. Aliqui defendunt solam manuum impositionem esse materiam ordinis Diaconatûs, & orationem Episcopi ejusdem constituere formam: alii econtra tuentur impositionem manuum, Stulam & Balmaticam, unâ cum traditione libri Evangeliorum esse materiam, formam verò consistere in iis verbis, quæ ab Episcopo, dum sacrum hunc librum ordinandis tangendum exhibet, pronuntiantur. Juxta priorem sententiam *Raimundi* ordinatio valida est, ita tamen ut debeat recurrere ad Episcopum ut omissa in priori ordinatione suppleat. *Innoc. III. in cap. Pastoralis. & Gregor. IX. in cap. Presbyter. fin. de Sacramentis non iterand. l. 1. cap. 6. l. 16.*

CASUS XV. *Vitalis* Subdiaconatum recipiens non tetigit instrumenta huic ordini propria sibi ab Episcopo porrecta. Estne validè ordinatus?

℞. Primis undecim Ecclesiæ sæculis Subdiaconatus minoribus duntaxat ordinibus fuit annumeratus uti probant *Card. Roux. P. Morinus, & P. Thomassinus. Auctor Conferentiarum Lucionensium tom. 8. conferent. 4. q. 3. de Sacramento Ordinis.* Observat posse distinguî tres gradus per quos Subdiaconatus elevatus fuit ad ordinem sacrum; primus est cœlibatus à

S. GREGORIUS eidem annexus. *Secur-*

us est permissio seu indultum *URBANII*, qua conceditur, ut Subdiaconi in casu necessitatis possint assumi ad Episcopatum. *Tertius* est Declaratio *INNOCENTII III.* qua absque dispensatione Pontificia possunt eligi.

Potest defendi in casu ut hîc proponitur *Vitalem* verè & reipsa Subdiaconatum, utpote cum innoxie dici possit Subdiaconatum non esse Sacramentum, cum nec materiam nec formam sibi essentialiam habeat. Et si habeatur pro vero Sacramento, tamen dici potest *Vitalem* esse validè ordinatum per solam impositionem manuum Episcopi, quam manuum impositionem Ecclesia Græca tanquam solam & unicam materiam Sacramenti Ordinis agnoscit.

Sed quidquid sit, in dubio tenendum id quod est securius, & sic *Vitalis* debet recurrere ad Episcopum, ut is Secretò suppleat quod fuit omissum.

NOTA. Cum presbyteratus validè suscipiatur abque prævio Ordine Subdiaconatus, & Diaconatus, non est anxie curandum de horum valore, aut suppletionem. Sufficit, quod prædenter credam, esse validè susceptos.

CASUS XVI. *Enguerandus* nunquam recepto hucusque Baptismo initiatus est omnibus Ordinibus Sacris; baptizatus postmodum poteritne validè exercere Ordinum suorum functiones?

℞. Cum Ordinatio ipsius fuerit invalida, nullam collatorum sibi Ordinum potest exercere functionem. *S. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. art. 2. q. 5. in corp. & antiquum Concilium Gallicanum, cujus Decretum habetur in corpore Juris in cap. si quis. 1. de presbyt. non baptizato l. 3. tit. 3. ait: baptizetur & iterum ordinetur.*

CASUS XVII. *Patritius* planè & tota qua pollet Autoritate vult, ut *Simplicius* nepos ipsius Acolythus aspiret ad Ordines sacros, pessima eidem nî paveat, minitandò. Hoc perquam Gravi metu compulsus fit Subdiaconus, & ne ad altiores quoque Ordines suscipiendos cogatur,

tur, fugam arripit. Estne valida ipsius ordinatio?

℞. Nullum est dubium, quin valeat. *Innoc. III. in cap. majores. 3. de Baptis. & ejus effectu l. 2. tit. 42.*

CASUS XVIII. *Aubricus* nunquam antehac recepta Clericali tonsurâ initiatus fuit reliquis omnibus Ordinibus minoribus & majoribus eorundemque semper exercuit functiones. Estne suspensus ipso facto, eoquod ordinatus fuerit *per saltum*? Estne etiam irregularis propterea, quod exercuerit functiones collatorum sibi ordinum?

℞. Nec est suspensus nec irregularis, quia tonsura non est Ordo juxta *Sylvium Resolut. var. v. Ordo 2.* Attamen culpæ obnoxius est ob neglectam tonsuram ante susceptos Ordines.

CASUS XIX. *Eulogius* nondum recepto Confirmationis Sacramento suscepit tonsuram & Ordines minores; verum cum propositum sibi habeat recipiendi hoc Sacramentum, & ea solùm de causa de eodem nondum suscepto siluerit, quod timuerit, remittendum se fore ad aliam futuram ordinationem, quæritur an peccaverit?

℞. Non potest excusari *Eulogius* à gravi peccato, utpote cum in præsentia materia violaverit præceptum Ecclesiæ, interim tamen validè fuit tonsuratus & Ordinatus, quia juxta *S. Thomam in 4. dist. 24. q. 1. art. 2. q. 4.* Confirmatio ante ordinationem necessaria tantùm est *necessitate congruentiæ.*

CASUS XX. *Theophanes* Archi-Episcopus Corinthi presbyteratum contulit cuidam mancipio, cujus ignorabat conditionem servilem. Estne valida hæc ordinatio?

℞. Cum conditio libera necessaria tantùm sit *necessitate præcepti* juxta *S. Thomam loc. cit. dist. 25. q. 2. art. 2. q. 1. in corp.* Pro indubitato tenendum est, ordinationem fuisse validam.

CASUS XXI. *Mævius* amentia maculâ dudum vitiatu videns Episcopum

Diction. Cas. Conf.

conferre Presbyteratûs ordinem compluribus Diaconis, iisdem sese immiscet & presbyter unâ cum aliis ordinatur. Estne hic verè presbyter? & si aliquando ad sanam mentem rediret, deberétne haberi pro Presbytero;

℞. Infantes & amentes sunt inhabiles ad Ordines recipiendos, utpote cum nec qualitates nec dispositiones requisitas habeant, & aliunde etiam amentia utî infantia inter irregularitates numeretur. Nihilominus tamen Ordinatio *Mævii* valida est, quamquam illicita, tenendumque omnino est, *Mævium* Characterem Sacerdotalem accepisse. *Conferent. Lucion. tom. 8. conf. 10. de Sacram. ord. q. 2.*

NOTA. Censeo, ordinationem infantis & amentis esse invalidam.

CASUS XXII. *Maximus* Episcopus Port Alegrensis non inveniens subjecta Sacris ordinibus digna, quibus curam Ecclesiarum Dioceseos suæ, pastoribus suis magna ex parte destitutarum tutò committere posset, potéstne absque peccato mortali ordinare interim personas, quarum depravati vel scandalosi mores ipsam non latet, usquedum digniores inveniatur?

℞. Indubitatum est ipsam peccaturum mortaliter tales personas ordinando. Talis quippe ordinatio ingens damnum causaret Ecclesiæ, maximumque simul præjudicium afferret honori Deo debito, qui utique honor nec reddi nec promoveri potest per indignos ministros. *S. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. q. 4. in corp.*

CASUS XXIII. Potéstne saltem *Maximus*, de quo in præcedenti casu sermo erat, urgente gravi necessitate ad Sacerdotium promovere tales, quos planè rudes ac ignorantes, attamen virtuosos & vitæ valde exemplaris esse novit.

℞. Non potest citra crimen promovere talia subjecta. Ignorantia enim in persona Ecclesiastica non minor est defectus quam mores depravati. *Gelasius in can. Illiteratos 1. dist. 36.*

CASUS XXIV. *Hilarinus* Diaconus annos natus 25. ob collatam sibi parochiam

T t t t

quam-

quamdam, tenetur vi ejusdem collationis quamprimum & absque dilatione suscipere presbyteratum: admittitur ergo à Vicario Episcopali, ipsi etiam Episcopo pro Ordine presbyteratus sibi conferendo se sistit. Scit autem Episcopus Hilarinum hunc homicidium occultum commisisse. Potestne ab eodem tuta conscientia ordinari, an verò potius repellendus est ab Ordinibus?

R. Videtur circa præsentem difficultatem simili ferè modo discurrendum esse, veluti circa talem, qui cum sit peccator occultus publicè petit communionem à Sacerdote, qui solus criminum ipsius occultorum notitiam habet. Non potest ergo Episcopus se excusare à Presbyteratu Hilarino conferendo, non enim posset ipsum repellere absque publicæ infamiae nota. *Alex. III. in cap. ex tenore 4. de temp. Ordin. l. 1. t. 11.*

CASUS XXV. *Symmachus* in examine pro Ordine Presbyteratus rejectus à suo Episcopo, nihilominus tamen in ipso ordinationis actu reliquorum ordinandorum turbæ sese immiscens irrepit. Protestatur Episcopus publicè & alta voce, quòd si quis illorum qui ab ipso rejecti fuissent in examine, ausu temerario reliquis sese immiscere, nullam se habere intentionem tali conferendi Ordines. At verò nihil hac Episcopi sui protestatione & declaratione territus *Symmachus* immotus persistit, unaque cum reliquis presbyter ordinatur, quin ab Episcopo fuerit agnitus, paulòque post Missam ut alii celebrat. Quæritur jam, num validè fuerit ordinatus, validèque consecraverit!

R. Dicimus ordinationem *Symmachus* esse validam non obstante protestatione & declaratione Episcopi, quando Prælati hic tacitè revocavit declarationem suam Generalem, quod & fecisse ipsum colligitur ex actuali intentione quam habuit eidem actu conferendo Presbyteratum; Deciso hæc conformis est sententiæ *Cassutii l. 3. c. 16. n. 15.* cum præsumendum neutiquam sit, Episcopum voluisse

applicare formam materiæ Sacramenti absque intentione Sacramentum hoc verè conferendi, Sacrilegium enim committeret tali profanatione.

CASUS XXVI. *Baldricus* Diaconus ex Diocesi Nicæensi ad Varum, qua erat solertia ac ingenio, evicit apud Episcopum Albensem, ut ab eodem Presbyter ordinaretur; nullis à proprio suo Episcopo obtentis Dimissoriis. Incurruntne propterea aliquam pœnam Canonicam?

R. *Concilium trident. sess. 23. de Reform. cap. 8.* decidit hanc quæstionem, statuendo ut Episcopus ordinans Diocesanus alterius Episcopi sine Dimissoriis, per annum sit suspensus à collatione Ordinum; taliter verò ordinatus sit suspensus ab exercitio Ordinum sic susceptorum tandiu, quamdiu proprio ipsius Episcopo bene visum fuerit. Adeoque *Baldricus* incurrit suspensionem.

CASUS XXVII. *Ursinus* annos haud plus quàm sex ad summum ætatis habens à suo Episcopo non tantùm tonsuram clericalem, sed etiam quatuor Ordines minores accepit; quæritur an validè sit ordinatus, potueritque ab Episcopo ordinari absque peccato?

R. Parvulus hic validè fuit ordinatus, juxta *S. Thomam* qui sequitur doctrinam Magistri *Sentent. l. 4. dist. 25. n. 17.* potuitque Episcopus ex justa vel gravi causa ipsi absque ullo peccato conferre tonsuram & Ordines minores, uti expressè habet Doctor Angelicus *Supplem. S. Thom. q. 39. art. 2.* Si necessitas adsit & spes profectus. Attamen rarum est, ut duæ hæc condiciones concurrant in tali Ordinatione. Aliter autem res se habet circa Ordines Sacros, pro quibus conferendis ac recipiendis Ecclesia certam ætatem determinavit.

CASUS XXVIII. *Jovius* Diaconus, annos tantùm viginti tres, & dies viginti natus, falsificatò, qua parte nomen illius ferebat, Baptizatorum librò, pessima hac fraude effecit ut Presbyter ordinaretur.

R. Jux-

R. Juxta *Honorium III. in cap. vel non est 14. de temp. Ordin. & Qualit. Ordinand.* qui ante ætatem pro quovis Ordine præscriptam ordinari se facit, ipso facto ab Ordine sic suscepto suspensus est, & hæc suspensio eò usque durat, donec legitimam ætatem attigerit, & per legitimam dispensationem fuerit rehabilitatus; Et sic *Jovius* est & manet suspensus usque ad annum ætatis vigesimum quintum, nec potest tolli suspensio hæc nisi per dispensationem Papæ. *Conferent. Lucion. tom. 8. confer. 10. de Sacram. Ordinis. q. 2.*

CASUS XXIX. Constitutionibus Canonicis prohibetur, ne Episcopi consecrentur ante trigessimum, nec Presbyteri ante vigesimum quintum, Diaconi ante vigesimum tertium, & Subdiaconi ante vigesimum secundum ætatis annum ordinentur. Licitè ergo nondum expleta hac ætate ordinantur?

R. Conveniunt omnes Canonistæ, respectu Episcoporum requiri triginta annos; nihilominus in Gallia vi concordatorum viginti septem anni sufficiunt. Respectu verò Ordinum sacrorum Episcopatu inferiorum juxta Edictum Blesense sufficit, ut anni pro quovis ordine præscripti sint solummodo inchoati. *Pontas.*

CASUS XXX. *Gentianus* non nisi Diaconus semper verò pro presbytero se gerens, & ut talis passim agnitus, consecratur tandem Episcopus nunquam Presbyteratus Ordine suscepto, & ex hoc tempore ipsemet Presbyteros ordinat. Quæritur jam an validè sit ordinatus, Presbyterique ab eodem ordinati valide ordinem hunc susceperint?

R. Certum est, quòd non potuerit validè consecrari Episcopus, utpote Diaconatus tantùm Ordine initiatus, consequenter nec ipse valide ordinavit presbyteros. Episcopatus in se continet Presbyteratum, non eminenter tantùm, sicut Presbyteratus continet reliquos Ordines inferiores, sed formaliter & essentialiter. *S. Thomas in 4. dist. 4. q. 2. art. 1. q. 1. ad*

2. & *ibid. 3. art. 2. q. 8. in argum. Sed contra.*

CASUS XXXI. *Felicianus* Archi-Episcopus propria sua Auctoritate contulit Diaconatus Ordinem in festo Epiphaniæ, quod incidebat in feriam quintam hebdomadæ. Dubitatur an peccaverit, & an novus Diaconus incurrerit pœnam aliquam?

R. Prælati hic violavit leges Ecclesiasticas in materia magni momenti; videturque nullum esse dubium quin peccaverit mortaliter, adeoque etiam Diaconus incurrerit Suspensionem ab executione Ordinis suscepti. *Urbanus III. in cap. cum quidam 8. de tempor. Ordin. &c.*

CASUS XXXII. *Hortensius* suscepit quatuor Ordines minores in statu peccati mortalis. Commisitne novum peccatum mortale, & sacrilegium, de quo absolute tenetur accusare se in Confessione? commisitne etiam peccatum mortale exercendo in tali statu functiones suorum ordinum?

R. In hypothesi quòd Ordines minores verè sint Sacramenta, *Hortensius* commisit sacrilegium mortale; sed non omnes Theologi conveniunt, quòd sint Sacramenta. Cum tamen tridentinum defini-verit ordinem esse Sacramentum, idem Concilium debuit comprehendere hac sua definitione indiscriminatim Ordines tam minores quàm majores, & sic *Hortensius* tenetur se accusare de sacrilegio, & hæc sententia in praxi est securior. Quod at-tinet ad exercitium horum ordinum, quando *Hortensius* eosdem exercuit ex Officio in peccato mortali constitutus, novum commisit mortale. *S. Thom. dist. 27. art. 3. q. 54. in corp.*

CASUS XXXIII. *Constantinus* Parochus triginta annis post suam ordinationem opus habet literis Episcopi de collata sibi clericali tonsura testantibus, dumque easdem perquirat inter reliquas literas suarum ordinationum, non potest invenire omnibus licèt diligenter excussis, testimoniales suscepti Diaconatus. Nec

memoriam subit amplius an, vel à quo Episcopo fuerit ordinatus Diaconus? horrendis ergo scrupulis cruciatus ex concilio viri famà Doctrinæ celebris Romam scribit, indeque rescriptum impetrat ad suum Episcopum directum. Cùmque rescripto hoc cautum sit ne absolvatur nisi sub hac conditione, *dummodo fructus Beneficii non perceperit*, ipse verò semper ex fructibus suæ parochiæ vixerit, Episcopus exequi rescriptum hoc recusat.

Ex hoc casu plures nascuntur quæstiones. Quæritur enim, an Constantinus debeat præsumere se non esse ordinatum Diaconum? an opus habeat hoc rescripto Pontificio? posito quòd certum sit non accepisse ordinem Diaconatus, aut prudens de hoc superesse dubium, an à nemine nisi à Papa possit absolvi? an clausula *dummodo* Episcopo debeat facere scrupulum quò minus rescriptum exequatur?

R. Constantini dubium solido caret fundamento, nec opus habet aliquo rescripto, cujus necessitas irregularitatem tantum ordinationis ipsius concernit, stante interim ac manente præsumptione quòd Canonice atque juxta leges Ecclesiæ fuerit ordinatus. Juxta *Innoc. III. in cap. tua litera, un. de clerico per saltum promot. l. 5. tit. 29.* supposito quòd non recepissent Diaconatum, vel de hoc probabiliter ac rationabiliter dubitaret, haberet causam credendi vel præsumendi incurrisse se poenas Canonicas, sed non esset necessarium Romam recurrere, cum res tota sit occulta. *Trident. Sess. 14. c. 6. de reform.* Deberet illuc recurrere, si res publica foret, in utroque verò casu teneretur Episcopus, posteaquam ipsum absolvit & rehabilitavit, eidem conferre Diaconatus ordinem.

Quantum ad clausulam *Dummodo*, quia hæc est conditio expressè apposita, debet sollicitare pro novo Brevi Apostolico cum clausula: *Etiam fructibus Beneficii perceptis*, nisi parochus præcisè tantum percepisset, quod ad ipsius sustentationem

eidem necessarium erat, vel perceptam Ecclesiæ aut pauperibus dedisset. *Pontas.*
CASUS XXXIV. *Theodoricus* Religiosus pro tempore existens in aliquo conventu Diocesis Vivariensis, vi Dimissoriarum sui Superioris Nemausi ordinatus, fuit Subdiaconus. Estne legitime ordinatus?

R. Dantur Religiosi stabilitatem loci professi, qui nunquam ex uno conventu transeunt in alium. Alii verò qui locum mutant uti Mendicantes. Si *Theodoricus* fuerit ex numero priorum, præter licentiam sui Superioris debeat etiam exhibere Dimissorias à suo Episcopo Domicilli vel Originis, ut ab alio Episcopo possit recipere Ordines. Quòd si vero sit Religiosus ex eorum numero qui passim domicilia & conventus mutant, ab illo tantum debuit ordinari Episcopo, in cujus Diocesis est Conventus, in quo pro tempore moratur, nisi ob absentiam Episcopi, vel quòd nullæ ab eodem habeantur ordinationes, migret in alienam Diocesim suscipiendorum ordinum gratiâ, dimissoria Superioris de hoc debent mentionem expressam facere. *St. Bern. tom. 1. cap. 2.*

NOTA. Vide *Oratio*, Casu 4.

CASUS XXXV. *Euphemianus* Religiosus mendicans, in Monasterio S. Majori professus, ob mores suo Superiori minus probatos ab eodem non potuit impetrare licentiam recipiendi Ordines Sacros. Obtinuit ut facultas nigrandi ad aliud monasterium sui ordinis ipsi concederetur, ubi potestate sibi ad hoc ab ejusdem Superioris facta omnibus ordinibus Sacris ab Episcopo loci Diocesano initiatus est. Posteaquam verò septem vel octo elapsis mensibus ad prius monasterium reversus est, Superior ipsius prætendebat, non nisi jure suo uti suspendendo ipsum ab exercitio suorum ordinum, eoquod ordinari se fecerit ab alterius Dioceseos Episcopo, quem etiam, licet contra veritatem, certiore fecit, illum suæ (Superioris) Dioceseos Religiosum esse; potestne Superior hic jure talem ipsi infligere poenam?

R. Nulla omnino dicto Superiori quoad hoc competit potestas. *Euphemianus* manens in secundo monasterio vel ex dispositione vel ex licentia sui Provincialis, quando recepit Ordines, nihil falsi allegavit, asserendo se esse membrum hujus communitatis, potuitque ordinari ab Episcopo in cujus Diocesi monasterium illud situm est. *Miranda tom. 1. q. 10. art. 2.* Quodsi verò monasterium, ex quo *Euphemianus* primò migravit ad ordines alibi recipiendos, haberet privilegium aliquod vel constitutionem contrariam, posset puniri à suo Superiore. *Sylvius v. Religiosus 16.*

CASUS XXXVI. *Diana* puella viginti annos nata, sexum masculinum assumpto virili habitu mentita militiæ nomen dedit, pactis stipendiis in quadam legione equitum defultoriorum militans. Biennio in militia exacto religiosum statum amplectitur in aliquo Religiosorum conventu, ubi occultato perquam sollicitè suo sexu ad professionem admissa, post lapsum temporis omnibus etiam ordinibus sacris initiatur, quorum functiones per annum exercet. Post anni hujus lapsum vitæ functione tandem nec prius, sexus patuit. Fuitne validè ordinata? potuitne celebrare validè, Confessiones audire, & absolvere?

R. Non potuit ordinari validè, nec consequenter exercere ullam receptorum nulliter ordinum functionem. Est hæc Doctrina *D. Thomæ in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. in corp.* Cùm foeminae naturaliter sint in statu subjectionis & subordinationis, non possunt ordinari: Sacramentum Ordinis in foeminis non potest habere suam significationem, quæ est quædam eminentia gradus, quo supra reliquos fideles eminent, qui Sacerdotio funguntur. *Pontas.*

Vid. *Episcopus. Dimissoria. Suspendio.*

CASUS XXXVII. Clericus natus in quadam Diocesi in qua Canonicatum possidet, potestne acceptare Beneficium in alia Diocesi, eo duntaxat fine, ut in eadem ordines possit recipere?

R. Non potuit acceptare; cùmque taliter acceptando egerit in fraudem legis, incurrit censuras à jure contra similem fraudem statutas. Quodsi id fuerit bona fide ignorando se per fraudem agere, majoris securitatis ergo debet abstinere à suis functionibus & supplicare pro rehabilitatione. *Fromageau.*

Vide *Pontas.*

CASUS XXXVIII. *Diaconus* quidam ex Consilio Directoris suorum studiorum suscepit Presbyteratum diebus aliquot ante completum vigesimum quartum ætatis suæ annum. Dubitatur jam an incurrit suspensionem, & ministrando in recepto ordine irregularitatem contraxerit?

R. Non incurrit suspensionem, & consequenter nec irregularitatem contraxit exercendo suas functiones. Si hoc non obstante crederet se suspensum, obligatumque recurrere Romam obtinendæ absolutionis gratiâ, deberet pro evitando scandalo & propria infamia, interim continuare suas functiones.

ORNAMENTA ECCLESIE.

1. Ornamentorum Ecclesiæ nomine hæc intelliguntur habitus Sacerdotales, Corporalia, Linteamina altarium, & quidquid unicè destinatum est servitio Ecclesiarum, uti Cappæ, Tunicæ, & paramenta Altaris.

2. Pleraque horum ornamentorum necessariò debent Benedici ab Episcopo, quem admodum unctus, Alba, Cingulum, Casula, Stola, Manipulus, altarium Linteamina, & Corporale; nec à quopiam alio absque licentia Episcopi possunt benedici, nisi quis habeat legitimum privilegium, uti habent Superiores plurium ordinum pro suis tantum Conventibus vel Domiciliis, aut consuetudinem legitime præscriptam probare possint.

3. Decidetur in sequentibus titulis, an liceat scuta & insignia gentilitia acu phrygia pingere, vel quomodocunque exprime

mere super Casulis, Tunicis, Cappis & paramentis altarium? An in certis casibus ornamenta hæc possint adhiberi ad usus profanos; an absque peccato texta bombycina aliâve pretiosa, quibus usæ aliquamdiu sunt personæ sæculares, e. g. lectisterniorum siparia, vestes muliebres &c. Converti possint in ornamenta Ecclesiæ & altarium? An dum deest quidpiam ex paramentis Sacerdotalibus, nihilominus in Casu necessitatis liceat celebrare?

CASUS I. Paulus in Ecclesia quadam campestri, ubi fortè tunc aderat, celebrandæ missæ veniam sibi expetit. Offeruntur ipsi paramenta, ex quibus aliqua nondum fuerunt benedicta, Alba præsertim; erâtque dies illa Festum Pentecostes, & ni celebret, absolutè nec dicere nec audire Sacrum poterit ampliùs; potuitne absque peccato celebrare in hac Alba.

℞. Celebrando gravis peccati reum se fecit, cum benedictio omnium vestium sacerdotalium sit de necessitate præcepti. *Sylvius in 3. part. S. Thomas 9, §3. art. 6. quæsto 3. §. 4. p. 488. col. 2.* Si liceret celebrare in Alba non benedicta, liceret pariter celebrare in Casula, & aliis ornamentis profanis (int. non benedictis) id quod nemo audebit asserere vel defendere. *Pontas.*

NOTA. Si Paulus esset parochus, & ex omissione Særi, vel longa mora oriretur scandalum aut murmur, deberet celebrare in Alba non benedicta. Idem dicendum de Casula.

CASUS II. Aristobulus habens Casulam duplicem, albam nempe ex una & rubram ex altera parte, eandem dissui curat, additòque novo texto subditio duas jam habet Casulas; sic etiam fecit circa stolam & manipulum. His paramentis posthac constanter usus est absque nova illorum benedictione.

℞. Potuit absque peccato semper continuare usum horum paramentorum; non enim amiserunt suam benedictionem per illam mutationem nuper factam. Quando casula est duplex ex utraque sui parte benedicitur; ergo quando in duas separa-

tur, utraque pars conservat suam benedictionem. *S. Antonin. 3. part. sum. theol. tit. 13. c. 6. §. 5.*

CASUS III. Nicasius parochus Ecclesiæ campestris admodum pauperis, habens planetas & Albas, usu longinquo & vetustate attritas, easdem renovari curat. Debentne de novo benedici antequam ad usum Altaris adhibeantur?

℞. Si paramenta adeo sint attrita & la-cera ut cum decencia iisdem haud amplius uti possit Nicasius, amiserunt benedictionem suam; & sic ineptæ sunt ad ulteriorem usum nisi renovata de novo benedicantur. *Idem ibid.*

CASUS IV. Bartholomæus Parochus habet Albas aliquot adeo attritas, ut pro Altaris sacrificio servire ultra non possint. Illarum igitur in partes scissarum lacinias sorori suæ donat pro minutioribus linteaminibus usui futuras. Quæritur an peccaverit?

℞. Per Sacros Canones non licet Clericis pro munere elargiri talia linteamina imo jubent, ut comburantur & cineres mittantur in aliquem locum Ecclesiæ, ubi pedibus conculcari non possint; igitur peccavit Bartholomæus in præsentî casu. *Casu Altaris 39. de consecrat. dist. 1. usque adeo verum hoc est, ut ne quidem ad sepeliendos mortuos adhibere liceat. Can. Nom. 40. ead. dist. 1.*

NOTA. Ad usum tamen pium vel Ecclesiasticum, abiente omni periculo scandali vel inhonorationis, applicari possunt.

CASUS V. Christina nobilis matrona Theodulo parochi pro munere obtulit pretiosa admodum lectorum siparia, qui ex iisdem confici sibi curat Casulam & Cappam, quibus jam à biennio utitur. Quæritur an peccaverit?

℞. In diversa circa hoc abeunt Theologorum sententiæ. *S. Antonin. tit. 13. c. 6. §. 5.* tenet, tales res non posse adhiberi pro ornamentis & paramentis, & cum ipso concordant complures Theologi. Alii econtra, inter quos *Angelus de Clavasio in summ. v. Vestis*, aliter sentiunt alle-

allégantes consuetudinem & exemplum antiqui Tabernaculi Mosaici variis rebus ornati, quæ à fœminis offerebantur.

Dicendum ergo est *Theodulum* hæc lectorum siparia potuisse convertere in opera-menta, iisdemque antea pro more benedictis potuisse uti in Ecclesia.

CASUS VI. *Dorotheus* parochiæ toparcha ornamenta jussu suo elaborata donum offert Ecclesiæ parochiali; sed quia iisdem apponi jussit stirpis suæ insignia gentilia, loci parochus renuit iisdem uti in Altaris Sacrificio. Quod adeo acerbè tulit Toparcha, ut planè jam cogitaverit revocare ornamenta prædicta, alteri cuidam Ecclesiæ offerenda. Potèitne prudenter parochus persistere in sua repulsa?

℞. Usus apponendi scuta gentilitia ornatis Ecclesiarum incepit circa Sæculum undecimum, & ex eo tempore à pluribus Prælati vitæ inculpatæ & exemplaris fuit retentus & continuatus. Ex traditione non habemus ullum textum formalem prohibentem hanc consuetudinem, quæ cum non sit mala ex natura sua, aliter non potest fieri mala nisi per intentionem illorum, qui ex mera ostentatione jubent apponi sua insignia; nec condemnari potest dum apponuntur eo fine, ut successores suos hac sua liberalitate provocent ad splendorem domûs Dei & cultum divinum in Ecclesiis vel conservandum vel restaurandum.

His suppositis judicamus non posse absolutè loquendo reprehendi aut condemnari Toparcham, jubentem insignia sua gentilia pingi vel sculpi in ornamentis quæ dono Ecclesiis offert. Non enim reprehendi hoc potest nisi ob motivum quod habet, sed ejus nemo nisi solus Deus potest esse iudex. Ergo quando *Dorotheus* parochus non est in aliqua Diœcesi, ubi consuetudo hæc prohibita est ab Episcopo, non potest respuere usum paramentorum ab hoc Dynasta donatorum. *Pontas.*

CASUS VII. *Pachomius* volens celebrare in Ecclesia Campestri & ibidem non inveniens Cingulum pro Alba, pro

Cingulo adhibet stolam, pro stola verò utitur manipulo satis longo, urgente utpote (dies enim festus erat) necessitate celebrandi.

℞. Juxta *S. Antoninum 3. part. sum. theol. tit. 13. c. 9. §. 5.* *Pachomius* in hoc casu necessitatis innoxie id facere potuit, utpote, cum stola & manipulus Episcopalem benedictionem habeant. *Pontas.*

ORNATUS MULIEBRIS.

1. Vox hæc ornatus, seu ad decorem compositio, à verbis *ornare*, ad *decorem componere*, *conciinnare* derivatur, atque in hoc sensu sexui tantum muliebri convenit, cujus passio prædominans est ornare se, comere, pingere, ut appareant pulchriores, ut sint amabiliore, juvenibusque vel viris placeant magis.

2. Fœminæ vel Virgines in certis casibus possunt ornare se, quin peccati coram Deo reas se faciant: ex quo sequitur ornatum muliebrem non esse malum ex natura sua, reddi autem malum per malum finem. Si Corruptio Cordis & animi depravati affectus ipsis suadeant talem ornatum, semper peccant, interim tamen tale peccatum non est semper mortale.

CASUS I. *Fredegundes* matrona maritata ordinariè incedit cum ornatu muliebri magnifico juxta morem patriæ & temporis, ut magis placeat viro servetque decorum status sui. Poteritne intentio hæc immunem ipsam à peccato reddere?

℞. Non apparet ipsam in tali casu peccare; præceptum obligans fœminas ad obediendum suis maritis arctius ipsas obligat, quàm prohibitio ornatus superflui. Quod si verò tali suo ornatu scandalum crearent proximo, maritorum sic jubentium voluntas neutiquam ipsas à peccato excusaret. Scandalum quippe activum lege divina prohibitum est. *D. Thomas 2. 2. q. 196. art. 2. ad 4.*

CASUS II. *Valentina* nuptias ambit juvenis quidam. Studio ergo placendi suo candidato eo se apparatus enormat, quem status sui ratio & postulat & per-

mittit. Estne peccati alicujus propterea condemnanda?

R. Si hoc suo ornatu nullam habeat intentionem provocandi juvenem illum ad amorem lascivum, sed magis tantum alliaciendi vel invitandi, ut uxorem ipsam habere eò lubentius exoptet, neutiquam peccat. *Idem in cap. 3. Isaia in fin.*

CASUS III. Florentia cujusdam Comitiss vidua firmum habens propositum non aspirandi amplius ad secundas nuptias hoc non obstante eo sumptuoso ac magnifico ornatu incedit ac vivente marito suo confueverat. Poteritne statum nobilitas excusare ipsam à peccato?

R. Matronam illustrem decet ditior splendiorque habitus quam vulgaris conditionis foeminam. Interim cum Florentia nolit amplius transire ad secundas nuptias, puto ipsam non posse absque peccato se ornare modò extraordinariò: quin imò si tali suo ornatu intendat placere aliis, amorèque in iisdem excitare vel nutrire, cenfeo non posse excusari à peccato mortali. Si hoc faciat ex levitate, vel ex aliqua vana complacentia erga se ipsam, peccatum non est semper mortale, sed quandoque tantum veniale. *Idem 2. 2. q. 169. art. 2. in corp.* Si verò ornatus ipfius non sit diversus ab eo, nec splendidior quam cui vivente marito assueverat, nec conditionem statum sui excedat, atque in nullo modestiam aut pudorem offendit, solumque adhibeatur ad conservandum decorum sui statum, nullum omnino intervenit peccatum, nisi aliunde hoc fiat spiritu ac motivo vanitatis. *Idem ibid. art. 3. in corp.*

CASUS IV. Attilius tenendarum telarum bombycinarum opificium exercens texti ferici novam aliquam formulam excogitavit, qua civium matronarum puellarumque ad vestitum uti intendunt, ut splendorem augeant; quaritur ergo an peccaverit Attilius, & an foeminae absque peccato gestare possint hujuscemodi texta?

R. Post principia in praecedentibus de confessionibus stabilita intentio mercatoris ta-

les novas formulas excogitantis & intentio quam habent foeminae in earundem usu debet decidere an opifex inventor, & foeminae similibus artefactis utentes peccent, simulque an graviter vel leviter peccent. Mercator pro se & in particulari potest absque peccato excogitare hujuscemodi texta, dum illa tantum destinat pro iis personis quibus ob qualitatem & prerogativam statum jure talis vestitus competit. *Ste Beuve tom. 1. cas. 89.*

OSCULA.

1. Duplex distinguitur osculum; nimirum osculum purum amicitiae, quod est peccati expers; & osculum concupiscentiae, quod est peccaminosum.

2. Osculum inter personas diversi sexus potest considerari tripliciter 1. ex natura sua; & sic spectatum non est peccatum. 2. in ordine ad delectationem sensualem ex intentione osculantis ordinatam ad actum peccaminosum; & sic ordinarie est peccatum mortale. 3. in ordine ad solam delectationem ibi reperibilem absque ulla intentione progrediendi ad actum aliquem peccaminosum; & sic adhuc est peccatum mortale, si voluptas est finis principalis, quem osculans intendit.

CASUS I. Callinicus sapius deosculatur vicinam suam cum plena quidem deliberatione, ac etiam carnalis delectationis captandae causa; sed sine ulla ulterius progrediendi intentione, ac citra ullum pollutionis incurrendae periculum. Peccatne mortaliter?

R. Peccat mortaliter. *Pontas.*

NOTA. Contrarium fuit damnatum ab ALEXANDRO VII. *propof. 40.*

CASUS II. Claudius, qui uxorem suam ita adamanter singulis prope diebus deosculatur, ut inde carnales motus, & quidem vehementes in se sentiat frequenter excitari, peccatne mortaliter?

R. Peccat mortaliter, si ex talibus osculis nascatur pollutio, vel foedi hujus peccati periculum sit: utroque secluso lethali

lis noxae non est damnandus. Gravia tamen sunt delicta venialia: unde sapientis est Confessarii ab ejusmodi dehortari Claudium. *Pontas.*

CASUS III. Clodobertus Fabiolam sibi à parentibus desponsatam singulis ferme diebus invisens, eam citra ullum libidinis animum deosculatur, ut ejus affectum sibi magis ac magis conciliet, suumque ipsi sincerum amorem testetur. Quia tamen carnales motus in se excitari identidem sentit, veretur, ne graviter peccet.

R. Cavere debet, ne in hujusmodi osculis ullam carnalem declarationem quarat, ac ne quidem in eam, quae ex ipso solo osculo oritur, consentiat, ne forte in noxam mortalem impingat. Porro etiam caveat sollicitè, ne clanculum, sed praesentibus solummodo propinquis aliisve personis honestis, Fabiolam deosculetur, ne secreta oscula tandem evadant libidinosae. *Pontas.*

CASUS IV. Pœnitentem quampiam venientem ad confessionem quandoque confessarius excipit amico osculo. Estne & deinceps personae huic adeundus iste confessarius?

R. Non est amplius adeundus; sed hoc relicto adire debet aliam; cum hic agendi modus tam pœnitenti quam confessario sit occasio proxima peccandi. *Fromageau.*

P.

PARENTES.

Liberi tenentur obedire suis parentibus patri nempe & matri, & obligatio haec ad omnia extenditur, excepto casu, ubi pater imperaret quidpiam Legi Dei vel summi Principis Territorialis contrarium. Filiusfamilias in persona patris sui debet respicere & venerari ipsum Deum. Interim si ageretur de amplectendo Religioso statu saeculo relicto, cum solus Deus auctor sit vocationis, liberi non tenentur obedire parentibus à proposito ipsos abstrahere volentibus.

Distion. Cas. Conf.

CASUS I. Puella quaedam invita matre imo repugnante aspirat ad communitatem religiosam.

R. Potest pergere in concepto semel proposito. Quando enim agitur de eligendo statu ad consecrandum se Deo, filiae & filii non tenentur obedire parentibus, sed liberi sunt. *Fromageau.*

Vide *Pontas.*

CASUS II. Vidua quaedam à parentibus domi suae detinetur in quasi custodia, & interdictum etiam verberibus affligitur, ut sic abstrahatur à proposito nubendi juveni helluoni ac pauperi, potestne excusari modus hic agendi parentum?

R. Non certè est reprehendus; si enim ex una parte filiafamilias non potest absque crimine contrahere matrimonium quod vergeret in opprobrium & dedecus totius suae familiae, essetque fons ac origo mille turbarum quibus consanguinei permutua odia inter se dividerentur; poterunt quoque ex altera parte parentes impedire tale matrimonium; & sic impediendo nihil faciunt quod praedictet libertati filii ac filiae ad eligendum certum statum vitae concessae; quia juxta *Laymannum de spons. tr. 10. p. 1. c. 2.* haec libertas non plus nec aliter subsistit, quam in quantum liberi eadem sine crimine utuntur. Caeterum viduitas filiae non valet parentibus potestatem ipsam verberibus castigandi. Si enim potestas haec adeo est ampla, ut se extendat ad filios, actu jam emancipatos, uti advertit Bossius nixus auctoritate plurium imo plerorumque Doctorum; quanto magis debet se extendere ad filiam, tametsi viduam, cum supposita ut talis, hoc ipso sit subiecta suis parentibus?

CASUS III. Bertha invitae parentibus matrimonium contrahit cum quodam milite. Hi ob rei indignitatem & filiae inobedientiam nec visu nec alloquio ipsam dignantur amplius, etiam postquam inobedientiae veniam petiit.

R. Si parentes (qui supponuntur esse homines plebeii) in perpetuum vel ad

tempus valde notabile à conspectu suo filiam arceant, peccant graviter, quia contra ipsam animo-fovent odium, quod nimium quantum excedit culpam puellæ haud supra vulgarem conditionem eminentis, præsertim postquam delicti sui veniam petiit. Si verò ad modicum duntaxat tempus ipsi colloqui recusent nec in conspectum admittant, nullum peccatum committunt, debetque sibimet imputare filia severitatem hanc parentum suorum, tanquam justam punitionem suæ inobediendiæ.

CASUS IV. *Petronius* filium habet vino & aleis penitus debitum. Timens verò ne uxorem offendat, & ferocem filii indolem magis exasperet, expressus hos omnes ignaviter dissimulat.

℞. Nimia hæc patris indulgentia vituperabilis est. Si enim quilibet curam habere debet suorum domesticorum (*Paul. ad Corinth. 1. c. 5.*) quantum magis pater debet vigilare ut bene morati sint filii ipsius, cum præcipua ipsius sit obligatio, ut educantur in timore Domini. Adeoque nisi *Petronius* justas habeat causas timendi, ne increpationes ipsius futuræ sit inutiles apud filium, vel alium non sortiantur effectum nisi ut prior fiat & in furias debeat, peccat *Petronius* dissimulando, ut in casu ponitur, perversam vitæ ipsius ac morum licentiam. *Sotus lib. 5. q. 2. Art. 1. Navarr. c. 24. n. 18. Azor. part. 2. lib. 2.*

CASUS V. *Sempronius* debitis supra modum oneratus non potest satisfacere suis creditoribus, quin ex dote filiarum suarum, quam illis destinasset, portionem subtrahat. Estne obligandus ad talem diminutionem?

℞. Vel agitur tantum de aliqua diminutione in genere, & dico cum majori Doctorum numero, *Sempronium* teneri ad talem imminutionem, sicuti etiam in tali casu obligatur ad minuendas suas expensas pro victu & vestitu &c. Aut verò quæstio est de diminutione valde notabili, & tunc ulterius quæro, an diminutio-

ne hujuscemodi mutaretur in peius conditio seu status harum filiarum & tunc sentio *Sempronium* non esse obligandum ad similem diminutionem; quia nemo tenetur ad satisfaciendum creditoribus suis relinquere statum honestum & legitime acquisitum. Sin autem talis diminutio non immutet statum filiarum, vel status hic ponatur injuste acquisitus, ad illam obligatur *Sempronius*. *Lessius lib. 2. c. 16. n. 29.*

PAROCHIA.

1. *Parochia* est Beneficium habens annexam curam animarum. Omnes Parochiæ subjectæ sunt jurisdictioni Episcopi, etsi sint Parochiæ Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, aut aliorum Religiosorum Ordinum. Collatio Parochiarum, ad quas nominat Episcopus, pertinet ad Capitulum Sede vacante. Parochiæ Abbatibus, Prioratibus, Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis unitæ locò ac Titulo Vicariatus perpetui habendæ sunt.

CASUS I. Potestne Clericus Beneficium curatum possidere ante annum ætatis vigesimum quintum?

℞. Non potest absque dispensatione; neque tali Clerico absque dispensatione ab Episcopo concedenda est approbatio. *De Lamet.*

CASUS II. Clericus quidam provisor de Parochia per integrum annum eam retinuit; sed non administravit.

℞. Non potest resignare hoc Beneficium, reservata sibi pensione; dumque permittitur talis reservatio, gravem subesse causam oportet: hæc nunc subit, datur obligatio omnia restituendi, quæ ex injuste reservata pensione percepta sunt. *Fromageau.*

CASUS III. Religiosus quidam ex Ordine reformato petit Parochiam.

℞. Religiosus Ordinis reformati ad Parochiam nominari non potest ex solo consensu Episcopi ac Superiorum suorum; sed opus est insuper expressa dispensatione

Pou-

Pontificis, & quidem antequam nominetur ad Parochiam. *Fromageau.*

NOTA. Benedictus XIV. in sua Constitutione, *Apostolici*, edita 1757. excipit Canonicos Regulares.

CASUS IV. Possuntne Parochiani idem retinentes domicilium adscribi in aliam Parochiam?

℞. Non possunt, etiamsi Dominus loci mutet domicilium suum, relictis in eodem domicilio domesticis suis: limites enim Parochiarum ab Autoritate Superiori constituti sunt, ne Ordo Ecclesiæ confundatur; & hinc nemo privatus potest limites mutare. *Fromageau.*

CASUS V. Danturne Parochiæ, in quibus constitui debent vicarii perpetui?

℞. Capitula in Parochiis, in quibus Primitivorum Parochorum titulo gaudent, constituere debent Vicarios perpetuos, & non Sacerdotes amovibiles. Hinc Sacerdos quispiam legitime potest obtinere in Curia Romana provisionem, & ab Episcopo suo approbationem ad talem Parochiam, quæ ab amovibili tantum Vicario administratur. *Fromageau.*

CASUS VI. Quid agendum Parocho, qui Parochiæ suæ per quadraginta jam annos administratæ renunciare vult, & Romæ pensionem ex ea obtinere non potest?

℞. Purè & simpliciter resignandum est ipsi Beneficium suum in manus Episcopi, à quo noviter provisor obligandus est ad solvendam quotannis certam summam Parocho resignanti, si aliunde non habeat, unde vivat. *Fromageau.*

CASUS VII. Parochus quædam redditus habet nimium tenues.

℞. Episcopus potest cum ea unire Canonicatum; servatis tamen debitis formalitatibus. *Fromageau.*

CASUS VIII. Capitulum quoddam est in possessione Parochiam suæ mensæ incorporatam administrandi per Vicarios amovibiles.

℞. Capitulum potest continuare hanc possessionem, quamdiu turbatum non fue-

rit. Imo citra simoniam potest locare his Vicariis proventus Parochiæ fortuitos, ac incertos: fatendum tamen, hanc consuetudinem valde esse indecentem, & gravibus inconvenientiis obnoxiam. *De Lamet.*

CASUS IX. Clericus quidam, qui passim habetur pro homine contentioso, & tanquam calumniator damnatus est, obtinuit Parochiam.

℞. Indignus est, qui Parochiam possideat; & Episcopus ei provisiones denegare debet, sicut cuivis alteri indigno. *Fromageau.*

CASUS X. Parochus quidam, cum Ecclesiæ suæ Parochiali aliam Ecclesiam haberet annexam, diebus festis bis celebrat Missam.

℞. Episcopus non debet huic Parocho permittere, ut feriâ sextâ Majoris hebdomadæ bis Officium celebret. *De Lamet.*

CASUS XI. Ampla quædam Parochia pro functionibus parochialibus tantum habet Sacellum in Ecclesia Cathedrali, & non nisi duos Vicarios amovibiles.

℞. Episcopus pro hac Parochia constituere debet Vicarium perpetuum. Id ut consequatur, in Romana Curia Titulum impetrandum curet alicui administrandæ Parochiæ idoneo. Verum alias ibi celebrari Vesperas non est opus præter Vesperas Ecclesiæ Cathedralis. *De Lamet.*

CASUS XII. Cur conformiter ad mentem Concilii Tridentini Parochiæ non sunt uniendæ Monasteriis?

℞. Quia oblationes in Parochiis fieri solitæ sunt destinatæ pro pauperibus ac indigentibus, & non pro sustentatione Religiosorum. *De Lamet.*

NOTA. Ut obtineatur intentio Tridentini, expediret; ut nulli parocho concedatur facultas testandi vel resignandi, nisi sub actuali dispositione mortis causa, dimidium residuorum resignandi pauperibus parochiæ &c.

PAROCHUS.

1. *Parochi* à Christo instituti sunt tanquam septuaginta duorum discipulorum successores ad spiritualem fidelium sibi sub-

Uuru 2

dito-

ditorum gubernationem sub inspectione & autoritate Episcoporum. Præditi esse debent magna animi fortitudine, constantia, ac veritatis Zelo. Cum Parochi, & cæteri, quibus animarum cura incumbit, aut qui sunt quibusdam additi ministeriis, quorum partes implere debent, suis non possint obligationibus satisfacere, nisi resideant in locis, ad quæ eos vocat ratio Officii, in iis necessariò personaliter residere tenentur. Parochi tenentur callere linguam parochianorum suorum; aliàs enim forent ipsis inutiles, & provisiones eorum eo ipso essent nullæ. Præterea indispensabiliter tenentur instruere populum concionibus, & parvulos catechesibus; pro parochianis suis Sacrificium Missæ offerre; ipsis debito tempore necessaria Sacramenta administrare; diligenter ægros invisere, ipsisque, pauperibus æquè ac divitibus, usque ad mortem assistere, præscripta in Rituali Diocesano exactè servare; ac denique foundationibus Ecclesiarum suarum ritè satisfacere.

2. In Gallia specialibus Edictis cautum est, ne quis Sacerdos admittatur ad ullam Parochiam, nisi sit òrigine Gallus. Parochi in districtu Parochiæ suæ habent jus recipiendi testamenta parochianorum suorum; modò in iis non contineatur legatum in privatam Parochorum utilitatem, simulque observetur præscriptum Articuli 63. Edicti Blesensis. Tenentur penes se habere libros, in quibus diligenter annotandi sunt Baptizati, nubentes, ac sepulti.

3. Parochus non sit simul Officialis aut Promotor. Vicarii perpetui habentur pro veris Parochis. Parochus jure curandam sibi petit habitationem sumptibus parochianorum suorum; maxime si reditus non sufficiant, ut & ipse quidpiam cum iis possit contribuere. Non potest impedire, quo minus corpus defuncti parochiani tumuletur in loco, quem in sibi pro sepultura elegit. Jus habet concionandi, posthabitò omni Concionatore extero. Tenetur publicare, ac populo denuntiare omnes literas

monitorias ab Officiali Diocesano ad ipsum missas, nec sub ullo prætextu ab istiusmodi publicatione privata autoritate se eximere potest.

4. Quando construitur domus in territorio duarum Parochiarum, censetur pertinere ad eam Parochiam, in qua est porta principalis.

5. Parochus habet jus colligendi decimas fructuum intra limites suæ Parochiæ. Verùm cum alii frequenter existant Beneficiati Decimatores, dantur plures Parochi, qui tantùm habent congruam, quæ fixa est ad 300. libras pro Parochis nullum habentibus Vicarium, & ad 400. libras pro iis, qui habent Vicarium. Præterea Parochus habet jus levandi decimas minores, & Novalium, non obstantibus privilegiis Ordinum Melitensis & Præmonstratensis.

6. Quando præter Parochum actu administrantem Parochiam habetur adhuc alius Parochus, quem Primitivum vocant, hic habet jus in quatuor solemnioribus anni Festis, ac in Festo Patroni Ecclesiæ in Parochiæ divinum celebrandi Officium, si tamen possessio hujus juris sublata non est; & Parochus Ordinarius quoad hoc eum impedire non potest: nullum tamen habet jus exercendi alias functiones parochiales, hæcque exercendi potestas specialiter reservata est Parochi Ordinario aut Vicario perpetuo, ita, ut si hic etiam permitteret Parochi Primitivo excipere confessiones, hæc permissio & consensus ipsi foret inutilis, si ad excipiendas confessiones non sit approbatus ab Episcopo Diocesano.

CASUS I. Riguerius Parochus, cum nec talentum possideat publicè concionandi, nec felicitatis sit memoriæ, quinque aut sex tantùm habet conciones per annum; & in his consistit tota instructio parochianorum suorum.

R. Videtur dubitari non posse, quin Parochus iste peccet, & quidem mortaliter. Pontas.

CASUS II. Pamelius Parochus habet Vicarium semultò aptiorem; & hinc illi committit ferè omnes functiones parochiales, præsertim exhortationes publicas.

R. Peccat Pamelius, si absque justa causa non personaliter instruat parochianos suos, aliàsque functiones parochiales exerceat: vel enim est capax dignè ob-eundi munus suum, vel non? si est capax, & tamen illud non obeat per semetipsum, ejus negligentia est graviter peccaminosa: si verò non est capax, tenetur renuntiare Beneficio suo. Pontas.

CASUS III. Meletius Parochus audiens, hostes brevi irrupturos in Parochiam suam, eam deserit animò salvandi vitam suam.

R. Si hostes sunt ex numero hæreticorum crudeliter persequentium Catholicos, prudenter faceret Parochus, si se reciperet in locum tutum, unde suos fideles consolari posset per epistolas, & post persecutionem denuò rediret ad Ecclesiam suam. Sed hoc tunc solum liceret, si daretur Minister alius, qui potest ac vellet supplere absentiam Parochi. In omni alio casu graviter peccaret Parochus derelinquendo gregem suum. Pontas.

CASUS IV. Theodulus Parochus, cum pestis ingentem jam stragem edidisset in Parochia sua, aufugit, relicto ac subliturò loco sui duobus aliis Presbyteris, qui succurrerent pestiferis.

R. Non potest tutà conscientiam in his circumstantiis relinquere Parochiam suam, sicut nec Episcopus in simili casu Diocesis. Nihilominus potest sibi tempore contagionis jungere alium Presbyterum approbatum ab Episcopo, qui inserviat pestiferis, si potior pars parochianorum nondum est infecta; ut sic ipse inserviat sanis, alioquin eum non admitturis, si & ipse ad pestiferos accederet. Observandum hic, quòd in aliquibus Diocesisbus Galliæ praxis administrandi pestiferis Eucharistiam & extremam unctionem sit hæc: Sacra Hostia involvitur papyro vel linteo, & in aliquo loco deponitur, ubi ab ipso

met infirmo commodè sumi possit: quoad extremam unctionem, sumitur longior baculus, cujus extremitati infigitur gossipium intinctum sacro oleo infirmorum, & sic Presbyter in aliqua ab infirmo distantia adhibitis adhuc aliis cautelis inuaggit infirmum. Pontas.

CASUS V. Hugo Parochus, cum haberet in sua Ecclesia hebdomadatim quatuor fundatas Missas, nempe diebus lunæ, Martis, Mercurii & Veneris, nec iis posset semper satisfacere ob incidentes quandoque Sepulturas, Nuptias, ob infirmitatem, iter, aut aliud impedimentum, omnes ferè has Missas in dies Dominicos ac festos differt; & consequenter iis diebus non applicat pro Parochianis suis. Putat quidem id esse licitum, eoquòd plures Caluistæ id permittant; quia tamen scit, alios sentire contrarium, & ipse sentit scrupulum.

R. Meritò sentit scrupulum: in primis enim non potest absque injustitia privare Parochianos fructu Sacrificii. Dein peccat Missas fundatas ad certum diem differendo in Dominicas & Festa. Solus Episcopus potest ex causa legitima quidpiam immutare in ejusmodi foundationibus. Pontas.

CASUS VI. Apronius Parochus Diocesis Tolosanae peregrinatur in Diocesis Montis Pessulani, ibique reperit duos suorum Parochianorum, quorum, cum confiteri vellent, ibi confessiones excipit.

R. Potuit eorum confessiones excipere; absolutioque est valida, etsi extra suam Diocesis collata. Pontas.

CASUS VII. Episcopus Abulensis in Synodo sanxit, ut Parochi Diocesani deinceps confiteri non possint, nisi illis Parochis, quos ipse pro Confessariis Parochorum designaverat. Plures eorum huic Ordinationi non parentes confessi sunt, sicut priùs, Parochis non designatis ab Episcopo, aut aliis Presbyteris per Diocesis approbatis.

R. Videtur dici posse, eorum confessiones esse validas. Pontas.

NOTA. Aliud est approbatio, aliud jurisdic-tio. Si Episcopus non obstante generali approbatione jurisdictionem aliis parochis non designatis limitasset ad alios penitentes non parochos, sicut Superiores Regularium solent limitare & denegare jurisdictionem in suos religiosos omnibus Confessariis non designatis à se, confessiones in Casu positæ forent invalidæ.

CASUS VIII. Aurelius cum nollet confiteri suo Parocho, ab eo tempore Paschali petiit licentiam confitendi alteri Parocho vicino.

R. Parochus Aurelii non potest absque peccato hanc illi denegare licentiam, dummodò Parochus vicinus sit talis, qualis esse debet. *Pontas.*

CASUS IX. Tertullus Parochus secretò scit, quemdam suorum parochianorum promississe cuidam puellæ pariter parochianæ Matrimonium. Puella dein rogat Tertullum suum, Parochum, ut coram Judice hujus veritatis testem ageret.

R. Tertullus debet veritatem testari; quia agitur de gravi damno, quod puella pateretur. *Pontas.*

CASUS X. Valdradus obtinuit Parochiam, in qua Parochiani utuntur idiomate sibi prorsus incognito; constituit tamen sibi Vicarium, & alium Presbyterum, quorum uterque linguæ hujus peritissimus est.

R. Nisi Valdradus adedò felicitis sit memoriæ, ut intra breve tempus addiscere possit linguam parochianorum suorum, non potest retinere Parochiam: imo ad hoc ipsum requiritur consensus Episcopi sui, sine quo nec hoc tempore functiones parochiales committere potest Vicario suo. *Pontas.*

CASUS XI. Cassius Parochus incurrit irregularitatem, eoquòd in actuali suspensione Missam celebrasset; hoc tamen non obstante benedixit nuptiis duorum parochianorum suorum.

R. Potuit simpliciter assistere huic matrimonio, illudque suâ præsentia reddere validum; non tamen potuit illi benedicere. *Pontas.*

NOTA. Cum Parochus juxta valde probabilem sententiam matrimonio non assistat tanquam sacerdos testis, sed tanquam Minister Sacramenti, non licet irregulari assistere matrimonio ob periculum irreverentiæ committendæ per collisionem Sacramenti.

CASUS XII. Didacus obtinuit Parochiam per Simoniam confidentialem occultam, ac consequenter incurrit suspensionem & excommunicationem. Nihilominus cepit possessionem Parochiæ, & non obstante nullitate Tituli sui, plurimum parochianorum suorum confessiones excipit, aliásque functiones parochiales excipit.

R. Absolutiones ab eo collatæ sunt validæ. *Pontas.*

CASUS XIII. Arnaldus Parochus publicè agnitus pro hæretico aut schismatico, imo etiam per sententiam excommunicationis aut degradationis abscissus à communione fidelium secretò excipit confessiones quorundam Parochianorum suorum.

R. Hæ absolutiones sunt nullæ. *Pontas.*

CASUS XIV. Volusianus Parochus rogatur à Parochianis suis, ut contribuatur cum iis ad reparationem tecti Ecclesiæ totaliter destructi per aliquam tempestatem. Id verò recusat, dicens; cum Parochiani teneantur Parocho providere de habitatione conveniente, eos etiam teneri sibi providere de Ecclesia, in qua possit celebrare divina; sicque, si reditus pertinentes ad fabricam Ecclesiæ non sufficerent, Parochianos teneri ad supplendum defectum.

R. Hæc ratio Parochi justa non est: si enim reditus pertinentes ad fabricam non sufficiant, Parochus ex suis proportionaliter contribuere tenetur una cum parochianis. *Pontas.*

NOTA. In hac re attendendæ sunt leges, consuetudines, vel observantiæ particulares locorum legitimè præscriptæ.

CASUS XV. Germundus Parochus ruralis sæpe negligit interesse Conferentiæ Ecclesiasticæ in sua Diocesi ab Episcopo institutis.

R. Hæc

R. Hæc ipsius inobedientia erga Episcopum suum in materia tanti momenti à peccato excusari non potest. *Pontas.*

CASUS XVI. Parochus quidam gerit negotia Domini territorialis Parochiæ suæ.

R. Si exinde ingentia commoda retrahat pro pauperibus, ac pro bono Religionis, tutâ conscientia poterit operam suam impendere pro re temporalis Domini territorialis Parochiæ, præsertim scientibus ac probantibus id Episcopò suo, Vicariò Generali, ac Confessariò. *Fromageau.*

CASUS XVII. Teneturne Parochus docere parochianos suos per semetipsum?

R. Tenetur personaliter docere parochianos per conciones ac catecheses publicas diebus dominicis ac Festis solemnibus: non tamen teneretur singulis Dominicis personaliter concionari, si pro digna præparatione ad concionem non sufficeret ipsi una hebdomada, & si aliæ functiones Parochiales, quas obit, non æquè utiliter exercerentur à Vicario suo. *Fromageau.*

NOTA. Tenetur singulis Dominicis vel per se, vel per Vicarium habere concionem, saltem Homileticam, prælegendo, & exponendo Caput Scripturæ, qui modus homileticus minori indiget studio, & minori intensione memoriæ, nec gaudet minori fructu, si more Patrum fiat.

CASUS XVIII. Parochus quidam, cum propter infirmitatem Beneficio suo deservire non amplius posset, illud resignat amico cuidam, certa spe fretus, fore, ut semper cum eo vivere possit in Parochia, nec unquam deseratur.

R. Parochus minimè peccat per hanc resignationem; & reiterata promissa, quibus ei amicus se obstrinxit, se semper ejus rationem habiturum, nec unquam eum relicturum, nullam prorsus simoniam continent; neque obstant, quo minus Parochiæ possessionem capere possit. *Fromageau.*

CASUS XIX. Potestne Parochus interdiceri Presbyterum sua in Parochia commorantem & delinquentem, aut num

tantum desuper monere Episcopum? An Concilium Provinciale Rothomagensis de anno 1581. concedit Parochis potestatem omnibus functionibus Clericalibus interdicens Presbyterum non assistentem Officio Parochiali, maxime diebus Dominicis & Festis? Potuitne hoc Concilium Parochorum potestatem limitare in quibusdam casibus? Possuntne Parochi propria ac privata autoritate statuere, quidquid pro bono statu Ecclesiarum suarum opportunum judicaverint? An mens ac propositum Concilii Rhothmagensis fuit novam potestatem Parochis concedendi in eorum Parochiis?

Suntne Parochi suis in Parochiis Episcopi, exceptò quòd non possint conferre Sacramentum Confirmationis & Ordinis? Habentne potestatem quamdam jurisdictionis?

R. Parochus non habet potestatem nisi gubernandi parochianos suos in consuetis ac ordinariis. Clericos interdicens potestas est penes solum Episcopum, qui potest agere in Parochia tanquam immediatus Superior, independenter à consensu Parochi, qui tantum est Episcopi Vicarius. Parochi prohibere possunt, ne Clerici sibi subditi in propria Parochia functiones obeant, nisi Episcopus sibi reservaverit eam potestatem, quæ est Jurisdictionis Episcopalis, cui Clerici simul & Laici de jure subditi sunt. Concilium Rothomagensis nunquam supposuit, Parochos ratione Officii ac vti Tituli sui habere aut habuisse potestatem interdicens & suspendendi Clericos Parochiarum suarum, si moniti non respuerint. Concilium potuit limitare potestatem Parochorum in quibusdam casibus: idem potest Episcopus aut Officialis nomine Episcopi. Parochus non habet potestatem provisionaliter statuendi, quidquid ipsi libuerit, non consultò prius ea de re Episcopò. Concilium Rothomagensis non concedit novam potestatem Parochis interdicens Presbyteros; falsumque est, mentem hujus Concilii fuisse, quòd solus Parochus possit pro-

provisionaliter judicare ac punire Parochianos suos Laicos & Ecclesiasticos. Pariter falsum est, Parochos in suis Parochiis eandem habere potestatem, quam habent Episcopi, excepta potestate administrandi Sacramenta Confirmationis & Ordinis. Denique juxta Declarationem Concilii Tridentini ad plura alia se extendit potestas Episcoporum, ad quæ se non extendit potestas Ministrorum inferiorum. *Fromageau.*

CASUS XX. Parochus quidam fuit condemnatus ad exilium.

R. Talis condemnatio Parochum reddit infamem, ac consequenter irregularem. Sublatâ per gratiam Principis infamiâ tollitur etiam irregularitas, Parochusque ad suum ministerium redire possit. Papa potest quidem cum tali dispensare in irregularitate, eumque ad celebrationem Missæ admittere: Verum cum in Gallia per hoc non tolleretur infamia, talis non possit celebrare, nisi in locis, ubi nota non est ejus condemnatio ad exilium. Finito exilio hic Parochus ad Datariam se convertere debet, ut liberetur ab irregularitate, in quam propter infamiam delapsus est. *Fromageau.*

NOTA. Hæc procedunt in sola Gallia. Non delegatio Principis secularis, sed causa, cui à jure annexa est infamia, reddit infamem.

CASUS XXI. Capucinus quidam extrahitur ex suo Conventu & constituitur in parochum, ut subveniat pauperibus suis parentibus & propinquis.

R. Non potest relinquere Conventum suum, ac deponere habitum, nisi obtentâ prius à Superioribus suis licentiâ. Casu, quo ipsi denegaretur à Superioribus licentia, eam concedere possit Episcopus. Nihilominus tamen, quantum per munus ac labores Parochiales licuerit, Regulam servare debet, quam in Ordine suo professus est. *Fromageau.*

CASUS XXII. Potestne Parochus, cujus Parochia sex leucis Gallicis ab Ecclesia Cathedrali distat, in ea possidere

Capellaniam, Missarum obligationes annexas habentem, & vi foundationis additam iis, qui Ecclesiæ Cathedrali incorporati ad perpetuam residentiam obligantur, & *perpetui Servitores Ecclesiæ* vocantur?

R. Parochus iste nequit ejusmodi Capellaniam possidere. *De Lamet.*

CASUS XXIII. Episcopus quidam Parochorum à sua avocat Parochia, ejus operâ usurus pro alio bono Diocesis.

R. Residentia Parochorum suis in Parochiis est juris Divini. Et hinc, si opera ac ministerium, quod exigit Episcopus ab hoc Parocho, sit incompatible cum residentia, Episcopus Parochiam debet conferre alteri; & tunc primum poterit uti iudicium Parochi, prout opportunum judicaverit. *Fromageau.*

CASUS XXIV. Parochia quædam Regularis à ducentis jam annis unita fuit cuidam Abbatia Canonice Regularium, sub hac clausula, ut presentatio sit penes Abbatem. Abbatia postmodum in Commendam mutatâ Parochiam semper administrabat Vicarius amovibilis, Religiosus ex eadem Congregatione, & à Generali ad nutum revocabilis. Cum autem Rex voluisset, ut hæc Parochia conferatur in Titulum, Generalis voluit obligare sub juramento Religiosum, qui de ea fuit provisorius, ut redditus Parochiæ relinquat Monasterio.

R. Generalis non potest tale juramentum exigere: esset enim simoniacum, & consequenter nullatenus obligaret. Nihilominus qui tale emisisset juramentum, teneretur adire Papam, ut ab eo liberetur. *Fromageau.*

NOTA. Galli rectè supponunt; Canonicos Regulares esse Capaces beneficiorum secularium juris patronatus proprii, quin redditus parochiæ teneantur expendere in bonum monasterii vel ordinis.

CASUS XXV. Parochus quidam absque ulla sua culpa ingentium turbarum ac scandali in sua Parochia causa existit. Quid illi agendum?

R. Si

R. Si nullum aliud sedandæ procellæ remedium superest, debet dimittere Parochiam suam; nisi Ordinarius, cui presentem difficultatem tenetur exponere, spectatis quibusdam peculiaribus circumstantiis aliter judicaverit. *Fromageau.*

NOTA. Hoc verum est, si innocens parochiam relinquere possit sine macula infamiæ sibi & corpori Clericali inhærenti ex discessu, quam plebs respicit, tanquam tacitam confessionem criminis, nisi præcedat declaratio publica innocentie per Episcopum.

CASUS XXVI. Parochus quidam cum frequenter in sua Parochia gravi dolore capitis affligeretur, singulis annis per bimestre abit in locum vicinum ad captandum aërem saniolem. Interea tamen semper per id temporis sua in Parochia sibi substituit alium Presbyterum ad obviandas functiones Parochiales summè idoneum.

R. Parochus iste non est securus in conscientia; quia dolor capitis ex aëris intemperie proveniens non est causa legitima, quæ excusare possit Parochum à residentia. Imo etiam si hæc ratio esset sufficiens, Parochus tamen non possit abesse per duos menses à sua Parochia sine expressa licentia sui Episcopi, non obstante, quod locò sui substituat alium Presbyterum idoneum (*Trid. Sess. 23. c. 1.*) Cum autem in casu posito non petierit hanc licentiam, concludendum est, eum non esse securum in conscientia.

CASUS XXVII. Parochus quidam baptizat infantem invito patre, utpote Judæo, sed cum consensu avi Catholici.

R. Licet eum baptizat; quia avus est caput totius familiæ, & hinc autoritas ipsius præponderat auctoritati reliquorum consanguineorum, ac etiam parentum, maximè in materia Religionis. Hoc solummodo curandum, ut infans baptizatus educetur inter Christianos, ne vivendo, cum suis parentibus exponatur periculo Judaismi.

CASUS XXVIII. Parochus quidam Titium de casu reservato se accusantem re-

Diction. Cas. Conf.

mittit ad Superiorem, qui Titio concedit facultatem, ut possit absolvi à Parocho. Teneturne Parochus credere Titio id asserenti, eumque absolvere.

R. Tenetur. *Homob. Girib.*

CASUS XXIX. Parochus quidam extra tempus Paschale nunquam accedit Confessionale pro excipiendis Confessionibus suorum Parochianorum, nisi prima cujuslibet mensis Dominica.

R. Regulariter loquendò ad plus non tenetur; quia regulariter loquendò Parochiani rationabiliter non possunt petere, ut sibi administraretur Sacramentum Pœnitentiæ, nisi semel in mense. Nihilominus, si per decursum mensis incideret Festum solemne, aut Indulgentiæ plenariæ, aut si quis sæpius velit confiteri, in his omnibus, aliisque similibus casibus Parochus non possit Parochianis suis denegare administrationem Sacramentorum, quin suæ desit obligationi. *Bonac.*

CASUS XXX. Parochus dum actu accedebat ad Aram pro celebrando Sacro in die Festo, monetur in presentia totius populi, Titium esse in articulo mortis, & quidem in domo rurali vix non uno miliari Gallico distante ab Ecclesia.

R. Parochus tenetur differre, aut etiam omittere Sacrum; quia ex una parte præceptum Confessionis in articulo mortis magis urget quàm præceptum audiendi Sacrum die Festo; & ex altera parte non peccat, qui sine omni propria culpa omitterit Sacrum. Nihilominus ne Parochiani variis præoccupentur præjudiciis, monere eos debet de gravi ac urgente necessitate, qua urgetur ad excipiendam confessionem infirmi. *La Croix l. 6. part. 2. num. 223. aliique.*

NOTA. Videtur mihi consultius, si populum hortaretur ad fervidam comprecationem pro moribundo, & peractis substantialibus Missæ, pergeret ad infirmum, populo interea in comprecatione, vel in auscultatione piæ prælectionis, v. g. Epistolarum, d. Pauli &c. relicto.

CASUS XXXI. Parochus quidam cum audiendo confessionem Caji in eo depre-

X x x x

hen-

thenderet ignorantiam primorum principiorum fidei, denegat ipsi Benedictionem nuptialem, usque dum sufficienter instructus fuerit.

R. Non potest ipsi denegari in hoc casu Benedictio Nuptialis; quia Decreta Pontificum, quibus Parochi prohibentur ad Sacramentum Matrimonii admittere non sufficienter instructos circa principia Religionis, tunc tantum urgent, quando Parochus per aliam viam talem ignorantiam detexerit in contrahente matrimonium, & non, dum eam solum scit ex confessione. Cum ergo in casu proposito Parochus non habeat aliam rationem Cajo differendi Benedictionem nuptialem, quam ignorantiam ipsius, eamque solum noverit ex confessione, dicendum, per dilationem Benedictionis nuptialis à Parocho & Sacramento irrogari injuriam per violationem sigilli, & poenitentiam. *Sanchez de Matr. Barbosa de Offic. Paroch.*

CASUS XXXII. Caja vult nubere Titio, surdo & muto à nativitate. Parochus autem ipsis recusat Benedictionem nuptialem.

R. Si Titius nunquam edidit aliquod signum, ex quo potuisset colligi, eum sufficienter esse instructum circa ea, quæ spectant ad substantiam matrimonii, prudenter agit Parochus. Verum si ex signis & motibus Titii Parocho mortaliter certum fiat, eum scire, quid faciat contrahendò matrimonium, non potest obistere huic matrimonio, si non aliunde aliquod impedimentum interveniat. *Boff. de Mat. Rosig. de Spons. Sanchez de Spons.*

NOTA. Est impossibile, surdum & mutum à nativitate esse sufficienter instructum de obligationibus mariti Christiani, nisi per alphabeti litteras fabre factas & ordine dispositas improbo labore didicerit intelligere libros vel scripturas.

CASUS XXXIII. Parochus quidam denegat Titio Benedictionem nuptialem; eo quod nesciat Orationem Dominicam, & præcepta Decalogi.

R. Malè agit Parochus: licet enim melius foret, si differatur per aliquot dies celebratio matrimonii, ut Titius interea possit addiscere Orationem Dominicam; non licet tamen absolutè eum excludere à Sacramento, si sciat principia essentialia fidei, etiamsi ignoraret, aut memoriâ retinere non posset id, quod fideles communiter sciunt. *Boffius. Diana.*

NOTA. Sive ea ignorantia proveniat ex stupiditate innata, sive ex negligentia, non potest parochus contra Decreta Synodorum, & sensum generalem Doctorum probatorum sine peccato mortali ad matrimonium admittere eos, qui memoriter recitare vel legere nequeunt Ora. Dom. & Symbolum Apost.

CASUS XXXIV. Parochus quidam non habet sufficientes redditus pro honesta sustentatione; & hinc diebus Festis non applicat Missam pro Parochianis suis.

R. Non est securus in Conscientia. *Decret. Sac. Cong.*

NOTA. Cum Sacrificium Christi in Missa sit infiniti valoris, & primis duodecim seculis poterint recipi oblationes à mille personis, censet, parochum in sua dyptica posse oblativè meminisse. 1. Benefactoris. 2. Parochianorum; & que ex horum consensu rationabiliter presumpto.

CASUS XXXV. Parochus quidam habens redditus plusquam sufficientes pro honesta sustentatione nunquam applicat Missam pro Parochianis suis, nisi diebus Festis.

R. Satisfacit obligationi suæ. *Sac. Cong. Decret. 8. feb. 1716.*

NOTA. Sic parochus talis etiam intra hebdomadam tenetur semel vel bis ex ipsa conditione sui muneris celebrare, eo ipso tenetur etiam applicare. Sic enim intelligendum est Decretum de parochio habente pingues redditus.

CASUS XXXVI. Parochus quidam pingues habens redditus quandoque diebus Dominicis non applicat pro Parochianis; semper autem id supplet diebus feriatis.

R. Probabilius id potest; quia obligatio Parochorum pingues redditus possidentium non est diversa ab obligatione aliorum

rum Parochorum. Jam autem ex Responsò à Sacra Congregatione ad dubium propositum dato 29. Januarii 1724. apparet, Parochos tenues redditus possidentes eligere posse diem feriatum ad applicandam Missam pro Parochianis suis; eodem consequenter privilegiò gaudent etiam Parochi ampliores redditus possidentes. Dixi tamen, probabile esse; quia Sacra Congregatio tantum loquitur de Parochis pauperibus.

NOTA. Censet; hanc explicationem esse pro-fus contrariam menti S. Congregationis, ac proin-improbabilem. Aliud dici posset in casu extraordinario ex consensu rationabiliter presumpto, v.g. si applicandum foret pro moribundo, & non adesset alius Sacerdos.

CASUS XXXVII. Parochus quidam prohibet celebrari Missam diebus Festis in Sacellis existentibus in districtu Parochiæ suæ ante Missam Parochialem; quod tamen Parochiani agrè ferunt.

R. Si hæc prohibitio Parochi fundatur in quodam Decreto Episcopi, aut Constitutione Synodali, Parochiani non possunt justè conqueri. Si verò Parochus proprietarium ac privato instinctu id prohibet, hæc prohibitio nulla est; quia Sacra Congregatio pluries declaravit, à Parochis similem prohibitionem propria autoritate fieri non posse.

CASUS XXXVIII. Paterfamilias quidam non mittit liberos suos ad instructionem catechetica, nec Parochus eos venire jubet. Cuinam horum imputanda est eorum ignorantia in doctrina fidei?

R. Utrique, & Patri & Parocho.

CASUS XXXIX. Parochus quidam, cujus Parochia sita est propè Ecclesiam Archipresbyteralem, diebus Festis omittit concionem, suosque Parochianos numero paucos invitavit, ut iis diebus accedant conciones Archipresbyteri fervidas admodum ac solidas.

R. Peccat Parochus; quia Concilium Tridentinum expressè vult, ut Parochi saltem diebus Dominicis & Festis solemnibus concionem habeant.

CASUS XL. Parochus quidam obligationi suæ se satisfacere existimat, si publicè catechesin instituat, etsi sciat, plures Parochianorum suorum præ cæteris rudes non sufficienter exinde instrui circa mysteria Religionis.

R. Non satisfacit; quia supposito, quòd Parochus sciat, quosdam Parochianorum suorum haud sufficienter edoceri per catecheses publicas, tenetur defectum suppleri per instructiones particulares ac privatas: cum enim Parochorum obligatio sit disponere Parochianos ad dignè recipienda Sacramenta, ut eruitur ex quadam propositione damnata ab Innocentio XI., etiam obligantur eoque illos instruere, donec removeatur ignorantia, qua inhabiles redduntur ad validè ac licitè recipienda Sacramenta. Consequenter si Catechesis publica quibusdam non sufficiat, eos tenentur privatim instruere.

CASUS XLI. Parochus quidam per integrum mensem concionem non habet.

R. Peccat mortaliter. *Leand.*

NOTA. Aliter fortè sentiendum circa parochias alternativas, si intra mensem incidat vacantia divini officii. Peccant tamen graviter Episcopi & Visitatores non regulando in singulis parochiis vacantias nimias, & modos Sermonum vel Discursuum ad populum.

CASUS XLII. Parochus quidam sciens, pueros ac puellas Parochiæ suæ perbenè catechismum domi à suis parentibus discere, eos non convocat diebus festis ad Ecclesiam.

R. Saltem non peccat mortaliter; quia Parochi non obligantur parvulos instruere in Catechismo, nisi ad suppleendam negligentiam parentum. Si ergo in Parochia quadam parentes ipsimet universim omnem industriam adhiberent ad informandos in doctrina Christiana liberos suos, Parochi non peccarent graviter omittendò Catecheses. DIXI, non peccaret graviter; quia nihilominus esset culpabilis negligentia, si Parochi non convocarent infantem diebus festis, ut sic magis confirmetur, ac roborentur in principii fidei, ac mutuò sese exemplò provocent.

CASUS XLIII. Parochus quidam in duodecim Festis per annum non habet concionem.

R. Peccat graviter. *Leander.*

CASUS XLIV. Parochus quidam putat, se esse exemptum ab obligatione concionandi; quia ante Vesperas Catechesin habet.

R. Non est exemptus, ut colligitur ex pluribus locis Concilii Tridentini, ubi obligationem concionandi distinguit ab obligatione habendi Catecheses.

CASUS XLV. Parochus quidam committit alteri Sacerdoti munus catechizandi.

R. Non potest alteri committere absque causa legitima; quia non cuicumque alteri Sacerdoti, sed Parocho dicta sunt hæc Christi verba: *Pasce oves meas. Conc. Trid.*

CASUS XLVI. Parochus quidam ut tranquillè magis, magisque solitariè possit vivere, curam Parochiæ suæ committit alteri Sacerdoti, quem scit piissimum ac doctissimum.

R. Parochus iste non est securus in conscientia: nam si juxta Concilium Tridentinum Parochus non potest absque ratione legitima munus concionandi deferre alteri, multò minùs ipsi licet alterius ministeriò uti ad omnes functiones, quæ Parocho ratione muneris sui incumbunt.

CASUS XLVII. Parochus quidam non curat lampadem accendi coram SS. Sacramento.

R. Peccat mortaliter, si ex negligentia ipsius contingat, lampadem per integram diem ac noctem non esse accensam. *Rit. Rom. Diana. Gobat. Bordonus & alii.*

NOTA. Circa tales recentioris ævi leges cæremoniales adiaphoras non facile statuenda sunt peccata mortalia. Abservo; Probabilistas circa leges cæremoniales adiaphoras esse ad superstitionem usque rigorosos; econtra in animarum, religionis, & regnorum perniciem faciles circa leges naturales & divinas.

CASUS XLVIII. Parochus quidam Studiorum inimicus, & hinc nesciens transigere tempus pomeridianum, invisit quem-

piam ex Parochianis suis, ibique in præsentia plurium discursus miscet admodum liberos.

R. Si aversio, quam habet erga studia, & fovere pergit per ejusmodi discursus, eum inhabilem reddit ad dignè explendas obligationes status sui, peccat mortaliter. Addo, hunc Parochum etiam committere peccatum scandalii, ac peccatum contra virtutem oppositam discursibus his liberioribus. Ultra peccatum scandalii peccaret contra votum castitatis, si discursus isti in animo excitarent aut provocarent motus inordinatos; hocque peccatum semper esset mortale. Denique peccaret Parochus contra justitiam, si per hos discursus læderet fama proximi; peccatumque esset aut leve aut grave, scilicet pro levitate aut gravitate materiæ.

CASUS XLIX. Parochus quidam, cum ipsi deficerent stipendia pro Missis, persuasit Parochianis suis, medium consequendi salutem æternam securissimum esse, si multas Missas legi curarent pro solatio animarum Purgatorii.

R. Dupliciter culpabilis est Parochus iste. Primum, quia proponit Parochianis suis doctrinam falsam. Secundò quia in hisce circumstantiis præbet ansam suspicandi, se stimulante potiùs avaritia, quàm desiderio subveniendi animabus purgatorii hanc populo doctrinam proposuisse.

NOTA. Etiam hoc pertinet ad gravia peccata Episcoporum ac Visitatorum? concionibus & aliis modis quæstuariis remedium efficax in radice non opponentium.

CASUS L. Parochus quidam sciens, quemdam Parochianorum suorum largissimas facere eleemosynas ad Sacellum B. Virginis, & vix ullas ad Ecclesiam Parochialem, eum severè reprehendit, dicens, eum quoad hoc rationem habere debere Ecclesiæ Parochialis, & non alterius.

R. Loquendò in genere, ac præsciendò à circumstantiis particularibus, ut sit in casu proposito, quo agitur de eleemosyna prorsus gratuita, certum est, Parochum peccare: cum enim Parochianus

plc.

plenam libertatem habeat in dispensatione eleemosynarum suarum, nemini facit injuriam, si sequatur stimulum devotio- nis suæ, & largiores erogat eleemosynas in Sacellum B. Virginis, quàm in Ecclesiam Parochialem. Consequenter Parochus peccat, eum propterea reprehendendò.

NOTA. Si parochiali Ecclesiæ deesset honestas in ædificiis, altaribus, paramentis, ministris &c. parochus rectè urgeret meliorem ordinem charitatis.

CASUS LI. Parochus quidam, qui unicam tantùm habet ancillam param aptam ad pulsandas campanas, non curat signum dari ad *Angelus Domini.*

R. Hæc omissio est tantùm venialiter peccaminosa, etiam post Indulgentias à Benedicto XIII. Concessas; quia ex nulla parte reperitur, hæc præceptum obligare sub pœna peccati mortalis. Parochus nihilominus ex Zelo, quo imbutus esse debet ad promovendum bonum spirituale suorum Parochianorum, curare debet, ut exactè detur signum istud.

NOTA. Si ea negligentia duraret longo tempore, v. g. per aliquot menses, non posset excusari à gravi peccato, quia induceret contemptum consuetudinis valde laudabilis, recolligendi animum ad Deum ter in die, & recollendi mysterium Incarnationis.

CASUS LII. Parochus quidam non habet Registrum eorum, qui Sacramentum Confirmationis receperunt, sub prætextu, quod plures Parochianorum suorum adducti fuerint à consanguineis suis ad Confirmationem se infcio administratam.

R. Peccat graviter; quia, ut ait *Possivinus de Offic. Par. c. 12.*, eadem ratio est libri Confirmationis, & librorum baptismalis ac nuptialis. Concilium Tridentinum autem *Seff. 24.* declarat, Parochum peccare graviter, qui non habeat librum baptismalem. Consequenter etiam graviter peccat, si non curet habere librum, cui inscribat nomina eorum, qui Sacramentum Confirmationis receperunt.

CASUS LIII. Presbyter quidam recens nominatus ad Parochiam comperit, Prædecessores suos à tempore immemoriali

concionem non habuisse, ex eoque semet ipsum excusandum putat, si nullam habeat.

R. Fallitur hic Parochus; quia Concilium Tridentinum *Seff. 5. c. 2.* & recentius adhuc Innocentius XIII. & Benedictus XIII. in Bullis hac super re emanatis mandant omnibus Parochis, ut saltem diebùs Dominicis, ac Festis solemnibus concionem habeant, non obstante consuetudine contraria, temporis etiam immemorialis; quam consuetudinem, si qua vigeret, abusum ac corruptelam vocant.

CASUS LIV. Parochus monetur, infirmum quempiam nuperrimè primùm confessum, esse in articulo mortis constitutum. Hinc ocyus sumit Ciborium, & currit ad infirmum. Quæritur 1. An in simili casu Parocho Sacrum Viaticum manu gestanti liceat currere. 2. Si Parochus actu consisteret ad aram, an deberet interrompere Missam.

R. *Ad 1.* Non licet currere in tali casu: licet enim agatur de Sacramento summe utili infirmo moriturienti; hoc tamen Sacramentum non est absolutè necessarium. Hinc nulla datur ratio excusans formalem indecentiam, imo & scandalum, quod præberet Sacerdos, si manu tenens Sanctissimum Christi Corpus curreret per plateas. *Ad 2.* Si infirmus actu est in Ecclesia, aut propè Ecclesiam, Parochus debet interrompere Sacrificium Missæ, etiam post Consecrationem; quia ex una parte interruptio est levis, & ex altera parte utilitas in infirmum redundatura sufficientem rationem suppeditat, qua excusari possit interruptio. Si autem infirmus existat in loco admodum remoto ab Ecclesia, Sacrificium Missæ non est interrompendum; quia, cum necessitas infirmi, qui supponitur jam fuisse confessus, non sit admodum urgens, reverentia Sacrificio Missæ debita exigit, ut non fiat talis interruptio. Nihilominus in hoc secundo casu possent intercurrere circumstantiæ, ubi aliud agendum foret Parocho; prout nempe prudens ipsi judicium suggererit.

Xxxx 3

Vide

Vide *Absolutio* Cal. 2. 4. 5. 6. 11. 12. 16. 21. 24. 25. 27. 29. 31. 32. *Beneficia- tus. Beneficium. Confessarius. Canonici. Permutatio. Provisio. Residentia. Resignatio. Sigillum. Sacramentale. Simonia. &c.*

PASCUA.

1. *Pascua* vocamus loca illa, in quibus pecora & armenta pascuntur. Dicitur habere jus pascendi, cui licet per armenta sua depascere loca, quæ jure proprietatis ad ipsum non pertinent.

2. Præcipuæ regulæ ad jus pascuale pertinentes sunt: Si jumenta, armenta vel pecora præsentibus vel absentibus pastoribus depascant prata tali tempore vel in iis locis, in quibus pascuorum usus prohibitus est, Dominus, cujus sunt pecora, tenetur de damno ab iisdem causato. Idem quoque dicendum de loco, in quo pascuorum usus permissus est, si ibidem tenellis arboribus qualiscunque noxa à gregibus inferatur.

3. Vigent consuetudines Juri Civili Romano contrariæ, vi quarum proprietario loci, si fortè in suo fundo deprehenderit pecora, eadem secum abducendi, & tandem domi suæ, donec illata damna resarciantur, detinendi potestas conceditur.

4. Jus pascendi potest acquiri vel ex titulo, vel per præscriptionem temporis immemorialis, ad quam probandam incolæ seu pagani simile jus prætendens non possunt admitti pro testibus.

5. Non licet ante primam falcem, id est primis graminibus nondum demessis ad pastum in proprium agrum pecus educere.

6. Quælibet ruricularum communitas jure pascendi gaudens debet habere pastorem pro custodia gregum, nec cuiquam aliqua noxa aut pauperies ab armentis inferatur.

7. Circa hanc materiam observanda sunt Edicta Regia vel alterius territorialis Principis. *De Aquis & Sylvis.*

CASUS I. Cælestinus cujusdam olim parochiæ Dominus spatium campætre quinquaginta vel sexaginta jugera complectens pagi illius incolis ad pascendos ibi greges suos concessit. Hos inter erant tres Agricola reliquis opulentiores, qui singuli gregem quadringentorum ovium educebant in hoc arvo pascendarum. Conqueruntur cæteri duas non nisi vacas habentes, vaccis suis à tanto ovium grege nullum amplius relinqui pabulum, quin etiam prætendunt, non licere Agricolis greges suos ad hujusmodi pascua communia emittere, vel saltem numerum ibidem pascendarum, minuendum esse. Licetne præfatis agricolis reliquorum querelis insuperhabitis posthac, uti hucusque, frequentare hæc communia pascua? & supposito quod hoc non possint salva conscientia, nec tamen abstineant, daturne obligatio ex parte Domini, ut agricolas, non obstante quod sint ipsius coloni vel conductores, cogat ad reliquenda hæc pascua?

R. Jus pascendi debet comparari cum aquis fluminum irrigandis agris aut pratis destinatis. Jam verò, moraliter loquendo, cuilibet debet concedi æqualis portio aquæ, nisi aliquis possit probare, majorem sibi quam aliis portionem deberi. *Leg. Fluminum. ff. Damno infecto 2. &c. lib. 3. tit. 2.* Adeoque quantum concernit pascua publica ac communia, horum usus debet distribui *ex equo & bono*, ex quo proin sequitur, mentionatio agricolis non licere salvè justitiâ per suos greges depascere totum arvom pascuis communibus destinatum, vel certè debere imminuere numerum ovium suorum. Quod si pertinaciter renuant, à Domino Territoriali cogendi sunt. *Pontas.*

CASUS II. Bertinus prædives agricola plurimos possidet equos, boves & vacas, & immodicum arietum gregem. Ex his partem aliquam mittit ad depascendum pratum, quod ad ipsummet proprietatis jure pertinet, possuntne tum dominus Terri-

torialis tum reliqui incolæ sese opponere ex eo Capite, quod primæ gramina nondum sint succissa?

R. Interesse boni publici exigit, ut privati propria sua conservent, nec destruant, antequam ad maturitatem pervenerint. Adeoque justè reliqui pagani sese opponunt Bertino, et quod jubeat depasci primas herbas sui prati, nisi pratum hoc murò vel sepibus circumquaque clausum sit. Idem dicendum de agro jam seminato. *Pontas.*

PATRES & MATRES.

Vide *Liberi. Parentes.*

CASUS. Potestne Religiosus discedere ad tempus ex suo conventu alendi patris vel matris suæ gratiâ; & supposito quod hoc ipsi liceat, licetne ipsi etiam deponere habitum religionis suæ, an verò ad hoc indiget Dispensatione Papæ?

R. 1^{mo}. Peccat filius, si Religionem ingrediatur, dum pater ipsius est in valde magna necessitate succurrendi superest, quam ut in sæculo maneat, quia agit contra jus naturale & divinum, vi cujus tenetur subvenire parentibus in necessitate constitutis. 2^{do}. Communis est sententia, Religiosum professum posse, imo debere ad tempus relinquere suum monasterium, ut succurrat parenti in extrema necessitate constituto, si aliud eundem juvandi medium non superest; etiam *Licentiâ petitâ & non obtentâ à Superiore* Votum quippe non debet impedire executionem præcepti, quod est juris naturalis & divini. 3^{to}. Filius non tenetur exire à Conventu ut succurrat patri suo in magna necessitate constituto: tenetur tantum eidem assistere modo meliori quo potest, & conformiter suo statui. 4^{to}. Credimus talem Religiosum posse deponere suum habitum exeundo à monasterio, quando aliter parentes juvare non possent, nisi exercendo artem, aut officium, quod retinendo habitum Religionis non possent decenter &

cum decoro sui statûs exercere; necessaria tamen ipsi ad hoc est licentia Papæ. Sunt aliqui, qui credunt etiam Episcopum vel Superiorem posse concedere talem licentiam, si necessitas esset valde urgens. *Fromageau.*

Vide *Pontas.*

PATRESFAMILIAS.

1. Curam Domesticorum suorum, quam Patresfamilias, omnesque Domini, quicunque demum, gerere tenentur, Ecclesiæ Patres cum ea comparant sollicitudine, quam Episcopi Diœcesanorum suorum habere debent. Sic Patresfamilias, Domine, ut quæ muneris sui sunt, impleant, id potissimum curare debent, ut instruant vel ipsimet per se, vel per alios, corrigant, & ad Christianorum virtutum praxim & exercitium exemplò suò pertrahant omnes suos, quicunque sint, domesticos, eâ prorsus ratione, quâ Patres & Matres invigilare propriis filiis suis tenentur.

2. *S. Carolus* paucis omnes has obligationes in Concilio *Mediolanensi III.* complexus est. Præterea Patresfamilias Domineque tenentur fideliter & constituto tempore Stipendia, de quibus convenire, domesticis solvere, exigit, quoque charitas, ut infirmorum Domesticorum Sorrowumque curam gerant, nec eis subsidia tam temporalia quam spiritualia desesse patientur.

CASUS. Cuidam Patrifamilias est domesticus, qui antiquum & inveteratum erga alium odium fovet, ita ut omninò eidem conciliari renuat.

R. Patrifamilias vel Domini est, ejusmodi domesticum vel servum dimittere; præsertim, si ad inimicitiam hanc fovendam Domini auctoritate abutatur. *Fromageau.*

Vide *Domesticus.*

PATRIMONIUM.

CASUS I. Clericus quidam qui docendo grammaticam singulis annis lucratur plus

plus quàm ducentos francos, quærit, an non hoc solo titulo possit recipere ordines Sacros?

R. Non potest recipere; quia Tridentinum exigit patrimonium in bonis stabilibus ac solidis fundatum.

CASUS II. Pater filio suo in patrimonium concedit omnia bona sua, quorum proventus 200. francorum summam excedunt, attamen cum hoc onere, ut ad dies vitæ victum ac vestitum ipsi præbeat.

R. Patrimonium hoc non est Legitimum; ad hoc enim ut patrimonium sit legitimum, requiritur ut sit fundatum in bonis stabilibus liberis, absque onere, quorum annui proventus 200 francos æquant. Sed conditiones hæc defunt patrimonio tu prædicto; quia enim excessus supra 200. francos non constituit summam sufficientem pro sustentatione patris, evidens est, quòd deductis ad hanc alimentationem necessariis, filio non remaneret integrum patrimonium ducentorum francorum. Et sic patrimonium istud non debet haberi pro legitimo.

CASUS III. Titius habens duos filios horum alterutri in patrimonium concedit pratum, qui solus totam familiæ substantiam constituit.

R. Considerando rem ut est in se, patrimonium hoc non est habendum pro legitimo; nam Titius tradendo agrum alterutri filiorum altero præterito, injuriam huic facit & toti familiæ nocet. *Dixi verò* considerando rem ut est in se, si enim pater haberet plenissimam potestatem disponendi de prato & alter filius fratri suo jus sibi competens cederet, patrimonium sustineretur pro legitimo, & reverà esset tale. *Girib. de Sacris Ordin. c. 4. n. 65. Marchin. de Sac. Ordin. tr. 2. c. 7. Diffic. 3.*

CASUS IV. Pater quidam, licet satis opulentus, recusat patrimonium filio suo adenter ad S. Ordines aspiranti

R. Pater hic peccat graviter, nisi vocatio filii ipsi appareat incerta, vel hic ipsius judicio videatur parum idoneus mi-

nisterio Altaris, ob ignorantiam aut depravatos mores. Veritas responsionis hujus fundatur in jure naturali, vi cujus parentes tenentur providere prolibus de honesta sustentatione in tali statu, ad quem à Providentia vocatus credunt. *Reiff. de Præcept. Decal. Rosig. de Ordin. March. de Ord.*

PATRINUS.

1. Patrinus vocatur, qui infantem ex S. Baptismatis fonte suscipit, eidemque nomen in Baptismo imponit. Est ergo Patrinus talis infantis secundus pater, pater nempe spiritualis, fidem Catholicam nomine infantis confitens, fidemque pro illo suam Ecclesiæ obligans. Tenetur ergo in defectu parentum naturalium curare ac vigilare pro ipsius instructione: hinc Religiosi & Moniales non possunt esse patrini & matrinæ, nec etiam alii admittendi sunt quam qui profitentur fidem Romano-Catholicam sufficienterque in præcipuis Religionis nostræ mysteriis instructi sunt.

2. Patrinus & matrina contrahunt cognitionem spiritualem cum patre & matre Baptizati, cumque cognatio hæc constituat impedimentum dirimens matrimonii, antecedenter nempe ad matrimonium, hinc ne nimium multiplicentur, statuit Tridentinum *Seff. 23. cap. 2. de reform. matrim.* ut unus tantum patrinus, vel ad summum unus patrinus cum una matrina admittatur. In Ecclesia Græca femellæ unam tantum habent matrinam.

CASUS I. Natalis ex S. Baptismate suscepit infantem ex Oliviero & Nicolaa parentibus genitum. Parvulus hic octavo ætatis suæ anno utroque parente oritur. Natalis qui neglexit instruere, vel vigilare pro instructione dicti pupilli esse gravis peccati reus?

R. Si parvulus iste adeo fuit neglectus, ut nemo prorsus curam habuerit pro ipsius instructione in rebus ad animæ salutem pertinentibus, Natalis absolutè obligatur providere de ejus instructione: *Doctrina hæc*

hæc est complurium Conciliorum. *Arclit. 6. can. 19. Mogunt. A. 819. c. 47. &c.* hoc enim onus simul cum munere patrinatus in se suscepit Natalis.

CASUS II. Apollonius Vicarius ad Baptismum infantis admisit tres patrinos & tres matrinæ.

R. Non potuit absque peccato tot admittere, egitque contra prohibitionem expressam Tridentini supra citati. Nec etiam à peccato excusare se potest prætextu ignorantie.

CASUS III. Nazarius parochus vocatus ad baptizandos simul duos infantes, ad unius Baptismum pro patrino admisit Religiosum, & Beneficiatum ad Alterius.

R. Nullo modo debuisset admittere Religiosum, qui, cum sæculo renuntiaverit, nequit mortuis parentibus curam infantis habere. *Eugenius in Canone placuit 16.*

9. 7. Quædam Concilia eandem prohibitionem extendunt ad Clericos in Sacris Constitutos, & ad Beneficiatos, ut Concilium *Aquis Sextiis* in Provincia A. 1585. Celebratum. Concilium *Rhemense* prohibitionem hanc restringit ad locum residentie, S. tamen *Carolus Borromæus* generaliter prohibet.

CASUS IV. Eusebius nullibi inveniens patrinum Catholicum pro infante mox Baptizando, cum jam ultra Baptismus differri non posset, admittit hominem hæreticum.

R. Peccavit mortaliter.

Infideles, hæretici, imò etiam suspecti de hæresi, schismatici, excommunicati, peccatores publici, iique, qui necessaria ad salutem ignorant, nunquam admittendi sunt pro patrinis, qui patres spirituales infantis neobaptizati patres esse debent.

PATRONATUS.

1. Patronatus primis christianæ religionis sæculis incognitus, est jus in posteris temporibus fundatoribus quorundam Beneficiorum eorumque descendentibus posteris concessum, vi cujus ordinariis *Diction. Caf. Consc.*

collatoribus possunt præsentare personarum talibus beneficiis administrandis idoneas. Excluduntur ab hoc jure Fideicommissarii.

2. Nomine quoque præsentationis comprehenditur jus nominationis ad Prælaturas, quod legi competit in Gallia.

3. Patronatus alius est *Ecclesiasticus*, qui definitur: *potestas Clerico competens præsentandi instituendum ad vacans beneficium.* Et alius *Laicalis*, qui est *potestas præsentandi Clericum ad Beneficium, Competens alicui Laico.*

4. Jus hoc ex natura sua est indivisibile, nihilominus potest possideri à pluribus conjunctim, & quando tum agitur de ejusdem actuali exercitio, quilibet pro se habet vocem suam, sed vincit pluralitas suffragiorum.

5. Jus Patronatus est reale, cumque sit etiam spirituale; seorsim secundum se non potest vendi absque Simonia; sed transit in emptorem vendito fundo, cui jus hoc adhæret accessoriè sine peculiari æstimatione.

CASUS I. *Marculphus* pro ædificanda Ecclesia parochiali S. Romani præbuit fundum, *Mellonius* sumptus atque expensas in fabricam suppeditavit, *Geremianus* vero dotem eidem constituit, octingentos francos annuatim Ecclesiæ persolvendos, totum cum consensu Episcopi. Cujusnam ergo est jus Patronatus?

R. Ex quo Episcopus consensus in ædificationem hujus Ecclesiæ, ejusdem donationem, & donationem fundi, horum singuli gaudent imposterum jure Patronatus? *Pagnanus n. 49. & seqq.* Et quando quispiam fundat, extruit & dotat Ecclesiam cum assensu Episcopi, hoc ipso habet jus Patronatus, nisi expressè declaraverit, se hoc jus suum penes Ecclesiam relinquere.

CASUS II. *Veturius* habet jus Patronatus in Ecclesia *S. Fraberti* ex titulo donationis factæ, quæ fundum quendam donavit huic Ecclesiæ; contendit jam non posse se privati prærogativa & juribus honor-

norificis Patroni, licet fundus ille consentientibus omnibus parochianis à parochio & Ecclesie curatoribus *Ferdinando* cuidam fuerit venditus; e contra verò emptor *Ferdinandus* præterdit, cum Patronatus fundo inhæreat, jus hoc unà cum præfato fundo ad se transiisse, atque ex hac ratione actionem in judicio adversus *Veturium* instituit; potestne litem hanc intentare & prosequi citra injustitiam?

R. Quando Ecclesia vendendo fundum *Ferdinando*, expressè sibi reservavit jus Patronatus, hoc nullatenus transit ad *Ferdinandum*, sed salvum ac integrum manet *Veturio*, qui proin debet frui omnibus prærogativis ac honoribus juri huic annexis. Sin autem fundum vendiderit absque expressa reservatione Patronatus, jus hoc, cum fundo utique inhæreat, transit *cum tota universitate* ad illum, qui fundi proprietarius & novus possessor factus est. *Alexander III. in cap. ex literis 7. de jure patronat. lib. 3. tit. 8.*

NOTA. Competebat tamen *Veturio* ex æquitate jus *Protomiseos*.

CASUS III. *Menelaus* acquisivit jus Patronatus Ecclesie S. Guinoli ex dote septem domorum, quas Ecclesie huic, cum ædificaretur, donaverat. Domus hæc haud multò post incendiò perierunt. Quæritur jam an ex sinistro hoc casu *Menelaus* amiserit jus Patronatus, & si *Paschasius* assignet novam & sufficientem dotem Ecclesie, ipse postmodum Patronatum aquirat?

R. Dicendum, *Menelaum* excidisse suo jure Patronatus, sicut ille, qui *titulo tantum constructionis* Patronus foret, cessaret esse Patronus, si Ecclesia funditus everteretur. Et sic *Paschasius* assignando huic Ecclesie novam dotem, ejusdem novus fit Patronus. *Faymanus in cap. quoniam 3. de jure Patronat. n. 59.* Observandum nihilominus est, quòd ille, qui *dotasset Ecclesiam*, ejusdem semper maneret Patronus, etiamsi ex toto destrueretur, & ille qui eandem reædificaret, ipse quoque ejus se-

ret Patronus conjunctim cum dotatore. *Idem n. 60.*

CASUS IV. *Cynthius* vir perillustri, sed nominatim excommunicatus, fundavit, extruxit & dotavit consentiente Episcopo Ecclesiam Parochialem suæ Dynastie ut hoc modo viam sibi met facillitaret redeundi ad communionem Ecclesie: acquisivitne per hoc jus Patronatus illius Ecclesie?

R. Dicimus, nihil obstante censura ipsius jus in hoc acquisivisse juxta *Joannem Andream in cap. nobis, de jure Patronat. n. 3.* Interim tamen illud exercere haud posset ante obtentam absolutionem. *Faymanus in eod. loco n. 13.* quis negabit, excommunicato licere bonum aliquod opus facere? tale utique est fundatio, constructio dotatio alicujus Ecclesie.

CASUS V. *Galerius* propositum sibi habet vendere vel in Feudum concedere Patronatum parocchie S. Felievii. Potestne hoc facere absque peccato?

R. Nequit certè absque gravissimo peccato? Vendere vel in Feudum concedere hoc Jus Patronatus se solo & abstractè spectatum. Omnino verò poterit licitè tam vendere quàm in Feudum dare fundos quibus jus istius modi inhæret, & tunc aquisitor jus hoc sibi aquirat, utpote inseparabile à fundis, juxta regulam *Jurii Accessorium naturam sequi congruit principalis. Reg. 24. De Reg. Jur. in 6.*

CASUS VI. Si *Galerius* solummodo per modum hypothecæ fundos suos obligasset *Joanni* pro Assesuratione mille francorum ab eodem mutuò acceptorum, potestne propterea *Joannes* exercere jus Patronatus?

R. Variæ circa hoc sunt Auctorum sententiæ; attamen verior opinio est Jus Patronatus non transire ad obligatarium per simplicem obligationem; quia obligatarium non est Dominus rei sibi obligatæ, nec aliud jus habet, quàm percipiendi usque ad pactum tempus fructus utiles suos. *S. ANTONIN. 3. part. tit. 12. c. 12. §. 2.*

CASUS VII. *Diodorus* Patronus laicus parochie ad S. Clarum cessit & donavit per modum elemosinæ Patronatum hujus Ecclesie Abbatiæ S. Valerii, paulòque post mortuus est. *Desiderius* filius ipsius natu maximus, jus hoc retraxit pro summa 500. francorum Abbatiæ perfolutorum; audivit postmodum, emptionem hanc esse veram ac realem Simoniam, ipsùmque proin non posse retinere hoc jus Patronatus, illud ergo Abbatiæ restitutum se promittit, sed cum promissum exequi non possit nisi post menses aliquot, simulque vacet parochia, an pro hac saltem vice non liceat ipsi præsentate?

R. Jus Patronatus est transferibile, quando est annexum fundo qui venditur. At verò quia Patronatus hujus parochie, ut in casu ponitur, titulo prorsus gratuito fuit donatus Abbatiæ, naturam induit Patronatus purè Ecclesiastici, juxta *Bonifacium VIII. in cap. si laicus un §. 1. eod. tit. in 6.* Non ergo potest vendi. *Concil. Trident. Sess. 25. de Reform. c. 8.* *Desiderius* ergo in præfati casu non potest exercere jura Patroni, cum jus hoc ipsi non competat; ad solum collatorem ordinarium nunc pertinet provisio, utpote cum jus Patronatus per sui venditionem exspiraverit.

CASUS VIII. *Geduinus* Patronus Præsentator cujusdam parochie peregrè in Hungariam profectus est contra Turcas militaturus. Quartodecimo ab ipsius discessu die vacat parochia, quam statim post biduum Episcopus pleno jure contulit *Eustachio*. *Gedui* filii vi procurationis à patre ante abitum sibi traditæ, *Reinardum* patris nomine præsentant. Estne valida & Canonica collatio Episcopi?

R. Juxta Ecclesie Gallicanæ consuetudines, quando Patronus est captivus, vel in regiones multum remotas profectus, potest Episcopus conferre Beneficia, quæ sunt de jure talis Patroni, & quidem mox ut vacaverint. Quare *Eustachius* legitime fuit ab Episcopo provisus; procuratio ab *Eustachio* filiis relicta nulla est, cum ante

obitum *Reactoris* Ecclesie fuerit facta & tradita. *Brillon v. Patronatus n. 35.*

CASUS IX. *Bertharius* mortis proximus duobus filiis *Philemoni* & *Paulo* duo reliquit Castra, quorum uni annexum est jus Patronatus ad parochiam, annuatim ferentem 2000. francos; alteri autem Castro annexum est jus Patronatus ad quandam Capellam, annuatim Capellano ferentem tantum 50. francos. Author fratri suo *Philemon* est, ut patrimonio Capellæ adjiciatur Bursa trecentorum francorum fundata à protoparentibus in favorem unius studiosi pauperis, quatenus hoc modò jura Patronatus magis ad æqualitatem accederent. Consentit *Paulus*. Sapitne hoc Simoniam?

R. Si Patronatus amborum Beneficiorum, vel saltem pinguioris pertineat ad filium natu majorem liberis de paterna hereditate participantibus, nullum intervenit Simonie vitium, cum adolescentior possit sibi reservare jus verè sibi competens, alterum jus verò fratri juniori cedere, & consentire in unionem Bursæ, cum conventio sit purè gratuita. *Sylvius v. Jus Patron. v. Labes Simonia Tom. 3.* quòd si verò idem jus utriusque sit commune, unus alteri dat jus temporale, quale est Bursa (Germani nostri vocant *Stipendium* pauperibus studiosis destinatum) pro re spirituali ut est jus nominandi ad Beneficium; Datur in hac conventionè contractus saltem tacitus, non gratuitus, vi cujus temporale datur pro spirituali, & ideo est Simonica. *S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 4. in corp. & ad 3.*

Vide *Beneficium, Confidentia, Collatio, Patronus, Simonia.*

CASUS X. Patronus laicus intendit transferre jus suum Patronatus in aliam personam privatam.

R. Non potest hoc facere absque consensu Episcopi; & si transferat, non potest absque crimine Simonie transferre cum titulo novo aquisitori oneroso. *Fro-mageau.*

CASUS XI. Cedit aliquis jus patronatus tertio in recognitionem, & intuitu frequentiorum auxiliorum ac obsequiorum ab eodem sibi exhibitorum.

R. Tale pactum de Simonia suspectum, & nullum est. Nunquam licet dare bonum spirituale pro temporali *Fromageau*.

CASUS XII. Fundator laicus cujusdam monasterii sceminarum, Superiorissæ in perpetuum nominandæ sibi jus reservavit. An potest hoc cedere Episcopo sub obligatione, ut semper in Superiorissam assumat unam ex certa familia?

R. Non potest jus hoc cedere Episcopo Diocesano ea conditione, ut ipse & successores sint obligati assumere hanc Superiorissam ex certa aliqua familia: tale pactum esset Simoniacum. Si quod dubium emergeret super hac materia, exquirenda esset approbatio Summi Pontificis, ut hujus auctoritate Simonix vitium evitetur vel tollatur. *Fromageau*.

CASUS XIII. Magnæ Britannix Satrapa Religioni Catholicæ addictus, nondum proscripta ex illo Regno Religione Romano-Catholica habebat jus Patronatus laicale: potestne, ex quo schisma cœpit, præsentare ad hoc Beneficium hominem hæreticum?

R. Nec præsentare subjectum hæreticum nec exigere nec acceptare pecunias pro præsentatione ipsi licet. *Deliberatum in Sorbonna 26. Novemb. 1671.*

Vide *Pontas*.

PATRONUS-PRÆSENTATOR.

1. Patronus-Præsentator vocatur, qui habet jus Patronatus in aliquo Beneficio.
2. Patronus debet habere suum stallum in choro Ecclesiæ, & præcedentiam in processionibus. Debet primus nominari & parochianis commendari in precibus, quas parochus dum Festis & Dominicis diebus verba ad populum facit, publicè prolegit. Ipsi ante reliquos omnes Laicos offerenda est aqua Benedicta, incensum, panis Be-

nedictus, etiam in concurrentia ac præsentia Domini Territorialis.

3. Patrono Ecclesiastico ad præsentandum pro beneficio conceduntur sex menses & Laico nonnisi quatuor, præterquam in Normannia, ubi eodem ac Ecclesiastico privilegio sex mensium gaudet.

4. Intra quadrimestre hoc nec Episcopus, imo in Gallia ne quidem Papa, possunt *Spretò Patrono Laicò* conferre Beneficia. Equè parum Rex intra idem tempus jure Regaliæ absque nominatione Patroni Laici potest providere de Beneficiis.

5. Patronus Ecclesiasticus præsentans ad Beneficium personam scienter indignam amittit jus suum nominandi pro illa tantummodo vice, & jus illud tunc devolvitur ad collatorem ordinarium; secus si res habet circa Patronum laicum; hic enim, cum non requiratur in ipso tam stricta notitia de capacitate subjecti, potest nominare etiam secunda vice.

6. Indignus vocatur non ille tantum, qui est ineptus ad exercendas vel implendas obligationes Beneficii, sed quilibet etiam, de quo scitur, quod non sit satisfactorius suis obligationibus ac oneribus.

7. In Casu quo Dominus Territorialis venditis suis fundis jus etiam patronatus in emptorem transtulit, si emptor hic præsentet ad Beneficium, tenet nominatio, licet postmodum ex possessione deiciatur ab aliquo consanguineo venditori qui jure retractus fundos repetit.

CASUS I. *Tichonius* Patronus Laici parochiæ *S. Ivonis* diebus aliquot post elapsum quadrimestre Laicis ad nominationem concessum præsentavit Petrum. Sciens hoc Episcopus nominavit *Jacobum*, qui absque mora possessionem aggressus est. *Petrus* ab Episcopo rejectus obtinuit à Metropolitanò institutionis Literas, & citavit ad tribunal Metropolitanum, ut deiciatur possessione beneficii. Quis horum est legitimus parochus?

R. *Jacobus* est solus & legitimus parochus. *Tichonius* quatuor tantum menses habebat ad præsentandum, cumque

terlabi sciverit terminum hunc, collatio devoluta est ad Episcopum. Imo oportebat, ut actus nominationis exhiberetur Diocesano ante lapsum quatuor mensium. *Alex. III. in cap. quoniam 3. De Jure Patronatus lib. 3. tit. 38. & Bonifac. VIII. in c. si Laicus unico eod. tit. in 6. lib. 3. tit. 19.* In Normannia Patroni Laici ad parochias hujus provinciæ gaudent 6. mensibus, adeoque Petrus ibidem esset solus legitimus parochus. Observandum est, tempus Patrono ad præsentandum concessum non currere, nisi à die quo habuit vel habere verosimiliter potuit notitiam de vacantia Beneficii.

CASUS II. Genutius parochus cujusdam parochiæ quoad collationem vel simplicem præsentationem ab Ordine Melitensi dependentis, resignavit hoc suum Beneficium in curia Romana, non obtento, imo ne requisito quidem consensu patroni: estne valida resignatio hujuscemodi?

R. Jus Patronatus quo Melitensis Ordo gaudet, est mixtus, id est, partim Ecclesiasticus, & partim laicalis. Cum ergo non sit purè Ecclesiasticus, sequitur Resignanti necessarium omnino esse consensum Patroni, quod etiam in Gallia observatur. Adeoque *Genutii* resignatio nulla est. *Pontas*.

CASUS III. *Rambertus* parochiam habet ad quam nominandi jus penes Dominum loci est. Parochus hic venetias quondam profectus octavo ab adventu suo die vitâ functus est. Episcopus Diocesanus post quatuor menses & dies aliquot certior factus de *Ramberti* morte, parochiam cuidam *Juliano* confert, ex qua collatione & non aliter, territorialis Dominus mortem parochi discit. Hoc tamen non obstante nominat Hieronymum, qui non admissus ab Episcopo Literas Institutionis à Metropolitanò obtinet: uternam ergo ex duobus his est legitimus parochus?

R. Estimo Hieronymum pro tali habendum esse. Licet à morte *Ramberti* quatuor jam menses & quod excurrit, ela-

psi sint quando à territorii Domino Hieronymus nominatus fuit, quatuor tamen menses hi non sunt numerandi à die mortis, sed ab illo die, quo Patronus potuit de obitu habere notitiam. *Imoc. III. in c. quia 5. de Concess. præbend. &c.* Et sic nominatio pro hac vice non est devoluta ad Episcopum. Regula hæc vim legis habet in Normannia.

CASUS IV. *Sophocles* Patronus-Præsentator cujusdam Capellæ, cujus proventus annui 400. francos conficiunt, nominavit filium suum secundogenitum: estne legalis nominatio hæc & regulis Canonis conformis; potestne etiam admitti ab Episcopo?

R. Præsentatio hæc est legitima (imo etiam est licita) quando à Patrono non fuit facta ex affectu ad carnem & sanguinem, vel ex alia consideratione humana. *Glossa in c. consuluit v. propria auctoritate & v. concedant.* Licet Patronus semetipsum præsentare non possit, potest tamen præsentare suum filium. *Cabassut. lib. 2. c. 8. n. 2.*

CASUS V. *Sylverius* & *Possidius* Patroni cujusdam parochiæ dissidabant de uno eodemque subjecto à se præsentando. Unus ergo nominavit *Joannem* & alter *Jacobum*; quis horum censendus est habere jus ad Parochiam?

R. *Alexander III.* in Concilio Generali Lateranensi tertio in c. *Quoniam de Jure Patron.* decidit hanc quæstionem. Quando Patroni dissentiant in electione alicujus subjecti ad Beneficium, ad quod junctim seu communiter præsentandi jus habent, ille præferendus est, pro quo plura stant suffragia, quique meritis altero potior est. Si hoc fieri nequeat absque scandalo, Episcopo jus competit Collationis, qui beneficium poterit conferre cuicumque quem ipse idoneum judicaverit. Et sic in casu proposito provisio ad Episcopum pertinet, cum unicum tantum suffragium pro quolibet à duobus patronis nominato stet. *Pontas*.

CASUS VI. *Appius* gaudens jure Patronatus ad certam parochiam, nominavit *Vincentium* usque adeo ad curam animarum inhabilem, ut deprehensa in examine ipsius incapacitate, fuerit rejectus ab Episcopo, qui pro ipso instituit *Theodulum*. Estne Canonica hæc Episcopi collatio? potestne eadem tueri se *Theodulus* & ut parochum se gerere?

℞. Si *Appius* fuerit persona Ecclesiastica legitima est Episcopi collatio. Ecclesiastici enim erat cognoscere inhabilitatem subjecti presentati, atque pro hac vice patronus iste excidit jure suo presentandi. Quod si fuerit persona laicalis, conceditur ipsi variatio, & Episcopi collatio est nulla, vel potius annullanda; id est: non est ipso jure nulla, imo subsisteret adhuc, licet intra 4. menses Papa provisiones alteri concessisset, in casu quo Patronus ad gravamen sibi per collationem Episcopi illatum tacuisset, nec alium primo recusato nominasset. Verum si Patronus variationis privilegio usus etiam secunda vice personam inhabilem presentasset, Episcopus pleno jure posset nominare. *Fagnanus in cap. cum vos n. 2.* Notandum est; Patronum laicum qui presentavit subjectum incapax, posse secunda vice presentare hanc ipsam personam, si interim se reddiderit capacem, & terminus ad presentandum concessus necdum fuerit elapsus.

CASUS VII. *Eunapius* Clericus extraneus à Patrono laico presentatur intra quadrimestre ad quemdam Prioratum. Elapso quadrimestri eundem Prioratum Episcopus Diocesanus jure devolutionis confert *Petro* sub pretextu quod *Eunapius* non sit regni Indigena. Interim verò *Eunapius* antequam collationem peteret ab Episcopo, petiit & obtinuit literas naturalisationis. Poteritne hac viâ salvare ac tueri suam presentationem?

℞. Nullus omnino extraneus potest obtinere Beneficium in Gallia absque literis naturalisationis cum expressa clausula, quod possit promoveri ad Beneficia. Ast

verò ex quo semel naturalisatus est à Principe, habilis est hoc ipso ad quævis Beneficia, imo poterit ad illa promoveri ante obtentas literas naturalisationis; sufficitque ut easdem habeat ante suam institutionem, ne pretextu quod extraneus sit, amplius dejici possit ex possessione, dummodo alius ad idem Beneficium medio tempore non fuerit nominatus; ille enim qui medio hoc tempore fuisset nominatus, verum ad hujusmodi Beneficium haberet titulum, & dispensatio Principis quoad hoc foret extraneo inutilis. *Blondeau l. cit. n. 170.* solius ergo Petri, ut fert presentatus casus, ab Episcopo instituti collatio tenet, & canonica est.

CASUS VIII. *Athenogenes* patronus presentator ad parochiam, in qua Dominium territoriale exercet, promisit Paulo filio sui conductoris seu Publicani, collatum se illi parochiam hanc post obitum moderni titularis decrepitam jam ætatem agentis. Potuitne *Athenogenes* absque crimine hoc promittere, & post mortem parochi promissum suum exequi?

℞. Talis promissio est damnata à Canonibus: illam *Athenogenes* absque peccato nec potuit facere nec exequi. *Conc. Later. sub Alex. III. in c. nulla 2. de concess. præb. lib. 3. & 8. & conc. trident. sess. 24. can. 19. de Reform.* quod abolevit omnes gratias expectativas, nec iis etiam exceptis quæ ante Sessionem hanc fuerant concessæ.

Vide *Collatio, Cal. V.*

CASUS IX. Mortuo Plebano parochie *S. Joannis*, *Remigius* Patronus presentator nominavit *Lucianum* ad instantiam cujusdam sui consanguinei qui terminis generalibus id unum in ipsius Commendationem affirmabat, quod esset vir perquam honestus. *Remigius*, cum non aliter cognoscat *Lucianum* quam quod aliquoties de facie ipsum viderit, nec in veritate sciat, an sit persona digna, timet jam an non peccaverit mortaliter?

℞. Planè non absque fundamento timet *Remigius*, teneturque absolutè de hoc facto suo

suo se accusare in Confessione; certè peccavit graviter presentando *Lucianum*, de quo non erat moraliter certus an esset persona digna. Est quidem verum, Episcoporum posse negare Literas Institutionis si deprehendat subjectum non esse idoneum; attamen Patronus propterea non minus obligatur ad presentandum virum idoneum. *Genet. Theol. moral. tract. 1. c. 4. idem 3. 4. & 5.*

CASUS X. *Framburgus* toparcha Anglus Religionem Romano-Catholicam professus habet jus Patronatus ad parochiam in Diocesi Rocestriensi sitam. Verum juxta leges Anglicanas Patroni presentatores adhuc quidem gaudent jure suo quod ante hæresin introductam illis competeat, attamen non licet iisdem presentare Catholicum. *Framburgus* ergo Episcopo, qui erat hæreticus, presentavit subjectum pariter hæreticum. Potuitne id facere Patronus ex solo sine conservandi jus suum eo usque, donec Religio Catholica in Anglia restituatur?

℞. Nulla prorsus ratione excusari potest hæc ipsius nominatio. Vel enim id fecit vi potestatis sibi & antecessoribus suis ab Ecclesia Catholica collatæ, an verò vi Concessionis à supremo Regni Angliæ Senatu, (Parlamento) sibi factæ; neutrum potest dici: nam in primo casu ab Ecclesia Catholica non habuit aliam potestatem quam ut posset nominare subjectum Catholicum; in altero verò casu Supremus Angliæ Senatus non potuit ipsi dare jus presentandi Episcopo hæretico subjectum pariter hæreticum. Acceptando tale jus ex manibus hæreticorum communicaret cum hæreticis in re purè spiritali. Adeoque toparcha *Framburgus* graviter valde peccavit hac sua presentatione, utpote in gravissimum præjudicium jurium Ecclesiæ Catholicæ facta. *Ste Beuve tom. 3. cas. 60.*

NOTA. Hæc scrupulositas vana est. Exoptabilis enim est Ecclesiæ, ut Catholici in regno mixtæ religionis possint constituere Iudicatos, Evangelii Præcones, & dispensato-

res baptisimi &c. præ aliis honestiores, moderatiores, aptiores. Et sic rectè practicatur in Germania. Peccant autem graviter, qui moribus non probatos, aut canes mutos non valentes latrare contra vitia constituunt.

CASUS XI. *Evodius* Patronus cujusdam Ecclesiæ parochialis urgente presentandi necessitate constrictus ne alioquin amittat jus suum, si diutius differendo sineret effluere suum quadrimestre, ex quo pauci tantum dies supererant, nominavit *Eustachium* amicum suum eo pacto, ut eò usque tantum retineret titulum parochumque se gereret, donec personam dignam reperisset ipsi subrogandam. Consensit in conditionem hanc *Eustachius*, reddiditque parochiam *Evodio* qui eandem contulit *Dionysio* viro vel maxime idoneo simul pio. Estne vituperabilis modus hic procedendi.

℞. Duo hinc respectu *Evodii* reprehensibilia sunt. Primo enim id egit, ut elapso jam quadrimestri presentandi potestas adhuc ipsi superesset, id quod neutquam potuit facere sine præjudicio collatoris Ordinarii, ad quem post lapsum quatuor mensium totum jus devolutum erat. 2do. Modus hic agendi est verè *Confidentialis*, cum *Eustachius* non aliter fuerit presentatus quam ut post lapsum temporis patrono redderet parochiam. Respectu *Eustachii* etiam tria sunt quæ merito reprehenduntur. Est enim complex injuriæ ac præjudicii collatori Ordinario facti. Acceptavit præterea parochiam cum formali intentione & promisso eandem ad tempus retinendi pro alio postmodum ab *Evodio* eligendo; & supposito etiam quod non commisisset confidentialem Simoniam, non potuit tamen acceptare parochiam absque seria voluntate curæ parochialis onera implendi.

CASUS XII. *Petilianus* pupillus *Blevis* septem vel 8. annos natus, habens jus presentandi ad quamdam Capellam simplicem, nominavit aliquem ex suis consanguineis, tutore ipse alium iterum nomi-

minante. Estne nulla pupilli præsentatio?

R. Juxta *Fagnanum in c. indecorum 3. de atate & qualitate & ord. præficiendum*, n. 15. præsentatio pupilli qui jam complevit annum septimum ætatis valida est. Sed Jurisprudencia Gallix aliud habet. Tutoribus in hoc regno præsentandi competit potestas; dicendum itaque est, præsentationem Petiliani fuisse invalidam. *Pontas.*

CASUS XIII. *Felix* Patronus Ecclesiasticus jus suum quod habebat præsentandi ad aliquam parochiam exercuit non obstante quod esset irregularis. Valétne hæc ipsius præsentatio?

R. Irregularitas ipsius non obstat nominationi. Præsentare ad Beneficium non est actus Ordinis, cum etiam laicus possit præsentare. Quemadmodum Ecclesiasticus ob irregularitatem non privatur potestate vibrandi censuram excommunicationis, eligendi ad Beneficium, assistendi ut testis publicus matrimonio juxta magis probatam opinionem, & tandem exercendi quosvis actus Jurisdictionis, in quibus nulla intervenit functio Ordinis, ita etiam nullatenus potest censerì privatus jure præsentandi ad Beneficium suæ nominationis. *Pontas.*

CASUS XIV. Vacante parochia S. Aviti *Fabius* presbyter habens jus præsentandi ad hoc Beneficium, semetipsum nominat ab Episcopo instituendum. Estne Canonica hæc nominatio? potéstne etiam in rigore Episcopus ipsi concedere provisiones?

R. Nominatio hæc nec Canonica nec valida est, nec etiam Episcopus Patrono taliter semetipsum præsentanti potest concedere collationem. *Innoc. III. in cap. per nostras 26. de Jure Patronatus l. 3. tit. 38.* Interim tamen observandum est; in casu quo plures ejusdem Beneficii sunt Patroni; unum Patronum ad illud posse præsentare suum compatronum. *Glossa in cap. consuluit 15. de Jure Patron. v. concedant.*

CASUS XV. *Honorius* Abbas habens jus præsentandi ad quamdam Ecclesiam parochialem, per instrumentum publicum nominavit *Rogarium*, qui & acceptavit præsentationem de se factam. At verò instrumentum illud fuit secretò habitum nec ad cujuspiam notitiam pervenit durante toto semestri, quod Patronus Ecclesiasticis ad præsentandum conceditur. Episcopus ergo cui pariter ignotum erat instrumentum, parochiam contulit *Juliano*; éstne legitima hæc collatio?

R. Est Canonica & legitima, non enim sufficit quòd Patronus præsentaverit, verum oportet etiam ut præsentationis actus intimetur Episcopo. *Blondeau loc. cit. n. 199.*

CASUS XVI. *Ipbigenia* perillustri Dominicellæ hæreditario jure obvenit prædium, cui annexum est jus Patronatus ad parochiam illius loci. Potéstne Episcopo præsentare subjectum capax & a'probitate morum commendatum?

R. Fæminæ æquè ut mares possunt exercere jus Patronatus; nec dubium est quin *Ipbigenia* validè ac Canonice poterit præsentare ad hanc parochiam. Jus i jure præsentationis nullatenus excludit fœminas; & sic eo ipso censetur easdem comprehendere sub vocabulo ac nomine Patronorum, juxta *reg. Juris. Bonif. VIII. reg. 15. de reg. Jur. in 6.*

CASUS XVII. Prioratus simplex S. Salvatoris ad quem præsentandi jus penes Dynastam illius loci existit, triduo post obitum Episcopi Diocæsani Rectore suo pariter privatur; quare Rex pleno jure Regalium de Prioratu hoc disponit. Estne valida hæc Regis Collatio?

R. Est nulla. Rex nullum habet jus conferendi jure Regalium Beneficia vacantia, quæ sunt juris Patronatus laici, nullum, inquam, habet, jus talia conferendi Beneficia, nisi ad præsentationem Patronorum. *Blondeau v. Patronatus n. 201.*

CASUS XVIII. *Hannibal* Dominus & simul Patronus honorarius certè parochie præ-

pretendit sibi deberi honores qui Patronis in Ecclesiis sui Patronatus aliàs exhiberi solent, parochus verò loci hujus redditurum se ipsi constanter negat. Urget & instat *Hannibal* eosdem citra injuriam sibi negari haud posse, quia protoparentes sui erant veri Patroni illius Ecclesiæ, nec ob aliam causam jus suum Episcopo cesserunt, quàm ut onere ac periculo nominandi Pastores sese liberarent. Recusat parochus ex hac ratione, quòd Beneficium suum ex collatione Episcopi teneat.

R. Non potest parochus absque iniuria ultra pergere in negandis prærogativis ac honoribus quos deferendos sibi *Hannibal* meritò postulat. Redditus quippe suos, saltem ex parte, habet ex liberalitate protoparentum *Hannibalis*, qui cedendo jus suum Episcopo aliunde censetur reservasse sibi honores. *Pontas.*

CASUS XIX. *Hevaldus* possessor cujusdam Ditionis emptionis titulo à se acquisitæ, quæ tamen emptio postmodum ex certo capite vitiosa deprehensa fuit vacante postmodum Ditionis hujus parochia, actum etiam præsentationis tanquam verus & legitimus Patronus exercuit. Interim paulò post evicta ditione & rescisso contractu emptionis sunt qui contendunt etiam præsentationem *Hevaldi* fuisse nullam.

R. Juxta principia Juris actus aliquis interdum censetur validus & legitimus, licet exercitus à persona quæ eundem exercendi potestate carebat. *l. Barbarius 3. ff. de Officio Prætorum lib. 1. tit. 14.* Cum ergo *Hevaldus* communiter fuerit habitus pro Patrono, possessore Ditionis & Juris Patronatus, præsentationem quoque ab ipso factam pro valida & legitima habendam esse dicimus. *Pontas.*

NOTA. Si lis jam coepta fuisset ante præsentationem, præsentatus interim admitti posset titulo provisorio.

CASUS XX. *Majolus* & *Malevius* hæredes Pauli penes quem erat jus præsentandi ad Capellam 500. Francos annuo-
Diction. Cas. Conso.

rum proventuum ferentem, de modo exercendi jus Patronatus dissident. Tandem consentiunt, ut unus post alterum, id est, alternativè ambo illud exercerent. Estne talis conventio conformis regulis Juris Canonici?

R. Tametsi Jus Patronatus in se sit indivisibile, nec ambo hæredes possint nominare duos Capellanos divisuros inter se Capellæ redditus; hoc tamen jus potest pertinere ad duas personas alternatim illud exercituras, & in tali casu jus integrum semper penes illum tantum erit, quem ordo ad præsentandum vocat. *Fagnanus in cap. Perlatum de Jure Patron. num. 5.* Et sic conventio hæc non est contraria regulis Juris Canonici.

CASUS XXI. *Thifas* pagi S. Aviti Dominus cum consensu Episcopi novo molimine exstrui curavit Ecclesiam parochialem, assignata eidem satis ampla dote, eadem tamen conditione, ut in casu vacantia jus præsentandi ad parochiam haberet, idemque jus post obitum suum etiam liberi conjunctim exercerent. Post lapsum annorum duodecim moritur *Thifas* decem post se relictis liberis, vacatque parochia. Dissentiunt jam liberi circa subjectum præsentandum. Horum tres nominant *Joannem*, tres præsentant *Petrum*, duo verò reliqui *Paulum*. Quisnam ex tribus hisce est legitime præsentatus?

R. Si quinque illi, qui nominarunt *Joannem*, processerunt *collegiater* in præsentia quinque reliquorum, vel saltem debito modo vocatorum, Ingens profecto est discrimen inter electionem & præsentationem. In electione, ad hoc ut sit Canonica sufficit, ut major electorum pars conspiciet ac conveniant in electionem ejusdem personæ; at verò pro præsentatione jura hoc non requirunt. *Fagnanus in cap. quoniam 3. de jure patron. n. 13.* Quòd si verò præsentatio *Joannis* fuisset facta & signata privatim, nulla foret, sicut etiam si quinque illi à quibus fuit præsentatus, noluisent se sistere in loco ad actum præsentationis ex communi consensu desti-

nato, & illuc cæteri quinque nihilominus convenissent, nominatio Petri à tribus facta legitima foret. *Pontas.*

CASUS XXII. *Polybistor* Patronus laicus, & *Diomedes* Patronus Ecclesiasticus cujusdam parochiæ, habent jus præsentandi ad parochiam per turnum. Vacabat hoc Beneficium quo tempore ad *Diomedem* pertinebat collatio; verum *Diomedes* prævenitur à Papa conferente hoc Beneficium nondum facta à *Diomede* præsentatione. Estne valida collatio [Pape? & supposito quod valida sit, exciditne ob hanc præventionem Papæ taliter jure suo *Diomedes*, ut iterum Vacante parochia præsentandi jus statim devolvatur ad *Polyhystorem*?

R. Collatio Papæ certò est valida & Canonica, cum Papa absque ulla Controversia habeat jus præventionis contra omnes Patronos Ecclesiasticos. *Diomedes* pro hac vice amisit jus suum, quod, si iterum contingat post tempus vacare Beneficium, immediatè transit ad *Polyhystorem*. *Privilegia Patronatûs laici non amittuntur per adjunctum Clericum. Fevret. l. 2. c. 6. n. 13.*

CASUS XXIII. *Gerulus* & *Gildas* consanguinei Germani, ambòque in solidum habentes jus patronatûs quamdam parochiam, ea vacante de præsentando subjecto inter se disputant; igitur ad tollendam perplexitatem hanc mutuam *Gerulus* & *Gildas* jus suum cedit. Potuitne id facere absque consensu Episcopi Diocæsani?

R. Nihil obstabat, quò minus *Gerulus* utpote compatronus, potuerit jus suum in *Gildam* transferre. *Alex. III. cap. ex insinuatione 14. de jure patron.* Si tamen compatronus non foret, Episcopi Autoritate opus habuisset. *Idem in cap. nullus 17. eod. tit.*

Vide *Beneficium. Collatio. Confidentia. Provisio. Simonia.*

PAUPERTAS RELIGIOSA.

Viri sancti semper deprædicarunt paupertatem tanquam Religiosi statûs opulentiam. Certè S. Benedictus vult ut Religiosi nihil proprii possideant, utque omnibus absque exceptione ulla se abdicent.

Vide *Religiosi. Vota.*

CASUS. Moniales tertii Ordinis S. Francisci possuntne disponere de fructibus laboris manuum suarum?

R. Si Constitutiones Ordinis talem dispositionem permittentes sint approbatæ à Sede Apostolica, possunt disponere; si verò tantum sint approbatæ ab ipsarum superioribus, reducendæ sunt ad ea quæ à Concilio Tridentino decreta fuerunt. *Pro-mageau.*

Vide *Pontas.*

PECCATA RESERVATA.

Vide *Casus reservati. Reservatio.*

PECCATOR PUBLICUS.

1. Præter diversa illa peccatorum genera & species, in præcedenti titulo enumeratas, datur etiam *peccatum occultum* & *peccatum publicum* seu illud quod hominem facit *peccatorem publicum*.

2. Juxta disciplinam Galliæ in foro externo nullus habetur pro peccatore publico, nisi qui ut talis fuerit declaratus per sententiam judicalem, vel per propriam confessionem coram Judice, vel per evidenciam facti junctam aliis formalitatibus quas in certis casibus leges & statuta regni requirunt. Nihilominus tamen dantur complures casus in quibus aliquis habetur pro peccatore publico, quando ipsius crimen vergit in scandalum alicui communitati, quæ saltem ex decem vel duodecim personis constat, nec potest aliter reparari quàm per satisfactionem publicam, considerata qualitate criminis, personæ, temporis, loci, & aliarum circumstantiarum facti.

3. Disciplina circa pœnitentias publicas quæ imponebantur pro certis peccatis erat longè diversa primis Ecclesiæ Sæculis ab ea modernorum temporum quibus Ecclesia antiquam suam severitatem mitigavit; interim hic nunquam non fuit spiritus Ecclesiæ, ut tales pœnitentiæ imponerentur peccatoribus publicis, uti apparet ex Decreto Concilii tridentini, quod declarat, simplicem confessarium, qui semel injunxit pœnitentiam publicam, illam mutare haud amplius possit in secretam sine auctoritate Episcopi. *Sess. 24. de Reform. c. 8.*

CASUS I. *Hebertus* Nummulari negotium in celebri Urbe exercens est notoriè Usurarius publicus, & ut talis bis jam fuit condemnatus & declaratus per sententiam Magistratûs. Deponit peccatorum suorum exomologesin tempore Paschali apud Vicarium suæ parochiæ, à quo, data ipsi priùs penitente de commercio usurario posthac penitus relinquendo, Sacramentaliter absolutus, ad mensam Eucharisticam pro communione Paschali se sistit. At verò parochus utut benignus, *Hebertum* modò fuisse confessum, hoc non obstante à Sacra mensa illum repellit. Potuitne id facere tutà conscientia?

R. Non tantum potuit sed etiam debuit parochus ipsum repellere à S. Communionem, nisi interrogatus antea *Hebertus* publicè declaraverit, se modò confessum pro semper renuntiâsse sordidæ suæ professioni. Ad hoc ut ad S. communionem admittatur peccator publicus, nequaquam sufficit quòd fuerit absolutus, sed etiam requiritur ut aliqua publica satisfactione repararet scandalum publicum à se causatum: imò debet ipsi negari absolutio, si nolit promittere talem satisfactionem. S. THOMAS 3. Part. Summa Theol. q. 80 art. 6.

Interim tamen si *Hebertus* non esset notatus per sententiam juridicam, non esset reputandus pro peccatore publico, juxta jus Gallicanum, quod aliam non admittit notorietatem publicam, quàm

illam quæ oritur ex sententia contra reum lata, per quam ut talis declaratur & condemnatur. Et sic parochus, qui ob solam notorietatem facti, publicè à communione aliquem repelleret, reprehensioni imò etiam condemnationi Judicis se exponeret veluti scandali reus quod sic recusando causaverat. Persuasum tamen habemus, hunc parochum non satis facturum obligationibus sui officii, si ad Eucharisticam mensam admitteret peccatorem publicum, simplici notorietate factitalem & notoriè necdum emendatum Jurisprudencia civilis nihil potest immutare in iis quæ jure divino prohibita sunt. *Pontas.*

Parochus qui incideret in tales circumstantias, deberet imò talem peccatorem inter se & ipsum solùm charitative admonere de malo quod fecit, & de scandalo quod causavit, atque ad emendationem vitæ hortando excitare. 2dò In exhortationibus ad populum deberet publicè detestari & condemnare, generalibus tamen terminis, nec quempiam nominetenus manifestando, abusum S. Communionis cujus talis professionis homines reos se faciunt; 3tò demum videtur rei gravitas requirere, ut Consilium sui Episcopi exquirat, ejusque jussa fideliter exequatur. *Ste Beuve tom. 3. cas. 15.*

CASUS II. *Ernestus* per decennium & ultra fuit notorius Concubinarium, ac tandem in suo crimine induratus mortuus est: debetne parochus ipsi negare sepulturam Ecclesiasticam, vel saltem ad aliorum terrorem simulare quasi esset negaturus; vel denique abire ad tempus, ut ab alio sacerdote sepeliatur, mandando ipsi ut sine cruce, sine luminaribus & absque aqua benedicta ritus funebres peragat?

R. *Ernestus* non obstante pessima vitæ ratione quam tenuit, non est tamen tractandus ut peccator publicus quantum ad pœnas ab Ecclesia statutas. Adeoque ipsius parochus non potest propria sua auctoritate negare ipsi sepulturam Ecclesiasticam, & quidem cum omnibus ceremoniis Ecclesiæ peragendam. Interim tamen

tamen operæ pretium esse videtur, ut Episcopum suum desuper consulat. *Ste Beuve. tom. 3. cas. 16.*

Vide *Absolutio. Adulterium*, casu *Joannes. Confessio*, casu *Gelasius. Penitentia Sacramentalis*, casu *Ecclesia.*

PECCATUM.

1. *Peccatum* in suo sensu Generali est transgressio legis divinæ & mandatorum Dei. Juxta *S. Augustinum* omne peccatum vel est originale, vel personale seu actuale. Originale est illud, quocum nascimur privati justitiâ originali, quodque ex peccato Adami omnes trahimus. Actuale peccatum est; quod actu committimus, opere, verbo, cogitatione aut pravâs desideriis.

2. Actû peccati se reum quis facit perpetrando factô vel solo animô rem prohibitam, uti homicidium, mendacium, furtum, latrocinium, odium &c. vel omittendo quidpiam quod præceptum est, uti audire missam diebûs Dominicis & Festis.

3. Peccatur quandoque in Deum solum v. g. blasphemando; interdum directè contra proximum, quando calumniam ipsi inferimus, aut injustè quoquo modo vexamus.

4. Dantur etiam *peccata*, ut vocant, *malitiæ* quæ committuntur cum plena deliberatione: alia quæ non committuntur nisi ex præcipiti passione; & alia denique quæ dicuntur peccata ignorantia culpabilis & vincibilis.

5. Distinguitur præterea *peccatum spirituale*, quod solo animo perpetratur, veluti superbia; & *carnale* cujus objectum sunt voluptates illicitæ. Sed distinctio maximè ordinaria est in *peccatum mortale* & *veniale*.

6. Definitur peccatum *mortale*: *peccatum ex se causans peccanti spiritualem mortem & constituens mortis secundæ reum.* Peccatum *Veniale* non producit hos duos funestos effectus; est quippe le-

vis offensio, cujus facilè à Deo venia impetratur, sive ex sua natura sit offensio tantum levis uti verbum otiosum, sive levis fiat ex defectu plenæ deliberationis, quemadmodum in puero, qui nondum habet usum perfectum rationis, vel ob levitatem ac parvitatem materiæ, uti furtum unius pomi vel acûs.

7. Interim notandum est; peccatum veniale posse fieri mortale ratione *finis ultimi*, aut *finis mortalis*; *conscientiæ erroneæ*, *contemptûs periculi*, & *scandali.* *S. THOMAS 1. 2. q. 88. art. 2. in corp.*

8. Dantur etiam *peccata omissionis* & *peccata aliena.* Priora sunt quæ committuntur non satisfaciendo obligationibus cujusque statûs particularis, & ad hæc peccata omnium minimè attenditur, rarique sunt, qui de his in confessione se accusant. *Peccata aliena* sunt illa quorum nos sumus causa, quæ tamen ab aliis committuntur.

CASUS I. Studiosi duo Theologiæ curriculum nuper emensi inter se disputant; an in saniore Theologia morali possit sustineri sententia asserens, Deum posse permittere peccatum; asserit unus, negat alter.

℞. Prioris opinio conformis est iis quæ dicit *S. AUGUSTINUS in Enchirid. de fide, spe & charitate c. 17. n. 8. ad fin. Melius enim judicavit de malis beneficent, quam mala nulla esse permittere.*

NOTA. Hæc permissio non est concessio licentiæ, sed dilatio pœnæ, vel tolerantia peccatoris ad pœnitentiam.

CASUS II. Inter duos clericos agitur quæstio, an omne verbum otiosum sit peccatum veniale?

℞. Omne verbum otiosum, sumendo terminum hunc in sensu proprio & rigorofo, juxta Doctrinam *D. THOMÆ in 2. Sentent. dist. 40. art. 5. ad 8.* est peccatum veniale, conformiter ad ea quæ Christus dixit apud *S. MATTHÆUM cap. 12. Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Sed

Sed sciendum est, id quod vocatur verbum otiosum esse propriè loquendo tale verbum, quod profertur absque recta seu honesta intentione (utilitatis in audiente vel loquente) ad exhilarationem moderatam animi, quin quod dici nequit de verbis jocosis prolatis quæ nec Religionem aut proximum vel furores lædant. *Consentit D. THOMAS loco cit.*

CASUS III. Potestne peccatum aliquod veniale interdum fieri mortale? e. g. Joannes ferme quotidie homini aliàs opulento furatur unum crucigerum; potestne peccatum hoc, quod ex natura sua tantum est veniale, transire in mortale?

℞. Peccatum veniale in individuo spectatum nunquam posse fieri mortale, juxta *S. THOMAM 1. 2. q. 88. art. 4. in corp. & q. 42. art. 15. Idem q. 7. de malo, art. 3.* Econtra peccatum veniale ex suo genere spectatum, potest in certis quibusdam casibus fieri mortale videlicet ob finem, quem quis sibi proponit, vel ob relationem, connexionem aut affinitatem quam tale veniale cum aliquo mortali habet, vel si committendo tale veniale aliquis animo sit comparatus ad committendum etiam mortale. e. g. In casu supra proposito Joannes furatur unum crucigerum habetque propositum, ut si posset, furaturus etiam esset aureum, vel furando intendit magnum damnum illius cui furatur: est hæc pariter doctrina *D. Thomæ.* Tandem etiam potest formari quæstio: „An plura peccata venialia possint facere unum mortale? & dicimus „quod per se non; si verò plura venialia „disponunt ad mortale? respondemus affirmative, iterum ad mentem *Doctoris Angelici.* Imo potest etiam contingere ut Joannes furando unicum tantum obolum peccet mortaliter. Primò si persuasus sit, se furando unicum obolum se peccare mortaliter. 2dò si furtum hujusmodi ipsi futurum sit occasio proxima peccati mortalis. 3tiò quando per talia furta minuta committit notabilem injuriam, quod fieret, quando ultimus de-

narius diviti ablatus efficeret tantam summam, per quam furtum fieret mortale peccatum, *Pontas.*

CASUS IV. *Lalius* puer, annos natus sex vel septem jam incipit mentiri ut se excuset, vel promeritam castigationem effugiat; habetne in tenera hac ætate sufficientem rationis usum ut possit peccare, suntne mendacia ipsius vera peccata?

℞. Ex ætate sex, septem, vel octo annorum non potest sat præcisè determinari an infans habeat sufficientem rationis usum ad hoc ut possit peccare; verum quæcunque ea sit ætas, sufficit ut puer tanto judicio polleat, quo possit agnoscere mendacium esse malum lege divina prohibitum. Hæc est regula ex qua judicium formari poterit an mendacia *Lalii* sint peccata *Genet in Mor. de Gren. tom. 8. tract. 1. cap. 1. n. 6.*

CASUS V. *Victor* ut impediatur *Mævium* ne committat peccatum indubitato mortale, potestne facere quidpiam quod ex sua natura est peccatum veniale?

℞. Certissimum est ex *D. Thomæ in 4. dist. 38. q. 2. art. 4. quæst. 1. ad 2.* quod hoc non possit facere *Victor.* Peccatum veniale, utut levissimum, semper tamen est offensa Dei vel saltem deviatio à fine ultimo; & sicut Deus infinites magis amandus est quàm proximus, nunquam amore proximi licet facere quidpiam quod Deo displicet.

CASUS VI. *Seius* in peccato mortali constitutus plura etiam committit peccata venialia; potestne obtinere remissionem & veniam horum venialium, dum de iis dolens nihil tamen cogitat de peccato mortali à se perpetrato?

℞. Est impossibile ut *Seius* obtineat veniam vel unius peccati venialis quamdiu est in statu peccati mortalis juxta *S. Thomam 3. part. q. 87. art. 4. in corp.* nisi homo fuerit justus, non poterit obtinere remissionem vel minimi peccati venialis aliter quàm vi gratiæ, quæ cum peccato mortali est absolutè incompatibilis.

NOTA. Potest tamen peccator per emendationem venialium se disponere ad obtinendam conversionis gratiam.

CASUS VII. *Hierotimus* Religiosus in Ordine quodam reformato professus non observavit jejunium in festo. *S. Matthæi* quod incidere in feriam sextam quatuor temporum. In confessione accusavit se solummodo, se die quodam non servasse jejunium de præcepto, & fuit absolutus. Postea verò dictum ipsi fuit; commississe se duplex peccatum, tenerique utrumque distinctè exponere in confessione, cum violaverit duo præcepta, Ecclesiæ videlicet præcipientis observari jejunia quatuor temporum, simulque præceptum suæ Regiæ obligantis ad jejunium diebus veneris.

R. Vera fuit insinuatō Hierotimo facta. Multiplicatio peccati quoad speciem desumenda est non præcisè à diversitate præceptorum quæ violantur, sed ex diversis motivis præceptorum duorum. Homo sæcularis qui præfato die non jejunasset, unicum tantum commississet peccatum, cum Ecclesia duplici suo præcepto de jejunio Vigiliarum & Quatuor temporum observando solam intenderit abstinentiam. Sed Hierotimus ultra transgressionem hujus præcepti violavit etiam suum votum, cum se subjecerit regulæ obliganti ad jejunandum feriis sextis cujuslibet hebdomadæ, ex quo sequitur quòd accusando se de hac omissione, debuerit exprimere duplex hoc peccatum. *Bonal. tom. 1. tract. 2. lect. 8.*

CASUS VIII. *Radulphus* mentitus est leviter, simulque inebriavit se quadam Dominica vel die Festo, suntne peccata hæc graviora quàm si alio die fuissent commissa?

R. Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 122. art. 3. ad 3.* peccatum commissum in die festo, ex hac circumstantia sit gravius si jam aliunde sit mortale, quàm si alio quovis die fuisset commissum; sed hoc locum non habet amplius respectu peccati venialis, quia non violatur præceptum de sancti-

ficatione Festorum per tale peccatum quòd sanctitatem non excludit adeoque mendacium Radulphi non est gravius in die festo vel in Dominica quàm alio die; sed procuratæ ebrietatis peccatum procul dubio gravius est per circumstantiam Dominicæ vel Festi.

CASUS IX. *Aubertus* concepit serium propositum furandi Joanni 100. Thaleros, & hoc suum propositum statim vel post 2 horarum intervallum exequitur; peccatne dupliciter, ita ut postmodum in confessione teneatur declarare, non tantum actum sed etiam præcedens desiderium suum?

R. Si *Aubertus* propositum suum, statim ac illud conceperat, absque interposita mora opere compleat, non nisi unicum commisit peccatum; sed si non adeo statim habens illud exequendi commoditatem differat aliquantisper, duplicis peccati reus est. Multiplicatio numerica peccatorum desumenda est ex multiplicatione actuum interiorum voluntatis moraliter interruptorum & discontinuatorum. *S. THOMAS in 2. Sent. dist. 42. q. 1. art. 1. in corp.*

NOTA. Cum multiplicationes & morales interruptiones actuum interiorum exactè sciri nequeant, sufficit, si penitens confiteatur, quanto tempore manserit in malo proposito.

CASUS X. *Caprasius* Catholicus, dum in Anglia moratur, deprehensus fuit exhortans alios Catholicos ad constantiam in sua Religione, quæ diris illa tempestate in hoc regno persecutionibus exagabatur. Comprehenditur à satellitibus qui sclopeto pectori admoto mortem minantur confessim subeundam, nisi prodat sacerdotes Catholicos hinc inde latentes, simulque promittat, posthac non amplius exhortaturum se Catholicos ad persecutionem constantem suslinendam. Quaritur jam, an hic metus mortis ipsum excusaret à peccato si hæreticorum horum imperata faceret?

R. Non potest absque peccato prodere Sacerdotes occultatos, quia tali modo cooperaretur ad destructionem Religionis; quòd

quòd si verò ipsemet non sit pastor, potest promittere non exhortaturum se amplius Catholicos, etiamsi Episcopus id ipsi muneris injunxisset; quòd utique Episcopus imperare non potest *in tanto periculo.* *Theol. moral. Genes. tom. 1. tract. 1. cap. 15. n. 1. & 2.*

NOTA. Hoc intelligendum de prædicatione Verbi Divini & exhortatione publica; privatæ enim ne quidem Laicos renuntiare potest.

CASUS XI. *Beufredes* de pluribus mortalibus se accusavit in Confessione, & fuit absolutus, post menses duas in eadem relabitur, reviviscuntne quoad culpam præcedentia ipsius peccata?

R. Bona opera mortificata per peccatum, uti Theologi docent, reviviscunt ex vi penitentis sequentis; sed aliud est de peccatis per absolutionem Sacerdotis remissis. *Gelasius in can. Divina fin. de penit. dist. 4.* Observandum nihilominus est, peccatum in quod quis relabitur, involvere multò majorem contemptum Dei & ipsius misericordiæ, & propterea fieri longè gravius, & consequenter acerbioris pœna dignum. *Conferent. Agatheus. confer. 4. q. 5.* Docentque Theologi consequenter, unà cum *D. THOMA 3. part. q. 88. art. 1. in corp.* peccata remissa re ipsa (aliquo modo) reviviscere per novum peccatum mortale, ratione ingratitude cuius se reum constituit peccator.

Vide *Communio. Casu Mauritius.*

CASUS XII. Confessarius audita confessione peccatorum in materia sexti præcepti, in delectationem Carnalem prolapsus, profert verba absolutionis nullo antea actu contritionis elicitō.

R. Committit novum peccatum, nisi penitens sit in articulo mortis constitutus, aut aliunde magnum periculum suboriretur, v. g. terræ motus, si vel per unicum instans retardaretur absolutio. *Dicasstil. de penit. Disput. 10. Girib. de Sacram. in gen. cap. 5. Gobat.*

NOTA. Falsum & erroneum est, quovis momento contritionem elici non posse. Itaque quo major est vitæ periculum, eò major est obligatio.

CASUS XIII. Parochus sollicitatus ad flagitium ab una suarum parochianarum, non quidem expressè consentit, dicit tamen: *bono fato tuo, sum parochus; secus enim.....* Peccatne graviter sic loquendo?

R. Dicendum, quòd ita, & primò quidem peccat peccato scandali, quia sat manifestè his verbis declarat voluntatem consentiendi, & displicentiam quòd ratione status sui præsentis non possit ipsi satisfacere, nisi gravibus pœnis expositum se velit. add. peccat etiam contra castitatem, quia hæc ipsius voluntas est vera pessimi propositi manifestatio, (*Bonal. Palao, Girib. & alii*) interim tamen peccatum contra castitatem fortassis non esset mortale,posito nempe quòd seridè non locutus sit; sed peccatum scandali semper foret grave considerato statu pastoris animarum.

CASUS XIV. *Valerianus* prævidet, sed dum equo iter facturum est, experturum in corpore motus turpes; teneturne propterea privare se commoditate talis jumenti?

R. Non tenetur, dummodo per usum equi non intendat formaliter excitare in se tales motus, nec etiam dum oriuntur, consentiat nec declarationem exinde concipiat. *Ratio* est, quòd similes motus in ipso nascantur merè per accidens, & contra ipsius intentionem. Jam verò effectus aliquis utut prævisus qui sequitur solum per accidens ex causa aliàs licita, non debet imputari illi qui ponit talem causam, aliàs dicendum esset, Confessarium, medicum, Chirurgum teneri dimittere suas functiones etiam in casu quo adest periculum tantum remotum talium motuum. *Bonal. de Confess. scrup. Girib. Viva, aliique.*

NOTA. Si *Valerianus* adverteret, se per ejusmodi motus carnales, vel pollutiones, exponi gravi periculo consensu in peccatum formale, teneretur abstinere ab ejusmodi commoditate non necessaria.

CASUS XV. Puella aliqua sæpius patitur cogitationes castitati contrarias: sed sicut

sicut nunquam iisdem assensum præbet, ita etiam de iisdem excutiendis parum sollicita est. Estne dicendum quod peccet?

R. Potest contingere quod non peccet, supposito quod nulli se exponat periculo consensus vel delectationis; sed quia admodum difficile est, ut tentatio serius aut citius de voluntate non triumphet, dico, puellam quæ taliter se gerit, non fore immunem ab omni peccato, quia nimium de viribus suis præsumit. *Diana part. 2. tract. 17. resolut. 33.*

NOTA. Non licet se habere negativè ad insurgentes tentationes carnales hinc dicendum, ejusmodi puellam peccare mortaliter, non adhibendo resistantiam positivam, v. g. avertendo animum ad aliud objectum. Vide meam Theol.

CASUS XVI. Petrus bonum alienum quod absque ullo suo incommodo potuisset restituere, nihilominus retinuit apud se per integrum annum, quæritur quotnam commiserit peccata?

R. Quando Petrus durante toto hoc tempore formaliter renovavit propositum non restituendi; vel quando concepto restituendi proposito, noluit tamen offerente se restituendi commoditate exequi propositum peccavit toties, quoties renovavit hoc propositum, vel post propositum oblata opportunitate noluit. In quibusvis aliis circumstantiis Petrus procrastinando restitutionem, aggravat peccatum, non tamen novum peccatum committit. *Girib. de Restit. tract. 2. cap. 5. dub. 4.*

CASUS XVII. Titius violentæ tentationi assensum præbet, quærit igitur occasionem satisfaciendi suæ passioni, & invenit. Dumque totus indulget sceleritatis renovat jam antea conceptum desiderium exsatiandi suam libidinem; quot ergo commisit peccata?

R. Unicum tantum, quia omnes hi actus Titii, quasi præparatorii ad consummandum flagitium, faciunt unum moraliter totum cum primo consensu efficaci quem tentationi præbuit. Ita sentiunt Doctores.

NOTA Non omnes, nec plerique doctores sentiunt; imo talis penitens tenetur explicare moram temporis quo inhæsit peccato juxta dicta *Casu 9.*

CASUS XVIII. Petrus jam per integrum triennium omittit tam Confessionem quam communionem quia scit se non esse dispositum, cum tantum non possit sibi imperare ut ignoscat suo inimico, nec etiam velit committere Sacrilegium sic confitendo & communicando. Quot commisit peccata?

R. Imprimis peccavit contra præceptum Confessionis & communionis: ratio est juxta *Card. de Lugo*, quia sicut excommunicatus vi præcepti communionis Paschalis tenetur tollere impedimentum quod obstat quo minus possit implere dictum præceptum, peccatque non aufferendo hoc impedimentum, ita etiam Paulus peccat non deponendo omnem sensum odii, ut dignum S. Communionem se reddat. Itaque commisit sex peccata, quia ter duo violavit præcepta; præceptum enim communionis distinguitur à præcepto Confessionis, quia unum potest obligare & sæpe obligat quin obliget alterum.

CASUS XIX. Bertha tribus horis à percepta communionem committit adulterium.

R. Non tenetur exponere hanc circumstantiam in confessione, quia tempus quod intercessit inter communionem & flagitium perpetratum est satis longum, ut dici nequeat, circumstantiam hanc esse notabilem irreverentiam erga Evcharistæ Sacramentum. *Leander de Evcharist.*

NOTA. Juxta sensum communem doctorum & in doctorum hæc irreverentia gravis est, aut certe pertinet ad circumstantias notabiliter aggravantes.

CASUS XX. Ancilla quædam domestica heri sui hæctenus Concubina eò jam se redactam videt, ut si velit abrumpere infame commercium publicæ infamiae semetipsam sit expositura, & periculo, ne dira necessitate cogente in lascivias præteritis multò magis infames ruitura, aut certe ad extremam pauperiem redigenda sit;

fit; Si verò permanere in domo hæri, ejus tamen lascivos amplexus ultra non admittere proponat, mortem timet vel saltem crudelissimè se habendam. In extrema hac necessitate Consilium petit à Confessario.

R. Confessarius debet ipsi injungere, ut eo ipso adhuc die relicta pro semper domo heri Deo se commendet, cæterorum verò nihil timeat, quia Deus, qui neminem in necessitate deserit, certè curam illius habiturus est. Rationes omnes quas afferre posset, ne excedere è domo heri obligetur, debent cedere rationibus quæ, fugam ipsi imperant. Certè eò tantum res redit, si domum sit relicta, ut infamiam subeat, vel extremam paupertatem experiatur; cum tamen in ea Domo perseverando damnationi vix non certè sese sit expositura. Si ergo ejusmodi exhortationes, quas Charitas Christiana suggeret Confessario, ipsam non moveant, sine absolutione dimittatur. *Lessius de Justitia Lib. 2. cap. 11.*

PENSIO ECCLESIASTICA.

1. *Pensio Ecclesiastica* vocatur jus percipiendi partem fructuum ex alieno Beneficio. Ad hoc ut jus hoc sit legitimum, requiritur ut sit fundatum in vera indigentia Pensionarii quantum ad illius sustentationem, & insuper nitatur auctoritate Summi Pontificis, qui solus licitam & canonicam potest reddere reservationem partis fructuum ex aliquo Beneficio quod dimittitur, vel jus percipiendi tales fructus ex Beneficio alteri conferendo. In Gallia tamen sola concessio Papæ non sufficit.

2. Dum quis resignat Beneficium, ut uniatur alteri Beneficio, ex fine utilitatis Ecclesiæ & boni publici, solus Episcopus auctoritate sua potest constituere pensionem in favorem resignantis.

3. Pensio pro majori commoditate titularis & Pensionarii solvitur hodierna consuetudine in parvis pecuniis.

Distict. Cas. Consic.

4. Regulariter loquendo omnis pensio in Beneficio aliquo constituta in favorem laici, abusiva est.

5. Papa non potest constituere pensionem in Beneficiis curatis quæ sunt Juris patronatus laicalis, sine patronorum consensu, & æque parum potest absque consensu Regis constituere tales pensiones in Episcopatibus & Abbatibus Galliarum.

6. Pensionarius ex ratione non solutæ pensionis non potest redire in Beneficium, absque sententia in debitorem contumacem lata, quodcumque demum pactum inter permutantes intervenerit; quod si redierit non potest amplius exigere veteris æris alieni reliquias ex pensione debitas.

7. Nulla potest constitui pensio in Hospitalibus, nisi titulo Beneficii fuerit creata.

8. Supplicans in Curia Romana pro pensione sibi constituenda, non tenetur exprimere in suis literis, quod in alio Beneficio jam habeat constitutam sibi pensionem, nisi sit Religiosus.

9. Quando petitur pensio in aliquo Beneficio jam aliunde onerato alia pensione, in supplica debet fieri mentio primæ pensionis ejusque valor exprimi.

10. Successor parochi, qui habet constitutam pensionem in suo Beneficio parochiali, non tenetur pensionario eandem continuare, nisi Signatura Romana Parlamenti Regii auctoritate sit firmata; idem dicendum de omnibus Beneficiis, quæ residentiam exigunt.

11. Quæcumque demum pensio constituitur in Beneficio residentiam exigente statutum est ut pensione deducta titulari remaneant 300 libræ monetæ Gallicæ, absque ullo alio onere, non comprehensis casualibus, & minoribus fundorum prædialium vel agellorum proventus, seu decimis minoribus (le crû de l'Eglise) respectu verò Canonicorum ad complendas 300 libras distributiones quotidianæ in computum veniant necesse est.

12. Major Senatus Galliarum nullum admittit reductionem quoad pensiones con-

stitutas in Beneficiis consistorialibus vi Brevis Diplomatis nominationis regiae.

13. Nullus potest sibi reservare pensionem in Beneficio vel praebenda, nisi post possessionem quindecim annorum completorum.

14. Benedictini Congregationis S. Mauri Religiosis non reformatis sui Ordinis, vel Sæcularibus commendatariis, qui volunt resignare in favorem alicujus congregationis, possunt concedere pensiones æquales redditibus cujusvis Beneficii.

15. Pensio non potest permutari pro Beneficio, utpote cum consideretur ut emolumentum merè temporale.

16. Per matrimonium à Beneficiato contractum tam Beneficium quam pensiones pleno jure vacant; Equites tamen S. Lazari ab hac regula exempti sunt, modò non transeant ad tertium matrimonium.

17. In Gallia omnes habentes constitutam sibi pensionem in aliquo Beneficio, tenentur usque ad quintam suarum pensionum partem, concurrere ad dona gratuita, Regi interdum à Clero Gallicano pendenda, uti etiam ad alia onera extraordinaria, locò titularis qui tali casu immunis ab onere transit.

18. Pensio non potest extinguí per oblatam summam pecuniariam, nisi Auctoritate summi Pontificis; attamen ille, cui debetur pensio, liberè eandem potest remittere.

CASUS I. *Paguerius* in pago S. Aidani in Campania natales suos fortitus, ibidemque pro tempore parochus, & *Germanus* Parochus & S. Clementem prope Andegavum, qui locus nativitatis ejus erat, propositum sibi habent permutare invicem suas parochias, quarum redditus sunt æquales, annonæ aliarumque rerum ad victum necessariorum in utraque regione idem pretium, onera tamen utrinque sunt valde inæqualia & his proportionata. Onera parochiæ *Germani*, alterius comparatione sunt pauca admodum & levia; potèstne sibi proin reservare aliquam pensionem? & quanta pensionis hu-

jus debet esse Summa, ne justitia lædatur?

R. Si duo hi parochi non habeant præ oculis nec pro suo motivo primario utilitatem Ecclesiæ, non est ipsis suadenda permutatio; talis quippe permutatio esset contra Canones; attamen, licet *Germanus* non posset exigere pensionem, ab Episcopo tamen absque contractu permutantium posset ipsi constitui pensio 300. librarum ex æquitate supposito, quod *Paguerio* deductis 300. libris remaneant annuatim valde honesta sustentatio, v. g. 900 librarum. Vide *Caf. 33.*

CASUS II. *Bertrandus* in Curia Romana obtinuit pensionem ex parochia, quæ quidem in titulum ipsi collata, nunquam tamen ab eo in persona fuit administrata; potèstne tutà conscientiâ & sine scrupulo frui hac pensione in sola Authoritate Papæ fundata?

R. Cum nunquam administraverit hoc suum Beneficium, sola Papæ auctoritas non poterit ipsum eximere à peccato quoad pensionem sibi reservatam, quæ in nulla legitima causa fundatur. *Pontas.*

CASUS III. *Octavius* Toparcha & Patronus certæ parochiæ ad eandem præsentavit *Juvenalem* suum nepotem Subdiaconum viginti quatuor annos natum. *Juvenalis* hic Beneficii possessionem adeptus illud administravit per vicarium, nec tamen, uti tenebatur, presbyteratum suscepit. Timens tandem ne per devolutionem ad alium collatorem jure suo & possessione excideret, resignavit huic ipsi vicario cum onere pensionis 200 francorum in curia Romana constitutæ. Novus titularis postea resignavit in manus Episcopi cum novo instrumento præsentationis *Octavii*, qui nominavit *Bernardum*. Hic Beneficium adeptus illud per triennium possedit, persoluta quot annis pensione *Juvenali* adhuc Subdiacono. Potuimne *Juvenalis* secura conscientia sibi reservare hanc pensionem, & posito quòd non potuerit teneturne ad restitutionem hucusque perceptorum?

R. imò. Quia *Juvenalis* nunquam obiit functiones parochi, non potuit sibi reservare pensionem: & quia valde verisimile est, quòd Beneficium hoc acceptaverit absque intentione exercendi functiones parochiales, sed solummodo ut possit percipere fructus, & per viam resignationis procurare sibi pensionem, non potest in tali casu excusari à peccato mortali, imò credimus ipsum teneri ad restitutionem fructuum primo anno perceptorum. *Bonifacius VIII. in cap. Commissa 35. de Electi potest. in 6. lib. 1. tit. 6.*

2dò. Putamus etiam quòd absque manifestà injuria non potuerit frui sua pensione, quam nullo suo servitio aut ministerio promeruit; & posito etiam, quòd acceptasset parochiam cum intentione exercendi functiones parochi, tamen non posset acceptare pensionem, privatus utpote à Jure suo Beneficio, eoquòd intra annum Presbyteratum non suscepit.

CASUS IV. *Menander* parochus, postquam multo zelo & ædificatione administravit suum Beneficium, per annum vel menses 18., illud postmodum resignavit *Thaddeo*; sed cum nulla haberet bona pro sua sustentatione, reservavit sibi congruam pensionem, potuitne hoc facere?

R. Non potuit securà conscientiâ sibi reservare hanc pensionem. Nihil habere unde congruè quis sustentare se possit, non est ratio, quæ sola possit sufficere ad reservandam sibi pensionem in Beneficio resignando; oportet namque, ut quis sat longo tempore in eodem ministraverit. *Ste Beuve tom. 2. caf. 122. & tom. 3. c. 74.*

CASUS V. *Sepbronius* Parochus administrato suo Beneficio per 8. ad 10. annos cum magna ædificatione ac Zelo, usque adeo infirmatus est, ut planè inhabilis sit ad parochiales functiones obeundas. Vult ergo resignare parochiam reservata sibi congrua pensione, maximè cum aliunde non habeat unde sustentare se possit. Scit quidem Edictum de Anno 1671. prohibere talem reservationem; hoc non obstante incidit in Sacerdotem exemplaris vitæ vi-

rum, qui acceptando parochiam Edicto non obstante, pensionem certissimè est persolurus. Potèstne taliter resignare cum onere præstandæ sibi pensionis?

R. Potest, uti in casu proponitur, absque ullo peccato. Nec enim Rex per suum Edictum, nec Supremæ Curie per sua Decreta, ullatenus intenderunt privare talem parochum, qualis est *Sophronius*, solo & unico medio se sustentandi; sed intentio Regis & Parlamentorum solummodo fuit, impedire turpissimam negotiationem, quam complures cleri exercebant cum Beneficiis curatis, vel residentiam exigentibus. Quin imò in præsententi casu pensio est conformis spiritui Ecclesiæ. *Ste Beuve tom. 2. caf. 73.*

CASUS VI. *Ludovicus* Prior resignavit suum Beneficium, quòd valebat tria milia francorum, Salvio sub pensione francorum 800.; priorali tamen domo & horto, quem murus ambiebat, exceptis. Post sex menses *Ludovicus* petiit à *Salvio* 400. francos pro primo anno pensionis, dissimulans interim manifestare apud Curiam Officialis & apud acta quòd & domus & hortus constituant partem Prioratûs. Prætendit jam *Salvius*, *Ludovicus* ob omisam hanc formalitatem ipso jure amisisse etiam possessionem tam domûs quam horti. Fatetur *Ludovicus* debuisse se observare hanc formalitatem; sed defendit etiam sibi liberum esse facere hanc declarationem, Teneturne in conscientia desistere ab actione contra *Ludovicum* intentata?

R. Juxta *Ste Beuve tom. 2. caf. 39.* *Salvius* in rigore & in conscientia non tenetur desistere ab actione contra *Ludovicum* in proposito casu. *Ludovicus* tenebatur facere illam declarationem antequam acceptaret primum terminum suæ pensionis, si nihil unquam perceperit ex pensione, valida semper fuisset ipsius declaratio quocumque demum tempore fuisset insinuata.

CASUS VII. *Etherius* parochus annos natus 36. posteaquam suum Beneficium administravit per viginti & unum annos,

cùm jam ad ultiores labores parochiales ineptum se sentiat, illud vult assignare Blasio tali sibi pacta pensione ex qua reliquo vitæ tempore subsistere valeat. Redditus parochiæ valent 2400 francos, potestne exigere pensionem 1500 francorum, consideratione facta quòd residui 900 videantur abunde sufficere resignatio; & aliunde etiam evidens sit resignantem diu non fruturum suis mille quingentis francis?

R. Si Etherius non habeat aliunde unde vivat, potest absque conscientiæ scrupulo reservare sibi pensionem, quæ tamen non debet excedere tertiam partem reddituum. *Sylvius Resolut. variar. v. Beneficium 1.* verumtamen 800 franci debent sufficere pro sustentatione Etherii; & licet Blasius commodè satis potuisset vivere ex 900 florenis, esset tamen in impotentia erogandi elemosynas in pauperes parochianos, vel beneficiendi suæ Ecclesiæ uti tenetur. *Pontas.*

CASUS VIII. *Flavianus* parochus annos 78. ætatis habens Beneficio suo per annos 35. administrato jam à sex mensibus amplius non potest vacare functionibus suis; Offert Norberto se resignaturum ipsi suum Beneficium sub pensione 350 francorum ea tamen conditione, ut solutionem pro primo anno anticipet mox ut Beneficii possessionem ceperit, licet parochiæ hujus redditus ultra 900 francos non ascendat. Acceptat Norbertus sub his conditionibus resignationem Flaviani, cum proposito etiam donationis remuneratoriæ 100 francorum eidem faciendæ. Jam verò interrogat, an hoc sibi liceat tutâ conscientiâ?

R. Primæ duæ conditiones sub quibus Flavianus intendit resignare, debent exprimi in supplicatione ad Papam, qui facillè consentiet; hujusque obtento consensu poterit tutè acceptare resignationem, & Flavianus etiam acceptare donationem remuneratoriæ 100 francorum. Foret autem Simonia si Norbertus hanc summam

promississet antea admissam resignationem. *Ste Beuve tom. 2. cas. 151.*

CASUS IX. *Heraclides* parochus Titio debebat pensionem 300 francorum pro resignata sibi sub hac reservatione parochia. Dilata verò per annum solutione mortuus est. Prætendit Titius quòd Johannes provisus de hoc Beneficio in Curia per obitum teneatur solvere illos trecentos, atque solutionis extorquendæ gratiâ vult agere apud Judicem. Potestne Joannes excusare se à solutione?

R. Juxta *Cabassutum lib. 2. cap. 14. n. 13.* Titio nullum competit exigendi à Joanne solutionem reliquiarum veteris æris alieni quòd Heraclides ex pensione debebat; non est enim par ratio inter illum qui succedit in Beneficium, & inter novum possessorem fundi, cum Successor in Beneficio non intret jure proprietatis & successionis. Et aliunde etiam onus per pensionem Beneficio impositum non est purè reale sed tantum mixtum, id est, partim personale & partim reale, ad quod debitor non tenetur nisi quâ possessor. *Pontas.*

CASUS X. *Gellius* possidens parochiam valoris 2500 francorum deductis omnibus deducendis. Permutat cum *Leufredo* cujus parochia velet 2000 francos, sed ea conditione, ut *Leufredus* ipsi solvat pensionem 250 francorum, potestne, licet parochia ipsius illâ *Leufredi* sit pinguior, salvâ conscientiâ sibi reservare hanc pensionem?

R. Nullum motivum potest juvare *Gellium* ad defendendam hujusmodi reservationem; imo in hoc casu peccaret, uti *Leufredus*, si permutatio fieret absque hac reservatione ipsemet quoque summus Pontifex peccaret concedendo provisiones in casu proposito. *Tolet. Instruct. Sacerd. l. 5. c. 85. num. 1.*

CASUS XI. *Onuphrius* permutavit parochiam suam cum parochia alterius Sacerdotis quæ dimidiò sua minus valet, reservavitque sibi pensionem 200 francorum. Insuper permutatio hæc facta est intra ma-

nus Episcopi Diocesani. Estne Canonica pensionis hujus creatio?

R. Verum est, quòd jus antiquum permittat Episcopis constituere pensiones in Beneficiis quorum titulares erant possessores pacifici; verum cum Papa præscripserit jus hoc contra Episcopos, pensio in favorem Onuphrii vi permutationis ab eo factæ creata, non est Canonica. *Cabassut. l. 2. c. 14. n. 8.*

CASUS XII. *Odo* in familiari conversatione dixit *Bernardo* Canonico Olomucensi, si quispiam sibi resignaret Canoniceatum hujus Ecclesiæ, persolutorum se illi bonam pensionem, jamque paratos habere bis mille francos ad pensionem hanc in continenti redimendam. *Bernardus* nihil dubitans seridè loqui *Odonem*, quadriduo elapso ipsi offert suum Canoniceatum sub pensione 400. francorum, cautè tamen dissimulans mentionem facere de redemptione pensionis quam sperabat. *Odo* qui discursu supra relato omnino intendebat inducere ipsum ad resignandum Beneficium, gratam habet oblatam sibi resignationem, obtinet provisiones, & post dies quindecim in forma consueta pensionem redimit 800. Thaleris *Bernardo* persolutis. Quæritur an pensio hæc à Papa constituta & hujus autoritate redempta in rigore sit Canonica, anque *Bernardus* eadem uti & frui possit?

R. Certum est; pensionem hanc non esse legitimam, & *Bernardum* nec ejus solutionem exigere nec ejus redemptionem acceptare posse. Intervenit hic tam ex parte resignantis quàm ex parte resignarii simonia tacita, & ambo sunt rei simoniæ realis sub apparentia pensionis palliatæ. *tolet. cit. l. 5. c. 92. n. 1.*

CASUS XIII. *Licinius* presbyter Canonice possidet Prioratum sæcularisatum S. Blandini. Promittit Religiosis Abbatibus, ex qua fuerat dismembratus, se eundem redditurum ut ad regularis Beneficii statum redeat, si pinguem ipsi pensionem constituent. Potestne retinere hanc pensionem eaque frui?

R. Si pensio fuerit creata in curia Romana, si tali indigeat pro sua sustentatione, sitque subjectum dignum, & ministerio suo Ecclesiæ vel Beneficio exhibito eandem promeruerit, licitè illa poterit. *Ste Beuve tom. 3. cas. 138.* Jus Decretale Supremarum curiarum in hoc etiam casu admittit reservationem omnium fructuum. *Pontas.*

CASUS XIV. *Richardus Francisco* resignavit cujusdam Ecclesiæ Cathedralis Decanatum quem à tricennio possidebat, cujusque redditus tam in fructibus grossis quàm distributionibus quotidianis duo millia francorum ipsi præbebant: resignatio continet pactum reservationis omnium fructuum; visumque est bonum summo Pontifici, cui Resignatarius in sua supplicatione omnem rei veritatem fideliter exposuit, pensionem ex gravi causa animum ejus movente admittere, & provisiones concedere. Poteritne *Richardus* absque scrupulo frui tali pensione, non obstante quòd Resignatarius minetur imploraturum se desuper Officium Judicis?

R. Reservatio omnium fructuum est damnata à Jure. *Innoc. III. in cap. Nostrum, unic. tit. ut Benef. Ecclesiast. sine Diminut. conf. ff. ult. l. 3. t. 12.* Eandem nihilominus idem Pontifex excusat in certis casibus & ad tempus duntaxat. Sed Jus Ecclesiæ Gallicanæ est contrarium. Adeoque quando provisiones ex curia emanatæ permittunt talem reservationem, præsumitur eandem esse subrepticam, nec ullo modo attenditur. *Ste Beuve tom. 2. cas. 37. & tom. 3. cas. 39.*

CASUS XV. *Vinnius* Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ ab annis viginti, Præbendam suam 600. francorum resignavit *Josepho*, reservatis sibi 150. francis solvendis ex fructibus Beneficii, qui purè putè consistunt in distributionibus quotidianis & manualibus absque ullis grossis. *Josephus* possessionem præbendæ adeptus; nunquam tamen in ea resedit. Videns ergo *Vinnius Josephum* solvendæ pensioni imparem fore, ad obtinendam solutionem

Capitulum convenit, cuius omnes Canonici percipiunt & inter se dividunt omnes distributiones, ex quibus etiam Josepho æqua sua portio cederet, si in Beneficio resideret, Horisque Canonici interesset. Defendunt jam Canonici, se neutiquam teneri ad solvendam hanc pensionem. Possuntne persistere Canonici in sua tergiversatione, maximè cum sciant, *Vinnium* non aliter quàm ex hac pensione posse subsistere?

R. Sunt magni nominis Authores, qui tuerentur, teneri capitulum ad solvendam hanc pensionem. Nos autem è contrario dicimus, illud nullatenus teneri; rescriptum certè, per quod *Josephus* obtinuit pensionem, alium neminem obligat nisi *Josephum* ejusque in Beneficio successores. Canonici non sunt causa. Non-residentia *Josphi*; nec aliter lucrantur distributiones, quas *Josephus* amittit, nisi jure priorum suorum Beneficiorum, & nullatenus titulo præbendæ *Josphi*. Si hic resideret actualiter, nec tamen choro interesset, nulla afferret obligatio supplendi ipsi pensionem *Vinnio* ex pacto debitam. Tandem etiam falsum est, pensionem hanc esse onus purè reale, quin imo est tantum personale, vel ad summum mixtum à *Josepho* tantum ejusque successoribus *Vinnio* debitum.

CASUS XVI. *Eucherius* resignavit Petro 2. Januar: 1690. suum Beneficium, quod non alios proventus nisi ex solis frumentis præbebat, sub pensione 200. francorum. Cum vero durante hyeme omnino perierint semina, & *Petrus* pro propria persona sat frumenti habuerit; quæstio est, an teneatur *Eucherio* solvere 200. francos ex pacto debitos?

R. *Petrus* non tenetur solvere *Eucherio* pro hoc anno constitutam pensionem; nulla enim debetur, quando absque culpa titulari Beneficium sustinentes fructus non producit. *Sylvius Resolut. var. 2. Beneficium.*

Vide *Capitulum, Cal. 4. & Distributiones quotidiana Cal. 2. & 5.*

CASUS XVII. *Michael* per viginti annos parochus Beneficium hoc suum in Normannia situm resignavit *Theophilo* cum onere pensionis 300. francorum, cuius possessionem resignatarius hic post sex hebdomadas adeptus est. Elapso primo anno pensionem suam petiit *Michael*, sed respondit *Theophilus*, eandem pro illo anno exigere non posse *Michael*em, eoquod fructus ac redditus parochiarum in Normannia pertineant ad Episcopos vel Archidiaconos jure reservationis. Rectène respondit?

R. *Ste Beuve tom. 2. Cal. 161.* ait: magnum esse abulum ut Beneficiarius adstringatur ad solvendam pensionem, quando nondum licet ipsi percipere fructus, putatque, non esse justum ut illi penes quos est emolumentum percipiendi fructus grossos, eosdem capiant antequam pensio resignati debita persoluta sit. Quantum ad jus reservationis attinet, illud certè non ignoratur à Resignatariis. Ad hos ergo pertinet pacisci, quando nam pensio solvenda sit? & si jus hoc rigorosè exigetur, ita ut novo parocho propterea nihil remaneret, quàm quibus præcisè ad suam sustentationem opus habet, non teneretur in conscientia primo anno solvere pactum pensionem.

Vide *Jus reservationis circa Beneficia, Episcopis vel Archidiaconis primo anno vacaturæ Beneficiorum competens.*

CASUS XVIII. *Phylologus* Benedictinus non reformatus, cui per reformationem in ipsius monasterium introductam, fuit assignata pensio vitalitia 500. francorum percipienda ex bonis communitalis, vi concordatorum initorum inter antiquiores Religiosos & reformatos, ab Episcopo Diocesano fuit institutus in parochia 2000. francorum non dependente ab Ordine, vi Dispensationis Pontificiæ. Potèstne, non obstante quòd non amplius resideat in monasterio, adhuc exigere suam pensionem vitalitiam?

R. Plures rationes evincunt, quòd ultra non possit exigere hanc pensionem; inter

inter alias verò hæc. Pensio monachalis solis tantum debetur Religiosis, qui actu vivunt in monasterio, ex quo pensionem percipiunt, & qui tanquam professi hujusmodi domus, in eadem vivunt juxta constitutiones & regulam Ordinis. Neque, dum absunt à conventu, fortius jus habent fruendi suis pensionibus, quàm Canonici fructibus suarum præbendarum, quando actu non resident.

CASUS XIX. *Lucas & Remigius* aspirant ambo ad idem Beneficium, causaque ad forum contentiosum deducta jura utriusque videntur æqualia. Compromittunt ergo componendæ litis gratia in arbitrium bonæ fidei & absque collusionem. Sententia arbitri erat, ut *Lucas* jus suum cedat *Remigio* cum reservatione pensionis 300. francorum, quæ à partibus mutuo consensu probata, mox executioni mandata fuit. Potèstne *Lucas* ex hac sola ratione tutà conscientiam frui hujusmodi pensione?

R. Potest in casu proposito uti pensione. Pensio quippe imperata fuit intuitu boni, quod inde redundare potest in Ecclesiam ex pace inter hos duos clericos restituta; modò tamen pensio fuerit approbata à Summo Pontifice. *Innocent. III. in cap. Nisi essent 21. de Præbend. & Dignitat.*

NOTA. Cum hæc pensio non fundetur in contractu, sed in Laudo, censet sufficere ratihabitionem Episcopi. Vide *Cal. 33.*

CASUS XX. *Stanislaus* Abbas in Polonia fuit nominatus ad Episcopatum hujus regni, consentiendo in pensionem mille francorum ex sua Abbacia in favorem cujusdam *Stephani* persolvendorum, quæ tamen pensio solummodo fuit constituta per Diploma Regis signatum, uti fert antiquissima consuetudo regni. Consecratione suscepta per tres annos continuos pensionem solvit *Stephano*. Potèstne id facere *Stanislaus* absque Simonia? hujusmodi pensiones utpote approbatæ per consuetudinem generalem & immemoriam totius Regni Poloniæ, suntne legitimæ?

& quidnam faciendum huic Episcopo ad tranquillandam conscientiam suam?

R. Est certum & evidens quòd omne pactum vel conventio in materia Beneficiorum, destituta approbatione Summi Pontificis, sit simoniaca; quare *Stanislaus* non potuit acceptare Episcopatum cum conditione solvendi pensionem mille francorum in favorem *Stephani*, nisi Diploma regium fuerit ratificatum & approbatum à Papa. Tantumque abest ut liceat ipsi solvere pensionem, ut eandem etiam teneatur constanter recusare, donec *Stephanus* aquirat titulum canonicum ipsam percipiendi; nec denique solvat nisi ad hoc fuerit coactus per sententiam definitivam, à qua appellare ultra non liceat, in se latam. Interim debet recurrere Romanam, ut Auctoritate Pontificia, quantum opus est, revalidetur ipsius titulus, condonentur fructus tum ii, quos licet alias sibi debitos nondum percepit, tum etiam quos jam perceptos quidem, nondum tamen consumpsit, deturque facultas solvendi impolterum pensiones *Stephano*. *Ste Beuve tom. 3. cal. 71.*

CASUS XXI. *Zephyrinus* Clericus tonsuratus ex Prioratu 300. francorum, quem habebat, retinuit sibi pensionem francorum mille in Curia admittam & approbatam, & paulò post militiae nomen dedit. In Castris dein munus Judicis civilis & criminalis militum gessit. Amisitne per hanc statum sui mutationem pensionem suam?

R. Omnis pensio in Beneficio constituta, ex natura sua est Ecclesiastica, & necessariò supponit tonsuram, quæ est aliquid spirituale: hinc etiam Rescripta ex curia impetrata semper supponunt, impetranter esse clericum; ille itaque, qui est inhabilis ad possidendum Beneficium, pariter est inhabilis ad percipiendam pensionem Ecclesiasticam, & sic *Zephyrinus* non potest frui reservata sibi pensione 1000. francorum. *Pontas.*

CASUS XXII. *Andreas Ambrosio* debet 300. francorum pensionem, quam hic sibi

sibi reservaverat ante sex menses ex fructibus parochiæ cujusdam 1200. francorum; potestne Andræas propria sua auctoritate & absque Dispensatione Papali extinguere & redimere hanc pensionem?

R. Certum est, juxta Sententiam *Navarri, Fagnani, Flamini, Rebuffi, Forgerii*, aliorumque plurimorum Canonistarum, *Andream* nec extinguere nec redimere posse talem pensionem, quod etiam Juri Ecclesiæ Gallicanæ conforme est. *Pontus.*

CASUS XXIII. *Chrysanthus* parochus ad *D. Claudi* à quinquennio vel sexennio portat onus pensionis 300. francorum, quam *Cornelius* resignando ipsi parochiam sibi reservaverat. Hujus oneris pertæsus pro pensione hac *Cornelio* offert Capellam, cujus redditus ad 200. francos ascendebant: qua conditione accepta *Cornelius* pro provisione sollicitat, eaque impetrata pensioni renuntiat. Daturne aliquid in hac conventionem vituperationi obnoxium?

R. Conventio hæc est Simoniacæ. Pensio non est Beneficium, sed tantummodo jus percipiendi ad dies vitæ pensionarii, vel quamdiu pensionarius nil delinquam quod ipsum faciat excidere jure suo, portionem fructuum Beneficii resignati, penitus separatum à titulo Beneficii. Non est perpetua uti Beneficium & ad nihil obligat: adeoque non potest extinguere per resignationem Beneficii; sic enim res spiritalis vel annexa rei spiritali daretur pro temporali, æstimabilis pretio pecuniario; itaque cum solo cum consensu Papæ redimibilis est. *Ste Beuve tom. 1. cas. 38.*

CASUS XXIV. *Volustianus* pensionem habet in Beneficio 600. francorum; teneturne in conscientia recitare Breviarium, & portare Tonsuram & habitum clericalem?

R. Obligatur tantum recitare Officium parvum *B. Virginis* ex præcepto Bullæ Pii V. *Ex proximo*; ad tonsuram verò & habitum clericalem strictissime obligatur

vi alterius Bullæ ejusdem Pontificis. *Pontus.*

CASUS XXV. *Placidus* clericus tonsuratus Diocesis *Bayonnensis*, illustri profapia genitus, nullumque habens Beneficium, obtinuit pensionem 3000. francorum ex quodam Archi-Episcopatu sibi persolvendorum: hic parsimonia sua industria ultra necessaria suæ sustentationi quotannis mille francos sibi comparcit. Potestne in conscientia de hac summa disponere pro suo libitu, an verò tenetur talia parsimonia dare pauperibus vel Ecclesiæ?

R. Bona Beneficii æqualiter sunt bona Ecclesiastica & Deo consecrata; adeoque *Placidus* non potest pro suo arbitrio disponere de parsimonia sua Pensionis. *Pontus.*

CASUS XXVI. *Mauritius* habet pensionem 400. librarum ex aliqua Abbacia. Sed propter commissum furtum damnatus est ad triremes. Teneturne in conscientia Abbas continuare ipsi pactam pensionem?

R. Pensio extinguitur per mortem civilem sicut per mortem naturalem, & *Mauritius* perdidit clericatum; ideoque Abbas non debet ipsi ultra solvere pensionem. Idem dicendum est de clerico, qui in hæresin, vel crimen læsæ majestatis; vel qui committit crimen privatione Beneficiorum vel pensionum Ecclesiasticarum puniendum; ac tandem de eo qui per professionem Religiosam sæculo moritur. *Pontus.*

CASUS XXVII. *Cunegundes* proximè nuncupatura Deo vota solemnia in Ordine *S. Benedicti* sollicitavit suam parentem, ut sibi crearet pensionem 200. francorum, qua cum suæ Superiorissæ consensu personalibus suis necessitatibus possit pro libitu disponere; simulque clausulam adderet contractui, ut si fortè transfret ad aliud monasterium, pensio ut antea ipsi continuaretur. Consensit pater. Debentne dici peccasse alterutrum vel ambos?

R. Certum est; *Cunegundem* absque peccato non potuisse taliter hanc pensionem ut de ea possit disponere pro suo arbitrio

bitrio; hoc enim sapit spiritum proprietatis voto solemnem paupertatis contrarium. Sed nec ipsius pater potuit consentire in hanc pensionem: oportuisset certè, ut pensionem reliquisset monasterio pro veris necessitatibus ipsius familiæ. *Ste Beuve tom. 2. casu 178.*

CASUS XXVIII. Parochus quidam vult resignare suum Beneficium sub pensione; habet verò etiam aliud Beneficium, ex quo clericaliter ac honestè vivere potest.

R. Non licet ipsi resignare cum hac reservatione. Nihilominus Beneficiorum pluralitas adhuc peior est. *Fromageau.*

CASUS XXIX. Quidam Clericus nunquam hæcenus servitium reddidit Ecclesiæ, nec etiamnum reddit, imo oppido negligenter decurrit Officium *B. Virginis*. Nullum habet talentum vel alias dotes, ex quibus sperari posset; illum suo saltem tempore utiliter servitutum Ecclesiæ. Potestne bonâ conscientia retinere pensionem ex qualicumque Beneficio, præcipue verò ex Beneficio, cui animarum cura annexa est?

R. Non potest sibi reservare pensionem ex quocumque Beneficio, sed multò minus ex Beneficio curato. *Fromageau.*

CASUS XXX. Decanus cujusdam Ecclesiæ Cathedralis ex suo Beneficio 2500. francorum annuatim percipit, & antea erat ejusdem Ecclesiæ Custos, quam Præbendam postmodum resignavit sub pensione 1200. francorum.

R. Non potuit exigere hanc pensionem, teneturque ad restitutionem jam perceptorum. Papa est tantum Dispensator bonorum Ecclesiæ, neque potest, absque ulla causa legitima permittere, quod lege Divina & naturali prohibetur est; adeoque hic Decanus non potuit in hoc dispensari. *Fromageau.*

CASUS XXXI. Titius cum Cajō permutavit Canonicatum 1000. francorum, à quo vicissim accipit pensionem 400., & Beneficium Capellæ 80. francorum. Estne securus in conscientia?

Dicton. Cas. consè.

R. Juxta quosdam Authores non potest Beneficiatus absque Simonia stipulari sibi pensionem, quæ excedat tertiam partem reddituum Beneficii, ita ut taliter stipulata pensio sit reducenda ad partem tertiam. Itaque peccavit Cajus promittendo pensionem quæ tertiam excedit. Interim, licet nemo statim dixerit ipsum incurrisse aliquam censuram; nihilominus Cajus sibi debet procurare rehabilitationem à Summo Pontifice. *Fromageau.*

CASUS XXXII. Licetne transferre pensiones in materia Beneficiorum?

R. Istiusmodi translatio est odiosa, nec permittitur in Gallia; Resignans, qui suo resignatario imponeret onus solvendarum expensarum pro creatione pensionis factarum, committeret Simoniam. Est pariter Simonia, obligare resignatarium ad anticipandam solutionem pensionis, sicut etiam, si ab eodem exigeret cautionem legalem pro pensione; in omni casu ad evitandum vel tollendum Simoniam vitium singula hæc exponenda sunt Summo Pontifici. *Fromageau.*

CASUS XXXIII. Quando Papa non vult admittere pensiones in Beneficiis curatis, tunc Episcopi ex quadam potestate Oeconomica fundata in æquitate naturali & utilitate Ecclesiæ possunt hujusmodi cautiones permittere parochis, qui cum ex morbo vel senio ad labores parochiales jam inepti sint, resignationem meditantur. *Fromageau.*

PENSIO AD VITÆ TEMPUS.

Vide *Fundatio.*

PERJURIUM.

1. *Perjurium* est juramentum falsum, vel violatio juramenti aliquando facti. Perjurare est jurare quidpiam esse verum, quod re ipsa est falsum, vel violare juramentum antehac à se emissum. *Perjurium* ex sua natura est peccatum mortale, &

B b b b b

qui

quī tale committit, redditur infamis pœnisque à jure Statutis obnoxius.

2. Committitur perjuriū affirmandō cum juramento rem scienter falsam, & negandō rem scienter veram. Crimen hoc nec metus nec consuetudo excusare potest, nec utilitas quæ exinde posset provenire, nec quævis alia causa, nisi tantū imperfectio actūs, qualis foret ignorantia inculpabilis.

3. Sicut tres dantur juramentorum species, *Affertorium* nempe, *promissorium* & *comminatorium*, ita etiam tribus modis potest perjuriū committi. Respectu rei præsentis perjuriū semper est peccatum, quia actu juratur contra veritatem. Respectu rei futuræ quam quis intendit nunquam implere vel exequi, perjuriū crimen incurritur ipso momento quo juratur. Si e contra adsit intentio implendi rem juramento promissam, tunc primū incurritur, quando quis recusat exequi promissa, supposito tamen, quod possit impleri juramentum absque offensa Dei, vel sine omissione alterius actionis evidenter sanctioris & magis meritorie (obligatorie). Dicitur autem *absque offensa Dei*, quia si quis juraret commissurum se peccatum aliquod, non teneretur hoc juramentō, & quod impiè jurasset, multo magis impiè implet. Dicitur etiam *absque omissione actionis sanctioris & magis meritorie evidenter talis ac insuper obligatorie*. Hinc in dubio de melioritate, vel de obligatione alterius actionis, sicut etiam quando juramentum fuit metu extortum vel vi, tutissimum est à Superiore legitimo, vel à persona in cujus favorem promissio jurejurandō confirmatus fuit, petere absolutionem à juramento, vel respectivè remissionem obligationis.

4. Constitutiones Canonice statuant, ut Beneficiatus perjuriū crimine contaminatus privetur suō Beneficiō, sitque in perpetuum inhabilis ad ferendum in judicio testimonium.

5. Leges Romanæ nullam statuerunt specialem pœnam in perjuros. Adeoque

quæ à judicibus contra eosdem enuntiantur, arbitrarie tantum sunt, & ordinariè mensurantur ex circumstantiis facti & qualitate personæ.

CASUS I. *Menalippus* interrogatus num exiverit in agros? contra veritatem respondet quod non, & hoc suum assertum jurejurando confirmat Deum in testem vocando. Peccatne mortaliter, jurans præsertim cum æquivocatione vel restrictione mentali, cum aliàs materia juramenti planè sit levis momenti, nec interrogantem ullo modo tangat?

R. Non potest, ut mihi quidem videtur excusari *Menalippus* à peccato mortali; Scriptura clarè & sine distinctione ulla pronuntiat omne perjuriū esse mortale peccatum, uti probat *D. Thomas 2. 2. q. 98. art. 3. in corp.* æquivocationes & restrictiones mentales sunt media & regulæ perniciosæ, de quibus loquitur *S. Augustin. l. de hæres. 70. & 1. contra mendacium c. 28. seu n. 30.*

NOTA. In tali casu, quo interrogans de re non cuius aperienda temerè absque jure interrogandi interrogat. Nec aliud relinquitur effugium, licet quidem uti æquivocatione, vel restrictione sensibili, sed non juramento ultroneo.

CASUS II. Nuntiatum est *Posthumio*, Hieronymum famulum suum graviter valde in re quapiam deliquisse: sui ergo præ ira impotens Deum in testem vocat, dignis se in famulum castigationibus animadversurum. At verò Hieronymus delicti veniam rogat, & etiam impetrat ab herone non obstante juramento, ex spe futuræ emendationis. Estne perjuriū reus *Posthumius*?

R. Qui jurat, nunquam potest obligari ad committendum peccatum aliquod, nec juramentum debet impedire majus bonum. *S. Augustin. in Cat. inter 22. q. 4.* Ex his ergo principiis dicendum; quod *Posthumius* persuasus famulum suum multo facilius hac sua indulgentia quam ex castigationibus ipsi intentatis emendandum iri, potuerit sine perjuriō culpam eisdem ignoscere.

CASUS III. *Philonides* comes intraturus portam palatii sui simplici cuidam nobili secum pariter ingresso præcedentiam offert. Jurat hic se non intraturum ante comitem, paulò post verò repetitis invitationibus cedit, & prior ingreditur. Estne perjurus ob non servatum hac occasione juramentum?

R. Ex sententia S. Facultatis Theologicæ Parisiensis erroneum est dicere; eum qui jurat quin intentionem habeat jurandi vel se obligandi, non pejerare, neque teneri suō juramentō; & sic nobilis iste non potest excusari à perjuriō. Licet in ipsius juramento non desit justitia, veritas tamen & judicium desunt. Jam verò nisi tres hæ conditiones simul concurrant in juramento, peccat qui jurat, & peccatum hujus Nobilis gravius ex eo capite est, quod videatur ex inveterata consuetudine jurasse.

CASUS IV. *Pierius* mutuas dedit *Mavio* libras 3000. instrumento desuper apud Notarium confecto. Post lapsū temporis in bona *Mavii* creditores immittuntur, & *Pierius* à processibus judicialibus abhorrens jura sua cedit *Sempronio Mavii* ex fratre nepoti, facta ipsi mediante certa pecuniæ summa potestate, ut titulo his juribus acquisito ad solvendum ex bonis *Mavii* debitum agat. Renuit *Sempronius* acceptare Cessionem hanc, nisi ea conditione, ut *Pierius* ipsi caveat de vendito credito, secreti fidem servet, & interim actionem debiti apud judicem prosequatur, vel potius ut ipsemet *Sempronius* *Pierii* nomine agere in judicio valeat. Promittit *Pierius* servaturum se secretum. Cumque jam penè finiretur causa, *Sempronius* insistit, ut *Pierio*, urgeat judicem, & ad obtinendum creditum juratò affirmet summam illam ter mille librarum justo sibi titulo ac legitime deberi; excusat se *Pierius*, timensne posteaquam renuntiavit credito in favorem *Sempronii*, perjuriū tali affirmatione committat.

R. Datur obligatio etiam jure naturæ servandi secretum; nec violari potest absque peccato quando aliunde versatur circa rem honestam & licitam, & neque publico, nec alicui personæ privatæ damnum inde eveniat: hujusmodi est secretum, quod *Pierius Sempronio* promissit; illud ergo revelare non potest sine manifesta perfidia, debetque se gerere, quasi nunquam ipsum inter & *Sempronium* pactum aliquod intervenisset. Quantum porro ad metum ne falsò affirmet apud judicem, metus hic caret fundamento. Jus ipsius & jus *Sempronii* unum solum jus de facto constituit, de cujus veritate & justitia serid ipse *Sempronio* cavet; intentio judicis urgentis affirmationem juridicam aliud non est, nisi ut certior fiat ex *Pierio*, quod justum titulum habeat, quod utique verè & absque mendacio affirmare potest *Pierius*. Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur. Reg. 55. de reg. jur. ant.

CASUS V. *Balthasurus* interrogatus à judice cum juramento affirmat rem quampiam veram esse (prout etiam re ipsa vera est) quam tamen ipse falsam putat: estne perjuriū reus, cum vera sit res prout affirmat?

R. Juxta *D. THOMAM 2. 2. q. 98. art. 1. ad 3. & in 3. sentent. dist. 39. art. 3. ad 1. & 3.* Committitur perjuriū affirmando contra mentem & propriam conscientiam rem falsam tanquam veram; tametsi in re ipsa vera sit; & ideo *Balthasurus* perjuriū reus est ob injuriam atrocissimam Deo illatam, utpote cum sic voluerit ipsum facere protectorem mendacii, illum invocando testem rei, quam falsam in conscientia putat.

CASUS VI. *Dominicus* judex litis cujusdam inter *Claudium* & *Albanum* ortæ scit *Claudium* sæpius jam pejerasse: potestne ab eodem ad instantiam *Albani* exigere juramentum, cum moraliter certus sit etiam hac vice pejeraturum?

R. Judex tenetur procedere & judicare juxta formam à legibus præscriptam; cumque

que non sit causa perjurii ab illo, à quo juramentum exigit, committendi, potest absque peccato tale exigere à Claudio. *S. Thom. 2. 2. q. 98. art. 4. in corp.*

NOTA. Judex tamen vel ex Officio, vel in quantum Christianus ex charitate teneretur monere Albanum, jam sæpius Claudium pejerasse.

CASUS VII. *Fabianus* centum libras monetæ debet *Sempronio*. Hic in judicium vocat *Fabianum*, ab eoque ducentas libras sibi uti supponit, debitas ac proin solvendas postulat. Judex juramentum defert *Fabiano*, qui jurat & negat debere se ducentas. Quare judex à judicio & debito ipsum absolvit. Estne perjurii reus *Fabianus*?

R. Quando jurasset *Fabianus* nihil se debere *Sempronio*, perjurus foret; modò cum juraverit non debere se ducentas libras, quas prætendebat *Sempronius*, nihil affirmavit contra veritatem. Interim licet hac sua affirmatione absolutus sit pro foro externo, obligatur nihilominus semper ad solvendas centum libras. *Baldus*.

CASUS VIII. *Elias* cum juramento promisit cuidam suo amico facturum se quæ postulat. Sed modò non nisi difficillimè potest exequi promissa. Estne perjurus, nì exequatur?

R. Cum *Elias* non præviderit has difficultates modò occurrentes, non erit perjurus. Juxta *D. THOMAM loc. cit. art. 2. ad 3.* dum quis jurat facturum se quidpiam, semper subintelligendum est, si res sit licita & honesta, atque sine nimia difficultate præstari possit.

CASUS IX. *Menander* Mercator pro negotiatione quam exercet, opus habet certâ pecuniæ summâ: vendit *Basilio* fundum, cujus proventus annui ad trecentas libras excurrunt. Uxor ipsius *Lucia* in fundo hoc dotem suam constitutam habens consentit in alienationem hanc à marito factam; sed *Basilius* metuens, ne mortuo *Menandro* *Lucia* fortè repetat fundum ab ea juramentum exigit, quo Deum testem invocat sui consensûs, præfatumque fundum nunquam posthac revocaturam se promittit. Moritur *Menander*, & ab Ad-

vocato causarum forensium peritissimo dicitur *Lucia* ipsam juramento suo non teneri; potestne ergo citra perjurium agere ad restitutionem sui fundi?

R. Juramentum *Luciæ* nec est contra justitiam nec contra conscientiam; hinc non potest sine perjurio in foro conscientie repetere fundum, licet hoc possit pro foro externo. *Innoc. III. in cap. 3. cum contingat 28. de Jurejurando lib. 2. tit. 1.*

CASUS X. *Andronicus* ex præcipitanti in loquendo falso jurat. Estne perjurii & mortalis peccati reus?

R. Quando scit jurare se contra veritatem, committit perjurium mortale. Quando nihil de hoc cogitat, nec frequentiora istiusmodi juramenta sint affectus inveteratæ jam consuetudinis, potest defectus deliberationis facere, ut peccatum ipsius tantum sit veniale. *S. Thomas loc. cit. q. 98. art. 3. ad 2.*

CASUS XI. Juravit *Cyrillus* nullas per aliquod tempus se elargiturum elemosinas, vel religionem se non ingressurum uti aliquot abhinc diebus statuerat. Fietne periurus faciendo postea contrarium?

R. Non tenetur servare suum juramentum, & non solum non debet illud exequi, sed melius faciet non implendo. Nemo tenetur exequi suum juramentum de re mala vel alicujus boni impeditiva emissum. *D. THOMAS 2. 2. q. 89. art. 7. in corp. & art. 7. ad 2.*

CASUS XII. *Gregorius* volens redimere injustam vexam, aut extricare sese ex processu judiciali, vel evitare mortem sibi à Balduino jamjam destinam, triginta eidem offert dupliones, Deum servandi promissi testem implorans. Teneturne stare suo promisso, an verò petere absolutionem ac dispensationem à Superiori Ecclesiastico?

R. Tenetur vel stare promisso, vel petere dispensationem, licet ex metu gravi promiserit, & juraverit. Si metus hic ipsi non ex toto abstulit tempus deliberandi secum, specialem contraxit obligationem respectu Dei, quem testem sibi esse voluit, &

& hæc obligatio ipsum ligat in foro conscientie. Debet potius ferre damnum aliquod temporale, quàm deesse promissioni à se factæ.

Paritas, quæ hic objici posset cum voto, nihil facit ad rem præsentem, nulla enim est hæc paritas. Votum enim non est verum votum si fiat ex metu gravi; juramentum verò tali metu extortum semper manet juramentum. *Pontas*.

NOTA. Juxta me omnia promissa etiam jurata, metu extorta, tunc solum sunt jure naturæ invalida, aut dissolubilia, quando extorquenti certò ac evidenter constat de injustitia extorsionis. Vide *meam Theol.*

CASUS XIII. *Laurentius* ut ab injusta persecutione quam jam ab anno & ultra à Luciano patiebatur, sese eximeret, cum juramento eidem promisit quinquaginta francos seu libras: jurando autem habuit actualem intentionem postmodum petendi dispensationem ac absolutionem à juramento. Estne habendus pro perjuro?

R. Cum juramenti hujus impletio illicita sit ex parte *Luciani*, censeo *Laurentium* potuisse jurare cum hac intentione absque periculo perjurii. Nihil certè fecit quod sit absolutè contrarium ipsius juramento. *S. THOMAS 2. 2. q. 63. art. 7. ad 3.*

Vide *Juramentum, Casu Severus*.

NOTA. Juxta me hoc juramentum ultroneum, nulla vi directè vel indirectè extortum, est illicitum. Ecclesia tantum solvit vel commutat juramenta dubii valoris aut dubiæ obligationis pro circumstantia. Vide *Theol.*

CASUS XIV. *Sofrates* Cubicularius viri Nobilis fidem suam juramento confirmatam obstrinxit hero suo, fustes se inflaturum cuidam rustico: poenitentiam tamen postmodum ductus abstinuit à verberibus. Putasne, pejeravit?

R. Non potuit tale juramentum facere quin aliquo modo reum se perjurii redderet; jurans utpote rem de se injustam. Non tamen in perjurium incidit ex eo præcisè capite quod juramentum suum opere non compleverit; imo peccasset gravissimè illud exequendo. *Idem ibid. art. 2. ad 1. unum.*

CASUS XV. *Petilianus* absque Chirographo mutuos dedit *Trifiano* quingentos francos. Post anni lapsum commodatam summam repetit. Respondet *Trifianus*, posse ipsum pace sua dire judicem: se certè cum juramento omne debitum negaturum. *Petilianus* sciens virum hunc nequam jam bis in aliis occasionibus pejeratum, & persuasissimus, etiam hac vice pejeraturum, potestne absque peccato exigere ab ipso juramentum; cum aliud non super sit medium solutionem extorquendi?

R. Sentio *Petilianum* non posse ruti Conscientiam à *Trifiano* in judicio exigere juramentum; amor, quem Deo debemus, nos obligat, ne unquam ad ipsius offensam cooperemur. *S. Aug. in Can. Qui exigit. 6. l. 22. q. 50.*

NOTA. Manifestum est, *Petilianum* habere adhuc prudentem ac probabilem spem de veridico juramento *Trifiani*, eumque sperare pro hac circumstantia de *Trifiano* meliora; idque conformiter ad legem charitatis Christianæ, non semper judicandi malum. Qui bis fuerat minus & minatus fuerat, se fore malum. Sentio proin, licitè *Trifiano* imponi juramentum.

PERMUTATIO BENEFICIORUM.

1. *Permutatio* fuit inventa circa Beneficia contra antiquas Ecclesiæ regulas, quæ districtè prohibebant clericis, ne Ecclesias ipsorum curæ commissas unquam dimitterent.

2. Permutationes antiquitus non fuerunt toleratæ, nisi hac conditione, ut legitimitas causarum ac motivorum permutandi fuerit cognita & approbata à Concilio Provinciali; aliquantò post penes solos Episcopos Diocæsanos fuit harum causarum judicium; tandem inde ab uno sæculo & quod excurrit, etiam Prælati Episcopis inferiores contra Jus Commune permutationes admittunt.

3. Vicarius major non potest absque speciali commissione vel potestate sibi facta Beneficia conferre vel permutationes

admittere; collatio enim fructuum ad ipsum non pertinet. Quà Vicarius tantum potest cognoscere de eo, quod est spirituale in Beneficiis.

4. Permutatio semper pro objecto debet habere bonum & utilitatem Ecclesiæ, non verò solum interesse vel commoditatem permutantium.

5. Non potest permutari Beneficium pro Jure Patronatus; idem dic de Capella quæ præstimonium vocatur, nec in titulum Beneficii ab Episcopo erecta est.

6. Permutatio potest fieri absque consensu Patroni Ecclesiastici, sed non absque consensu Patroni Laici; necessaria est etiam ipsius Papæ auctoritas, si cum permutatione concurrat reservatio pensionis.

7. Permutatio potest fieri non obstantibus gratiis expectativis Indulgentiarum, Graduatorum, & eorum qui sunt muniti Diplomate regio vel Regis recens inaugurati, id est primarum precum, vel juramenti fidelitatis præstiti.

8. Quando permutatio ab Episcopo admittitur simul continet reservationem pensionis, debet ea approbari à Papa, qui solus habet jus sanandi pactum simoniacum.

9. Si quando Beneficia habeant duos collatores, horum quilibet instituit, illum qui est suæ collationis, aut verò unus alteri concedit potestatem conferendi utrumque. Collator cui permutantes exhibent suam procuracionem ad effectum permutationis obtinendæ, his præcisè & non aliis tenentur Beneficia conferre.

10. Sola inæqualitas reddituum duorum Beneficiorum, quantacunque ea sit, horum permutationem nec nullam, nec annullandam reddit.

11. Si unus compermutantium ob eversionem impediatur, quò minus frui possit Beneficio, quod loco sui Beneficii vi permutationis ipsi collatum fuit, pleno jure redit in prius suum Beneficium, quod permutasse se putabat. Idem jus subsistit etiam respectu Resignatarii, quando recusat exequi conventionem bona fide factam; quando non manifestavit Benefi-

cium quod erat permutaturus esse gravatum pensione, estque Juris Patronatus Laici, & Patronus negat suum consensum, sine quo nequit obtinere collationem.

12. Juxta rigorem Canonum, quando quispiam resignavit suum Beneficium in extremis & postmodum reconvalescit, non poterit redire in suum Beneficium absque nova provisione. In Gallica supremæ Regni Curie aliter judicant, supponuntque ægrum aliter non habuisse intentionem resignandi, nisi sub tacita conditione in illud redeundi.

13. Provisis in Curia conceduntur sex menses pro possessione capienda; aliis non nisi unicus permittitur. Et si contingat, ut unus compermutantium moriatur ante initam possessionem, Beneficium censetur vacans per mortem; imo necessarium in hoc casu est, ut adeptio possessionis fuerit insinuata biduo libero ante mortem defuncti, id est, non computato in hoc biduum die apprehensæ possessionis, nec etiam die factæ insinuationis. Ante admittam in Curia permutationem unus permutantium potest revocare suam permutationem. Neque locum amplius habet permutatio, si eam nondum perfectam, alteruter permutantium moriatur.

14. Beneficiatus, contra quem à Magistratu vel Judice fuit decreta apprehensio corporis, potest quidem resignare, non tamen permutare suum Beneficium.

CASUS I. *Philippus & Jacobus* sponte ac libere permutarunt suas Capellas absque ulla solemnitate per simplicem actum coram Notario, nec ullam sibi reservarunt pensionem. Estne legitima hæc ipsorum permutatio?

R. Permutatio hæc, utpote facta sola ac privata ipsorum auctoritate nec est Canonica nec valida, sed simoniaca, simoniâ Juris positivi Ecclesiastici. Peccarunt ambo contra Canones tales permutationes prohibentes. *S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 1. ad 5.*

CASUS II. *Petrus & Paulus* permutant Beneficia sua curata in manibus proprii Epi-

Episcopi Diocesani, sed Petrus hac tantum conditione consentit daturum se suum Beneficium Paulo, ut etiam ipse recipere accipiat Beneficium Pauli. Estne valida hæc permutatio?

R. Quando Episcopus est collator utriusque hujus parochiæ, simulque ipsius judicio hæc permutatio videtur cedere in utilitatem Ecclesiæ & majus bonum fidelium, potest eandem admittere absque scrupulo. *Idem in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. ad 8.*

CASUS III. *Rupertus* titulus cujusdam capellæ, & *Leander* Capellanus alterius cujusdam Capellæ permutarunt in manibus Abbatis, qui erat Collator. Estne Canonica hæc permutatio?

R. Communis Galliæ consuetudo permutationem hanc reddit Canonicam respectu Collatorum, qui habent jurisdictionem quasi-Episcopalem, vel qui per legitimam præscriptionem jus hoc acquisiverunt. *Cabassut. l. 2. c. 17. n. 1.* Adeoque permutatio *Ruperti & Leandri* non potest haberi pro illegitima & nulla, supposito aliunde quòd formalitates requisitas observaverint. *Pontas.*

CASUS IV. *Guillelmus* parochus ad S. Valerii permutavit in manibus Episcopi Diocesani suam parochiam cum *Sylvestro* pro Capella simplici; verum sub prætextu incapacitatis *Sylvestri* Episcopus renuit admittere permutationem; possuntne relicto foro sui Ordinarii opera causam suam apud Metropolitanum?

R. Cum indignitas & incapacitas *Sylvestri* fuerit motivum repulsæ Episcopi, nullus recursum ad Metropolitanum potest esse locus. Sed si *Sylvester* verè esset capax ad dignè obeundas functiones curæ animarum, appellatio à tergiversante Episcopo ad Metropolitanum admitti potest.

CASUS V. *Macarius* parochus cum *Antonio* permutavit suum Beneficium pro Prioratu simplici. Permutatio fuit admittitur & approbata in Curia, sed *Antonius* ante adeptam possessionem parochiæ mortuus est. *Macarius* à nemine in posse-

ssione parochiæ turbatus eandem retinet, simulque se immittit in possessionem Prioratus; potestne duplici hoc emolumento per *Antonii* obitum sibi oblato frui?

R. Non potest *Macarius* retinere suam parochiam, quæ verè & re ipsa vacat. Prioratum *Antonii* cum hac tantum conditione acquisivit, nisi ex ejus possessione deficiatur, quæ conditio essentialis est permutationi & ab eadem inseparabilis. *Pontas*

CASUS VI. *Corentinus* Canonicus vult permutare suam præbendam cum *Pamphilo* pro Prioratu, quem utiliore sibi commodiorèque putat. Declarat *Pamphilus* se valetudinis conservandæ causâ non esse dispositum ad residendum in loco præbendæ. Potestne *Corentinus* facere permutationem relinquendo conscientiam *Pamphili* an velit residere vel non?

R. Putamus, *Corentinum* in calu proposito non posse tutam conscientiam permutare suam præbendam; cooperaretur enim peccato *Pamphili*, qui obligatur ad residentiam, & abuteretur potestate Beneficiariis concessa ad mutandum tunc solum beneficium, si id pro majori bono Ecclesiæ expedire judicaverint. Quòd si jam plane facta fuisset permutatio, teneretur eandem, si fieri adhuc posset, revocare. *Ste Beuve tom. 2. cas. 48.*

CASUS VII. *Crepinus* obtinuit Canonicatum per Simoniam. Sed altero mox die facti poenitentiam ductus eundem octiduo post cum *Irenæo* permutavit per Capella simplici, simulque Romam misit pro obtinenda sua rehabilitatione & absolutione à censuris. Estne valida hæc permutatio?

R. Est penitus nulla. Nam titulus *Crepini* est nullus, cum Canonicatum obtinuerit simoniacè; porro omnis excommunicatus est inhabilis ad possidendum quodcunque Beneficium. *Idem tom. 2. cas. 148.*

CASUS VIII. *Titius* parochus ad S. Blasii, *Mævius* ad S. Genutii, & *Sempronius* Prior ad S. Salvatoris sunt tres compermutantes. *Titio* nullatenus arridet Prio-

Prioratus S. Salvatoris, bene verò parochia S. Genutii; *Mavio* displicet parochia S. Blasii placet verò Prioratus, *Sempronius* respuit parochiam S. Genutii, affectat verò illam S. Blasii. Inito inter se tractatu conveniunt, ut *Titius* habeat parochiam S. Genutii, *Mavius* Prioratum S. Salvatoris, *Sempronius* verò parochiam S. Blasii. Potuitne tractatus hic fieri tutâ conscientia, cum procurator expeditionarius pro curia in prima Supplicâ expresse- rit, *Titius* petere parochiam S. Genutii vacantem per abdicationem *Mavii*; in secunda verò, *Mavium* petere Prioratum S. Salvatoris, tanquam vacantem per abdicationem *Sempronii*. In tertiâ denique *Sempronium* petere parochiam S. Blasii veluti vacantem per cessionem *Titii*: ita ut appareat Papam nullam habere sufficientem notitiam de conventionem inter partes inita?

℞. Certum est, tractatum hunc esse Simoniacum simoniâ Juris positivi Ecclesiastici, cum, ut est in se, non fuerit expositus Papæ, nec partes obtinuerint necessariam dispensationem. *Pontas*.

CASUS IX. Aliquis fundat Capellam feriò animò, illam postmodum, uti conventum fuit, permutandi. Estne licita talis conventio?

℞. Tantùm abest ut sit licita, ut etiam contraria Canonibus sit & simoniaca. Filius familias non potest accipere talem Capellam cum proposito faciendæ postmodum permutationis. *Fromageau*.

CASUS X. Habentne Episcopi jus recipiendi & admittendi permutationes in sciis Patronis?

℞. Possunt easdem recipere, quando Beneficium est Juris Patronatus Ecclesiastici. Si verò fuerit Patronatus Laici, consensus Patroni accedat necesse est. *Fromageau*.

CASUS XI. Parochus quidam volens suum Beneficium ad æqualitatem adducere cum Beneficio alterius parochi quorum permutationem meditatatur, eidem prædium adjicit.

℞. Ambo committunt simoniam, nisi intervenierit auctoritas Ecclesiæ. Sola Ecclesia potest, ut ita dicam, spiritualizare, & in Ecclesiastica convertere bona, quæ Beneficiis adjiciuntur. *Fromageau*.

CASUS XII. Clericus quidam, Canonicus & simul Custos in Ecclesia Cathedrali, proponit duo hæc Beneficia transferre in Abbatem aliquem, qui promittit constitutum se ipsi ex sua Abbacia æquivalentem pensionem, & quidem cum approbatione Regis. Potestne hoc facere?

℞. Clericus hic non potest duo hæc Beneficia transferre in Abbatem pro illa pensione noviter creanda. Pactum est illicitum, foretque necessarium, ut Papa inde tolleret simoniam. Canonicus hic nullum prorsus habet jus percipiendi pensionem ex Abbacia, quam nunquam administraverat. *Fromageau*.

CASUS XIII. Clericus habet Canonicatum vel capellam in aliqua Ecclesia, unâ cum pensione ex alio ejusdem Ecclesiæ Canonicatu. Permutavit Canonicatum illum, ex quo sibi reservaverat pensionem, & paulò post fecit secundam permutationem pro sua Capella.

℞. Debet habere dispensationem à Sede Apostolica ad possidendum utrumque. Via hæc est securior pro conscientia & ad præcavendas lites. *Fromageau*.

CASUS XIV. Petrus habet Beneficium oneratum officio in choro, & exigens residentiam, & Paulus habet parochiam. Volunt permutare cum approbatione Episcopi à quo dependent ambo Beneficia. Sed proposita ac insinuata permutatione declarat Paulus, nolle se retinere Beneficium Petri, sed ab eodem absque mora petiturum se sibi Beneficium simplex. Potestne ex parte *Petri* permutatio hæc fieri licitè, utpote cum probè illi constet de intentione Pauli?

℞. Petrus non potest salvâ conscientia facere hujusmodi permutationem. *De Lamet*.

CASUS XV. Joannes habet Prioratum simplicem non consistorialem; Petrus ve-

rò Canonicatum, cujus fructus grossi valent 50 vel 60 francos. Joannes ob rationes verè Canonicas vult permutare cum Petro & ex Prioratu qui pinguior est Canonicatu, reservare sibi pensionem.

℞. Potest retinere hanc pensionem, sed requiritur, ut sit creata in Curia, & ut in supplica petatur ex causa permutationis; potestque pensio hæc taxari usque ad dimidium reddituum Prioratus. *Fromageau*.

CASUS XVI. Potestne Petrus salvâ conscientia permutare suum Beneficium cum Beneficio Pauli, cum intentione uniendi illud alicui Seminario? potestne Paulus in conscientia accipere pensionem, ut ad æqualitatem cum suo reducatur Beneficium Petri? potestne hic tutò solvere Paulo sexcentos francos pro reparationibus in Beneficio factis? potestne etiam Petrus ipsi dare pensionem immunem ab omni onere eidem imponendo? potestne Paulum absolvere ab omnibus expensis expeditionis, insinuationis &c. quæ dictam expeditionem concernunt? estne necessariò recurrendum ad Papam, ut Beneficium regulare uniri possit Seminario? Paulus resignans Petro potestne in conscientia in se suscipere omnes sumptus pro provisionibus in Curia faciendos ad hoc, ut regulare Beneficium in commendam perpetuam mutetur?

℞. 1. Non licet acceptare Beneficium absque intentione illud retinendi; adeoque Petrus stantibus quæ in casu exponuntur, non potest sibi accipere Beneficium Pauli. 2. Istum foret, ut si redditus Beneficii Pauli 200 francis sint fortiores, accipiat etiam pensionem paris summæ, à Papa creandam. 3. Restitutio reparationum à Paulo factarum foret simoniaca. 4. Petrus ex vi Permutationis non tenetur Paulo solvere pensionem liberam ab omnibus oneribus, talis enim conventio foret simoniaca. 5. Possunt Episcopi unire Beneficia regularia Seminariis juxta Declarationem de A. 1584. super 57. Articulis Cleri Gallicani Regi præcedente anno exhibitis. 6. Potest Paulus facere absque conventionem omnes expen-

Distion. Cas. Conse.

fas pro provisionibus in curia, ut Beneficium ipsius regulare transeat in commendam perpetuam. Si verò interveniret conventio, sine qua Petrus non consentiret in permutationem, illa foret contra regulas Ecclesiasticas, & annullaret permutationem. Est ergo recurrendum ad Summum Pontificem, ut ipse auctoritate sua corrigat rectificetque quicquid est vitiosum in hac permutatione. *Fromageau*.

Vide *Beneficium. Beneficiatus. Canonicus. Collator. Collatio. Patronus. Provisio. Pensio, Casu Paquierius. Resignatio. Simonia*.

PERPETRATIO HOMICIDII.

Vide *Occisio*.

PERSECUTIO.

Vide *Residentia parochorum, Casu Theotimus. Residentia Episcoporum, Casu Nicander*.

PESTIS.

Vide *Absolutio, Casu Pests. Communitio, Casu Gregorius*.

PIGNUS.

1. Pignus est contractus, quo debitor tradit creditori rem mobilem in assecurationem debiti.

2. Cum Pignus sit quædam species Depositum, ille, qui pignus possidet, nullum jus habet eò utendi, sine consensu illius, qui illud sibi tradidit, & tenetur pignus in eodem statu restituere, debitò integrò persolutò sibi.

3. Tribus modis peccari potest in exigendo pignore in assecurationem commodati. 1. Si res oppignorata fructificat, & ille, qui pignus accepit, in deductionem fortis non refert commodum & fructum ex pignore productum & acceptum. 2. Si res oppignoratur, quæ oppignorari non potest, ut si in assecurationem debiti de-

CCCC

tur calix consecratus, excipitur tamen casus urgentis necessitatis: si debitum urget. 3. Si in contractu intervenit aliqua stipulatio prohibita, & à Lege reprobata, ut si pignus accipiatur hac conditione, ut, si debitum constituto die non solvatur, pignus integrum creditori cedat, quin teneatur de debito quidquam remittere debitori, aut, ut, debitori, pignus solutò debitò reposcenti, creditor non teneatur pignus restituere.

4. Hic in ultimo casu agitur de pignore, quod creditori traditur titulò *Antichreseos*, quidque in tali casu permissum aut prohibitum sit creditori tali.

CASUS I. *Flaminus* oppignoravit *Framburgus* in assecurationem 100 librarum, quas illi mutuò dedit, equum, & hoc *Framburgus* sæpius utitur sine consensu *Flaminii*.

℞. *Framburgus* tutelam conscientiam non potest uti equò sine consensu *Flaminii*; si verò in utilitatem *Flaminii* utatur, hoc est, ut illud exerceat, præsumendum est, *Flaminium* non posse esse invitum. *Pontas*.

CASUS II. *Desiderius* pignoris locò *Genucio*, à quo 500 libras mutuò accepit, quatuor dedit Adamantes, quorum cujuslibet valor est 500 librarum. Elapsis tribus mensibus reddit *Genucius Desiderio*, 450 lib. additò promissò, quòd residuas 50 libras intra octiduum velit illi restituere, petit igitur à *Desiderio*, ut sibi reddat tres Adamantes, cum illas vendendi occasio, fors non reditura, sibi obtigerit.

℞. Quamvis nos reprobemus *Genucii* duritiam, qui pro mutuò datis 500 libris exegit pignus, cujus valor est 2000 librarum, attamen cum contractus inter duas personas initus, de ejus conditionibus ipsimet contrahentes convenerunt, sine injustitia rigorosæ executioni dare potest, *Desiderio* absolutè & simpliciter quatuor adamantes in pignus usque ad integram solutionem 500 librarum præstandam dante, *Genucius* absque injustitia retinere potest omnes quatuor adamantes, usque dum à

Desiderio integram obtinuerit solutionem 500 librarum. Ex charitate tamen teneatur *Genucius*, ut necessitatis *Desiderii* curam habeat, & non ad solum rigorem justitiæ attendat, ac ad hoc persuadendus est. *Pontas*.

CASUS III. *Delphius* mutuos petiit 100 Imperiales à *Francisco*, illique pignoris locò dedit horologium constans 30 aureis hac conditione, ut si mutuam pecuniam primò Julii non restitutus sit, horologium *Francisco* cedat: *Delphius* mutuatos Imperiales reddere non potuit nisi elapsis post constitutum tempus octo diebus, aut *Franciscus* acceptis 100 Imperialibus recusat reddere horologium.

℞. Ista conventio repugnat juri naturali: *Franciscus* tenetur in conscientia reddere horologium; si tamen *Franciscus* aliquod passus fuisset damnum, *Delphius* teneretur illud resarcire. *Pontas*.

CASUS IV. *Leander* Dominico pro summa muta 10000 lib. non solum oppignoravit tanquam hypothecam suam domum, sed etiam illum misit in possessionem hujus domus titulò *Antichreseos* usque ad integram solutionem debiti: aut post quatuor menses domus ista fulmine tacta incendio periit. Jam quæritur; cui ferendum sit damnum?

℞. *Antichresis* est oppignoratio fundi, in cujus possessionem debitor mittit suum creditorem pignoris locò, hac conditione, ut creditor fruatur fructibus, in quantum adæquant censum legitimum præstandum à debitore, residui verò fructus, excedentes censum restituendi sint à creditore debitori, qui semper remanet proprietarius rei oppignoratae, & consequenter fructuum ex ea provenientium, uti & meliorationum fortuitò accidentium.

In proposito igitur casu damnum ferendum est *Leandro*, & *Dominicus* habet jus repetendi 10000 libras ex cæteris *Leandri* bonis, verum si *Dominicus* causa fuisset incendii, aliud dicendum esset. *Pontas*.

Vide *Hypotheca. Usura. Casu 20. 21. & 22.*

PISTRINUM seu MOLENDINUM.

1. Multiplex Molendinorum genus est; in hoc tamen titulo non nisi de pistrinis, ad molenda frumenta destinatis, quorum aliqua sunt aquaria, seu quorum molæ vi aquarum versantur, ventilata aliqua, seu quorum molæ vi ventorum versantur, sermo erit.

2. Ea in fluminibus, omnibusque navigabilibus construere non licet, nisi copiam expressè ab ipso Rege factam, ad quem jure proprio pertinet supremum illorum dominium; modòque in publicum damnum nullatenus vergant. At cuilibet etiam privato licet ejusmodi pistrina ædificare in amnis nec spatiosis, nec navigabilibus; dummodò in tali loco extruantur, cujus proprietarius est, nec intra fines cujusdam prædii clientelaris, cui pistrini bannalis jus annexum est, contineatur; neque etiam notabile quoddam damnum vicinorum suorum fundis inferat.

3. In quibusdam consuetudinibus requiritur consensus Supremi judicis jure gladii gaudentis, in aliquibus tamen sufficit consensus Domini, qui gaudet jure bannario.

4. Quod attinet Pistrina ventilata, data solum à Domino Loci facultate juxta consuetudinem Parisiensem extrui possunt.

5. Pistrina tam aquaria quam ventilata in consuetudine Parisiensi & Normanniæ tanquam res immobiles reputantur; in aliis verò tanquam mobiles; hinc consuetudini locorum insistendum est.

6. Pistrina sunt aut publica aut privata. Pistrina publica *bannaria* vocantur. In Jure Romano tam veteri quam recenti nec verbum de jure *Bannario*, quibusdam hodiè moletrinis, furnis ac torculis annexo, occurrit.

7. Origo juris *Bannarii* sæculò decimo antiquior haud est, & vi atque iniqua occupatione Dominorum, Summæque Clientum inopia, quibus Pistrinorum ædi-

Ccccc 2

CASUS V. *Joannes* mutuò dedit quinquaginta Imperiales Titio, & ducit Seiam ipsius filiam; verum cum Titius nec reddat mutuam pecuniam, nec assignatam filiae suae persolvat dotem, *Joannes* pignoris locò accipit domum Titii, & hujus redditus, qui debito & doti æquales sunt, recipit.

℞. Potest hos recipere redditus, pro dote suæ sponsæ, non enim tenetur in se solum suscipere sumptus impendendos ad sustentationem Sponsæ, in rem domesticam &c. Aut nihil potest recipere ob summam mutuò datam in eam juxta opinionem communissimam Theologorum & Canonistarum datur usura (saltem præsumptivè) in omni contractu, factò inter creditorem & debitorem hac conditione, ut vi contractus creditor percipiat redditus provenientes ex pignore, quod à debitore accepit, usquedum summa commodata creditori restituatur.

CASUS VI. Titius ex agro sterili, à Cajo suo debitore sibi in pignus dato, diligenter à se exculco aliquos recipit fructus.

℞. Titius licet non potest retinere fructus istos; nam licet illos per suam excolendo agro adhibitam diligentiam receperit; verum tamen est, fructus esse Caji, qui dedit agrum, cum fructus è quodam fundo provenientes jure naturali sint legitimi Domini fundi: hinc nisi Titius sciat aut præsumere possit, Cajum sibi etiam cedere fructus in partem liciti census tenetur, deductis expensis, Cajo fructus reddere, aut illorum pretium deducere à summa sibi Cajo debita. *Rosig. de contract. tr. 3. prænot. 12. n. 3. & 4. Navar. in Manual. c. 17. n. 216.*

PISTOR CUPEDINARIUS.

Vide *Dominica & Festa.*

ficandorum & facultas & animus sat audax deerat, inductum est. Vide querelas Fulberti Cancellarii & Episcopi Carnotensis, apud Regem Robertum interpositas, *Epist. 14.*

CASUS I. Julius, Trium Paræciarum Dominus, pistrina plura habet, eaque constructa in amne quodam sua prædia irrigante, & ex arcis quadratis à tempore jam immemoriali constantia. Ipsi Parochus obligare eum vult, ut arcis rotundis ea instruat, quia molitoribus omnes farinæ per angulos quadratos dissipatæ accrescunt, in damnum privatorum, qui frumenta sua addicta pistrina deportare molenda tenentur; quia etiam majori pretio pistrina sua Julius elocat.

Julius verò se fundat in sua possessione immemoriali, sicut & in eo, quod in arcis quadratis, juris molituræ loco, ad eò multa præstari haud soleant, ac in arcis rotundis, & denique in eo, quòd homines privati, qui hujus notitiam habent, non conquerantur.

℞. Si Julius in ejusmodi regione degit, ubi vî consuetudinis, pistrina sunt & esse possunt quadrata, non obligandus est, ut pistrina sua in novam formam restituat arcisque rotundis instruat, saltem nî obstat Edictum Regis legitime promulgatum, quod ejusmodi reductionem fieri præcipit. *Ste Beuve-tom. 3. cas. 211.*

CASUS II. Perianthro Dominò cujusdam prædii in Normannia siti, pistrinum est, quod annexum habet jus banni, vî cujus juris clientes frumenta sua illuc molenda deportare, & decimam sextam farinæ partem solvere tenentur. Equumne est jus istud? an Clientes, qui frumenta sua ad alia pistrina deportant, ubi molantur, pœnam aliquam incurrunt?

℞. Jus, quo Perianther gaudet, justum est, si possessio ejusdem cuiusdam titulo ininitatur, id est, contractui voluntariè à communitate clientum inito; nec licet Clientibus adire alia pistrina, ubi frumenta molantur, quin ad restituendum Molitori inde emergens damnum tepeantur,

saltem nî habeant rationem legitimam, quæ eos excuset.

Ejusmodi legitima causa esse posset nimia distantia domorum suarum à pistrino Perianthri; item si quid obstat, quo minus frumenta moli possint, si detritæ usu sint molæ, vel aliud quid. Tertio si copia frumenti tanta sit, ut intra viginti quatuor horarum spatium moli, prout client vellet, non possit. Quarto quando cliens frumentum emptum extrà limites prædii clientelaris molâ conteri curavit. Pœnas quod attinet, quæ adversus eos, qui jus bannale fraudant, decernuntur, eæ statuendæ sunt & commensurandæ pro consuetudine locorum. *Pontas.*

CASUS III. Valentinus, judex supremus & jure gladii gaudens, cujus est jus pistrini bannalis, vult trium pagorum incolas, clientes suos obligare, ut frumenta sua in ejus pistrinum deportent molenda, quod tamen incolæ recusant; quoniam à longo jam tempore fuerunt in possessione juris, eligendi pistrinum, in quo moli frumenta curent, quod liberè; ad hæc quia etiam viæ, quæ ad hoc pistrinum ducunt, nimis asperæ sunt & difficiles, præsertim tempore hyemis, aut tempestate pluvii. An Valentinus jus habet eos ad hoc compellendi?

℞. Si major pars incolarum agnoscit & acceptat jus moletrinx bannalis, omnes eidem sese submittere tenentur, saltem nî certa de sua exemptione habeant argumenta. Valentini autem est curare, ut viæ reficiantur. *Pontas.*

CASUS IV. Georgio, diviti admodum rustico, animus est pistrinum propriâ privatæque auctoritate in quodam amne, cujus ex utraque parte ripas contingunt ducenta agrorum arabilium, qui ipsius sunt, jugera, ædificandi. An obstaculi quid ipsi sine injustitia poni potest, amne ejus terras irrigante & contingente?

℞. Si amnis iste est navigabilis, Georgio non competit jus ædificandi pistrinum, nisi datâ ab ipso Rege ob id copia. Quod si etiam copia ipsi à Rege facta esset, quoad

ejus

ejus latitudinem. Edictis Regum conformare se debet. Si verò amnis non sit navigabilis, potest construere pistrinum.

POENITENTIA SACRAMENTALIS.

1. Tertia pars Sacramenti pœnitentiæ consistit in satisfactione temporali quam Deo exhibet pœnitens jussu sui confessarii ad expiandas pœnas temporales, quæ remanent post remissam culpam peccati & pœnam æternam, cui per peccatum obnoxium se fecerat.

2. Pœnitentia Sacramentalis potest definiri quòd sit: *Castigatio peccati inflata à Sacerdote ad resarciendam injuriam, quæ Deo per peccatum fuit illata.*

3. Quilibet confessarius strictissimam habet obligationem imponendi pœnitentibus, quos vult absolvere, congruam pœnitentiam, & quantum fieri potest proportionatum enormitati & multitudini peccatorum de quibus se accusarunt. *Concil. trident. sess. 1. cap. 8.*

4. Pœnitens obligatur non tantum acceptare, sed etiam implere quàm primum potest, injunctam sibi pœnitentiam, & quidem quantum possibile fuerit, in statu gratiæ.

5. Dantur Confessarii cæteroquin satis docti, qui passim absque distinctione personarum peccant contra regulas prudentiæ injungendo pœnitentias quinque vel sex diversis articulis comprehensas, unde fit ut memoria aliunde jam hebes certarum personarum oneretur vel obruatur, eorumque, quæ ipsis fuere injuncta, bona pars oblivioni detur; e. g. pro salutari pœnitentia bis recita rosarium, ter Litanias, per triduum, quatrimum vel dies quinque. Nulla in injungendis pœnitentiis debet unquam dari ansa oblivioni; in iis Confessarius attentè ponderet effectum, quem necessariò debent producere, nempe ut sint remedium pro præterito, & præservativum pro futuro, nec perpetuò fere easdem pœnitentias quibusvis perso-

nis absque discrimine imponat, id quod multi ex confessariis sed non bene faciunt.

CASUS I. Philometor confessus est Paschali tempore; parochus pro pœnitentia ipsi imposuit jejunium quatrimum. Peccavitne mortaliter non adimplendo hanc pœnitentiam?

℞. Talis ommissio, utpote voluntaria, & rationabili causa destituta, est mortaliter peccaminosa, præsertim quando pœnitentia est notabilis, sicut in causa proposito, fuitque injuncta pro peccatis mortalibus. Quin imò censo, fore peccatum mortale si fuisset injuncta pro venialibus, attamen talibus, quæ ex sua natura valde disponunt ad peccatum mortale, vel prolabendi in mortalia periculo exponunt. Similiter ommissio esset mortalis, licet pro minimis etiam venialibus fuisset imposita pœnitentia, si simul accederet contemptus voluntatis & formalis. Interim tamen putamus; ommissionem pœnitentiæ pro venialibus, quæ non disponunt ad mortale, nec exponunt periculo peccati mortalis, non esse mortalem, licet sit peccatum grave. Diximus autem, *quando ommissio est voluntaria, & rationabili causâ destituta*, secus enim foret peccatum tantum veniale, imò in certis casibus posset excusari ab omni prorsus peccato, veluti si pœnitens absque ulla sua negligentia ex mera oblivione totam pœnitentiam omisset, vel fuisset in impossibilitate physica aut morali eandem adimplendi.

Notandum etiam est, quòd confessarius, si deprehendat, pœnitentem ex supina pigritia omisisse pœnitentiam pro peccatis impositam, debeat, regulariter loquendo, ipsum dimittere non audita peccatorum illius confessione, atque de novo præcipere pœnitentiæ executionem, saltem ex parte si possibile fuerit, qua expleta, nec prius; integrum ipsi sit reverti ad confessionem.

CASUS II. *Irenæus* accusavit se de quindecim vel viginti peccatis mortalibus; confessarius autem non aliam ipsi

injunxit poenitentiam, quam ut per octiduum quotidie recitet quinquies *Pater & Ave*. *Irenaeus* agnoscit poenitentiam hanc esse nimis levem; interrogat ergo, an teneatur in conscientia sibi imperare graviolem, gravitati, & numero suorum peccatorum magis proportionatam?

R. Satisfactio est actus justitiae; oportet ergo ut sit quaedam proportio inter offensam, & poenitentiam injungendam: ita sentit D. THOMAS in 4. *Sentent. dist. 15. q. 1. art. 1. q. 2. in corp.* Væ confessarii, qui indiscretè tam leves poenitentias imponunt iis, qui plurium gravium peccatorum rei sunt, possentque exequi severiores. Grandia peccata grandem quoque exigunt satisfactionem, neque ignavia vel ignorantia confessarii potest circa hoc excusare poenitentem. Adeoque *Irenaeus*, si vult evitare poenas suis peccatis debitas, obligatur coram Deo supplere levitatem suae poenitentiae per alia opera satisfactoria aliquo modo proportionata enormitati & multitudini suorum criminum. Vide S. *Augustin. serm. 351. in fin. aliis Homil. ult. inter 50. num. 10.* Confessarius injuncturus congruam poenitentiam debet attendere ad aetatem, sexum, qualitatem, facultates, vires, aliasque circumstantias poenitentis; debet considerare, poenitentiam debere esse talem, ut per eam non tantum puniantur peccata praeterita, sed ut praeservet etiam a relapsu. Tandem, generaliter loquendo, congrua poenitentia debet consistere in operibus, quae sint contraria peccatis, de quibus se accusavit poenitens, uti docet S. *Carolus Borromeus 4. part. de Instruct. Confessar.*

CASUS III. Verano presbytero in confessione pro poenitentia fuit imperatum, ut recitet horas Canonicas; satisfactio huic praecipio Sacramentalis poenitentiae recitando horas cum socio, sicut revera satisfaceret quotidianum pensum Breviarii persolvendo?

R. Verum est, quod satisfiat obligationi horarum Canonicarum recitando

easdem cum socio, haec enim est praxis antiqua & Universalis Ecclesiae; sed videtur quod praxis haec non possit habere locum, quando horae Canonicae fuerunt injunctae pro poenitentia: tunc enim recitans gerit personam rei, qui orat pro seipso privato nomine, & oratione sua pro seipso tantum justitiae divinae satisfacit, & neutiquam nomine Ecclesiae; & aliunde etiam minus laboraret recitando cum socio, non est autem praesumendum quod confessarius intenderit ipsum sublevare aliqua parte imperati laboris ac conatus. Adeoque veranus horas Canonicas tenetur recitare solus. *Pontas.*

CASUS IV. Onuphrius presbyter audivit confessionem Nicasii accusantis se, quod non persolverit poenitentiam in ultima confessione sibi injunctam, licet justam, competentem, & gravitati suorum peccatorum proportionatam, ac proin rogantis, ut in aliam commutetur, quam fideliter & absque dilatione excuturum se spondet. Potestne Onuphrius mutare hanc Nicasii poenitentiam?

R. Sacerdos hic debet meminisse, quod juxta *tridentinum sess. 14. de Reformat. cap. 5.* Sacerdos non possit in tribunali poenitentiae exercere suum iudicium sine praevia cognitione causae, simulque teneatur observare aequitatem in poenitentis imponendis; oportet ergo, ut Onuphrius saltem in genere sciat peccata, propter quae poenitentia illa injuncta fuit. Debet deinde ponderare rationes, à Nicasio pro mutatione allegatas; si rationes haec fuerint justae, simulque persuasus sit novam poenitentiam futuram ipsi utiliore, poterit praescribere aliam, proportionatam amen peccatis, propter quae prima fuit imposita. S. *Raymund. de Pennafort in Sum. l. 3. tit. 84. §. 65.*

CASUS V. Sedulius confessione apud suum parochum deposita, acceptavit pro poenitentia jejunium singulis feriis sextis per sex menses continuandum. Interim verò uno mense elapsò ex morbo decumbit, cumque ad ipsum inviscendum venisset

set parochus, rogat ut priorem poenitentiam sibi mutet in eleemosynam 20. crucigerorum hebdomadatim in pauperes erogandorum. Poterátne parochus hanc mutationem facere extra tribunal poenitentiae?

R. Videtur, parochum non potuisse sic procedere salvis pastoralis officii obligationibus; si enim habuisset legitimam causam in hanc mutationem consentiendi, potuisset & debuisset hoc facere audiendo de novo confessionem Sedulii; Imponere poenitentiam, vel mutare jam injunctam est actus Jurisdictionis internae Sacramentalis poenitentiae, quam sacerdos nullibi nisi in ipso tribunali poenitentiae potest exercere. *Cabassut. lib. 3. c. 24. n. 2.*

CASUS VI. Juliae dispensatae in voto simplici virginitatis vel Religionis in Confessione Sacramentali fuit injunctum pro poenitentia in executionem Brevis Apostolici, ut quotidie quoad vixerit recitet Officium parvum B. Virginis sub poena peccati mortalis, licet de hoc nullam Breve Pontificium mentionem fecerit; potestne sibi apud alium Confessarium procurare mutationem hujus poenitentiae?

R. Juxta *Ste Beuve tom. 3. cas. 28.* Poenitentia haec non est pura pura poenitentia Sacramentalis, sed est commutatio voti facta à Confessario vi potestatis eidem qua delegato Pontificis concessa; adeoque Julia non potest liberari ab onere hujus poenitentiae nisi Auctoritate Apostolica.

CASUS VII. Eusebio imperavit Confessarius ut in satisfactionem peccatorum per integrum annum singulis feriis sextis dicat quinquies *Pater & Ave*; verum Eusebius judicans poenitentiam hanc esse nimis levem, nec inveniens ulterius hunc confessarium, putavit seipsum posse immutare hanc poenitentiam. Igitur praescribit sibi met jejunia, quae religiose observat, psalmosque poenitentiales praedictis diebus per integrum annum recitat. Estne solutus coram Deo ab onere poenitentiae sibi à confessario praecipitae?

R. Mutatio haec licet severior, non liberat ipsum à poenitentia in confessione imposita; nihil quippe propria sua Auctoritate potuit immutare, cum indispensabiliter teneatur implere poenitentiam sui confessarii. *Nec in causa sua potest quis esse Judex, ait Glossa in can. de occidendis §. 23. q. 5. v. Pro se, & in cap. ad audientiam 34. de Appellationibus &c.*

CASUS VIII. *Rollandus Diaconus & Beneficiatus* in Festo S. Joannis Evangelistae & circumcisionis Domini omisit recitare suum Breviarium. Ut ergo imposterum eò reddatur exactior, ejusque negligentia magis puniatur, debetne confessarius ipsi praecipere, ut praeter officium eo die quo confessus est occurrens, duo etiam illa omissa officia recitet?

R. In recitatione officii debemus sequi praescriptum ordinem & consuetudinem Ecclesiae jubentis ut pro diversis temporibus & locis, in quibus moramur diversa etiam sit psalmodia. S. *Thomas quolib. 3. q. 15. art. 29.* adeoque Confessarius non potuit injungere praefatam poenitentiam.

CASUS IX. *Aemilianus presbyter* audita confessione Quintini cujus vita erat depravatissima, & nimis scandalosa per continuum decennium, pro poenitentia ipsi injunxit, ut ingrediatur ordinem Religiosum, quam poenitentiam cum summa animi repugnantia acceptavit Quintinus. Potuitne Confessarius talem injungere poenitentiam?

R. S. Thomas in 4. *dist. 10. in exposit. textus* observat quosdam antiquos Canones mentionem facere talis poenitentiae, ex quo videtur auctoritatem aliquam habere. Interim tamen subjungit S. Doctor Canones illos esse potius intelligendos de Consilio quam de praecipio; cumque ingressus Religiosis debeat esse voluntarius, confessarius eundem nunquam debet injungere poenitentibus à tali statu ac poenitentia abhorrentibus.

CASUS X. *Thyrso pro confessione Sacramentali* in peccatorum suorum satisfactio-

tionem fuit injunctum, ut quotidie per mensē dicat Litanias de Nomine JESU, B. Virgine & de omnibus Sanctis; sed reputans se peccatorem maximum & indignum, qui à Deo exaudiatur, rogavit quemdam Religiosum opinione sanctitatis celebrem, ut pro se ac suo nomine poenitentiam hanc exequatur. Estne liberatus ab onere impositæ sibi poenitentiae per acceptationem & adimpletionem hujus Religiosi?

R. Obligatio satisfactionis Sacramentalis est strictè personalis, sicut obligationes aliorum actuum poenitentis, uti Tridentinum docet *Sess. 24. cap. 3.* & ideo Thyrsus non est liberatus ab injuncta sibi satisfactione; & si Confessarius consentiret ut per alium ipsam expleret, teneretur injungere aliud opus satisfactorium ab ipso poenitente implendum. *Cabassut. lib. 3. cap. 14. n. 3.*

CASUS XI. *Emporius* Sacerdoti poenitenti suo nullam aliam imposuit poenitentiam, quam ut in satisfactionem suorum peccatorum Deo offerat Officium divinum, quod illo ipso confessionis die tenebatur recitare. Sufficitne talis poenitentia?

R. Sunt, qui tuentur, poenitentiam hanc sufficere; alii verò quòd non. Posterior hæc opinio est securior in praxi, & verior, ac proin in hac materia necessariò tenenda. Et revera non potest dici poenitentia satisfactoria opus, ad quod jam aliunde generali lege Ecclesiae indispensabiliter obligamur. *Paludan. in 4. Sentent. dist. 15. §. 1. art. 3.*

CASUS XII. *Alanus* confessarius Antonio suo poenitenti id solum pro poenitentia injunxit, ut patienter ferat, Deoque in expiationem suorum peccatorum offerat magnas afflictiones, quæ ipsi haud ita pridem acciderunt, vel acerbissimos dolores, quibus cruciatur. Estne talis poenitentia habenda pro satisfactione legitima respectu hominis, qui non commisit peccata supra modum gravia?

R. Jux-

R. Juxta Doctrinam D. Thomæ *in 4. dist. 52. q. 1. ad 4. q. 4. in corp. & ibid. ad 1.* talis poenitentia potest haberi pro legitima; licet enim mala à Deo nobis immissa, absolutè loquendo non sint in potestate nostra, sunt tamen in potestate nostra, inquantum possumus per auxilium gratiæ eadem acceptare in satisfactionem nostrorum peccatorum atque hoc spiritu Deo offerre.

NOTA. Sentio oppositum; quia non potest injungi opus jam aliunde lege naturali vel divina præceptum, quale est poenitentia in adversis.

CASUS XIII. Hannibali in Confessione fuit injunctum, ut per tres menses singulis Dominicis, Festisque diebus, dicat psalmos poenitentiales; quam quidem poenitentiam fideliter executus est, sed sub missæ sacrificio ad quod audiendum ex præcepto tenebatur. Satisfecitne sua poenitentia coram Deo?

R. *Sylvius in supplem. 3. part. S. Thomæ q. 15. art. 1. quæst. unic. conclus. 1.* putat hominem hunc verè satisfecisse suæ poenitentia. Credimus tamen, quod melius fecisset & pro sua conscientia securius, si alio quovis tempore illam adimplevisset.

CASUS XIV. *Uranio* confesso peccata sua, quæ reipsa non erant multum gravia, Confessarius voluit imponere poenitentiam nimis rigorosam & diuturnam. Potuitne turâ conscientia ab eadem acceptanda se excusare?

R. Judicamus *Uranium* salvâ conscientia non potuisse recusare poenitentiam maturam, uti supponendum, confessarii deliberatione sibi impositam. Non pertinet ad poenitentem de semetipso judicium ferre: Judex ipsius est confessarius & talis quidem Judex, qui non debet ipsi esse suspectus. Interim tamen non est auferenda poenitenti libertas monendi cum ea, qua decet, reverentiâ de nimio rigore aut diuturnitate injunctæ poenitentia, vel de difficultatibus in ejusdem execu-

cui

cutione occurreris. Quòd si omnibus his non obstantibus Confessarius persistet in sua sententia, dico poenitentem debere humiliter acquiescere. *Pontas.*

CASUS XV. *Marianus* Paschali tempore confessus fornicationis peccatum semel à se commissum, post injunctam competentem poenitentiam fuit absolutus; post sex menses in idem crimen relapsus cum alia persona, iterum, & cum eadem poenitentia fuit absolutus. Satisfecitne obligationi suæ Confessarius?

R. *Æstimo*, quòd non debuerit absolute *Marianum* secunda vice, & quòd debuerit ipsi negare absolutionem, ut hac sua dilatione experiretur, an sincerus fuerit ipsius dolor. Tametsi enim hæc sint duo peccata ejusdem speciei; certum tamen est, quòd secundum peccatum *Marianum* longè magis coram Deo reum constituat quàm primum, propter relapsum: & propterea illa secunda vice debuisse ipsi imponere rigidiorē poenitentiam.

NOTA. Hæc dilatio absolutionis solum ex motivo tentandi sinceritatem doloris est Quænellistis propria, ac proin abominanda. Aliud dicendum foret, si poenitens non observasset poenitentias injunctas, aut remedia præscripta, aut si non vitasset occasiones proximas à Confessario interdictas.

CASUS XVI. *Adrianus* expositis in confessione pluribus peccatis mortalibus acceptavit impositam sibi poenitentiam, quam tamen prius non est executus quam post relapsum in aliud peccatum mortale. Teneturne repetere suam poenitentiam?

R. Potest homo esse in peccato *vel actu, vel affectu, vel habitu, seu reatu & macula*, uti scholæ loquuntur. Dicitur quis esse *actu* in peccato, dum illud actu committit: *affectu*, dum illud in corde fovet; *in culpa*, quando dispositus quidem est ad conversionem, nondum tamen peccati sui remissionem obtinuit. His sup ostis, quando *Adrianus* fuit in peccato *actu vel habitu, seu affectu* eo tempore, quo adimplevit suam poenitentiam, tenetur illam *Diction., Cas. Consc.*

repetere. *Supplem. S. Thom. q. 24. art. 2.* Quòd si vero ante inchoatam poenitentiam sincerum conceperit dolorem de peccato, in quod relapsus est, fueritque verè ad conversionem & vitæ emendationem dispositus, non tenetur reiterare. *Pontas.*

CASUS XVII. Ecclesia multum remittit de antiquo suo rigore in poenitentiis imponendis. Potestne Confessarius quin desit obligationibus officii sui injungere poenitentiam tantum secretam, attamen severam peccatori, qui complura peccata publica & scandalosa confessus est?

R. Cum *Concilium Tridentinum Sess. 24. c. 8. de Reform.* antiquam disciplinam pristino suo vigori restituerit, non potest simplex confessarius privata sua Auctoritate peccatores publicos & scandalosos eximere à poenitentia publica. Soli Episcopo potestas hæc competit. Interim licet confessarius teneatur imponere talem poenitentiam publicam, debet nihilominus consulere Episcopum, qui doceat, an in hoc vel illo particulari casu consultum sit eandem præcipere. *Pontas.*

Vide *Absolutio. Confessio. Confessarius 1. Casu 3. & 10. Jubilæum.*

POENITENTIARIUS.

Poenitentiarius hodie est Sacerdos ille in Ecclesia Cathedrali ab Episcopo constitutus pro peccatis, quorum absolutionem vel ipsemet vel antecessores Episcopi sibi reservarunt. Origo Poenitentiarii in Ecclesia Occidentali refertur ad annum 1215. sub Innocentio III. Tam Poenitentiarii quàm Scholastici officium fuit introductum à Papa ad sublevandos Episcopos in exercitio Confessionum audiendarum, & Prædicationis, fuitque munus Poenitentiarii confirmatum in *Conc. Trident. Sess. 14. Can. 7. de Sacrament. Penit.* Ex sequenti primo casu intelligetur, quænam sit ipsius Jurisdictio, & num ordinaria sit vel delegata tantum?

CASUS I. Nicostratus Poenitentiarius præbendatus in Ecclesia Cathedrali Vasa-

D d d d d t e n t i

tenſi favens cauſæ Capituli contra Epiſcopum hujus odium incurrit; ab eodem ergo prohibetur abſolvere à Caſibus reſervatis. præſtat e contra Nicoſtratus Epiſcopo nullam hoc prohibendi poteſtatem competere, & pergit abſolvere. Potèſtne id facere validè ac licitè?

R. Ad reſolvendam hanc difficultatem priùs ſciri debet, an Pœnitentiarius habeat vel non habeat Jurisdictionem *Ordinariam* annexam à Jure dignitati ſuæ, atque independentem ab Epiſcopo. Si talem habeat; non poteſt eandem auferre illi Epiſcopus abſque cauſa, & prævia cauſæ hujus judiciali cognitione per proceſſum cum debitis formalitatibus contra illum inſtructum. Juxta FAGNANUM *in cap. grave 29. de Præbend. & Dignitat. n. 10. & 11. Lib. 3. Decretal. tit. 5.* Pœnitentiarius habet Jurisdictionem Ordinariam. Nos tamen putamus; Canonistæ hujus ſententiam ſuis premi difficultatibus, imo è contrario ſentimus Pœnitentiarium etiam titularem non habere jurisdictionem ordinariam quoad caſus Epiſcopo reſervatos, ſed Jurisdictionem tantum taliter ab Epiſcopo dependentem, ut non poſſit validè abſolvere nedum à peccatis reſervatis, ſed nec à non reſervatis, abſque licentia. *Papa & Epiſcopus ſuos Pœnitentiariorum committunt* inquit *D. Thomas in 4. diſt. 17. q. 3. art. 2. in corp.* Ergo Nicoſtratus nec validè nec licitè poſt prohibitionem Epiſcopi poteſt abſolvere pœnitentes, qui ob peccata reſervata ad ipſum accedunt, *Pontas.*

CASUS II. Poſito quòd *Nicoſtratus* quæ Pœnitentiarius habeat quoad caſus Epiſcopo reſervatos Jurisdictionem *delegatam* tantum, videtur quòd conſequenter non poſſit poteſtatem ſuam abſolvendi ſubdelegare aliis Confeſſariis, juxta principium Juris: *Delegatus delegare non poteſt.* Potèſtne ergo tam licitè quam validè delegare, quando Epiſcopus id expreſſè non prohibuit?

R. Pœnitentiarius hic & licitè & validè poteſtatem ſuam abſolvendi à refer-

vatis poteſt communicare aliis, licèt Jurisdictione ipſius tantum ſit delegata. Citatum principium Juris intelligendum tantum eſt de Delegatione totali & Generali. *Navarrus in Manual. c. 27. n. 45.*

CASUS III. *Cyrus* Major Pœnitentiarius & Canonicus Oleronenſis plerumque audit confeſſiones tempore Miſſæ & Horarum Canonicarum. Eſtne habendus ut præſens in ordine ad lucrandas diſtributiones quotidianas?

R. In *Tridentino Seſſ. 24. cap. 8. de Reform.* Habetur expreſſè deciſum, quòd pœnitentiarius ſit habendus ut præſens in choro, quando actu exercet ſuum miniſterium; & addidit *S. Congregatio* Concilii interpres, quòd ſit reputandus præſente tunc etiam, quando vocatur extra Eccleſiam ad audiendas confeſſiones ægrorum, vel quando Canonici circa ſepulturam mortui occupantur. *Fagnanus in cap. licet 38. de Præbendis n. 170. & ſeqq.*

CASUS IV. *Fulbertus* Eccleſiæ Veronenſis Pœnitentiarius defuncto licèt ſuo Epiſcopo ſemper tamen ut aliàs abſolvit à Caſibus reſervatis. Sùntne validæ ipſius abſolutiones?

R. Verum eſt, quòd ſi de jurisdictione *Contentioſa* ſermo ſit, poteſtas delegati totaliter & abſolutè ceſſet *re ad huc integra* per mortem delegantis; attamen *in foro gratioſo* poteſtas hæc ſemper adhuc ſubſiſtit, donec à Superiore delegante vel ab hujus ſucceſſore fuerit revocata. Et inde eſt, ut Pœnitentiarium Papæ, etiam hoc mortuo continuent ſuum miniſterium. *Clemens V. in Clement. N. Romani 2. §. De Elect.* Et alii etiam Confeſſarii ab Epiſcopo approbati pergunt in exercitio ſui miniſterii poſt ipſius mortem uſque dum ab Epiſcopo ſucceſſore facultates fuerint revocatæ. *Bail. de Triplici exam part. 3. q. 19. pag. 191.*

POLLUTIO.

1. Definitor Pollutio quod ſit: *Voluntaria ſeminis reſolutio facta extra copulam car-*

carnelem. Peccatum hoc ſemper eſt mortale, quando eſt voluntarium in ſe vel in cauſa culpabili, ex quocunque demum motivo cauſetur. Si verò alterutro diſtorum modorum non fuerit voluntarium, nullum coram Deo contrahitur peccatum.

2. Imperfectio etiam actus voluntatis, vel cauſæ Levitas, pariter, licet raro admodum, pollutionem venialiter tantum peccaminofam reddere poſſunt.

CASUS I. Peccantne, qui fluxum feminis, aut humoris ſeminis ſimilitudinem referentis, inviti patiuntur?

R. Quæſtionem ſolvit *D. Thomas 3. part. Summæ q. 80. art. 7.* dicens: *Cauſa corporalis pollutionis quondam eſt ſine peccato, puta cum eſt ex infirmitate naturæ.* Et alibi: *quòd illius humoris effuſio non eſt pollutio.*

NOTA Reſolutio humoris ſine commotione ſpirituum genitalium non eſt quidem ſemen, ſed vehiculum ſeminis; ſi tamen ſtudioſè cauſetur, id fieri nequit ſine periculo pollutionis, ac proin ſine peccato.

CASUS II. Pollutio, quæ inter dormiendum accidit, eſtne peccatum?

R. Idem Angelicus Doctor *in 4. diſt. 9. 1. art. 4. q. 1. in corp.* hujusce quæſtionis dat ſolutionem: dicit enim: *Omne peccatum ſecundum Auguſtinum eſt in voluntate, motus autem voluntatis præſupponit judicium rationis, eoque eſt apparentis boni vel verè vel falſè: unde ubi non poteſt eſſe judicium rationis, non poteſt eſſe voluntatis motus, in ſomnis autem judicium rationis impeditur &c.* Patet ex his *D. Thomæ* verbis; pollutionem ſecundum ſe conſideratam, quæ dormientibus accidit, non eſt peccatum.

NOTA. Hoc verum eſt, niſi quis earum pollutionum, quæ in ſomno fiunt, in vigilia cauſam dederit, v.g. abſque neceſſitate videndo, cogitando, legendo, vel loquendo obſcena.

CASUS III. Pollutio, quæ incipit in ſomno, finitur autem in Vigilia, eſtne peccatum mortale?

R. Juxta *D. Thomam in 4. diſt. 9. q. 1. art. 4. q. 1. ad 5.* hoc in caſu pollutio ſe-

cundum ſe conſiderata non eſt peccatum mortale. Sed evigilans non ſolum poteſt peccare venialiter, quando non reſiſtendo carnis delectationi conſenſum præbet, ſed & mortaliter, ſi plena adſit deliberatio.

Vide *Communio, Caſu 2. Eccleſia, Caſu 15.*

POSSESSIO.

1. Vocabulum hoc *poſſeſſio* poteſt intelligi vel de rebus profanis, vel de materiis Beneficialibus.

In primo ſenſu eſt poſſeſſio detentio alicujus rei, quam Dominus, vel ille, qui talem ſecum fundamento reputat, in propria poteſtate habet, vel in alterius, per quem illam poſſidet; atque in hoc ſenſu accipitur definitio hæc: *poſſeſſio eſt actus, juſve detentionis rei.*

2. Per vocem *detentio* designatur detentio fundata in jure proprietatis vero vel præſumpto; & ſic uſurpator vel fur non ſunt veri poſſeſſores; uno tamen neceſſarium eſt, ut poſſeſſor rem poſſeſſam ipſis oculis præſentem habeat, vel etiam manibus teneat, cum per ſolam ſuam intentionem poſſeſſionem conſervare poſſit.

3. Quando dicitur, quòd poſſeſſio ſit *detentio alicujus rei*, intelligitur res corporalis, uti ager, domus &c., vel incorporalis uti ſervitus, Beneficium, Jus forenſe in exercitio juſtitie, Jus molendini, furni, Jus vectigalium &c. vel alterius rei ſeu mobilis ſeu immobilis.

4. Dicitur ulterius, *in propria vel alterius poteſtate*, quia pupillus & minorenis poſſunt poſſidere mediante tutore & curatore, & quævis alia perſona poteſt poſſeſſionem exercere per procuratorem, Depositarium vel colonum.

5. Dicitur tandem: *Dominus, vel ille, qui talem ſecum fundamento reputat*, quia licèt poſſeſſio taliter cohæreat cum proprietate, ut inde non debeat ſeparari, una nihilominus poteſt eſſe ſine altera; quando enim duo litigant de proprietate ejusdem rei, & unus ſolus eſt in poſſeſſione, fieri

fieri potest, ut possessor illius non habeat proprietatem.

6. Qui acquirit proprietatem rei, simul ejusdem acquirit possessionem, vel ejusdem aquirendæ, si forte amisit, recuperandæ jus habet.

7. Detentio realis sola operatur possessionem realem & actualem eorum, quæ habentur titulo emptionis, donationis, permutationis &c.

8. Ut quis fiat possessor legitimus, requiritur *modo* causa iusta: *2do*. Ut habeat intentionem possidendi tanquam proprietarius, verum intentio hæc intelligenda tantum est de solo possessore bonæ fidei. *3tio* Detentio rei in sensu supra explicato.

9. Qui acquisivit proprietatem rei per emptionem, donationem &c. ejusdem aliter fieri nequit possessor nisi per actualem traditionem; quæ si negetur, recurrendum est ad auctoritatem Judicis.

10. Dantur plures res, quarum possessio acquiritur per traditionem tantum tacitam, vel per simplicem declarationem, aut cessionem proprietarii absque alia formalitate.

11. Potest quis arripere possessionem, vel eadem se abdicare per se ipsum vel per Procuratorem.

12. Possessio rerum mobilium amittitur per traditionem actualem, quando quis cessat habere intentionem possidendi rem, & quando derelinquitur primo occupanti, vel dum alio modo eandem habere vel servare negligit. Item quando alius pacificè & nemine contradicente per annum integrum rem possedit, salvo jure restitutionis in integrum.

13. Primus effectus possessionis est, quod tribuat possessori jus de possessa tanquam de proprio disponendi, cum proprietas sit inseparabilis à justa possessione. Imo possessio in pluribus casibus producit proprietatem, sicut in præscriptione.

14. *Possessio* accepta in secundo sensu, sumitur pro installatione Beneficiati, & consistit in ceremoniis in Jure Canonico præscriptis, vel communiter in Ecclesia usitatis.

15. Dividitur *possessio* hæc in *Annalem* & *triennemalem*. Triennalis cuius Beneficiato est instar tituli; modo fundetur in aliquo titulo saltem colorato; Qui verò obtinuit Beneficium per simoniam voluntariam, intrusionem vel inhabilitatem, frustra se tuetur hac triennali imo etiam alia multò longiore possessione.

16. Omnis usufructus in Beneficiis est valida, sive fiat in propria persona, sive per procuratorem in prævia aliqua procuratione fundatum; ne verò Beneficiatus pro casu, quo Regalia haberet locum, turbetur & elidatur à Regalista, necesse est, ut per semetipsum possessionem capiat.

17. Nullus potest frui redditibus Beneficii nisi post adeptam & initam possessione vi provisionum & Literarum expeditionalium.

18. Possessio in primo sensu sumpta dividitur in *possessionem Juris* & *possessionem facti*, in *possessionem bonæ* & *possessionem malæ fidei*, in *justam* & *injustam*, in *coloratam* & *non coloratam*, in *naturalem* & *civilem*.

19. Possessio JURIS definitur quòd sit; *Jus insistendi rei tanquam sua non prohibita possideri*. Possessio FACTI, quòd sit *occupatio rei adminiculo corporis, animi & Juris*. Possessio BONÆ FIDEI: *occupatio rei fundata in prudenti iudicio mentis, quòd res sua sit*. JUSTA: *Possessio rei fundata in titulo legitimo*. COLORATA: *fundata in titulo verisimili*. NATURALIS: *occupatio rei adminiculo corporis & animi*. CIVILIS: *Adminiculo solius animi*.

20. Quando possessio est immemorialis nullo indiget titulo. Quando possessor per annum integrum fuit in pacifica possessione rei, postmodum verò ab alio in hæc sua possessione turbatur, habet tunc actionem, quæ latinè reddi potest: *Querela de jam adæpta & modò turbata possessione* & ferre coincidit cum *Interdicto unde vi* in Jure Romano celebri. Effectus hujus actionis vel querelæ est, quòd per ipsam Judex tutam illi præstet possessionem usque

usque ad finem litis, etiam contra verum proprietarium; & in hoc consuetudo Gallicæ est contraria Juri Romano.

21. Possessor boni temporalis non tenetur in foro civili docere ac probare titulum suæ possessionis; & si quando super hac ipsi moveretur controversia, admitteretur ad probationem per testes faciendam. Secus se res habet in possessore Beneficii, huic nempe non potest asseri possessio absque titulo, & aliis qualitatibus ad possidendum requisitis.

22. Possessio bonæ fidei potest producere legitimam præscriptionem post lapsum temporis à legibus vel consuetudine definiti. Vide *Præscriptio*.

23. Dejectus ex possessione per vim, cessavit quidem rem illam possidere *defacto*; conceditur tamen ipsi annus & dies ad intentandam actionem pro *in integrum restitutione*, & hæc actio locum habet etiam contra ipsum proprietarium, licet promittat, probaturum se in continenti jus proprietatis quòd præten dit.

CASUS I. *Victor* jam à sexennio possidet Prioratum vi tituli, qui re ipsa nullus est propter simoniam ex ignorantia commissam, quod non ita pridem ipsi innotuit; vel cujus nullitas ex alio quodam defectu provenit. Estne ex vi solius triennalis pacificæ possessionis securus in conscientia?

R. Juxta sententiam tutiorem possessio hæc, imò multò longior etiam, ipsum non poterit securum reddere in conscientia, quando titulus est nullus ratione simoniæ utit involuntariæ. Adeoque *Victor* non tantum tenetur dimittere suum Beneficium, cujus titulus planè nullus est, sed ne quidem illud retinere potest sub prætextu triennalis possessionis. Si verò ipsius titulus non sit nullus ob simoniam vel intrusionem, possessio hæc, & à fortiori adhuc longior sanat quidquid potest esse vitiosum in ipsius provisionibus. *Pontas*.

NOTA. Hæc nullitas solum procedit pro foro externo, in quo præsumitur ignorantia crassa vincibilis.

Vide *Simonia, Casu Victorius 38*.

CASUS II. *Polychronius* vitio natalium laborans possidet Beneficium per triennium & ultra cum titulo colorato, provivus utpote in Curia *per obitum*. Si quando à quopiam turbaret, in possessione, possetne se defendere per exceptionem possessionis triennalis.

R. Non videtur verisimile, quòd regula *de triennali possessione* spuriam possit sanare ab hoc defectu ipsi connato. *Garceus de Beneficiis 7. part. c. 3. n. 88*. Et aliunde etiam *Polychronius* est possessor malæ fidei; sciebat enim, vel saltem debebat scire, spurios esse inhabiles ad possidendum quodcumque Beneficium, & necessariò requiri dispensationem Papæ.

NOTA. Hæc iterum tantum procedunt in foro externo. Vide *Cas. 1*.

CASUS III. *Georgius* Religiosus professus provisione in Curia impetrata adeptus Prioratum sæcularem S. Joannis eundem pacificè tenuit ultra triennium. *Ludovicus* certior factus Beneficium hoc esse sæculare, provisionem sibi procuravit ab Ordinario, penes quem jus conferendi erat, litèrque super possessione Gregorio movit. Potuitne hoc facere in conscientia? & *Gregorius* potestne absque injuria tueri jus suum?

R. *Ludovicus* potest citra ullam injuriam impugnare possessionem *Gregorii* qui nullum omnino jus habet in hunc Prioratum sæcularem. Possessio quantumvis diuturna non potest immutare statum & incompatibilitatem alicujus Beneficii. *Cassut. lib. 2. cap. 20. n. 14*.

Idem dicendum de quovis alio Beneficio *sæculari*, nisi, ut ait Bonifac. VIII., status Beneficii fuerit mutatus per legitimam præscriptionem, quæ debet esse 40. annorum. *Pontas*.

NOTA. Ab hac regula excipiendi Canonici Regulares Capaces beneficiorum sæcularium. Vide *Tit. Beneficium, Cas. 13*.

CASUS IV. *Uranus* provisus Canonatu in Cathedrali Vassonensi pro possessione adipiscenda præsentavit se Capitulo. Responsum ipsi fuit; quòd tepearur antea

solvere 200. francos pro sacristia vi statuti ejusdam à Capitulo Cathedrali olim conditi. Conqueritur injustam esse hujusmodi impositionem, nullamque Capitulo competere potestatem eandem imperandi & obtrudendi invitis; persolvit tamen, & sic tandem missus in possessionem & installatus fuit. Quæritur jam; An Uranius per hoc commiserit Simoniam, sive dein Canonici summam hanc impendant in bonum Sacristiæ, sive in proprium lucrum convertant? An absque Simonia Capitulum possit condere tale statutum? An Uranius cum invitis & gemens solverit, jure possit obligare capitulum ad restituendam summam?

R. Quando Uranius dictam summam solvit in privatam utilitatem Canonico- rum, sciens hos non ex alio fine illam exigere, quam ut inter se dividerent postmodum, veram commisit simoniam; sicut & ipsi Canonici: nulla autem committitur simonia, si petita summa sit destinata in utilitatem & necessitates Ecclesiæ. Potuit certè capitulum ad similes fines statutum condere, nec jure Uranius restitutionem 200 francorum exigere potest. *Ste Beuve tom. 2. cas. 62.*

CASUS V. *Genebaldus* hucusque optimè valens resignavit præbendam suam in Curia Romana *Juvenali*; qui videns *Genebaldum* periculoso morbo subito afflictum, possessionem Beneficii arripuit sine prævia installatione, nec petita ut mos fert, à Capitulo receptione in fratrem. Paucos post dies pristinae sanitati redditur *Genebaldus*, eique ex mera animi generositate *Juvenalis* permittit pristinam possessionem fructuum sui Beneficii, adeo ut etiam *Vulcano* tradiderit provisiones, & instrumentum captæ à se possessionis. Cum hæc ante biennium contigerint, potestne *Genebaldus* absque conscientie scrupulo ulterius posthac frui suo Canonice, quin opus sit ut *Juvenalis* in ipsius favorem faciat formalem cessionem? potestne Episcopus reintroducere *Genebaldum* in Beneficium verbaliter tantum & absque

ulla alia formalitate ob solam declarationem *Juvenalis* testantis, se eundem restituere in omnia jura, quæ ad Beneficium vel in Beneficio habuerat. Opusne est denique, ut *Genebaldus* impetret ex Curia condonationem fructuum durante biennio perceptorum?

R. Quando usucapio possessionis ex parte *Juvenalis* fuit verè Canonice, *Genebaldus* non potuit securâ conscientia frui Canonice à se resignato, utpote quem per intrusionem possideret, nec etiam posset de novo provideri ab Episcopo, nisi præviè fuisset rehabilitatus, in quo casu necessarium foret, ut ex Curia Romana impetraret condonationem fructuum hæcenus perceptorum, & nondum consumptorum, præsertim si redditus Beneficii essent valde notabiles ac pingues: si verò usucapio ponatur esse invalida, uti reverà est in præsentis casu potest *Genebaldus* sine scrupulo continuare possessionem sui Canonice, ejusdemque fructus percipere absque alia nova formalitate. *Ste Beuve tom. 2. casu 204.*

CASUS VI. *Gaibertus* parochus, gravi morbo decumbens resignavit purè ac simpliciter suum Beneficium *Felici* nepoti suo; hic certò sciens, illud sibi à collatore concedendum esse, resignationem hanc transmittit ad *Joannem* fratrem suum eodem mandans præterea, ut & collationem & simul procurationem cum debita forma obtineat à collatore, ad effectum possessionis capiendæ. Hæc omnia obtinet *Joannes* & possessionem inquit; an etiam validè?

R. Procuratio ad effectum possessionis in Beneficio cupiendæ debet esse posterior die datarum provisionum; adeoque usucapio *Joannis* nomine fratris sui nulla est. *Idem tom. 2. casu 204.*

CASUS VII. *Sabinianus* qui absque titulo bona fide possidet fundum, vel aliud quidpiam de quo licitè contractus iniit valent, turbatur in sua possessione à tertio. Estne asserenda ipsi possessio contra turbatorem, qui & ipse titulo destituitur?

R. Justè possidet. Leges supponunt, possessorem bonæ fidei esse verum proprietarium rei possessæ: adeoque debet ipsi asseri possessio, donec adversarius probaverit ex aliquo titulo, solum & verum se esse proprietarium.

At verò longè aliter discurrendum est de rebus, quæ sunt extra commercium humanum, qualia sunt bona alicujus Beneficii Ecclesiastici: in hoc namque casu, *Sabinianus* si quod possideret, non foret defendendus in sua possessione sine justo titulo. *Pontas.*

CASUS VIII. *Sylvius* succedens in bona defuncti patris, inter fundos hereditario jure in se translato deprehendit etiam jugerum vineæ, quod pater ipsius bona fide possederat, reverà autem proprietatis jure ad *Lucium* pertinebat. Pergit eadem bona fide illud possidere per solidum triennium, quo elapso evincitur à *Lucio*, qui lite finita petiit etiam restitutionem fructuum intra triennium hoc perceptorum. Teneturne *Sylvius* ad eorum restitutionem?

R. Est certum principium Juris, quod possessor bonæ fidei proprietatem habeat fructuum omnium ex rebus à se possessis quomodocunque provenientes. *leg. Bonæ fidei. 8. ff. de aquirendo rerum dominio l. 41. t. 1.* adeoque *Sylvius* non tenetur ad restitutionem fructuum ex jugero præactæ vineæ perceptorum, usque in diem, quo possessio per petitionem eorum judice factam fuerit interrupta.

PRÆCEPTA ECCLESIAE.

CASUS. Daturne obligatio servandi præcepta Ecclesiæ?

R. Præcepta Ecclesiæ, utpote fundata in præceptis divinis obligant sub peccato mortali; & qui ea in materia gravi absque justa causa transgreditur, peccat mortaliter. Barbitonfores, pistores, alique opifices possunt in quibusdam casibus diebus Festis & Dominicis laborare. Episcopi possunt ac debent nimium numerum Fe-

storum minuere. Item possunt permittere populo, ut aliquibus diebus Festis, quos Episcopi retinendos duxerint, auditò Sacro labori vacet. *De Lamet. & Fromageau.*

PRÆDA EX HOSTIBUS PARTA.

CASUS. Naves publica Regis auctoritate in hostes armatæ, possuntne in bello justo in hostium naves irruere, easdem capere, & de earum spoliis ditescere?

R. Possunt. In his enim circumstantiis prædas ex hostibus agere non est contra charitatem, quidquid demum ipsis auferatur; nec tanquam furto ablata consideranda sunt, quæ hosti abripiuntur. *Fromageau.*

PRÆDICARE.

1. Prædicare idem est, ac publicè annuntiare fidelibus verbum Dei, eosdemque instruere in mysteriis Religionis & veritatibus evangelii. Inde derivantur voces *Prædicator* & *Prædicatio*.

2. Prædicator verè christianus solum Deum debet habere præ oculis. Ante omnia debet prædicare exemplo vitæ, & esse cautus in iis, quæ ex cathedra proponit; quin tamen enervat veritates Evangelicas, & Doctrinam moralem ex aggerando exasperet. Dotes ipsius debent esse humilitas, pura & recta intentio, vita exemplaris, frequens orationis exercitium, prudentia, & in rebus ritè discernendis ac ponderandis æquum judicium.

3. Parochus sive sæcularis, sive regularis semper habet jus in propria persona & in sua Ecclesia prædicandi verbum Dei præ quovis alio prædicatore vocato ab Ecclesiæ curatoribus, imo præ Theologo graduato Ecclesiæ illius Collegialis.

4. Ad prædicationis exercitium necessaria vel maximè est missio à legitimo Superiore obtenta, adeo, ut ne Religiosis qui-

quidem liceat extra sua monasteria prædicationis munus obire sine missione Episcopi, imo nec in propriis suis Ecclesiis absque ejusdem benedictione.

CASUS I. *Gratianus* presbyter & Doctor tamen valde idoneus ad prædicationis munus, eidem tamen non vult se impendere: peccatne per hanc omissionem?

R. Quando ad munus hoc non est obligatus ex vi sui ministerii & vocationis, non peccat. Si verò curam habeat animarum, peccati coram Deo reus erit. *S. Thomas 1. 2. q. 10. art. 12. ad 5.*

CASUS II. *Arnaldus* Doctor & eximius prædicator jactat ob solam Doctoratus prærogativam sibi jus prædicandi competere, quin ad hoc opus habeat licentiâ Episcopi. Habentne fundamentum ipsius præsentio?

R. Planè caret fundamento. Quanta quanta sit ipsius doctrina & eruditio, non tamen licet ipsi prædicationis officio fungi sine consensu Episcopi Diocæsani. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* ait *Apostolus ad Romanos.*

CASUS III. *Guillelaldus* doctissimus prædicator non rarè est in statu peccati mortalis, dum verba ad populum ex Cathedra facit; peccatne, ita ut etiam teneatur in tali casu à prædicatione abstinere?

R. Quando peccatum ipsius est publicum, nequaquam debet prædicare publice: si verò sit occultum, vel verè & ex animo dolet vel non? præsupposita sincera ad Deum conversione potest prædicare citra offensam Dei: dum verò cor ejus spiritu compunctionis & poenitentiae vacuum est, non potest prædicare quin magis in se provocet iram Numinis. *S. Thomas in hæc verba psalmi 49. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?*

CASUS IV. *Rogervius* celebris concionator & patrimonjo & Beneficio caret: prædicat ex eo præcipuè sine vel ut lu-

crum ex suis sermonibus aucupetur, vel ut applausus & æstimationem sui auditorii sibi conciliet: peccatne in utrovis casu, estne etiam alicujus simoniæ propterea reus?

R. Juxta *S. Gregorium Homil. 17. in Evang. item l. 19. Moral. in Job. c. 10.* Egregius ac genuinus prædicator non debet prædicatione fungi ideo præcise ut habeat unde subsistat, sed recipere solummodo quæ ipsi offeruntur vel dantur ad ipsius sustentationem, nec illa considerare, juxta *S. Thomam in 4. dist. 25. q. 2. ad 5.* tanquam mercedem aut pretium suorum sermonum. Insistendo ergo his principiis non potest excusari *Rogervius* à peccato, & quidem satis gravi.

CASUS V. *Adelphius* prædicator Missionarius concionatoris quadragesimalis officium exercet in quodam pago, vel Urbe, cujus omnes cives sunt publici usurarii; potestne ab iisdem acceptare elemosynas pro habitis concionibus sibi oblatas?

R. Quando exhortatur præfatos usurarios ad restitutionem omnium lucrorum, quæ ex infami hoc commercio sibi compararunt, nec etiam certus est omnia ipsorum bona hoc modo fuisse acquisita, potest sine scrupulo ab ipsis accipere, quæ ad suam sustentationem sibi offeruntur. Nec debet statim præsumere ipsos non habere alia bona quam usuraria. Possent etiam contingere quòd nulla habentes alia bona quam per usuras acquisita tenerentur ad restitutionem faciendam personis sibi prorsus ignotis, atque in tali casu ea, quæ concionatori darent per modum elemosynæ, haberentur pro parte restitutionis ab iisdem faciendæ. *S. Thom. quodlib. 12. art. 29. in corp.*

CASUS VI. *Gennadio* prædicatori Missionario, prædicanti in provincia quadam Galliæ contermina, imperatur à Principe ut posthac penitus à prædicatione abstinere, vel tumultuans populus

ejusdem se ministerio opponit: teneturne cessare propterea à prædicatione?

R. Quomodo major populi pars desiderat ipsum audire, prohibitio Principis neutiquam debet ipsum impedire à prædicatione verbi divini, cum talis prohibitio injusta sit & Tyrannica. Debet ergo pergere, simul tamen providè cavere, ne temere persecutionem sibi arceffat. *Idem quodlib. 12. art. 28. in corp.* Quòd si verò, subjungit *S. Doctor*, populus consentiat cum principe, ne prædicationis officium ultra continuet, violentiæ cedendum est; ac denique si ad prædicandum non obligatur ex officio, omnino non tenetur pergere.

CASUS VII. *Eleazarus* Religiosus mendicans cum permissione quidem Superioris sui regularis, sed contra expressam prohibitionem Episcopi Diocæsani prædicavit in Ecclesia sui conventus. Potestne ratione inobediendiæ hujus erga Episcopum suspendi à prædicatione, aut ab eodem alio modo puniri?

R. Sola permissio sui Superioris non potuit sufficere *Eleazaro* ad prædicandum in Ecclesia sui Conventus; peccavit certè hac sua inobediencia in Episcopum commissâ, & dignis pro demerito poenis castigandus est. *Concil. trident. sess. 5. cap. 2. de Reform.*

CASUS VIII. *Hubertus* Subdiaconus anhelat ad munus prædicandi. Estne ex mente & spiritu Ecclesiæ, ut ipsi concedi possit officium hoc?

R. Diacono competit jus hoc ex vi ordinationis suæ, non item Subdiacono: adeoque *Huberto* utpote Subdiacono tantum, salvo ordine & Hierarchia in Ecclesia stabilita non licet prædicare, nisi specialis ac expressa missio sui Episcopi ad hoc ipsi auctoritatem conferat. *Ste Beuve tom. 3. casu 141.*

Distion. Cas. Consc.

PRÆFECTUS COLLEGII, SEU COLLEGIARCHA.

1. Vocatur persona illa, quæ est caput Collegii, eidemque præest, ut exactè attendat ad vitam & mores eorum, qui sunt de Collegio, ita ut penes ipsum sit cura de omnibus, quæ ad studia & pietatem pertinent.

2. Materia hæc, in quantum personam Collegiarchæ respicit, est satis sterilis quoad doctrinam moralem. Quidquid de ipso dici potest, huc redit ut pro viribus satisfaciatur obligationibus muneris sui.

3. Officium ipsius est nuda administratio, quæ tamen nullo pretio peccuniarum est comparabilis, cum sit extra omne commercium, uti etiam munera Professorum Collegii, quæ gratis debent conferri ab ipsomet Collegiarcha, sicut & ipsomet gratis in Collegium admittitur.

CASUS I. Viget generalis consuetudo in quibusdam Collegiis, ut eorundem Scholares, etiamsi actu Beneficium habeant, nec habitu nec comâ à reliquis laicis distincti incedant. *Pampbilus* unius horum Collegiorum Moderator propositum sibi habet compellere omnes studiosos suos ad portandum habitum & tonsuram clericalem, repugnantibus licet omnibus viribus studiosorum consanguineis; teneturne in conscientia ad hoc ipsos cogere, licet id exequi vix possit absque præjudicio sui Collegii?

R. Cum Concilia & Pontifices sanciverint, ut omnes Beneficiati cujuscunque demum ætatis tonsuram & habitum clericalem deferant, tenetur Collegiarcha in conscientia urgere observantiam harum saluberrimarum constitutionum. *Ste Beuve tom. 2. cas. 15.*

CASUS II. *Ignatius* artibus cujusdam amici sui, quem mediante summa mille librarum patronum sibi conciliaverat, Collegiarchatum *S. Joannis* adeptus est; cumque muneri huic jus annexum sit nominandi ad stipendia in hoc Collegio va-

E e e e

can-

cantia, à novis stipendiatis exigit honorarium 1000. librarum propriæ indemnificationis prætextu; potestne hoc facere absque peccato?

R. Cum Ignatius nec potuerit nec debuerit sibi adipisci Collegiarum pretiò pecuniariò, ita nec potest, nec debet exigere quidpiam à novis stipendiatis. Hæc & similia longe debent abesse ab omni commercio. Idem ibid.

PRÆMONSTRATENSES.

1. Religiosi *Præmonstratenses* sunt Canonici Regulares, nomen hoc sortiti ab Abbatia, quæ caput est totius Ordinis, in Picardia sita, & à S. Norberto A. 1119. instituta. Ab initio alios non habebant redditus quàm quos ex cæsura lignorum in statu cordiacensi percipiebant, at verò successu temporis ad amplissimas divitias pervenerunt. Vivente S. Norberto dabantur etiam Monialium monasteria. Nullæ amplius Religiosæ sceminæ hujus ordinis supersunt in Gallia, dantur adhuc aliquæ in Germania, quarum Abbatissæ Principatu temporali cum plenissima potestate ac Jurisdictione fulgent; dantur etiam tales in Hispania, quæ tamen Vicario Generali hujus circariæ subjectæ sunt. Anno 1460. iisdem ex Dispensatione Pii Papæ II. abstinentia ab esu Carnium fuit relaxata. Circaria Hispaniæ specialem constituit congregationem, ejusque Vicarii Generalis, qui nunquam potest ad munus Abbatiale assumi, potestas est amplissima, nihilque inferiori potestati Generalis Ordinis, nisi ipsemet in Hispania sit præsens. In Lotharingia alia floret Congregatio proximo superiore sæculo 17. exorta, in qua observantur primævæ consuetudines & disciplina; Vicarius Generalis, qui quovis triennio eligitur, totius Congregationis est Superior & Judex immediatus. Ludovicus XIII. potestatem concessit Patribus Danielli, Picardo, & Servasio de *Larvels*, per quos Reformatio in Lotharingiam fuit inducta, eandem in

omnia etiam reliqua monasteria ad primum Ordinis rigorem aspirantia, introducendi.

Qui reformationem hanc noluerunt amplecti, domus suas & jus possidendi parochias sibi servarunt. At verò parochis excutere jugum sui Generalis, nec cuiquam ultra subesse volentibus, ingentes controversiæ ac dissensiones exortæ sunt, statutumque à Generali conditum contra parochos Religiosos, qui tergiversarentur imposterum diversari Parisius in Collegio Ordinis, sub interminatione suspensionis, excommunicationis, & etiam incarcerationis in eos, qui ordinationi huic ausu temerario obedire detrectaverint.

CASUS. Abbas Præmonstratensis, Generalis Superior Ordinis, semperne habet potestatem ac jurisdictionem in suos Religiosos, ex quo facti sunt parochi? quousque extendit se hæc ejus potestas? quibusnam poenis potest animadvertere in eos qui à suis obligationibus discesserint?

R. Abbas perpetuò conservat jurisdictionem aliquam in suos Religiosos parochos, ex quo enim facti sunt parochi, non cessarunt propterea esse Religiosi; accedit, quod etiam immediatè vel mediatè saltem concurrerint ad ipsius electionem? & insuper statuta quorum observantiam receperunt, eos subjiciant Superiori non tantum Generali, sed etiam Superioribus particularibus monasteriorum, à quibus dependent parochi ipsorum regulares. Omnes Bullæ Pontificiæ præcipiunt Religiosis ut agnoscant jurisdictionem sui Superioris regularis, & hæc disciplina est acceptata in Gallia, & Regia auctoritate ad majus robur confirmata.

Alexander III. statuit, ut parochus regularis, sola Sacramentorum administratione excepta, circa reliqua omnia rationem reddat Superiori suo regulari, præsertim verò circa observationem regulæ, & dispensationem reddituum suæ parochiæ etiam quoad temporalia incorporatæ monasterio. Supponitur ergo semper esse Religiosus, semperque obligatus ad

implenda officia Religiosi, Igitur etsi teneatur rationem reddere Episcopo quoad administrationem Sacramentorum, & morum honestatem, Superior ipsius non propterea excluditur, quò minus & ipse his attendere possit ac debeat.

Tandem Generalis Præmonstratensis, sicut reliqui omnes Religiosorum Ordinum Generales potestatem habet Episcopalem vel quasi, in suos Religiosos, eosdemque potest excommunicare. Dumque excommunicat aliquem, qui est parochus, quique Parisios veniens recusat divertere in domiciliis Ordinis sui, non excommunicat Religiosum residentem in sua parochia & in Diocesi sui Episcopi, sed Religiosum è loco Beneficii sui egressum atque extra ordinis sui domicilia in loco non competente suo statui commorantem. Adeoque talis excommunicatio nihil præjudicat potestati Episcopali, nec functiones parochiales turbat. Potest quis juxta dispositionem juris communis esse subiectus Episcopo, simulque stare sub obedientia Superioris Regularis. Omnes ferme Bullæ Pontificiæ Sæculi 12. approbant immò confirmant dependentiam Parochorum Regularem ordinem professorum à suo Superiore regulari, circa ea quæ ipsi ut Superiori competunt, & in quibus jus ipsi suffragatur, uti est, dispensatio reddituum. Parochiæ regularis, & observantia regularum Religiosi statùs, in quantum regulæ illæ possunt esse compatibles cum functionibus pastoralibus; Ex alia parte salva manet obligatio talium Religiosorum, qua Episcopo suo tenentur rationem reddere de spiritualibus, & cura animarum suæ parochiæ. Anno 1660 Religiosi Præmonstratenses obtinuerunt Diploma Regium, quo confirmatur Statuta Ordinis ipsorum, inter quæ statuta non unum, quin plura reperiuntur, de visitationibus & correctione parochorum Religiosorum præcipientia. Anno 1678. exiit Decretum à Supremo Consilio Statùs Regni Galliarum, confirmans jus revocabilitatis, quod competere sibi prætendit superior

Generalis Præmonstratensis in Religiosos parochos sibi subiectos.

PRÆSCRIPTIO.

1. Definitur præscriptio, quòd sit modus aquirendi jus proprietatis alicujus rei post lapsum certi temporis. Vel melius: est acquisitio proprietatis alicujus rei bona fide & absque interruptione certo tempore à lege definito possessæ. Fuit præscriptio sic explicata introducta in favorem boni publici, & pro conservanda tranquillitate ac pace in familiis.

2. Datur duplex præscriptio: per unam harum possessor aquirit jus proprietatis rei à se possessæ, hæcque proprietate simul privat priorem proprietarium, qui rem illam nec possedit, nec ab altero possessam revocavit. Per alteram verò aquiruntur quæcunque alia jura, quæ in commercio humano sunt, sive interveniat possessio aliqua uti in usu servitutum, sive nulla interveniat talis possessio, uti in amissione debiti nunquam à creditore exacti.

3. Utraque modò descripta præscriptio fundatur in præsumptione, quòd possessor non absque justo titulo vel legitima causa rem possederit, quòdque proprietarius quocunque demum modo, vel quacumque ex causa dimiserit proprietatem.

4. In Regno Galliarum quoad præscriptionem debet quis se confirmare Juri consuetudinario in quavis Provincia vel Regione introducto.

5. Omnia Parlamenta causas ex jure scripto judicantia, admittunt præscriptionem decennem inter præsentem, & vicennalem inter absentes; attamen Parlamentum Gratianopolitanum tantum agnoscit præscriptionem triginta & quadraginta annorum. Per *to inter presentes* intelliguntur, qui domicilium suum habent in eodem districtu regio. licet bonum immobile alibi situm sit; quod si verò ille, contra quem prætenditur præscriptio, præsens fuerit una parte temporis, alià verò

absens, duplum tempus absentiae illius temporis praescriptionis addendum est.

6. In iisdem Parliamentis tempus pro praescriptione rerum mobilium taxatum est tantum triennium. Sed in Parlamento Parisiensi tempus idem est ac pro immobilibus. Vigent tamen locales quaedam consuetudines, vi quarum admittitur etiam triennalis praescriptio, modo probari possit quod possessio fuerit publica, absque interruptione & fraude.

7. Ad aquirendum jus praescriptionis non est necessarium, ut possessio fuerit continuata ab una sola & eadem persona durante toto tempore a legibus determinato. Possessio semper censetur fuisse continuata non obstantibus intervallis, quibus actu a possessore non fuit exercita possessio.

8. Ad legitimam praescriptionem semper in possessore fuit requisita bona fides; sique bonae fidei accedat etiam totum tempus illud ad praescribendum requisitum, proprietarius non admittitur amplius ad probandam malam fidem possessoris; nihilominus tamen haeres illius, qui bona fide acquisivisset rem non pertinentem ad illum, a quo ad se translata est, excipitur ab hac regula.

9. Potest quis praescribere per alium, veluti per tutorem, curatorem &c. Ea quae sunt de Dominio Regis, non possunt praescribi. Juxta plurium locorum consuetudines nec census Dominicales & Feudales possunt praescribi, licet eorum qualitas, & quae ex anterioribus debitis sunt residua, praescribi possint; idem dicendum de rebus, quae sunt usus publici. Juxta plures consuetudines possunt per possessionem tricennale praescribi ea, quae sunt commercii ordinarii, uti bona & jura Ecclesiarum, Hospitalium, Urbium &c. Ex consuetudine Galliae non potest praescribi contra minorenes, impuberes vel adultos, aliud est de consuetudine Minoris Britanniae. Harum personarum respectu praescriptio non incipit, nisi a prima die adeptae majorennitatis. In-

fati & furiosi gaudent privilegio minorennium.

10. Quando majorennis habet jus indivisum cum minorenni, horumque iurium nulla adhuc facta est separatio, etiam contra ipsum non potest currere praescriptio uti contra minorennem.

11. Longa absentia negotiorum publicorum causa, vel ob captivitatem, impedit praescriptionem.

12. Actio qua convenitur venditor, ut cautionem praestet emptori de venditis a se non potest praescribi. Nullus possessor, qui rem non possidet nomine proprio potest unquam praescribere; tempus praescriptionis cessat currere, ex quo prima petitio contra possessorem apud Judicem facta est. Possessor ex possessione dejectus per solam viam facti, absque Judicis auctoritate, semper nihilominus pro possessore habetur.

13. Quoad praescriptionem in criminalibus, locum haec habet post viginti annorum lapsum in ordine ad poenam intelligendam, quando condemnati supplicium in effigie non fuit exhibitum. Post tricennium vero, quando fuit exhibitum; excipiuntur crimina laesae majestatis primae classis, & crimen duelli. Quantum vero ad praescriptionem damnorum & interesse, Parliamentum Parisiense, Tolosanum, & Burdigalense viginti tantum annos; Gratianopolitanum vero & Divionense triginta exigunt.

NOTA. Haec peculiaria Jura Galliae referre volui, quia dirigere possunt, ubi jus naturale, vel jus commune est dubium.

CASUS I. *Agatbo* bona fide possedit fundum tanto tempore quantum a legibus ad praescriptionem requiratur; potestne in conscientia uti jure praescriptionis ad sese eximendum a restitutione facienda illi, qui fundi proprietarium se esse probat; idemne etiam procedit de malae fidei possessore?

R. *Imo* Certum est, possessorem bonae fidei posse uti jure praescriptionis in utro-

que foro post possessionem tempore a legibus determinato continuatam; doctrina haec est *D. THOMAE quodlib. 12. art. 14. in corp.*

Ad longè aliud est de malae fidei possessore: *possessor malae fidei ullo tempore non praescribit*, ait *BONIFACIUS VIII. in reg. 2. de regulis jur. in 6.* quod tamen intelligendum est de foro interno; nam quoad forum externum jus civile, conservandae familiis pacis gratiam non examinata fidem possessorum post triginta possessionis annos elapsos.

CASUS II. *Arthurus* bona fide jam a vicennio & ultra possidet, bonum immobile antehac a se emptum, nesciente Philippo vero fundi proprietario praescriptionem contra se currere; quin etiam ignorante fundum hunc ad se pertinere, ita ut ex hoc capite nullius possit incusari negligentiae. Potestne Arthurus uti jure praescriptionis ad retinendum dictum fundum, casu quo *Philippus* edoctus fundi proprietatem ad se pertinere, ejusdem restitutionem apud Judicem urgeat?

R. Si Arthurus fuerit fundatus in titulo emptionis, potest illa conscientia uti jure praescriptionis, & retinere fundum, quem per vicennium pacifice ac nemine contradicente possederat, licet postea resciat *Philippum* ejusdem revera esse proprietarium. Hoc tamen non obstante dantur auctores, qui timentur, praescriptionem hanc non esse conformem spiritui legum, quae videntur conditae ad puniendam praecipue illorum negligentiam, qui diutius differunt inquirere in jura sua, eaque conservare; casum tamen calamitatis publicae excipientes; indeque concludunt: inique puniri privatione rei suae aliquem, nisi postquam negligentiae in ea conservanda reus deprehensus fuerit: attamen fundamentum hujus sententiae nec solidum nec verum est. Legislatores introduxerunt praescriptionem ad praeveniendas ac tollendas turbas, quae nascerentur ex incertitudine dominiorum, & ut impediant, ne proprietates bonorum maneat incertae.

Conferent. Petrocorienum tom. 3. confer. 3. q. 3. & Cabassut. lib. 6. c. 21. n. 6.

CASUS III. *Pelagius* bona fide novennio abhinc possidet domum sibi ab *Armando* legatam, licet ad hunc non pertineret; cum vera ipsius proprietates inter *Joannem*, *Jacobum*, tresque alios divisa esset. *Joannes* ex charta valde authentica edoctus, juris in hanc domum partem aliquam sibi quoque competere causam ad Judicem contra *Pelagium* delata, proprio nomine repetit, *Jacobo* & reliquis tribus infcis, qui non nisi quindecim jam elapsis mensibus in liti societatem venerunt. Possessio itaque *Pelagii* hoc modo a *Joanne* turbata ac interrupta ante completum decennium a jure ad praescribendam rem immobilem requisitum, estne censenda interrupta etiam in favorem *Jacobi* & consortium, qui expleto jam decennio tardiores liti intervenerunt? habentne jus aliquod *Pelagius* tutandi se contra hos possessione decennali completa, maxime cum omnes in eadem Provincia Domicilium habeant?

R. Cum *Joannes* domus hujus sit verus proprietarius communis cum *Jacobo* & aliis, egeritque apud Judicem pro restitutione domus ante decennium elapsum, *Pelagius* cessat esse possessor bonae fidei respectu omnium comproprietariorum, neque possessio ejus ipsi prodest quidpiam. *Lege Nemo 10. cod. de aquirend. vel retinend. possess. l. 7. tit. 2.*

CASUS IV. *Pipinus* tutor *Arnulphi* reddita minorenni suo, ubi majorennitatem adeptus est, de administrata tutela ratione, immisit ipsum in possessionem omnium bonorum, & inter alia praedii cujusdam rustici 150. agrorum jugera ambitu suo complexi, exceptis tantum duobus jugeris prati cujusdam, quae viginti aliis ad se proprie pertinentibus jugeris contigua erant. *Pipinus* serid persuasum sibi habens duo etiam haec jugera sua esse, totum pratum locat *Hyppolito*, qui singulis annis persoluto fideliter pretio ex Conventionione, debito, fundi hujus possessionem per 30 annorum nunquam interruptam se-

riem bona fide continuat. At verò Arnulphus invento postmodum documento authentico, ex quo constabat, duo præfata jugera sui solius dominii esse, de recuperanda parati possessione contra *Pipinum* agit, qui præscriptionem ipsi objicit fundatam in possessione decem annis ultra tempus à lege statutum continuata. Potestne *Pipinus* sæpe dictum pratum bonâ conscientia sibi retinere?

R. Qualitas seu onus Tutelæ non destruit in *Pipino* fundamentum legitimæ præscriptionis, quod quidem fundamentum est bona fides conjuncta tempori à jure taxato: adeoque absque ullo conscientia scrupulo pratum hoc sibi poterit retinere. *Pontas.*

CASUS V. Jam solidum effluxit vicennium, ex quo *Constantinus* à *Clemente* emit tria jugera vineæ, quorum proprietarius tunc erat minorennis quidam, quinque tantum annos ætatis habens. Minorennis hic majorennitatem adeptus, inventis documentis titulum proprietatis in hac vinea sibi competentis demonstrantibus de ejusdem restitutione contra *Constantinum* agit, salvo jure recursus adversus *Clementem*. Potestne *Constantinus* eximere se ab onere restitutionis per exceptionem præscriptionis, munitam insuper titulo emptionis & tam diuturnæ possessionis bona fide usque in præsentiarum continuata?

R. Non potest præscribi contra minorenes quamdiu durat ipsorum minorennitas. Ad hoc enim, ut præscriptio contra ipsos possit inchoari, oportet, ut attigerit majorennitatem; & hic *Constantinus* tenetur restituere tria jugera vineæ. *Leg. Non est 3. cod. quibus non objicitur longi temporis præscriptio. l. 7. tit. 35.*

CASUS VI. *Salvius* bona fide per integrum novennium fuit possessor domûs ad se titulo legati transmissæ à *Joanne*, licet ejusdem non esset verus proprietarius; post tempus illam reliquit *Bernardo* hæredi suo, in cujus possessionem transit decem mensibus à morte *Salvi*.

Sed post trimestre inchoatæ possessionis ipsi fuit mota à *Jacobo*, luculentis argumentis ostendit, sibi, nec cuiquam alteri, præfata domûs competere dominium: teneturne *Bernardus* ad restitutionem domûs? An verò potest opponere præscriptionem, non obstante intervallo decem mensium, quod à morte testatoris usque ad aditam possessionem intercesserat?

R. Bona successione à defuncto relicta censentur possessa ab ipsa hæreditate; hinc temporis intervallum actuali possessore desitutum non interrumpit cursum præscriptionis. Adeoque *Bernardus* non tenetur reddere domum, de qua quaeritur.

Vide *Leg. Nunquam 31. §. 5. ff. de Usucapionibus & c. lib. 41. art. 3. & leg. Denique 13. §. 5. ff. quod vi aut clam, & c. lib. 43. tit. 24.*

CASUS VIII. *Fosselinus* bona fide per novennium possedit jugerum sylvæ cæduæ à *Bertrando* emptæ, quam morti proximus *Oliverio* hæredi suo ex testamento reliquit. Post biennii possessionem ex parte *Oliverii* vicinus quidam per titulos authenticos apud Judicem exhibitos jugeri hujus proprietatem evicit, sylvamque sibi reddi postulavit, maximè cum *Oliverius* ob possessionem duntaxat biennalem non possit opponere jus præscriptionis contra titulum à se productum ac probatum.

R. Vicinus iste nullum habet jus inquietandi *Oliverium* in sua possessione. Quando possessor bonæ fidei moritur ante completam præscriptionem alicujus fundi, continuante interim ipsius hærede bona fide possessionem ad se translata, tempora utriusque possessionis debent conjungi, sique taliter conjuncta adæquent tempus à jure definitum, præscriptio hæredi erit acquisita. *Leg. de accessionibus 14. §. 1. diversæ temporal. præscript. lib. 44. tit. 3.*

CASUS VIII. *Pantaleon* Abbas *Vitali* vendidit sylvam cæduam ad suam Abbatiam pertinentem, absque tamen consensu suorum Capitularium, aliisque consuetis solemnitatibus; pretium 4000 librarum ab emptore sibi per solutum (ma-

gna

gna quippe tunc temporis populum affligebat annonæ inopia) in pauperes erogavit. Possessione verò sylvæ aliquamdiu post à *Vitale* in *Robertum* jure pariter emptionis translato, successor *Pantaleonis* unacum suis Capitularibus in sylvæ hujus possessionem restitui judicialiter petit, ut jam per continuos quadraginta annos à *Roberto* possessæ. Fundamentum monasterii erat; quod contractus venditionis à *Pantaleone* celebratus vitiosus fuerit. Juvante in casu hoc *Robertum* à restitutione sylvæ bonæ fidei possessio?

R. Certum omnino est, quod non obstante vitioso titulo primi auctoris, tertius qui bonum immobile Ecclesiæ bona fide per 40 annos ut possessor tenuit, tuto ac bonâ conscientia possit uti jure præscriptionis contra Beneficarium pro restitutione litigantem. *Pontas.*

CASUS IX. *Samuel* in provincia *Turonum* degens bona fide sexennio abhinc integro decem agri fertilis jugera tenet à quodam suo amico sibi legata. *Cyrillus* in eadem hac provincia domiciliatus præterit agri hujus proprietatem sibi debere vi tituli nuper à se inventi. In judicium ergo vocat *Samuelem*, sed postea quam aliquoties inter ipsos ultro citroque fuit disputatum, sponte liti renuntiat, *Samuele* exhinc possessionem per quatuor annos continuante; quæstio jam est, an decem hi anni sufficiant ad jus legitimæ præscriptionis?

R. imo. Si *Samuel* nunquam cessaverit esse possessor bonæ fidei tam durante instantia apud Judicem, quam postea, præscriptionis tempus semper currit in ipsius favorem, non obstante *Cyrilli* judiciali interpolatione.

2do Quando durante instantia, utut lapsu trium annorum perempta, factus est malæ fidei possessor, imo etiam post desertam à *Cyrillo* causam, non poterit præscribere pro foro interno.

3tid. Quando *Samuel* fuit in dubio benefundato turbante bonam ipsius fidem durante, vel post instantiam, licet lapsu trium

annorum negligentia jam peremptam, id non impedit, quò minus prodesse ipsi queat præscriptio pro foro interno: præscriptio quippe non cessat currere, licet tantum sit possessor non bonæ fidei. *Pontas.*

CASUS X. *Calvimundus* furto abstulit *Luciano* adamantem mille aureorum pretio æstimatum, & aliquando post è vivis sublatus est. *Stephanus* filius ipsius & hæres unicus gemmam hanc inter alia hæreditatis mobilia inventam patris sui fuisse credidit, eamque bona fide per annos triginta & amplius bona fide penes se asseravit. *Lucianus* viso & mox agnito adamante pro illius restitutione agit, invictis argumentis demonstraturum se asserens, quod suus esset. *Stephanus* rei veritate perspecta & probata, teneturne ad restitutionem, non obstante longe sua possessione?

R. Possessio tricennalis bonæ fidei hujus adamantis non eximit ab onere ipsum restituendi. Hæres universalis censetur una sola & eadem persona cum defuncto in cujus bona succedit. *Leg. Hæres 22. ff. de usurpat. & usucapionibus lib. 41. tit. 3.* Jam verò, cum *Calvimundus* fuerit possessor malæ fidei, ipsa hæc mala fides imputatur *Stephano* unico ipsius hæredi. *Leg. Vitia 2 cod. de acquirend. & retinend. possess. l. 7. tit. 33.* Aliud esset, si *Stephanus* esset tantum donatarius vel legatarius particularis, posset enim in tali casu uti præscriptione 30 annorum. *Leg. an vitium 5. ff. de divers. temp. præscript. l. 44. tit. 3.*

CASUS XI. *Hyppolitus* bona fide emit ab *Ursino* rem, quam hic injusta usurpatione tenebat à suo divino, eamque postmodum vendidit *Theodosio*, qui ejusdem mansit possessor bonæ fidei durante toto tempore ad præscriptionem requisito. Estne ergo legitimus proprietarius jure præscriptionis?

R. Mala fides quacum *Ursinus* rem possedit, non potest impedire jus præscriptionis respectu *Theodosii*, modò durante toto tempore ad præscribendum necessario nullam habuerit notitiam de mala fide

Uy-

Ursini; sic enim definit jus *lib. 2. Institut. tit. 6. de usucapionibus & longi temp. præscript. initio*: id quod etiam probatur ex Constitutione Imperiali quæ in Codice reperitur, *Authent. Mala fidei Cod. de præscript. longi temp. 10. vel 20. annorum. l. 7. tit. 23. Vide Cas. 2.*

CASUS XII. *Gustavus* Parochiæ Toparchæ ultra triginta jam annos possidet tractum prati vel agri horto suo olitorio contermini. *Bertrandus* parochus invictis argumentis probat; tractum illum olim fuisse partem cæmeterii, & idcirco pro ejus restitutione instat. Renuit *Gustavus* opponendo possessionem bonæ fidei, & præscriptionem plus quam sufficientem contra bona Ecclesiæ. Habétne fundamentum hæc Toparchæ exceptio?

℞. Non possunt legitime præscribi, nisi quæ sunt de commercio humano, & quæ possunt cedere in dominium privatorum. Atqui res illæ quas jus vocat *Sacras*, uti Ecclesiæ, Capellæ, eæque quas *Religiosas* nuncupat, uti cæmeteria, quæque stylo Juris Romani vocantur *Sacræ*, veluti viæ publicæ, moenia, & portæ civitatum &c. non sunt de commercio humano, nec pertinent ad personas privatas: adeoque cum tractus ille terræ de quo quæritur, sit de numero rerum *Religiosarum* *Gustavus* non potest se defendere præscriptrone, teneturque ad restitutionem. Idem foret dicendum de pensione constituta pro acquisitione piæ foundationis. *Conferent. Condomienz. conferent. 17. sect. 2.* Jus autem Patronatûs annexum alicui fundo sequitur naturam fundi in ordine ad præscriptionem, utpote cum sit accessorium fundi. *Leg. Quædam 62. ff. de acquir. rerum dominio. lib. 41. tit. 1.*

CASUS XIII. *Fuldradus* Dynasta, bassam Jurisdictionem exercens in districtu quodam Rothomagensi Parlamento subiecto per sexennium prætermisit exactionem præstationum ex pensione Dominicali sibi debitarum à Vasallo *Gilberto*. Recusat hic solvere plures quam quot pro triennio debet, dicens tres præscriptionis jure se

sibi acquisivisse. Habétne sufficiens fundamentum quantum ad forum internum?

℞. Si consuetudinum Normanniæ Domini bassam tantum jurisdictionem exercentes non possunt exigere ultra tres annos præstationum ex pensionibus Dominicalibus sibi à Vasallis debitarum, nisi in casu rationum reddendarum, vel condemnationis, vel nisi apparent intervenire primitivum feudum ex hypotheca generalis. Adjunt præfatæ consuetudines: cum interim Domini alta jurisdictione gaudentes, juxta easdem consuetudines, possint exigere à suis vasallis annos viginti novem. Interim possent dari casus, in quibus *Fuldradus* posset exigere integrum sexennium, & alii in quibus *Gilbertus* posset uti jure præscriptionis. Et revera vigeant antiquitus in Normannia duo genera contractuum *Infudationis*, aliqui nempe executorii præstationum quovis tempore, & iterum alii ad triennium limitati. Vi priorum *Fuldradus* potest exigere sexennium, vi posteriorum verò *Gilbertus* tutâ conscientia potest uti præscriptione, utpote cum sit in bona fide.

CASUS XIV. *Falcianus* parochiæ Venetensis (*St. Vannes*) civis opulentissimus Gualtherio loci Toparchæ pro pensione Dominicali quot annis debet tres francos, sciens hic Felicianum abundare pecuniis, volensque ut singulæ hæc præstationes annuæ in summam quam fieri potest majorem excrescant, dissimulavit per annos 38. exigere suam pensionem. Respondit Felicianus, verum utique esse, quod toto hoc tempore nihil solverit expensione, interim tamen nullatenus teneri se solvere plus quam annos 29. eo, quod excedit, per legitimam præscriptionem extincto; teneturne in conscientia solvere reliquos novem annos numerum 38. complentes, cum consuetudo ipsum non nisi ad 29. obliget?

℞. Pensio vel quævis alia res jure debita nunquam est præscribibilis quando debitor non est in bona fide, etiamsi 40. annorum sit præscriptio; leges verò Romæ

næ non permittentes, ut post tempus adeo diuturnum possessores etiam malæ fidei turbentur, non possunt servare pro regula conscientia, utpote cum conditæ fuerint ex rationibus merè politicis ac humanis. Definitum hoc est quam evidentissimè à Concilio IV. Lateranensi sub Innocentio III. *can. 41.* Secus se res habet in pensionibus constitutis, ex quibus anteriores antiquioresque præstationes non aliter debentur quam ex lege Principis, cui contrahentes mutuo sese consensu subjecerunt, quique ob bonum publicum easdem finit ad certum annorum numerum, ut præcaveretur ruinæ debitorum, qui vel ex impotentia vel ex negligentia paterentur, ut anteriorum præstationum numerus penè in immensum excresceret. Quare in casu proposito *Felicianus* non potest tutâ conscientia eximere sese remedio præscriptionis, cum præstationes anteriores adhuc debita ex pensionibus Dominicalibus, debita sint ex ipsa rei natura.

Licet consuetudines aliquæ ferant, ut si qui sunt de familia vel servitiis alicujus heri, mercatores item & opifices non possint amplius exigere solutionem post lapsum certi ac determinati temporis, debitores tamen coram Deo nihilominus iisdem tenentur satisfacere, præscriptione legali non obstante. *Pontas.*

CASUS XV. *Ennodius* jam ab annis 40 & ultra possidet sylvam in Campania sitam, atque ex testamento sibi à patre relictam, qui & ipse tanto penè annorum intervallo eandem ut suam tenuerat. At ecce! adsunt commissarii vindicandorum ac recuperandorum Dominiorum Regis negotio præpositi, qui restitutionem sylvæ Regi faciendam *Ennodio* impetrant, patrimonii regii partem esse: poteritne in hoc rerum articulo defendere se remedio præscriptionis *Ennodius*?

℞. Quidquid in Gallia de Dominio est Regis, impræscriptibile est, nisi possessio integrum sæculum excedat; adeoque *Ennodius* restitutionem sylvæ non potest negare Commissariis regis.

Diction. Cas. Conf.

CASUS XVI. Potestne Princeps suprema sua auctoritate malæ fidei possessori concedere dominium rei, toto tempore à legibus statuto ab eodem possessæ?

℞. Utut suprema sit & illimitata Principis auctoritas, nunquam potest sibi arrogare tantam potestatem. Auctoritas Principis ex doctrina *D. THOMÆ quodlib. 12. art. 24. ad 1.* non aliter se extendit ad bona suorum subditorum quam ut veris dominis suis eadem conservet, non verò auferat, retinendo, vel ad alios (neutiquam dominos) transferendo.

CASUS XVII. *Medardus* per decennium possedit dimidium agri jugerum à *Joanne* emptionis titulo emptum, cujus tamen Genuinus possessor erat *Reinaldus* ejus vicinus. Quod ubi innotuit *Reinaldo*, *Medardum* conveniri de agro reddendo jussit; at verò provocatio hæc non nisi ad vesperam ultimæ diei decennium completis facta est, ita ut 5. vel 6. adhuc horæ tantum completo decennio deessent; Excipit ergo tenetque *Medardus*, tempus à lege statutum pro usu præscriptionis, expletum esse, si pauculas horas excipias, quas omnino non attendendas esse prætendit. Habétne sufficiens fundamentum assertionis suæ?

℞. *Medardus* non potest in conscientia recusare restitutionem dimidii jugeri; licet enim effectus præscriptionis sit favorabilis præscribenti, favor tamen hic non eo usque se extendit, ut tempus lege taxatum abbreviari possit ad spoliandum proprietarium. *Pontas.*

Axioma illud, vel potius adagium: *Illud quod modicum est, ratio apprehendit quasi nihil*, locum non habet in iis rebus, quæ sunt determinatæ & taxatæ per leges; sic enim v. g. Clericus non potest absque crimine, & poenarum Canoniarum incurrendarum periculo suscipere Ordines sacros, antequam dies ultimus ætatis ab Ecclesia præscriptæ ex integro expiraverit.

CASUS XVIII. Episcopus Almeriensis invenit antiquum documentum, ex quo apparet prædecessores suos habuisse jus

FFFFF

con-

conferendi Decanatum Ecclesiæ Cathedralis per electionem capituli, conferendique Decano *curam Ecclesiæ & animarum*, in cujus tamen juris possessione Metropolitanus hucusque à Centum & amplius annis erat: Collatio ergo *cum cura animarum*, quam Metropolitanus hic nuper primum *Lucio* concessit, estne Canonica jure præscriptionis?

R. Quando præscriptio habet omnes conditiones necessarias ad hoc ut legitima sit, collatio Metropolitanæ Canonica est: una quippe Ecclesiæ potest legitime præscribere contra aliam Ecclesiæ. *Alexand. III. in cap. Illud. 8. de præscript. lib. 2. tit. 16.* Et hic *Lucius*, cum sit subjectum idoneum, & provisum juxta regulas Ecclesiasticas, poterit tunc ac tranquilla conscientia frui suo Beneficio. *Ste Beuve tom. 3. cas. 51.*

CASUS XIX. Hæredes hominis cujusdam, qui debebat censum ex aliqua domo, possuntne declinandæ solutionis gratiâ recurrere ad præscriptionem?

R. Non possunt recurrere; quando contra quempiam illorum judicialis actio instructa fuit. *Deliberatum Parisiis 9. Septemb. A. 1700.*

CASUS XX. Usurpavit aliquis 14. agri jugera communi cum reliquis fundis suis septo ambienda, teneturne hæres ipsius ad solutionem jugerum & fructuum vero proprietario præstandum?

R. Tenetur omnino: præscriptio certe non potest ipsum eximere ab hac solutione, cum ea nihil prosit hæredi, qui succedens in bona defuncti sese obligavit, & tenetur ad omnia ejusdem jura, obligationes, & onera. *Fromageau.*

Vide *Restitutio*, Casu 5. 7. 8. 9. 10. 11. 13. & 14.

PRECARIUM.

1. Precarium definitur, quod sit: *Commodatum revocabile ad nutum concedentis*. Precarium finitur *imò*. Quando commodator rei sic commodatæ petit restitutionem.

adò per ipsius mortem quodocunque demum contingat post precarium.

2. Terminus hic sumitur etiam in latiori significatione, uti quando dicitur *precarium possidere*, id est, sub alio quam proprietatis titulo; vel possidere fundum cum onere restitutionis.

CASUS. *Tullium* rogavit *Liminius*, ut sibi commodaret partem vasorum aureorum; pacta conditione eadem ad nutum ipsius restituendi; & præterea etiam pensilia aulae seriem, quibus per trimestre uti possit. Interim post dies quatuordecim moritur *Tullius*. Teneturne in conscientia *Liminius* reddere absque cunctatione vasa hæc argentea & aulae hæredibus defuncti; an verò licitum ipsi est eadem retinere, iisdemque ulterius uti ad finem usque pacti trimestris?

R. Duo hæc commodata inter se diversa sunt; illud vasorum argenteorum est precarium quod leges definiunt *precarium ad usum*, quod indulgetur ad preces mutantis rem quampiam, ut ea uti sibi liceat, quousque placuerit commodanti, & cum onere eandem restituendi quodocunque ab ipso fuerit repetita. Alterum verò genus Aulae est *commodatum propriale*, seu Conventio, per quam unus alteri concedit rem ad certum ac determinatum usum, & quousque illo opus habuerit, absque solutione alicujus pretii. Quare *Liminius* absque ulteriori mora tenetur reddere vasa argentea, potest verò ulterius retinere aulae per tres menses.

PRIORISSA.

RESIGNANS IN MANUS B. VIRGINIS.

Vide *Devotio singularis & exotica.*

PRIVILEGIUM.

1. Definitur *Privilegium*, quod sit *privatum indultum à Principibus contra jus commune*.

2. Omne privilegium debet esse justum, & referibile ad bonum publicum. Privilegium vel est *personale* vel *reale*, & transiens

siens ad hæredes illius, qui obtinet privilegium. Quando privilegium datum est contra legem, absolutè requiritur, ut contineat clausulam expressè derogantem legi.

3. Dantur infinita privilegia inter se diversa.

4. Omne privilegium est stricti juris. Princeps, qui concessit privilegium, vel ipsius successor, potest illud restringere, limitare & revocare pro suo beneplacito. Privilegium Concessum integræ Provinciæ, urbi &c. ac diuturno usu jam confirmatum & quasi inveteratum, non est temerè revocandum. Qui abutitur concessio sibi privilegio, dignus est ut eodem privetur. Privilegio concesso integræ communitati, Societati vel corpori non potest à membro particulari seu privato renuntiari.

CASUS I. *Oeneas* & *Sylvanus* Juris studiosi inter se disputant, cujusnam propriè sit jus concedendi privilegia? contendit *Oeneas* jus hoc competere Papæ, e contra verò *Sylvanus* defendit, in solo supremo Principe sæculari jus hoc residere.

R. Est principium passim & ab omnibus receptum quod nemo possit concedere privilegia nisi qui jus habet ferendarum legum & in iisdem dispensandi: Nec *Oeneas* ergo nec *Sylvanus* bene ratiocinantur. Regulariter loquendo Papa, cujus amplissima est potestas per totam Ecclesiæ quoad spiritualia, non potest concedere privilegia nisi in rebus spiritualibus, & si quæ concedat in temporalibus, ea concessa intelliguntur pro statibus, in quibus supremum Principatum exercet. Juxta consuetudinem Regni Galliarum privilegia Pontificia aliter non valent nisi in quantum auctoritatem habent ex Regis solemnibus literis in Parlamentorum publicos commentarios relatis. Privilegia solum temporale spectantia à solis Principibus supremam auctoritatem exercentibus dari possunt, *Papa in spiritualibus, & in temporalibus Imperator regulariter inquit Ang. de Clavasio v. privil. n. 2.*

CASUS II. *Anaximenes* Acolythus quod plagis malè multasset ædituum parochialis Ecclesiæ ad tribunal Judicis regii fuit evocatus. Ubi comparuit, fori hujus incompetentiâ objectâ petiit remitti ad Officialem ob privilegium Clericale quo gaudere se existimabat. Recusat Judex, causaque sibi vindicata acolythum ad multam pecuniariam ædituo solvendam condemnat, simul & ad expensas; teneturne sententiæ huic submittere se *Anaximenes*.

R. Juxta jus novissimum Tridentini *Seff. 23. de Reform. c. 6.* ut quis gaudere possit privilegio Clericali, requiritur, ut Clericus saltem sit Subdiaconus, vel actu possideat Beneficium, aut auctoritate sui Episcopi sit mancipatus ministerio alicujus Ecclesiæ, in qua residens functiones ordinis sui exerceat. Ex quo sequitur, *Anaximenes* nullum jus competere declinandæ forum Judicis regii, quando non est in uno ex casibus enumeratis in Decreto Concilii, cujus disciplina quoad hoc in Gallia etiam ab Edictis regis auctoritatem habet. In aliis autem regionibus de Jure communitatis Clericus, si deferat habitum Clericalem, gaudet privilegio. Circa quod nihilominus observandum est.

1. Quod, si *Anaximenes* utitur Clericus, esset conjugatus, nullo modo posset gaudere privilegio Clericaturæ, cui matrimonium contrahendo renuntiâsse censetur.

2. In nullius Clerici privilegio Clericali gaudentis potestate esse, renuntiare voluntariè huic suo privilegio, cum ejusdem non sit dominus.

3. Nulli Clerico judicarium aliquod munus exercenti prodesse privilegium Clericorum, talèque hoc ipso jurisdictioni Regis se subicere.

4. Clericum commerciis & negotiationi sese immiscentem non posse amplius allegare privilegium Clericale, ut à jurisdictione sæculari quoad punctum commercii sese eximat. *Pontas.*

CASUS III. *Sylvanus* à Principe obtinuit privilegium, cujus termini non sunt satis clari, & vario sensu possunt accipi;

potestne uti hoc privilegio interpretando illud in suum favorem, & in sensu quàm maximè potest latissimo?

R. Decisio quæstionis hujus dependet à pluribus principiis & regulis, juxta quas plurimæ difficultates resolvi possunt.

1. Generaliter loquendo, privilegia strictè sunt intelligenda & explicanda.

2. Quando privilegium aliquod non est contrarium juri communi, sed solummodo consuetudini vel statuto particulari, potest favorabiliter & latè exponi.

3. Quando termini alicujus privilegii sunt ambigui & æquivoci, nulli alteri, quàm qui illud concessit, interpretandi potestas competit.

4. Quando termini nec ambigui sunt nec obscuri, in eorundem tenore exactè standum est.

5. In dubio semper sensus magis verborum quàm ipsi termini expendendi & attendendi sunt.

6. In hoc casu termini privilegii favorabiliter interpretandi sunt, latèque quantum rationabiliter fieri potest, extendendi, nisi materia sit odiosa.

7. Oportet ut talis interpretatio in nullius vergat præjudicium, nec notabiliter lædat jus commune: Juxta hæc ergo principia de privilegio *Silvani* judicium ferendum est. *Pontas.*

CASUS IV. *Sosthenes* à Rege obtinuit privilegium speciale & post octiduum obiit; possuntne hæredes ipsius uti hoc privilegio?

R. Quando privilegium est merè personale, non transit ad hæredes *Sosthenis*; transit autem quando est reale. *Personale privilegium extinguitur*, ait author *Glossæ in legem atatem ff. de Censuris l. 50. tit. 15. de privilegio personali loquens: quantum verò ad reale inquit; hoc enim transit cum re.*

CASUS V. *Pollio* creditor privilegiatus ratione domus, pro cujus ædificatione Renato mense Januario Anni 1700. commodaverat mille librarum argenti summam, & *Rusticus* similiter privilegiatus

pro æquali summa eidem Renato mense Aprili pro complendo ac perficiendo ædificio commodata, inter se disputant quidnam alteri quoad solutionem præferendus sit? post triennium duo creditores hi realiter immittuntur ex decreto in domum Renati, præteritque *Pollio* solutionem integram sui debiti ante *Rusticum*, qui prævidens periculum de amittenda penitus sua summa, concurrentiæ ad debitum cum *Pollione* obtinendæ gratiâ litem ipsi intentat. Potestne hoc facere salvis justitiæ regulis?

R. *Pollione* concurrentiam ad æqualem solutionem abnuente potest litem ipsi intentare *Rusticus*. *Leg. Privilegia 17. ff. de privilegiis creditis lib. 40. tit. 6.* licet enim præfatæ *Pollionis* & *Rustici* Summæ fuerint commodatæ trimestri temporis spatio una post alteram, commodatæ tamen fuerunt ad eundem usum & pro eadem domo. Aliter se res haberet de duabus dotibus in eodem fundo assignatis; prima quippe secundæ foret præferenda. *Glossa in dicta leg. privilegia v. concurrunt.*

CASUS VI. *Radulpho* domum suam vendit *Cato* ad diem pecuniæ solvendæ pro consuetudine regionis præfixum: post paucos menses creditores *Radulphi* in domum & reliqua immobilia *Radulphi* realiter immittuntur. Opponit se *Cato* præteritens sibi competere privilegium prælationis præ aliis creditoribus quoad solutionem pretii venditæ à se domus. Jurène creditores reliqui concurrentiam cum *Catone* sibi arrogant, ejusque obtinendi gratia apud Judicem agunt?

R. Indubitatum est *Catonem* habere privilegium, vi cujus solvendum ipsi est pretium domus suæ præ omnibus aliis creditoribus, ac proin injusta est & malo fundamento innititur horum præteritensio. Qui vendit non censetur transferre dominium rei venditæ in emptorem nisi sub conditione pacti pretii sibi ab emptori persolvendi. *Pontas.*

CASUS VII. *Rufforum* Monarcha legem condidit, qua omnes calumniatores in poenam injuriæ alteri illatæ condemnantur ad flagella pro more gentis illius sibi à lictoribus certo numero infligenda (*Rurpeitsche.*) Quidam Ecclesiastici in casu legis hujus deprehensi ex motivo poenitentiae & humilitatis volebant renuntiare suo privilegio ipsos ab hac poena exempti. Peccatine alicujus contra debitum statûs sui admissi, rei habendi sunt?

R. Non potuerunt certè renuntiare privilegio characteri suo annexo, injuriæque intulerunt universo statui clericali, cujus membra erant, & ad quem propriè privilegium hoc pertinebat. *Innocentius III. in cap. contingit 36. de Sentent. Excommunicat. & c. lib. 5. tit. 39.*

PROBABILITAS.

Vide OPINIO.

PROCESSUS JUDICIALIS.

Processus Judicialis est controversia inter duas pluresve personas orta, & agitata, viâque Juris terminanda. Sunt processus, qui dijudicantur in sola audientia advocatorum, & alii quos *Provocationem scripti*, & iterum alios, quos *prescriptionem rei gesta.* (*Procès par è erit, & procès verbales.*) Vocat *Richeletius*. Alii iterum dantur processus *Ordinarii & civiles*, ut vocantur & alii *Extraordinarii & criminales*. Processus verbalis est scripta & quasi historica narratio eorum, quæ in causa vel negotio ad tribunal Judicis deducta contigerunt vel gesta sunt, à ministro publico justitiæ in scripturam redacta.

Quilibet homo Christianus maxima qua potest cura cavet sibi à litibus forensibus; verum quidem est, quod aliquis interdum nolens volens vel defensorum priorum bonorum vel honoris causâ involvatur processibus, suaserim tamen, ut nemo se credat huic labyrintho

absque justa & urgente necessitate, & si ab invito arripiendum sit tam anceps remedium, tenetur nihilominus erga compartem observare omnes regulas charitativæ istianæ.

CASUS I. *Toxotius* in Colloquio quodam suo, quod non ita pridem cum *Bertino* parochio suo habuerat, defendit quod quis innoxie & absque peccato possit iudicio contendere. Negat econtra *Bertinus* id unquam fieri posse, cum moraliter sit impossibile apud Judicem adversus alium agere, quin amittatur vel saltem notabiliter lædatur charitas. Quænam sententia nititur meliore fundamento?

R. Loquendo de processibus in genere, prout ordinariè instituuntur, plerumque processus judiciales veniunt ex fonte infecto, nimirum ex cupidine habendi. Pro Argumento autem non alio opus est, quàm ut attentius expendantur verba Authoris *Glossæ de Litigatoribus ac rabulis forensibus loquentis in ff. sequitur v. quod. dist. 46. consueverunt tales distemperati esse in moribus, solent enim esse adulatores, proditores & detractores maledici, scurriles, ad ulciscendum injurias suas prompti & c.*

NOTA. Inculcandum omnibus, quod teneantur postponere jacturam honorum vel jurium respectivè levium ingenti damno pacis & charitatis.

CASUS II. *Cæsarius* illustri genere vir, & multorum amicorum favore ac familiaritate perfruens in favorem eorum, quos ab amicis commendatos sibi habet, sæpius sollicitat Judices, non in civilibus tantum causis sed etiam in criminalibus. An in hoc peccat?

R. Licitum est quandoque sollicitare Judices in favorem criminaliter accusatorum, modò tales sollicitationes spiritui legum non sint contrariæ, nec ex alia parte præjudicent quidpiam accusato circa ea, in quibus actionem vel præteritensioem habet ad damna sua & interesse. *Alphons. à Castro.* Non eodem penitus modo se res habet in causis civilibus, in quibus requiritur omnimoda certitudo de justitia

causæ illius personæ cujus patrocinium suscipitur. *Pontas.*

PROCURATOR.

1. Procurator ad causas vocatur persona illa publica, quæ jus habet repræsentandi personam, cujus causam apud Judicem tuetur; verumtamen ipsius ministerium ad simplicium tantummodo judiciorum formulas nec ultra se extendit. Sunt autem & alii justitiæ ministri altioris subfelli, quos Procuratores similiter vocant, uti Procurator Generalis, Procurator Regis. - Procurator Fiscalis.

2. In multis Religiosis Ordinibus Procurator vocatur persona à capitulo Provinciali constituta ad sollicitandas urgendasque causas & alia negotia monasterii. Denique *Procuratorem Mandatarium* vocant, qui negotii gerendi scriptam Autoritatem habet, id est, qui vel ex scriptura publica vel per privatum chirographum constitutus est ad gerenda utiliter alterius negotia in causis civilibus vel Ecclesiasticis. Atque de tali duntaxat Procuratore in præsentiarum sermo est.

3. Qui gerit procurationem bonis moribus vel Justitiæ contrariam, & exinde incurrit damnum aliquod, nullam habet actionem nec recursum ad constituentem.

4. Procurator strictè & ad literam debet sequi terminos & clausulas suæ procurationis. Potestas ipsius & officium expirat per revocationem procurationis ab eo momento quo hæc ipsi fuit intimata. Cessat etiam per obitum ipsius procuratoris, & regulariter loquendo per mortem constituentis. Procurator potest repudiare procurationem per declarationem *re adhuc integra* desuper factam, item quando constituens est satis capax ut possit per semetipsum agere, vel alium constituere. Si acceptata procuratione vel neglecta declaratione de non acceptando constituens pariatur damnum aliquod, poterit contra procuratorem agere *ratione mandati.*

5. Procuratio potest esse generalis vel specialis, terminis absolutis, vel pro determinato tempore, aut sub aliqua conditione concepta.

Fœmina non potest acceptare procurationem absque consensu sui mariti.

7. Quantum spectat procuratorem in materia Beneficiorum, vocatur *Procuratio ad resignandum scriptura* qua Beneficiatus resignat suum Beneficium ad manus legitimi Superioris in favorem personæ privatæ, habetque talis scriptura vim potestatis procuratoriæ respectu Procuratoris in curia Romana ad obtinendas provisiones Beneficii. Juxta stylum supremi Consilii regii scriptura hæc nequit esse valida, nisi ante actualem expeditionem ad curiam, pro more fuerit insinuata.

8. Potest capi possessio alicujus Beneficii per Procuratorem; debet autem procuratio esse dati anterioris & antiquioris tempore possessionis initæ.

CASUS I. *Cassander* Procuratores sibi constituit *Norbertum & Landfridum* cum potestate transigendi cum *Andrea* comparte sua super pluribus articulis causæ quam contra ipsum sustinet. Post mensem *Norbertus* rerum forensium intelligentior atque peritior *Landfrido* cum *Andrea* transigit non communicato prius cum *Landfrido* consilio, ipsoque prorsus inscio. Valétne transactio hæc, ita ut etiam in foro interno *Cassandrum* liget?

R. Non est legitima transactio hæc, & nec pro interno nec pro externo foro *Cassandrum* ligat. *Cassander* quippe non soli *Norberto* transigendi cum *Andrea* potestatem fecit, sed utrique conjunctim, & neuter horum potuit dividere potestatem ex voluntate constituentis indivisibilem. *Lege, Diligenter §. ff. Mandati vel contra. lib. 17. tit. 1.*

CASUS II. *Claudius* à *Juliano* cum potestate Procuratoris Amstelodamum missus ad curanda ipsius negotia, ibidem mox ab adventu suo è vivis excessit, Filius *Claudii* unicus patrisque in eo itinere socius, credens utique potestatem hanc ad

ad se jam transiisse, Procuratoris munus loco defuncti patris cœpit exercere. Teneturne rata habere *Julianus*, quæ pro ipso egit gessitque *Cladii* filius?

R. Regulariter loquendo non tenetur, cum *Claudii* filius egerit absque mandato ac potestate. *Lege. mandatum §. 7. ff. Mandati vel contra.* Equitas tamen naturalis postulat, ut si causa præsentis casus exegerit celerem expeditionem; constitutus rata habeat, quæ benevolè atque ad gratiam ab ipso ineundam gesta sunt. Cum itaque *Claudii* filius bona fide egerit, non decet, ut approbationem suam *Julianus* deneget iis, quæ ab eodem acta sunt. *Pontas.*

CASUS III. *Aventinus* Procuratorem ad litem quam apud Parlamentum *Gratianopolitenum* habebat, constituit *Thomam* civem *Parisiensem*, qui duorum mensium tempore litem hanc ad finem perduxit. Ubi ex itinere rediit *Thomas*, petiit resarcitionem 400. francorum, quos in causa hac expendisse se testabatur. At *Aventinus* jam aliunde amaro animo, quod causâ cecidisset, putans nimias esse has expensas, non nisi trecentos soluturum se consentit. Recusat *Thomas*. Teneturne in conscientia *Aventinus* exolvere 400. francos?

R. Licet ipsemet *Aventinus* minores forsitan quàm *Thomas* hac occasione fecisset expensas, nihilominus tenetur resarcire omnes sumptus quos rationabiliter & bona fide *Thomas* fecit. *Leges Si quis 27. §. 4. ff. mandati vel contra.*

CASUS IV. *Alanus* data *Barnabæ* speciali procuratione pro venditione cujusdam fundi, moritur quinto decimo die à professione *Barnabæ*, qui ignarus mortis hujus paulò post fundum vendidit: éstne valida venditio hæc, & *Alani* hæres teneturne ipsam ratam habere?

R. Tam valida quàm licita est hæc venditio, nec potest se excusare *Alani* hæres, quò minus eandem approbet. Bona fides quacum egit *Barnabas* rebus ab ipso gestis tribuit effectum potestatis ab *Alano*

factæ. *Instit. lib. 3. Instit. 27. de mandato, §. 10.* Imo potest dici, quòd, si res non admitteret moram, indigeretque celeri providentia quemadmodum segetes & Vindemiæ &c. Procurator tali casu legitime posset agere, tamen jam fuisset monitus de morte constituentis. *Bornat. lib. 1. tit. 15. sect. 3. n. 7.*

CASUS V. *Godbardus* accepto à *Victore*, *Vitale* & *Valentino* mandato procuratorio *Rothomago Nannetum* abeundi ad curanda ibidem, occasione mercium nuper ex America advectarum, Communia ipsorum emolumenta, ubi ex itinere rediit, petiit sibi à *Victore* refundi expensas hac occasione factas. *Victor* oblata pro sua portione tertia expensarum parte, pro reliquis duabus tertiis ipsum remittit ad *Vitalem* & *Valentinum*. Prætendit *Godbardus*, eoquòd sumptus hic debeantur in solidum, jure se à solo *Victore* petere solutionem; potéstne bonâ conscientia perstare in hac sua præensione, & *Victor* teneturne ad solutionem in integrum?

R. Justa est præensio *Godbaridi*, nec *Victor* potest se excusare à solutione totius debiti salvo recursum ad *Vitalem* & *Valentinum*. Quando enim plures constituerunt Procuratorem, singuli erga ipsum obligantur in solidum ad solutionem expensarum, licet de obligatione in solidum nulla facta fuerit mentio in Mandato. *Leg. si mandatum 50. §. 3. ff. Mandati vel contra.*

CASUS VI. *Maurillus* domicilium suum in Angliam translaturus, ex Gallia abiens *Sigeberto* reliquit mandatum generale pro administratione suorum bonorum. Post sex mensium lapsum simile mandatum dedit *Liebaldo*, inscio *Sigeberto*, qui tandem aliquamdiu post de nova hac procuratione certior factus, nihilominus perrexit in exercendo Procuratoris munere, & fructibus, quos ex *Maurilli* fundis collegerat, vendendis. Sed hos fructus eodem penè tempore alteri vendidit *Liebal-*

aus. Quænam ex his duabus venditionibus est de jure valida?

R. Valet venditio *Liebaldis*. Postquam enim *Sigeberto* innotuit procuratio in *Liebaldo* translata, nullum ille amplius habuit jus gerendi negotia *Maurilli*. *Leg. si quis 31. ff. de procurat. & defens. lib. 3. tit. 3.*

CASUS VII. *Landulphus* accepit procurationem ab *Henrico* absente ex Gallis pro administratione omnium ipsius honorum, transegitque vi hujus suæ procurationis cum *Carolo* super certis juribus, quæ *Henricus* prætendebat sibi competere ad certam successionem, insuper etiam alienavit fundum pro solutione alicujus debiti. Reversus in Galliam *Henricus* noluit approbare, quæ quoad duo hæc capita temerè à *Landulpho* gesta fuerunt. Rectène improbat?

R. Mandatum Generale ad gerenda negotia absentis non sufficit ad hoc, ut quis possit transigere super ipsius juribus, & alienare ejusdem fundos. Quoad transactionem requiritur speciale mandatum. *vid. leg. mandato 6. ff. de procurat. & defens. & pro alienationibus Leg. Procurator 63. ff. loc. cit.* Ratio est, quia transigendo & alienando minuuntur bona constituentis. Procurator potest quidem meliorem facere conditionem constituentis, sed non deteriore. *Leg. Præterea 3. ff. Mandati vel contra lib. 17. tit. 1.* Excipiuntur ab hac regula fructus, & quidquid lapsu temporis potest perire.

PROFESSIO RELIGIOSA.

1. *Professio Religiosa* est protestatio publica & solemniter emissa ab aliqua persona in ordine ad amplectendam vitam regularem, & observanda toto vitæ tempore tria vota Castitatis, paupertatis & Obedientiæ.

2. Est etiam publica & solemniter obligatio, qua semetipsum adstringit Religiosus ad observanda per omnem vitam suam consilia evangelica secundum regulam ali-

quam ab Ecclesia approbatam, emittendo tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ per protestationem publicam renuntiandi negotiis ac occupationibus secularibus, bonis, honoribus & deliciis mundi, interdicto sibi omnium horum usu per pactum cum Deo initum, qui solus imposterus futurus est objectum cogitationum, cordis affectuum, & desideriorum Religiosi vel Virginis Deo dicatæ.

3. Ut valida sit professio Religiosi, requiritur, ut per annum integrum sustinuerit Novitiatum, ut compleverit ætatis annum decimum sextum, & ut duæ partes tertiæ vel major & sanior pars capitularium votis suis in professionem ipsius conspirent.

4. Minorennis potest emittere professionem non obstante qualicunque oppositione parentum ipsius. Attamen respectu puellarum regula hæc non procedit nisi ex judicio Ordinarii vel Vicarii Generalis vocatio Novitiæ habeatur ac pronuntietur legitima, & insuper emittenda ab ipsa professio sit ex omni parte libera. In casu dubii sequestranda interim est, donec veritas pateat.

5. Professio solemniter habetur pro quasi morte civili, ejusque effectus est apertura substitutionis testamentariæ. Professio solemniter non potest probari per testes, sed tantum per scripturam publicam.

6. Professio alia est *expressa*, & alia *tacita*; posterior hæc in Gallia non habetur pro valida, etiamsi aliquis per quinquaginta annos portasset habitum.

7. Licitum est in certis casibus reclamare contra solemnem professionem ad ejus nullitatem probandam: motiva reclamationis possunt esse metus gravis, vel defectus ætatis. Tridentinum determinavit primum quinquennium currens à die emissæ professionis in ordine ad ejusdem valorem impugnandum. Juxta idem Concilium, qui habitum Religionis seu Ordinis sui dimisit non potest recipi ad impugnandam emissionem professionis suæ,

nisi antea redierit ad suum monasterium.

8. Omnes Regulæ Monasticæ prohibent, ne quidpiam exigatur à Religionis Candidatis. Verumtamen, si solam regulam *S. Fructuosi* Episcopi Bragensis exceperis, omnes reliquæ permittunt acceptari, quæ sponte vel à Candidatis vel ab horum parentibus offeruntur: Interim hujusmodi exactiones semper ab Ecclesia fuerunt habitæ pro vera Simonia, sed nostris his temporibus relaxata fuit antiqua hæc severitas; docetque *D. Thomas* quod si monasterium sit valde indigens, liceat tunc exigere, quantum pro subsistentia Novitiorum poterit sufficere, nihil tamen ultra necessarium peti posse.

CASUS I. Majorianus anno ætatis suæ sexto decimo cum dimidio assumpsit habitum Religiosum in quodam conventu *S. Francisci* die 1mo Januarii Anno 1715. Vergentemque ad finem Novitiatu instantissime rogavit, ut permetteretur sibi sacra Deo vota sua nuncupare sequenti 30. vel 31. Decembris, qui dies ipsius natalis erat. Potuitne ipsi concedi facultas hæc?

R. Nullo modo id concedi poterat *Majoriano*, & si actu emisit professionem, nulla hæc erit. In materia Novitiatum & Professionis quam rigorosissime observanda est dispositio Juris, statuentis, ut annus Novitiatus sit totaliter completus ad hoc, ut liceat facere professionem. *Alexander III. in cap. ad nostram 8. de Reg. & c. lib. 3. tit. 31. & juxta Fagnanum loc. cit.* si pauculæ horæ deessent, professio nullitatis vitium contraheret.

CASUS II. *Selævus* indutus habitu Novitiatus in quodam conventu *S. Francisci* die primo Januarii *Anni Dissertilis*, poteritne facere professionem die 31. Decembris ejusdem anni?

R. Ratio hæc neutiquam ipsum posset excusare, validamque reddere ipsius professionem. Non enim attenditur dies ille Februarii quo numeratur *Bis sexto ante Kalendas Martii*, cum biduum illud habeatur pro unico die. *Leg. cum bis sextidiction. Cas. Conf.*

zum 98. ff. de verbor. signif. lib. 50. tit. 16.

CASUS III. *Aurelius* per integrum & completum annum sustinuit Novitiatum in quodam Monasterio Religiosorum Reformatorum, ac postmodum consentiente toto capitulo, quod ex 80. Religiosis constabat, professionem emisit in manus Superioris. At ecce! post menses sexagente Religiosa illa communitate, nulla declaratur electio hujus Superioris. Estne valida *Aurelii* professio?

R. Professio est absolute nulla, quando fuit emissa à persona non habente potestatem semetipsam obligandi, veluti à servo, vel eo, qui matrimonio est ligatus &c. nec etiam potest esse valida aut canonica si non fuerit acceptata ab eo, qui jus habet obligandi religionem erga Professum, seu à Superiore legitimo. Adeoque *Aurelii* Professio nulla est, cum Religiosus, qui eandem accepit nomine monasterii ex defectu legitime potestatis id facere nequiverit. *Fagnan. in cap. porrectum 13. de Regular. & transeunt. ad Relig. n. 18.*

CASUS IV. *Ladislaus* 17. vel 18. annos natus septem Novitiatus menses transegit in quodam monasterio. Significatum ipsi fuit à Capitulo, se ineptum esse ad Religionis onera. Recurrit ergo ad Definitorium à quo admissus fuit ad reinchoandum Novitiatum; nunquam dimisit habitum Religionis, nec monasterium in quo habitum assumpsit, & post 5. vel 6. menses unanimi Capitularium consensu etiam ad S. Professionem condonatis ipsi residuis 6. vel 7. mensibus emittendam admittitur. Estne valida ipsius professio?

R. Est sine dubio valida. Habet enim competentem ætatem, & explevit suum Novitiatum nunquam dimisso habitu. *Sylvius Resolut. variar. v. Professio monastica. 6.*

CASUS V. *Bernardinus* Novitius cujusdam monasterii 17. annos natus, *Illumque* proidentia seu hernia affectus, cum aliis quatuor connovitiis suis solemnem professionem emisit dissimulato quo laborabat defectu apud Superiorem, qui sit-

gulos expresse præmonuit, non habere se intentionem acceptandi professionem illius, qui infirmitate aliqua corporali laboraret. Impeditne talis declaratio validitatem professionis Bernardini, quando statuta monasterii prohibent, ne ad eandem recipiantur, qui hujusmodi infirmitate affliguntur? & talis Religiosus post 14. vel 15. annos ab emissâ professione, potestne observatis debitis solemnitatibus abscedere ex suo Monasterio?

R. Valida est Bernardi professio tam ex ipsiusmet, quam ex Superioris parte. Protestatio Superioris, quæ sola posset obtare ejus validitati, non potest esse prætextus nisi in casu, quo occultus talis defectus ipsum redderet inhabilem ad exercitia & onera Religionis. Ponitur autem in casu, his omnibus Bernardinum satisfecisse per 14. vel 15. annos. *Pontas.*

Vide *Ordines*, casu 25.

NOTA. Censeo, professionem esse invalidam: quia non eventus, sed periculum, cui votantes suam alligarunt intentionem considerari debet.

CASUS VI. Galeatinus, Novitius cujusdam monasterii Ordinis S. Bernardi exhibuit falsum testimonium Baptismale, & emisit professionem cum nisi 15. cum dimidio annos ætatis haberet. Teneturne in conscientia ob professionem hanc cum fuerit invalida, Religionem profiteri in alio ordine, vel in eodem suo monasterio reincipere suum Novitiatum & professionem?

R. Omnis professio Religiosa ante ætatem requisitam facta, est nulla juxta Concilium Tridentinum sess. 25. de Regular. c. 1. de Reform. adeoque Galeatinus non tenetur amplecti statum Religiosum in alio ordine; quod si verò professio nulla foret ex alia causa, puta si fuisset emissâ in aliquo ordine quam Novitius erroneè existimasset approbatam à sede Apostolica licet re ipsa non sit approbata, multi Canonistæ in Varias abeunt opiniones; quidam enim tuerentur, teneri ipsum ingredi alium Ordinem, alii econtra dicunt, pro-

fessionem esse absolutè invalidam, prior opinio videtur tutior pro conscientia. *Pontas.*

CASUS VII. Navigius surdus & mutus à nativitate, in quodam monasterio sollicitat recipi ad Novitiatum. Poteritne Superior cum Consensu communitatis ipsum admittere, & postquam fuerit admissus, poteritne post finitum Novitiatum acceptare ipsius professionem?

R. Potest emitti professio tribus modis viva voce, in scriptis, & per signa. Posterior hic modus auctoritatem habet ex principio Juris: *Omnes admittuntur, qui non expresse prohibentur.* Hoc supposito Navigius legitime potest facere professionem. *Pontas.*

CASUS VIII. Scipio occultus hæreticus solemniter Religionem professus est post annum Novitiatûs. Estne invalida professio ob ipsius hæresin?

R. Juxta *Sylvium v. Professio Monastica 7. ad 2. quæsitum.* Professio hæc non est invalida ob occultam hæresin; foret autem invalida si hæresis esset manifesta ac publica. Observandum nihilominus est, nullum extare statutum à Sede approbatum, statuens nullitatem professionis à Novitio hæretico occulto emissæ, nisi Superior interrogans ipsum de ejus orthodoxia, expresse declaret non esse intentionem monasterii ipsum recipiendâ ad professionem casu quo re vera Catholicus non sit. *Pontas.*

CASUS IX. Flodoardus in aliquo Monasterio absolvit Novitiatum, & fuit admissus à solo Abbate reclamante & protestante communitate. Estne valida hæc professio?

R. Si ex privilegio, vel consuetudine vel vi statutorum Ordinis Abbas vel Superior habeat jus, ut solus & absque consensu Capituli possit Novitium admittere ad professionem, valida erit professio, licet capitulum in eandem nullatenus consenserit. Juxta hanc ergo regulam de validitate vel nullitate professionis Flodoardi judi-

judicium ferendum est. *Fagnanus in cap. Porrectum 13. de Regular. &c. n. 12. 34. & seqq.*

CASUS X. Vigilianus suum Novitiatum absolvit in monasterio S. Hyppoliti, & postmodum fuit admissus ad professionem à Superiore & toto capitulo. Oritur paulò post rumor, ipsum affligi morbo caducò. Interrogatur itaque à Superiore, qui ipsi declarat voluntatem suam nullatenus esse recipiendi ipsum ad professionem, si res ita se haberet. Respondit novitius, nullum se unquam exinde passum fuisse incommodum unde gravari monasterium potuisset; prostragum se quidem vi mali fuisse aliquoties durante novitiatu, neminem tamen unquam id observasse. Post emissam professionem ex hoc morbo lapsus est quinquies vel sexies intra unius anni decursum; quare Superior ipsum cogitat dimittere ex prætextu, quòd invalida fuerit ipsius professio: Potestne hoc prætextu ipsum expellere?

R. In casu proposito solus Vigilianus consensit in professionem, eumque Superior ipsum non aliter nisi conditionatè admiserit, poterit dimitti. *Sylvius loc. cit.*

CASUS XI. Defuncto Abbate Monasterii S. Pontii, Religiosi in Capitulo congregati vacante adhuc Abbatiali sede simplicianum ad professionem recipiunt. Estne valida hæc professio?

R. Quando jus admittendi ad professionem pertinet ad solum Abbatem, Capitulum regulare post ipsius obitum neminem poterit admittere; potest verò quando hoc jus pertinet cumulativè ad Religiosos & Abbatem. *Bonif. VIII. in cap. Si ad solum su. de regular. &c. in 6. lib. 3. tit. 14.*

CASUS XII. Hipparchus annos nisi 15. completos natus, ingressus est monasterium cujusdam Ordinis in Occitania florentis, in quo habitus Novitiorum nihil differt à Professorum habitu. In hoc monasterio per biennium sponte & cum plena

advertentia ac cognitione omnes functiones solis professis proprias obivit. Estne habendus propterea pro tacitè & validè professo?

R. Jus distinguit tria professionum tacitarum genera: *primum* est, quando quis sponte & cum perfecta cognitione peragit functiones Religiosis professis de jure vel consuetudine proprias: *secundum*, quando quis assumpto professorum habitu eundem per triduum continuum gestat; *tertium* denique, dum quis annos pubertatis adeptus per integrum annum post absolutum Novitiatum portavit habitum Religiosum Novitiis & professis Communem, ita ut nullum quoad exteriora discrimen reperiatur. Putant aliqui Theologi tridentinum tantum abrogasse duo prima genera, alii verò cum majori fundamento contendunt illud nedum duo hæc, sed tertium quoque abrogasse. Nulla professio debet haberi pro valida, quam quæ transactò & verè completo anno 16. ætatis expresse emittitur post integrum annum Novitiatûs. Adeoque Hipparchus non ligatur hac sua qualicunque tacita professione. *Ste Beuve tom. 1. casu 45. & tom. 3. casu 120.*

CASUS XIII. *Aurelia* Novitia in quodam monasterio ab uno & amplius anno, examinata ab Episcopo Diocesano & ad professionem admissa, in morbum valde periculosum incidit. Priorissa in defectu Abbatissæ, quæ & ipsa gravissimè ægroans jam penè ad extrema redacta erat, timensne Novitia ante professionem è vivis excederet, propria sua auctoritate facit ipsam profiteri solemniter in præsentia duarum vel trium Monialium, dissimulans votum perpetuæ clausuræ ab eadem pariter exigendum & emittendum. Moritur interim eodem ipso die Abbatissa; *Aurelia* verò post electionem novæ Abbatissæ pristinae sanitati redditur. At verò tam hæc, quam pleræque ceterarum monialium nolunt eam agnoscere pro professa, deque ipsa dimittenda consilium habent.

bent. Possuntne hoc facere in conscientia?

R. Professio *Aureliae* est nulla, utpote facta inter manus Superiorissae, quae acceptandi professionem potestate carebat. Quare sine scrupulo poterit dimitti. Decilio haec est conformis sententiae *Sylvii Resolut. variar. V. Professio Monastica 2.*

CASUS XIV. *Clara Filia Balduini* sexdecim annos nata ingreditur monasterium. Pater promittit quingentos francos pro vestitu & mensa solvendos, ac insuper ducendos alios tanquam pensionem usufructuariam in vitam attributam dotis loco. Admittitur ergo ad professionem per Conclum Capitulare tum Superioris monasterii, tum Superiorissae & proprio etiam chirographo confirmatum: interim vero ante solemnem professionem gravi morbo corripitur, & jam morti proxima instanter rogat, ut priusquam moriatur, vota sua solemnia praemittere sibi concedatur. Annuente Superiorissa & monialibus omnibus pronuntiat formulam professionis in suo lecto & penè moribunda, sed tamen cum pleno rationis ac sensuum omnium & potentiarum usu. Sanitati praeter spem omnem reddita, per integrum annum tractatur uti aliae professa absque ullo discrimine; postea vero ex Consilio sui confessorii gratiam sibi à Superiorissa fieri supplicat, professionem suam nuper factam cum solemnitatibus & formalitatibus aliis consuetis renovandi. Qua petitione audita Superiorissa Balduinum vocat, ab eoque mille argenti libras exigit quas Balduinus daturum se negat. Repulsam hanc iniquius ferens Superiorissa, oretenus praecipit septem vel octo monialibus suis ut detracto Clarae velo & profesarum habitu saecularem ipsi habitum redderent; tum ex locis regularibus abire iussa paulò post etiam ex toto monasterio à duobus domesticis abstrahitur. Queritur jam an Clara pro Moniali verè professa sit habenda? an praecise ad supplendas omittas formalitates in prima votorum suorum nuncupatione teneatur renovare suam professio-

nem? An Communitas à qua fuit admittita ad professionem, habeat jus revocandi absque auctoritate Superioris Monasterii Conclum Capitulare admissionis cum debitis formalitatibus & chirographo confectum ac munitum? An Superiorissa poterit oretenus tantum praecipere ut Clara spoliatur habitu religionis, ut absque consuetis formalitatibus nec observato juris ordine è conventu expellatur? ac tandem an detur locus appellationi ab hoc Superiorissae verbali mandato ejusque executione?

R. imò. Nullum planè est dubium, quia Clara sit Religiosa verè professa. 2do. Neutiquam est necesse, ut solemniter renovet sua vota, cum quoad essentialia nihil omnino defuerit primae ipsius professioni 3to. Nec Superiorissae nec toti communitati competit jus aliquod spoliandi ipsam habitu religiosarum profesarum & expellendi ex Parthenone. 4to. Superiorissa non potuit tale quid verbaliter tantum praecipere, nec hujus praecipi sui executionem imperare; ac tandem etiam consultum non est confugere ad appellationis remedium, licet eidem absolutè locus esset. Magis naturale est, & Spiritui Ecclesiae conformius adire Episcopum, cujus jurisdictioni monasterium subjacet, ut ipsius auctoritate Clara in sua jura ex integro restituatur. Observandum praeterea est, Superiorissam, Moniales, illòsque domesticos, qui Superiorissae mandatum executi fuerunt, excommunicationem majorem ipso facto, propositionè inque Balduino ex parte Superiorissae factam esse simoniacam, adeo ut si Balduinus fuisset persuasus de nullitate professionis, ejusque renovationem esse absolutè necessariam, non potuisset salvà conscientia & absque simoniae crimine solvere illam summam simul cum dote expressè pacta.

CASUS XV. *Faustinius* fecit professionem sed nullam; & postquam post anni lapsum ipsam ratificavit, impetravit rescriptum à Sede Apostolica, vi cujus restituendus erat contra vota sua. Poterit-

ne rescripti hujus ratificationem sibi procurare illudque exequi?

R. Certum est, *Faustinium* non posse uti hoc rescripto. Hujusmodi Pontificia Brevia semper continent expressam hanc clausulam: *Dummodo professionem hujusmodi tacitè vel expressè non ratificaverit.* Non conveniunt omnes Authores circa modum quo ratificatio fieri debet. *Navarrus & Barbosa* volunt Religiosum, qui recepit Ordines *titulò paupertatis*, ceteri tacitè ratificasse suam professionem; alii e contra tenent professionem & receptionem ordinum esse duo valde diversa, atque adeo ex receptione Ordinum nihil posse concludi in favorem ratificationis. *Pontas.*

CASUS XVI. *Lavius* ingressus est Religionem, ut patris id praecipientis voluntati obtemperaret, eodemque motivo probationis annum transegit; quo tamen ad finem vergente declaravit patri, non posse se tantum imperare sibi, ut ad solemnem professionem procedat. Respondit pater, si professionem facere detrectet, non solum exhaereditandum penitus, sed etiam tristem satis in paterna sua domo vitam posthac acturum. *Lavius* concepto ex hujusmodi minis timore prostratus, simulque consilii inops de futuro vitae statu, formulam professionis suae non nisi oretenus, melius dixeris, *sicè* pronuntiavit, exarata simul & chirographo suo signata contra hanc suam professionem protestatione. Fluxit interim solidum quadriennium absque votorum renovatione, vidensque quintum quoque annum ad finem vergere, palam impugnavit professionem à se factam implorato Episcopo Dioecesano, cujus jurisdictioni monasterium subiacebat. An Episcopus hic solà ac propria sua auctoritate & insuper invito Superiore regulari potest ex monasterio dimittere *Lavius*, eidemque potestatem facere, ut deposito Religionis suae habitu saecularem reassumat?

R. Quando Episcopo huic, cujus jurisdictioni monasterium *Lavii* subest, evi-

denter constat de veritate eorum, quae à *Lavio* sibi fuerunt exposita, potest sola sua auctoritate, praesente tamen & debite vocato Superiore regulari declarare, *Lavius* tanquam non professum & exemptum à Regula quam oretenus tantum ac fide professus est. Nam imò, professio est nulla coram Deo & hominibus. 2do Tridentinum Episcopo & Superiore regulari cedit potestatem cognoscendi de nullitate professionis. *Sylvius Resolut. Variar. v. Professio Monastica 4.*

CASUS XVII. *Fabiola* saepius asperè admodum habita à parente suo, volente ut religiosam vitam in aliquo virginum coenobio amplecteretur, minis etiam additis ipsam filiae loco haud habendam posthac amplius ni jubentis voluntati obsecundaret. Religionem ergo ingressa ut rigidissimi patris asperitates evitaret, quinquennium & ultra ab emissâ professione in eadem monialis conversata est. Estne valida taliter disposita professio?posito quòd sit invalida potestne defuncto patre reclamare? dumque adhuc vivit in conventu, teneturne ad onera Religionis ut reliquae professa?

R. Professio *Fabiolae* est nulla. Quando non voluntariè ac liberè renovavit & ratificavit sua vota, non tenetur ex vi suae professionis ad observantiam votorum Religionis. Quod si verò non reclamaverit intra quinquennium, tenetur in conscientia vivere quoad externa tanquam si esset verè professa, ad evitandum nempe scandalum cujus occasionem praebet aliis sororibus suis qui ipsam veram monialem arbitrantur, & quia hucusque semper participavit & etiamnum participat de commodis, privilegiis, libertatibus & commoditatibus Religionis. Quòd si verò impugnasset professionem intra tempus à Tridentino definitum, non foret rea scandalii. Si verò non reclamaverit, nec imposterum jure poterit reclamare, qualescunque causas etiam justissimas obtendat. Imò etiam si Roma rescriptum obtineret, nullum hoc declararetur in Tribunalibus Galliarum. In-

terim tamen si fuisset impedita per vim, quò minus potuisset reclamare statuto à jure tempore, foret utique admittenda ad proponendam & probandam professionis nullitatem. *Pontas.*

CASUS XVIII. *Jacobus & Marcellinus* filii *Christophori* vi. minisque parentis coacti, Religionem ingressi & professi sunt. Defuncto post biennium patre reclamant contra professionem suam. Oblato sibi tantum ex parte horum Religiosorum supplici libello Officialis Dioecesis observatis reliquis formalitatibus ipsorum professionem nulliter factam declarat, eosdemque in pristinum secularium statum restituit. Suntne ergo legitime obsoleti ab observatione suorum votorum, cum nullum à Sede Apostolica rescriptum obtinuerint?

R. In casu professionis solemnibus annulanda ex disciplina priorum seculorum non erat moris recurrere ad Papam, sed penes Episcopum ejusque Officialem erat tota potestas & competentia judicandi de ejus nullitate; at verò nostris his temporibus rescriptum Pontificium absolute est necessarium juxta Jus Gallicanum. Adeoque *Jacobus & Marcellinus* nequam debent credere se certo & absque ulla controversia esse absolutos à suis votis; oportet enim ut rescriptum exhibeatur ab ipso summo Pontifice. *Pontas.*

CASUS XIX. Paula religiosum ordinem professi est, coacta ad hoc per seculam disciplinam patris, hominis in iram ad furorem usque proni; circa finem quinti anni ab emissâ professione audit, jus sibi adhuc competere impugnandi vota sua; sed tempus quod adhuc reliquum habebat ex quinquennio, brevius erat quam ut ante finem ipsius anni hujus potuisset obtinere rescriptum à Sede Apostolica, hinc non nisi sexto jam anno inchoate ex Urbe recepit. Interim tamen quinquennio suo necdum finito protestata est contra professionem suam juxta formam à Jure præscriptam. Potestne ipsi prodesse quidpiam rescriptum Pontificium?

R. Sufficit quòd Paula satisfecerit Decreto Tridentini ante finem quinquennii; satisfecit autem per protestationem suam in forma debita factam. Concilium non sustulit impugnationem professionis post quinquennium, nisi ex præsumptione quòd post lapsum hujus termini quis mutaverit suam mentem, & vota ratificaverit. Estque præsumendum quòd Paula obtinisset rescriptum à Sede Apostolica insinuando suam protestationem, si habuisset sufficiens tempus, occasionem, & libertatem. In similibus casibus ad tollendas omnes fraudulentias petendum est, ut exprimatur in rescripto restitutio etiam post lapsum quinquennii. Simulque attendendum est ut protestatio fiat in debita & bona forma. *Pontas.*

CASUS XX. *Amalia* finito in quadam Abbacia suo Novitiatu, communibus omnium suffragiis fuit admissa ad professionem; at verò Abbatissa solemnem votorum nuncupationem jam à semestri differt ac procrastinat. Estne in arbitrio vel potestate Abbatissæ, differre tanto tempore ipsius professionem?

R. Quando Abbatissa nullam prorsus habet justam causam differendi professionem *Amaliæ*, injuriam certè ipsi facit, peccatque directè contra Decretum Tridentini, imò in Deum. Quòd si verò justam habeat causam, nullo modo peccat, cum Concilium tantum dicat: *finito tempore Novitiatus, non verò statim finito tempore &c.*

CASUS XXI. Juvenis quidam Religionis habitum assumpsit in aliquo Ordine austerissimæ observantiæ anno ætatis suæ duodecimo fuitque post Novitiatum admittendus ad professionem. Verùm uno anno ab emissâ professione nimis hæ ordinis austeritates ad talem statum ipsum redegerunt, ut per integrum annum æger lecto decubuerit, & exinde etiam variis morbis frequentissimè affligitur, adeo ut nulla spes sit, ipsum longiori tempore posse sustinere rigorem regulæ. Completis nihilominus sexdecim ætatis suæ annis debuit

renovare vel reiterare suam professionem; at ille pro certo habet quòd non aliter ratificaverit suam professionem quam ex principiis conscientie erroneæ, non obstante quòd sæpius ipsi dictum inculcatumque fuerit, ipsum non minus teneri & obligari suis votis in foro interno, ac alii, cum tacite sit professus, semperque hæc participaverit de privilegiis expressè professorum. Estne valida ipsius professio? teneturne perseverare usque ad mortem? poteritne tutà conscientia à Papa petere Breve secularisationis, atque ad parcendum sumptibus melius tractandi negotii sui causâ Romam petere *incognito*?

R. Secunda ipsius professio æquè ac prima, nulla est, nec quantum ad forum internum tenetur perseverare in Regione; cum tamen plus quam annos duodecim transegerit in Ordine, quin unquam contra vota sua reclamaverit, difficile admodum captu est, quomodo in foro externo possit probare nullitatem suæ professionis, & obtinere Breve secularisationis? aliud ergo vix superesse ipsi videtur remedium, quam ut sollicitet Breve vi cuius ipsi concedatur transire ad laxiorem ordinem, quod facile impetrabat, si fortè invenerit *Benevolum Receptorem*. *Fromageau.*

CASUS XXII. Estne valida professio Religiosa, quando nulla præcessit informatio de moribus? Religiosus qui occultavit notabilem aliquem suum defectum, super quo expressè fuit interrogatus, potestne dimitti, quando hujusmodi defectus primùm post professionem innotuit? professio peccatoris (publici) vel ejus qui est infamis infamia juris aut facti, estne invalida, vel saltem illicita?

R. Juxta Bullam *Sixti V.* de An. 1588. ille, de cuius vita & moribus nulla præcessit informatio, est inhabilis ad professionem. Attamen Bulla *Clementis VIII.* rem hanc reducit ad Jus commune, quod sæpius non concordat cum privilegiis quorundam Ordinum Religiosorum quoad illos defectus qui nullam possunt reddere professionem; porro de eodem hoc Jure

communi infames, sive infamia sit Juris, vel facti sunt inhabiles ad professionem. *Fromageau.*

CASUS XXIII. Adolevens quidam, durissimè habitus à suis parentibus qui volebant ipsum cogere ad ingressum Religionis, actu emisit professionem declinandæ iniquæ hujusmodi tractationis gratiâ, quæ mox ab emissâ professione cessavit. Teneturne hac sua professione? an non habet sufficientem causam impugnandi vota sua?

R. Professio hujus adolescentis est nulla; Cùmque sat manifeste possit probare violentias sibi à parentibus illatas, haud difficulter impetrabit, ut nulla declarentur ipsius vota. *Fromageau.*

CASUS XXIV. Juvenis quidam professus est Ordinem S. Benedicti, indeque ad seculum regredi propositum sibi habet ob sequentes rationes: quòd timuerit iram patris importunissimè urgentis ut Beneficium sibi in hoc Ordine procuraret, secus nulla amplius ab eodem subsidia ad studia sua continuanda recepturus Quòd hoc Beneficium unice acceptaverit, ut gratiam à patre suo iniret. Quòd durante Novitiatu nemo unquam ipsum instruxerit circa obligationes & officia vite regularis. Quòd sæpius abundi consilium mente agitaverit, certissimè abiturus si alicubi asylum patuisset, nec timendum sibi fuisse odium patris absque ulla spe veniæ incurrendum: & tandem quòd anno 2do cum dimidio à sua professione, actu reclamaverit. Quid ergo Consilii, ut Religiosus iste absolutionem à votis suis obtineat? potestne permutare suum Beneficium, quòd *Beneficium Aeditui* in Claustris vocant, annexum sibi Beneficium seculare habens.

R. Ipsius professio non potest declarari irrita, nisi possit probare coactionem ex parte sui patris tantum, & adeo efficacem, ut libertatem ipsi abstulerit ad talem obligationem, qualis professio Religiosa est, ineundam Si putaret, habere se sat fortia argumenta probandi suam intentionem

deberet sollicitare pro rescripto Pontificio, Ordinario suo prius monito quod ad Papam recurrere in animo habeat. Quod attinet ad ipsius Beneficium, non potest illud permutare. *Fromageau.*

NOTA. In mea Theologia cum Suarezio doceo, etiam vota solennia dubii valoris non esse reservata Papæ, sed Episcopo, à quo proin judicari & tractari possunt.

CASUS XXV. Estne valida professio emissa à Novitio in monasterio & coram Superiore non suo?

R. Et nulla. Superior quippe conventus, in quo professus est, caret sufficiente potestate acceptandi professionem. *Fromageau.*

CASUS XXVI. Monialium de Sodalitate S. Ursulae Superiorissa sola cum una sorore conversa in conventu quodam existens potestne ad professionem admittere duas novitias, quæ Religionis habitum ibidem susceperunt, vel ideo etiam, quia in hac ipsa domo erunt aliquot moniales ex vicinis monasteriis, communiter cum ipsa viventes?

R. Nullo modo potest admittere. Solus Episcopus admittendi illas potestatem potest concedere.

CASUS XXVII. Religiosus celato malo contagioso afflictabatur, emisit professionem. Estne nulla hæc ipsius professio?

R. Quando Statuta Ordinis à Sede Apostolica confirmata expressè à professione excludunt tali morbo laborantes, professio ipsius nulla est; & si ex hac causa fuerit dimissus, poterit securâ conscientiam manere in sæculo, eum vota ipsius planè nulla sint. *Fromageau.*

NOTA. Vide *Casum V.*

CASUS XXVIII. Novitius fecit Professionem certa conditione adjecta. Estne valida?

R. Pro foro interno est nulla. Verum in foro externo habetur pro absoluta, licet actus professi testentur de contrario. *Fromageau.*

Vide *Abbatissa, Cal. 1. & 9. Dispensatio circa vota in genere. Dispensatio in*

votis Religiosis. Religiosus. Monialis. Vota. Transactio.

PROMISSIO.

1. *Promissionis* legalis nomine venit charta vel schedula privata, propria tamen manus chirographo signata, qua quis se obligat ad solvendam aliquam summam mutuò sibi datam, vel ex alio titulo debitam.

2. Verum promissio de qua in præsentiarum est quaestio, est obligatio *verbalis, voluntariè & cum plena deliberatione* contracta, qua quis se obligat ad præstandam rem aliquam *possibilem*, & *gratam illi cui fit promissio*, ad dandum cuiquam, vel faciendum, aut non faciendum aliquid, quod ceteroquin posset facere promittens.

3. Promissio potest esse pura & simplex, vel conditionata, aut juramento confirmata.

4. Tam honor noster quam conscientia nos obligant, ut promissionem quomodocumque simplicem adimpleamus, nisi notabilis aliqua mutatio interveniat.

CASUS I. *Cyrillus*, adhuc minoræ promisit matrimonium *Eudoxia*, à qua reciprocum promissum recepit. Perpetrato postmodum cum ipsa flagitio cepit illam fastidire. Poteritne hæc sola ratio ipsum excusare à dato promisso, licet oblatum pinguius matrimonium puella hæc recusaverit sola spe freta potituram se nuptiis *Cyrilli*?

R. Si Consentiant parentes *Cyrilli* in nuptias *Eudoxia*, tenetur in conscientia stare suis promissis juxta Jus Gallicanum, non obstante usu corporis sibi ab eadem permissio. *Pontas.*

CASUS II. *Gasto Leonidi*, cui ex pluribus titulis erat obstrictus, luculenta daturus grati animi argumenta, serio promisit mille francos, ut primum receperet bis mille francos sibi à quodam tertio debitos. Gratum & ratum habuit promissum hoc Leonides. At verò *Gasto* persolutis sibi post unius mensis lapsum bis mille franc-

francis, negabat daturum se *Leonidi* plus quam quingentos francos. Teneturne in conscientia ad solvendum residuum ex promissa summa?

R. *Gasto* non habuit justam & gravis momenti causam ipsum excusantem à solutione residui, tenetur ad novissimum usque quadrantem exsolvere promissas pecunias *Leonidi*. *Glossa in cap. sunt quadam l. 17. q. 1. v. promittimus.*

Difficile tamen est determinare qualitatem peccati ab eo commissi, qui promissum fallit, quibusdam mortale peccatum, aliis veniale duntaxat hoc esse asserentibus. Videtur autem non posse de hoc solidum ferri judicium nisi prius mature examinentur gravia vel levia damna aut præjudicia, quæ exinde possunt resultare. *Pontas.*

NOTA. Cum primum obligans sit ipse gratuitus promissor, ab ejus intentione dependet modus obligationis. In dubio præsumitur intentio se leviter obligandi, ubi violatio promissi non potest causare gravem contristationem vel damnificationem.

CASUS III. *Damasus* Juliano promisit rem de se justam, possibilem ac rationabilem; sed ex eo tempore, quo promissio facta est, supervenit notabilis mutatio, per quam videtur posse excusari ab executione promissi; teneturne hoc non obstante stare promissis?

R. Regulariter loquendo tenemur exequi promissa, quando res est possibilis & licita. Nihilominus tamen certum est, quod *Damasus* non teneatur suo promisso Juliano facto, quando mutatio, quæ post promissum accidit, potest ipsum excusare à contracta obligatione. Ita docet *D. Thomas in Epist. ad Roman. 15. lect. 3.*

NOTA. Illa circumstantia excusat, de qua, si fuisset cogitatum & tractatum, verosimiliter promissio non esset facta.

CASUS IV. *Domnolus*, Dynasta cujusdam Provinciæ, in qua observatur Jus scriptum, fratrem habet *Theocritum* nomine, duosque ex fratre nepotes *Petrum* & *Paulum*, Donationem facit *Petro* 40000 francorum intuitu matrimonii, quod con-

Dictiou. Cas. Consé.

tracturus erat vel jam contraxerat cum *Matbilde*. Emit *Petrus* Latifundium seu ditionem pro 50000 francis. De hac summa in parata pecunia solvit 30000; residuum 20000 solutione post lapsum biennii promissa. Cum verò post biennium non fuerit solvendo, à venditore in jus vocatur, & immissio in ipsius bona à Judice decernitur. *Domnolus* annos jam 86 ætatis habens, sinistra ipsius fortunæ condolens, quo facilius tanti debiti onere sese extricaret, promittit 15000 francos eidem se ex testamento legaturum; promissum hoc cum multa gratitudine acceptat *Petrus*. At verò post duos menses patruum suum rogat, ut dimidium hujus legati anticipato sibi solvat, quò à molestis vexationibus sui creditoris immunem se aliquando redderet. Consentit *Domnolus*, sed ea expressa conditione, ut moriturus absque prole *Petrus* teneatur quidquid ex ipsius liberalitate partim jam percepisset partim adhuc percepturus esset, totum, vel certè partem germano suo *Paulo* testamento relinqueret, statimque literas ipsi cambiales tradit pro summa 7500 francorum harum exhibitori solvendorum. *Domnolus* jamjam Chirographo suo contractum signaturus pro traditione 7500 francorum iterum protestatur, seriam suam intentionem esse ac voluntatem, ut morituro forsàn absque liberis *Petro*, 40000 franci jam percepti, & 15000. ex legato, quorum dimidium jamjam percepturus erat, ad proximum suum hæredem transirent. Respondit *Petrus*, nolle se acceptare hac conditione 15000 francos. Igitur *Domnolus* pessima hac *Petri* dispositione oblupefactus, dum instrumentum à Notario confectum legit, videt nullam omnino de aliquo contractu donationis fieri mentionem, sed de apocha tantum seu acceptatione 7500 francorum, quos patruum suum sibi debere *Petrus* supponebat, persolutorum. Jubente itaque *Domnolo* corrigitur instrumentum, sed quia etiam in hoc correcto omissum fuit, tam 40000 francos, quam 15000 ex i-

FFh h'hh

talò

tulo legati solvendo ad hæredes ipsius primi & secundi gradus transituros, ipse met clausulam hanc apposuit quam *Petrus* acceptaturum se constanter recusat; asserens, patrum suum coram Deo & in conscientia teneri ad solutionem 15000. francorum purè ac simpliciter præstandam, utpote absque ulla adjecta conditione sibi promissorum, acceptata etiam postmodum à se donatione hac. Discedit posthæc *Petrus*, postquam extractum schedæ cambialis Notario tradidisset, Patruo suo remittendum.

Quæritur hic præcipuè, an *Domnolus* in conscientia teneatur promissos 15000. francos dare nepoti suo, licet hic recusetur exequi clausulam instrumento à donatore insertam, qui ob ingratitude nepotis ab onere promissi absolutum se existimat.

℞. Pro certo principio habendum est; neminem teneri ad executionem promissi à se facti, utut justus & sincerus, quando supervenit notabilis mutatio, talis quæ excusaret promittentem, si talem mutationem prævidisset: adeoque in præsentis casu *Domnolus* non tenetur stare promisso Petro nepoti facto *Pontas*.

CASUS V. *Alipius* Petro promisit 50. dupliones aureos, sed ex mera officiosa urbanitate, & absque intentione implendi suum promissum. An in conscientia hoc tenetur exequi?

℞. Nullum promissum importat veram obligationem, si desit consensus promittentis. *S. THOMAS 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5.* Si tamen *Alipius* intendisset decipere *Petrum* hac sua falsa promissione, eidemque per hoc causasset damnum aliquod, vel si causaret gravem justam contristationem, ad hujus reparationem dubio procul teneretur.

CASUS VI. *Julianus* per silvam iter faciens incidit in latronem, qui præsentem ipsi mortem minatur. Ad evitandum hoc periculum promittit ipsi 20 dupliones aureos ante 24. horarum lapsum sub aliqua arbore, sibi à latrone indicata, deponen-

dos, attamen cum expressa intentione pro summa hujus restitutione apud Judicem agendi. Teneturne *Julianus* stare suo promisso, & promittendo commisitne mendacium?

℞. Non tenetur exequi suum promissum latroni metu adeo gravi factum. Doctrina hæc est *D. Thomæ 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3.* nec etiam potest condemnari mendacii, utpote cum verè & ex animo voluerit dare pecunias evitandæ mortis gratia, quam latro ipsi minabatur. *Idem in 4. dist. 29. q. un. art. 4. ad 4.*

CASUS VII. *Anatolius* trapezita celebris in summo discrimine omnia bona sua amittendi constitutus, nisi statuto die habeat 10000 francos, convenit *Mamilium* amicum suum; attamen notorium usurarium, ipsumque rogat; ut summam hanc post sex mensium lapsum reddendam, sibi commodaret. Recusante autem *Mamilio* gratis dare has pecunias; oretenus seu verbaliter ipsi promittit interesse decem pro centum, timens utique jacturam bonorum, fidei apud socios, & famæ, ni exhibere possit hanc summam. Teneturne in conscientia ad solvendas has usuras?

℞. Datur duplex metus, *justè nempe, & injustè* incussus. Promissio facta ex metu justo, utcunque gravi, modò non fuerit tantus, ut penitus destruxerit deliberationem voluntatis, non tollit obligationem implendi promissum; nam quia motivum metus supponitur justum, datur obligatio promittendi, & consequenter servandi promissum, vel saltem illud opere exequendi, utpote voluntariè & ex justis motivis factum.

Si verò motiva metus ponantur esse injusta, uti in præsentis casu, cessat omnis obligatio juxta doctrinam. *D. Thomæ 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3.*

CASUS VIII. *Scævola* promisit *Thomæ* decem dupliones aureos ea conditione, ut occideret, vel inflictis verberibus sæviret in suum inimicum. Pactam coconditionem explevit *Thomas*. Teneturne *Scævola* ad solutionem promissæ summæ.

℞. Neque pro foro interno, nec pro externo tenetur *Thomæ* solvere decem dupliones promissos. Omnis promissio & conventio, quæ tendit ad committendum aliquod crimen mediante summa pecuniaria, estque prohibita legibus divinis vel humanis, nullum omnino nec ante nec post producit obligationem. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Ait regula Juris 64. in 6to. Et hinc *Scævola* ad nihil aliud tenetur, nisi ad sinceram penitentiam.

NOTA. Hæc responsio, ejusque ratio, confirmat sententiam, contractus initos sub conditione turpi, esse jure naturæ invalidos. Sed author hujus dictionarii alibi immemor sui aliter docuit; & infra iterum Casu 11. ac 12. Hic aures Deo & naturæ intus loquenti præbuit; ibi probabilistis.

CASUS IX. *Jordanus* prostitutæ pudicitia feminae promisit decem aureos pro pretio perpetrandi flagitii. Teneturne suo promisso?

℞. Tantùm abest, ut stringatur suo promisso promittendo dictam summam, peccavit quippe maximè si promissio fuit facta cum intentione diutius continuandi cum ipsa carnalis commercii ut etiam novum peccatum committeret ex eo sine pactam pro flagitio mercedem persolvendo.

CASUS X. Matrona nobilis famulae suæ cubicularia paulò post nuptias celebraturæ promisit sed non nisi verbaliter 100. dupliones, & insuper augmentum annuum 50. francorum solito ipsius salario addendorum. Teneturne eorum Deo implere hoc suum promissum?

℞. Tenetur; quando per ipsius facultates id licet, simulque promissio à cubicularia fuit acceptata. *Fromagenu.*

CASUS XI. Famulus cujusdam Ruricolæ credens filiam heri sui esse virginem eum ipsa fornicatur, addita ad facilius impetrandum usum corporis ejus, promissione matrimonii. Verùm audiens postmodum puellam hanc jam pluribus corporis sui potestatem fecisse, sententiam suam quoad matrimonium cum ipsa con-

trahendum mutavit, cautè hoc animi sui consilium eidem occultans, imo constantiam suam in amore, quo ipsam deperibat, sæpius in faciem declarat, consuetisque visitationibus, probat.

℞. Tenetur ducere puellam juxta suum promissum: nam supposito etiam quòd famulus hic potuisset mutare mentem postquam vitium puellæ ex aliis cognovit, quòd verum non esse tenent *Lugo* & *Garibaldus*, certissimum tamen est, quòd non amplius possit resilire, quando cognita prostituta pudicitia feminae, nihilominus continuavit cum ipsa flagitiosam consuetudinem dissimulato eidem suo Consilio de retractata promissione matrimonii. Ratio est, quia cum bene sciat, puellam non consensisse in copulam nisi ob spem matrimonii sibi factam, si sub simili conditione ipse vicissim petierit & acceptaverit consensum juvenulae in opus carnale, ratificavit certè veterem suam obligationem per novum contractum onerosum, qui utramque partem obligat. *Anaclet. Lib. 4. Decretal. Coninc. Disput. 23. dub. 10.*

NOTA. Lege Casum 8. & 9. & miraberis eorum inconstantiam, qui ab omni vento doctrinae probabilistarum abripiuntur.

CASUS XII. *Albertus* centum Imperiales promittit *Sicario*, si *Petrum* occiderit. Teneturne *Albertus* hoc suo promisso, occiso juxta dictum *Petro* à *Sicario*?

℞. Dicunt aliqui quòd non teneatur, quia ex actione injusta non potest nasci obligatio justitiæ. Alii verò, & nominatim *D. Thomas*, *Lessius*, *Lugo*, *Diana* & *Tamburinus* pro certo tenent *Albertum* obligari; rationem sententia suæ hanc asserunt, quia pecuniæ non fuerunt promissæ tanquam pretium peccati, sed intuitu periculi cui se *Sicarius* commissurus erat perpetrando homicidium. Cum ergo hic, exponendo se tanto periculo acquisiverit jus exigendi hanc summam, *Albertus* ex eadem ratione contraxit obligationem eandem solvendi.

NOTA. Lege iterum Casum 8. & 9. & mirare inconstantiam hujus Compilatoris.

PROMOTOR.

1. *Promotor* vocatur Officialis Ecclesiæ, qui in rebus concernentibus Jurisdictionem Ecclesiasticam easdem exercet functiones, quas Procurator Regis in fœrensi Curia.

2. Cùm per SS. Canonum constitutiones non liceat laicis accusare Clericos, nisi in certis quibusdam casibus, Promotores debent esse personæ Ecclesiasticæ.

CASUS I. *Sextius* Promotor cujus Curia Episcopalis, simulque Parochus, inquisitionem habuit ex officio contra *Gautierium* Clericum scandalosæ vitæ infamia notatum & propterea accusatum. Vocatisque ac citatis duobus vel tribus parochianis accusati amicus, præsens ipsemet interfuit informationi & interrogationibus accusati Clerici; imo etiam testium cum reo confrontationi, eo fine ne se præsentente testes variarent in depositione, vel celarent veritatem factorum, de quibus antea testimonium dixerant. Potuitne hoc facere absque peccato contra justitiam?

R. Non potuit præsens interesse interrogationi testificationum collationi, seu prælectioni, vel confrontationi, aut informationi testium contra accusatum. Promotus Criminalis debet esse secretus, Promotor est pars publica, ejusque functio est incompatibilis cum officio Judicis. *Pontas.*

CASUS II. Romilius Promotor Diœcesis Albenensis acceptavit resignationem Pœnitentiariæ Ecclesiæ hujus Cathedralis in suum favorem factam; potestne licite exercere functiones hujus Beneficii, simulque exercere munus Promotoris?

R. Pœnitentiarum & Promotoris officia non possunt exerceri ab una eademque persona. Pœnitentarius vi officii tenetur absolvere reum de commissis peccatis serio dolentem, Promotor econtra eundem ex obligatione justitiæ debet agere ad ejus punitionem. Juri naturæ & gentium repugnat, eosdem esse accusatores, assesso-

res in tribunali, & Judices. *Tertullianus in Apologetico.*

CASUS III. Ruffinus Promotor cujusdam Episcopatus Gallia evidenter scit Alexium presbyterum reum esse criminis penitus occulti; potestne tutâ conscientia petere à Vicario Episcopi licentiam inquirendi in hoc crimen, vel personam criminosi?

R. Non tantum non tenetur hoc facere, & contra Alexium inquirere, sed nec debet. *Pontas.*

CASUS IV. *Rbotodus* Ecclesiæ Pictaviensis Promotor præterdit habendum se pro præsentem in choro, adeoque lucrari posse distributiones quotidianas absque onere frequentandi chorum? contradicit præterensioni huic capitulum Cathedrale. An bene facit capitulum licem ipsi super hoc movendo?

R. Si capitulum persistat in sententia negandi ipsi præsentem, dum actualiter occupatur in exercitio muneris sui, jure potest petere sententiam contra capitulum; sic enim fuit decisum à conventu Cleri Gallicani die 26 Septembris A. 1635. : aliis verò temporibus tenetur assistere choro. *Pontas.*

Vide *Officialis.*

PROPRIETAS RELIGIOSORUM.

1. Proprietas semper fuit habita pro detestabili vitio in viris Religiosis. Canones expressè prohibent, ne Religiosi habeant proprium, contra votum solemne paupertatis ab iisdem emissum.

2. Concilium Tridentinum renovavit antiquos canones, quibus Regularibus omnibus interdicitur retentio vel possessio cujuscunque rei mobilis vel immobilis, sub pœna amissionis seu privationis vocis activæ & passivæ juxta constitutiones cuilibet ordini Religioso proprias.

NOTA. Jesuitis tamen necdum admissis ad secundam professionem licet habere dominium bonorum *ligatum* hoc est, absque usu & dispositio-

tionem libera in commodum proprium. Idem habuerunt passim Canonici Regulares ante Tridentinum.

PROVISIO DE BENEFICIO.

1. *Provisio* est titulus à legitimo Superiore collatus Clerico habili, vi cujus potest possidere Beneficium; adeo ut absque hoc titulo in nullo profusus casu legitime possit obtinere qualecunque Beneficium.

2. *Provisio* obtinetur per simplicem abdicationem seu cessionem prioris Beneficii, per resignationem *in favorem*, ex causa permutationis, vel titulo Comendæ.

3. Omnis *provisio* est nulla, si interveniat simonia, vel confidentia, vel si conferatur personæ inhabili.

4. Quando in *provisione* deprehenditur aliqua nullitas, solus Judex regius de hac cognoscendi potestate pollet (in Gallia).

5. Si aquirendo Beneficio in Regno Gallia sito Curia Romana injustè neget *provisionem* Gallo, Parlamentum Regis disponit, ut ab Episcopo Diœcesano vel ab alio conferatur.

6. In literis *Provisionis* debet exprimi, an collatio sit *libera vel coacta*.

7. *Provisio libera* est illa, quæ ex sola voluntate collatoris dependet. *Coacta* est quam collator non potest non admittere.

8. In Gallia non admittuntur *Provisiones* datæ *motu propria*; sed illæ tantummodo, quæ conceduntur ad preces, in quibus exprimitur modus vacaturæ Beneficii, ejusdem Beneficii natura, qualitates necessariæ, & alia Beneficia de quibus aliquis jam actu *provisus* est.

CASUS I. Romulus filio suo Aolio sex tantum annos ætatis habenti procuravit *provisionem* pro Capella simplici. Estne valida & canonica istiusmodi *provisio*?

R. Est nec Canonica nec valida. Ut enim sit legitime *provisus* hujusmodi Beneficio, requiritur ut habeat annos ætatis septem completos; regula hæc vel axiomata, *annus inceptus pro completo habetur*,

non habet locum in præsentem casu, sed solum in Beneficiis insignibus. *Pontas.*

CASUS II. *Euphronius* Diaconus annos haud amplius viginti tres cum uno mense ætatis habens, *provisus* fuit aliqua parochiâ; estne Canonica hæc *provisio*, & si post annum integrum à *provisione* computatum non susceperit Sacerdotium, estne *ipso jure* privatus suo Beneficio?

R. Requiritur viginti quinque anni ad hoc, ut quis possit habere Beneficium curatum, vel certas dignitates in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, juxta dispositiones plurimum Conciliorum, specialiter *Tridentini Sess. 24. cap. 12. de Reform. & Sess. 22. cap. 4. de Reform.* Interim tamen punctum hoc disciplinæ non observatur in Gallia, saltem in omni rigore, juxta Cabassutum *Notit. Ecclesiast. ad cap. 4. Sess. 22. Concil. Trident.* Et sic sufficeret, si *Sophronius* susciperet Sacerdotium post annum adeptæ pacificæ possessionis, quando Beneficium est litigiosum. Dantur verò alia Beneficia, quæ non possunt aquiri, nisi quis habeat ordines iisdem annexos.

Occasione præsentis casus est observandum, quòd quando Beneficium tantum vacat *ipso jure*, titulari adhuc competat jus illud resignandi vel permutandi; quòd si verò vacet *ipso facto*, non poterit amplius de eodem disponere.

CASUS III. *Valesius* Diaconus annos natus viginti quinque *provisus* fuit aliqua Capella; quia verò titulus hujus Beneficii jubebat, ut nulli alteri nisi presbytero conferatur, hinc dubitat an ipsius *provisio* sit valida, & num sufficiat, si intra annum à die adeptæ possessionis Sacerdotium suscipiat?

R. *Provisio* *Valesii* est nulla, nec sufficit ut intra annum à capta possessione ordinari se faciat. *Argum. Leg. 4. §. 1. ff. de naturalib. Act. lib. 9. tit. 4.*

CASUS IV. *Callimachus* habens capellam cujus anni redditus non excedunt 30 francos seu 12 florenos, *provisus* fuit per obitum Prioratu 800 francorum; at verò

in sua supplica ad Papam nullam fecit mentionem hujus Capellæ. Præjudicâtne hæc omiffio ipsius provisioni?

R. Est absolute necessarium, ut qui apud Papam supplicat pro Beneficio *in forma gratiosa*, exprimat in sua supplica, an etiam possideat alia Beneficia, horumque naturam, dignitatem & redditus ut ut modicos, fideliter & accuratè notet; adeoque Provisio Callimachi est nulla. *Lucius III. in cap. ad aures 8. de Rescript. lib. 1. tit. 3.*

NOTA. Censeo, beneficium tam tenue non habere taxam Romæ, ac proin haberi & habendum relatè ad finem intendum pro nullo.

CASUS V. *Rudolphus* in curia resignavit parochiam Saturnino, cui ante 6. menses Joannes resignavit Capellam, sed nec Rudolphus nec Saturninus habuerunt aliquam notitiam de hac resignatione. Sûntne validæ hæ provisiones ex curia, licèt in supplica non fuerit expressum jus quod Saturnino competeat ad Capellam?

R. Hæ provisiones habendæ sunt pro validis, utpote cum Saturninus nondum acceptaverit resignationem Capellæ, quando parochia ipsi fuit resignata. *Iusta & probabilis ignorantia impetrantem excusat. Cabassut. lib. 2. cap. 21. n. 21.*

CASUS VI. Castrucius annos viginti & unum natus per resignationem sibi in curia Romana factam obtinuit præbendam Sacerdotalem cum hac clausula in provisione expressa: *Quod ut quatenus dicti Canonicatus & Præbendæ Sacerdotes existant cum primùm ad ætatem legitimam &c.* recepta ergo provisione apprehendit possessionem sui Beneficii, sed per integrum biennium neglexit suscipere Subdiaconatus ordinem, nec talis fuit ordinatus nisi anno ætatis 23. cum dimidio; amisitne suam præbendam vi terminorum provisioni insertorum, eo ipso vacant, quin opus sit amplius sententiâ judicis?

R. Non obstante clausula provisionibus castrucii inserta, & licèt non satisfecerit tempore præscripto quoad susceptionem Ordinis, non amisit suam præbendam

ipso jure. Sylvester de Prierio v. pæna. q. 25.

CASUS VII. Decius à Vicennio est in possessione cujusdam præbendæ quàm simoniacè obtinuit ex curia Romana; resignavit hoc suum Beneficium Caso nepoti, qui ejusdem possessionem natus est. Sûntne validæ & Canonice provisiones Caji?

R. Nullæ sunt; & si de Decii simonia notitiam vel scientiam habeat, non potest tutâ conscientiam retinere præbendam. *Pontas.*

CASUS VIII. Decentius Ecclesiæ Cathedralis Canonicus vult resignare suam præbendam Francisco nepoti suo sub onere pensionis non obstante antiquo statuto Capitulari per Bullam Pontificiam confirmato, quo Canonici prohibentur capere possessionem alicujus Canonicatus cui pensio aliqua est imposita. In supplica nec statuti hujus, nec Bullæ ulla est mentio; Provisiones Beneficii, & constitutio pensionis sântne censendæ subreptitiæ ob hanc omiffionem?

R. Provisiones sunt subreptitiæ & nullæ; Papa certè nunquam easdem concessisset, nec in reservationem pensionis concessisset, si scivisset reservationem hanc Beneficio impositam, & insuper per speciale statutum à Sede Apostolica confirmatum prohibitam. Capitulum nequit in gremium suum admittere Franciscum quin peccet in statutum & Bullam, nec Decentius ullum habet jus ad hanc pensionem, cum careat legitimo titulo, imò cum habeat titulum illegitimum. *See Beauve tom. 1. cas. 31.*

CASUS IX. Octavius apud curiam supplicat pro obtinendo Prioratu simplici S. Blasii, sed ex ignorantia exponit Beneficium hoc esse curatum; estne nulla ipsius provisio?

R. Cum narratio ipsius non sit falsa ex aliqua intentione, in quam cadere posset culpa fraudis vel deceptionis, provisio Octavii est valida & Canonica. *Navarrus lib. 1. consilior. consil. 15. n. 1. & 2.*

CASUS X. Eulalius Acolythus incurrit irregularitatem ob matrimonium contractum cum vidua, ex qua etiam prolem suscepit. Defuncta uxore provifus est Prioratu simplici, nulla petita vel obtenta dispensatione. Estne Canonica & valida ipsius provisio?

R. Omnis irregularitas orta *ex delicto* vel *ex defectu* est impedimentum excludens ab ordinibus & Beneficiis. *Cabassut. lib. 5. cap. 19. n. 1. & 2.* Et hinc provisio Eulalii nec valida est nec Canonica.

CASUS XI. Proposuit Florianus abdicare aliquam capellam, eamque procurare Gastoni nepoti suo; renuntiat proin purè ac simpliciter in manibus collatoris, rogando suppliciter ut eandem conferat Gastoni quem secum adduxerat. Precibus Floriani annuens collator Capellam confert Gastoni qui receptis provisionibus possessionem Beneficii mox arripuit. Sântne Canonice hæ provisiones?

R. Cum nulla intervenerit cum collatore conventio vel pactum nec ex parte Floriani nec ex parte Gastonis, provisio fuit Canonica. *See Beauve tom. 2. cas. 200.*

CASUS XII. Januarius Clericus Sæcularis annos viginti natus provifus titulo commendæ Prioratu pertinente ad Abbatiam Marmoutiensem ingreditur Ordinem S. Benedicti, in quo transacto Novitiatu solemnem professionem emisit nihil omnino disponendo de suo Prioratu, quem sibi retinere se posse prætendit, utpote aliunde jam à suo Ordine dependentem. Interim verò Laurentius ex Curia impetrat provisiones pro dicto Prioratu, tanquam vacantem per mortem Civilem Januarii. Potèstne citra injustitiæ labem uti his suis provisionibus?

R. Laurentius est legitimè provifus hoc Prioratu; Beneficium factum est verè vacans per solemnem professionem Januarii, qui illud nunquam possedit tanquam Beneficium regulare. *Bonif. VIII. in cap. Beneficium 4. de Regular. &c. in 6. lib. 3. tit. 24.*

CASUS XIII. *Vincentius* in favorem *Ferdinandi* in curia resignavit Prioratum 6000. francorum. Postero die ab adventu cursoris mortuus est Papa, electoque novo Pontifice Ferdinandus injustè turbatur ab *Hieronymo* qui audita uno mense post resignationem Vincentii morte misit Romam ad obtinendum Beneficium tanquam *per obitum* vacans. A Consilio regio majore, quod imploraverat Ferdinandus, obtinuit licentiam apprehendendi possessionem *civilem* Beneficii *ad conservandum jus*, & ex eodem percipiendi fructus. Poteritne Ferdinando prodesse quidpiam hoc regii Consilii Decretum?

R. Convenit inter Papam & Galliæ Regem, ut regnicolis concedantur provisiones pro quibus sollicitant, à die datarum, id est ab illo die quo Romam intravit cursor, etiamsi nonnisi post longum tempus expedirentur literæ supplices. - Adeoque Ferdinandus potest securâ conscientiam in suum commodum uti Decreto Consilii majoris, cui utique competeat jus scribendi tale Decretum. *Pontas.*

CASUS XIV. Abbas regularis & Religiosi Monasterii S. Placidi neglexerunt nominare ad Prioratum regularem ab hoc monasterio dependentem. Duo Clerici Sæculares hoc Beneficio successivè provifisi illud pacificè per annos triginta possederunt. Defuncto ultimo titulari *Lampridius* pariter Sacerdos sæcularis obtinuit provisiones ab Ordinario; sântne Canonice hæ provisiones, & provifus poteritne sibi retinere hoc Beneficium, de quo nemo ipsi controversiam movet?

R. Provisio *Lampridii* non est Canonica, nec tutâ conscientiam poterit sibi retinere hunc Prioratum. Sicut Regularis non potest possidere Beneficium sæculare, sic etiam vice versa sæculari non potest conferri Beneficium regulare. *Bonif. VIII. in cap. cum de Beneficio 5. de Præbend. &c. in 6. lib. 3. tit. 4.*

CASUS XV. Basilides parochus regularis aliquot ante obitum suum hebdomadibus *Davidi* resignavit parochiam suam.

David interim donec reciperet suas provisiones petiit ab Episcopo obtinuitque licentiam exercendi functiones parochiales. Ut verò sumptibus parceret, ultra decennium neglexit urgere expeditionem provisionum, semper exercens interea munia parochialia, parochique titulum in omnibus actibus publicis & scripturis sibi arrogans. Quid quæso peccavit clericus hic?

1. Peccavit imò arrogando sibi titulum parochi, qui ipsi nequiquam competeat. 2do Peccavit percipiendo fructus ex Beneficio cujus non erat legitimus titularis, ante obtentas provisiones. 3tio Potuit nihilominus exercere functiones parochiales, seque immiscere in perceptionem fructuum cum licentia Episcopi qui hanc ipsi potestatem concessit. *See Beuve tom. 3. cas. 73.* Attamen talis agendi modus valde sapit intrusionem. *Pontas.*

CASUS XVI. Amalarus Romam misit supplices literas ad obtinendum Prioratum regularem Ordinis Cluniacensis *pro cupiente profiteri*, nullam tamen habens intentionem profitendi hunc ordinem. Accepit sub hac clausula suas provisiones & Beneficii possessionem arripuit. Suntne validæ hæ provisiones, & Amalarus poteritne retinere Beneficium?

1. Certum est, Amalarium non esse legitime provisum; Papa ipsi non aliter concedit provisiones quam sub conditione quòd Ordinem Cluniacensem ingressurus sit. Provisiones hæ nullæ sunt & obreptitiæ, cum in sua supplicia exposuerit, quòd revera erat falsum, tenereturque dimittere Beneficium. *Alex. III. in cap. ex parte 2. de Rescriptis.*

CASUS XVII. Sertorius actu suspensus ab exercitio Ordinum & ligatus excommunicatione majorè ob crimen occultum, accepit nihilominus oblatum sibi certum Beneficium. Ipsi provisiones suntne validæ & Canonice?

1. Sunt nullæ utpote cum jus velut inhabiles à Beneficiis excludat omnes, qui

sunt innodati censuris utut occultis. *Vide Corpus Juris. Pontas.* Sunt etiam nullæ ipso jure, cum Sertorius sit irregularis ex crimine. *Vide Conc. Trident. Sess. 14. cap. 17. de Reformat.*

Vide Beneficium. Beneficiatus. Collatio. Devolutio. Permutatio. Resignatio.

PROXENETA.

1. Proxenetæ dicitur, qui ad ineundos, ac concludendos contractus in variis negotiis, ut emptionibus, venditionibus, mutuis, contractibus nuptialibus, aut in taxando pretio ac æstimando valore rerum suam interponit operam ac industriam. Præcipua Proxenetæ obligatio est, ut sit fidelis: nulla tamen reperitur confessio, in qua mendacium magis in usu est, quàm in hac; ita, ut olim Proxenetæ in negotiis, quibus sese immiscuerunt, testes esse non possent, nisi de consensu omnium partium. Defacto autem in testes recipi possunt, postquam nimirum per Edictum de anno 1673. generalem librum habere jussi sunt, omnia ab ipsis transacta negotia continentem, qui in casu motæ litis de pretio rerum aut termino solutionis consuli possit. Ad probandam autem traditionem hujusmodi liber non sufficit, licet Proxenetæ testis esse, & ut talis deponere possit.

2. Proxenetam adhibendi nulla datur obligatio; cum quisque per semetipsum sua gerere negotia possit. Proxenetæ nequiquam se vades constituunt de successu ac eventu negotiationum suarum. Semper consulere debent secundum notitiam suam. Si debitores solvendo non sint, eapropter Proxenetæ conveniri non possunt, etiamsi eos solvendo esse affirmaverint; tenentur tamen de dolo. Per Edictum de anno 1673. ipsis interdicitur, in rem suam cambium aut mensam erigere argentariam, sive directe sive indirecte.

3. Pro negotiationibus licitis debetur Proxenetæ salarium, etiamsi negotiatio executioni data non fuerit; imò, ubi ta-

lis consuetudo viget, ab utraque parte illud petere possunt.

CASUS. Proxenetæ quidam operam suam locat ad mutuò dandam pecuniam.

1. Graviter peccat Proxenetæ, si operam suam interponat pro re injusta. Non autem peccat, si in id incumbat, ut alicui opus habenti pecunia mutuò detur; potestque retinere salarium ob collatam operam suam perceptum. *Fromageau.*

Vide Usura.

PUERPERIUM.

CASUS. Licetne in puerperio periculoso extrahere infantem prius in utero materno baptizatum, si certo constet ipsum exinde esse moriturum? Et num Sacerdos quispiam id consulere potest?

1. Si infans certò enecandus sit, non potest sic eximi absque peccato mortali, neque Sacerdos id dare consilii potest, quin graviter peccet, & irregularitatem incurrat. *Ita resolutum Parisiis 1648.*

NOTA. Hæc responsio procedit, si mater conservari potest in vita. Si enim jam obierit, aut æquè probabile, perituram matrem cum partu, aliter procedendum, prout docet RRmus Cangiameille in suo præclaro Opere: *Embriologia.*

PUPILLARES PECUNIÆ.

1. Pecuniarum Pupillarum nomine veniunt bona Minorennis, ac census, quos ad ejus alimentationem ac sustentationem Tutor inde percipit. Bona hæc aut sunt mobilia aut immobilia: bona mobilia, si non fructificent, ac facile perire possint, tenetur Tutor vendere, quamprimum fieri poterit, redactasque exinde pecunias elocare, ut fructificent. Nihilominus si bona ista mobilia consistant in pecoriis prædii, in vasis vinariis ad vindemiam &c, servari debent. Pariter servari debent Gemmæ, picturæ, aliæ

Distia. Cas. Consc.

que pretiosa. Notandum tamen, si tempus tutelæ proximè sit finiendum, Tutorem non teneri ad venditionem bonorum mobilium pupilli, quæ utiliter servari non possunt.

2. Juxta opinionem communissimam pecuniæ ex mobilium venditione, ac ex redditibus immobilium redactæ impendi debent ad expungenda debita passiva, & ad removenda onera, & quod reliquum est, ad comparandos fundos aut redditus, non autem ad census usurarios ope mutui: hinc Tutores ex pecuniis, quæ suis pupillis debentur, census exigere nequeunt absque vero ac legitimo Titulo. Si nulla Tutoribus occasio suppetiit utiliter collocandi pecunias pupillorum suorum, neque probare possint, se omnem adhibuisse industriam, ac sollicitè occasionem quæsiisse, & insuper consilia hæc super eum consanguineis pupillorum contulisse, his tamen omnibus non obstantibus pecunias utiliter collocari non potuisse, ipsi met condemnantur ad solvendum censum.

3. In districtu Parlamenti Britannicæ minoris Curatores ex pecuniis Minorennam lucrum percipiunt; & hæc praxis omnium Tribunalium illius Provincie autoritate confirmata est. Et eapropter sequens proponitur casus.

CASUS. Census ex pecuniis pupillariis, prout in usu est in Britannia minore, ab aliquibus censetur usurarius; ab aliis excusatur ab utra. Quid sentiendum?

1. Prior sententia in conscientia securior est: non enim licet pecunias pupillares scænorè dare; cum usura suapte natura mala sit, legique tam naturali quàm divinæ contraria, ac consequenter nulla lege humana aut consuetudine firmari possit. Non potest exigi indemnitas ex mutuo, si nullum conetur periculum fortis. *Fromageau.*

Vide Usura.

PUPILLUS.

Vide MINORENNIS.

Q

QUADRAGESIMA.

CASUS I. Homo quidam quotidie tempore quadragesimali opipare prandet, eaque lautitia tam in cibo quam in potu, ut ampliore nemo dives, quicumque sit, desiderare posset. Violatne jejunium ab Ecclesia præceptum, maxime cum tantam unicam hanc sumat refectioem, & quidem horâ consueta?

℞. Non violat jejunium; sed peccat contra temperantiam, agitque contra rationem penitentiae, quæ hujus præcepti finis est. *Fromageau.*

CASUS II. Titius in quadragesima omnino non jejunat; quia, cum cibi quadragesimales obsint valetudini ipsius, habet licentiam vescendi carnibus.

℞. Peccat graviter; quia præceptum jejunandi in Quadragesima, & præceptum abstinendi à carnibus sunt distincta præcepta, ita, ut ad unum quis maneat obligatus, etsi quoad alterum sit dispensatus. Hinc in casu, quo Titius vescens carnibus non sentiret detrimentum sanitatis suæ, si unicam tantum sumeret refectioem, peccat contra præceptum jejunandi sumendò duplicem. *S. Thom. in 4. dist. 15. a. 4. Cajet. in 2. 2. q. 147. a. 6. La Croix L. 3. q. 140. n. 1269.*

CASUS III. Paterfamilias quidam, qui habet licentiam vescendi carnibus in quadragesima, urget Medicum, ut licentiam hanc extendat ad totam suam familiam, ne diversi generis cibos majoribus expensis ministrare teneretur. Licetne hoc?

℞. Non licet; quia Paterfamilias iste petit aliquid à Medico, quod nullatenus ille concedendi jus habet: Medici enim solum est judicium ferre de morbis, ac constitutione corporis; neutiquam autem is determinare potest, utrum familia quæ-

dam sit adeo pauper, ut non possit diversi generis cibos sibi comparare.

QUERELA.

Vid INJURIA, *cas. ult.*

QUIETISMUS.

Quietismus consistit in erroribus discipulorum Michaelis de Molinos contentis in libro cui titulus:

Communio Spiritualis, ubi legitur, sublimissimam perfectionem consistere in oratione quietâ, quæ nihil est aliud, quam simplex contemplatio absque ulla reflexione.

CASUS. Legit aliquis librum, cui titulus *Communio spiritualis*, ejusque sequitur perversa dogmata. Quid agendum hominis hujus Confessario?

℞. Liber hic utpote continens doctrinam falsam & temerariam, est damnandus. Qui ejusdem sequitur prava dogmata est in manifesto errore, & Confessarius non tantum suis penitentibus ejus lectionem, sed etiam ipsismet Confessariis interdicendus est illius usus in directione animarum. *Fromageau.*

R.

RAPTUS.

1. Raptus est abductio personæ ex loco in locum matrimonii contrahendi causâ. Docet D. Thomas ad hoc ut aliquis raptus reus sit, sufficere ut persona fuerit abducta invito patre, licet ipsamet in raptum consenserit. Qui cooperantur ad raptum, æquè uti ipsi raptores pœnæ mortis rei juxta leges civiles censentur. Matrimonium inter raptorem & raptam habetur pro legitimo, quando apparet intervenisse consensum reciprocum absque suspitione violentiæ ac doli mali juxta Decretalem *Innocentii III. de Raptoribus.*

2. Ra-

2. Raptus alius est *Violentus*, alius *voluntarius*. Posterior hic vocatur etiam raptus *per seductionem* vel *subornationem*, qui posterior licet minus criminis habeat, hoc non obstante severissimè punitur.

CASUS. Habentne raptus locum masculi, sicut respectu puellæ vel fœminæ?

℞. Fœmina rapiens adolescentem rea est raptus sicut masculus puellam rapiens. In hujusmodi casibus semper intervenit seductio & subornatio ex parte fœminæ, & hæc seductio matrimonium reddit nullum. Etiam si Sacerdos assistens tali matrimonio habuisset consensum proprii parochi partium in codice parochiali eorum, qui matrimonio junguntur, expressum ac notatum, nunquam tamen abesset probabilis ratio illud habendi pro nullo.

Vide *Impedimentum raptus.*

REAPERTIO

TUMULI DEFUNCTI BENEFICIATI.

1. Contingit interdum celari mortem Beneficiati, qui resignavit *causâ mortis*, eo sine ut cursori procuraretur sufficiens tempus perveniendi Romam, diésque apud Datariam Apostolicam possit adscribi & notari in supplica, ne appareat Beneficium obiisse ante elapsum vicendum computandum à die resignationis factæ. Fraudulentum hoc stratagemâ occasionem dedit edictis prohibentibus hujusmodi occultationes, de quibus hic sermo est. Episcopi eorumque Vicarii Generales possunt decernere ut procedatur ad perquisitionem cadaverum Beneficiorum in Ecclesiis & cæmeteriis sive exemptis sive non exemptis, & in domibus aliisque locis secularium.

2. Statuitur art. 54. Decreti de A. 1539. ut obitus Beneficiari absque mora denuntietur ab ejusdem domesticis apud illam Ecclesiam, in qua sepeliendus est, simulque certò & absque ambiguitate significetur *tempus* dicti decessus, ut fideliter & statim registro publico inferatur; & hoc quidem sub pœnâ punitionis corporalis,

vel alterius arbitrariæ cujuscunque. Articulus 56. prohibet, ne curetur, retineatur vel custodiatur corpus defuncti ante factam revelationem sub pœnâ confiscationis corporis & bonorum si sint laici, privationis verò omnis juris possessorii quod ad Beneficium vacans habere possunt vel habere se prætendunt, simulque multa arbitrariæ, si fuerint Clerici.

Jurisdictio cognoscendi *de facto* retentionis & occultationis corporum defunctorum Beneficiorum Consilio regio majori concessa fuit.

CASUS I. Clericus quidam operam suam & auxilium contulit ad occultandum corpus defuncti Beneficiati, ut lucraretur tempus obtinendi hoc Beneficium à Sede Apostolica.

℞. Clericus hic reddidit se inhabilem ad possidendum hoc Beneficium; provisiones ejus sunt nullæ, estque pro intruso habendus, licet non incurrerit pœnas Canonicas. Provisus tali Beneficio jure devoluto, & habens legitimum jus ad hoc Beneficium, eidem non possit renuntiare absque Simonia, exigendo vel acceptando expensas à se factas; & si resistente jure fuerit provisos, nihil possit exigere, & teneretur ad restitutionem perceptorum.

CASUS II. Episcopus clerico cuidam confert Canonicatum quem vacare putat per cessionem titularis factam à fratre hujus clerici, cujus tamen consanguinei ut mentita hæc cessio speciem regularitatis præferret, mortem celaverunt. Benène & legitime est provisos hic clericus?

℞. Quando hoc fecerunt consanguinei vel parentes ipso incio, bene est provisos, & legitimus possessor Canonicatus, quem etiam poterit resignare pro suo beneplacito, quin à quopiam molestari & inquietari desuper possit. *Fromageau.*

RECLAMATIO

CONTRA VOTA RELIGIOSA.

Tridentinum Religiosis, qui coacti ingressi sunt aliquem ordinem, concessit fa-

iiii 2

cul.

cultatem reclamandi contra sua vota obtinendæ desuper dispensationis causâ; at tamen talis reclamatio debet fieri intra quinquennium à die emissæ professionis computandum.

Vide *Professio. Religiosus. Vota.*

CASUS. Religiosus quidam reclamavit contra sua vota post elapsam solidum quinquennium ab emissâ professione, assumptoque clericali habitu administravit parochiam. Estne securus in conscientia?

R. Non potuit reclamare contra suam professionem, utpote cum hæc reclamatio omnino nulla sit; imò licet decisum foret, vota ipsius esse irrita ac nulla, non tamen potest possidere collatam sibi parochiam, nisi sit regularis; debetque Archidiaconus omnem adhibere operam suam, ut ad dimittendum hoc Beneficium ipsum inducat. *Fromageau.*

Vide *Pontas.*

RECONCILIATIO.

Vide CHARITAS.

REDDITIO BESTIÆ,

Contractus sic dictus à Gallis.

Vide SOCIETAS *cas. 19.*

REDDITUS ANNUUS.

1. Vox hæc in sensu generico accepta idem est, ac *pensio annua ex re, vel persona aliena perceptibilis.* Alia est *pensio annua Domino prædii solvenda*, quam idcirco etiam *prædialem* seu *Dominicalem* vocant. Et alia, *pecuniæ in prædio per contractum censualem constituta annua pensio.* Prior est Clientelara munus & obligatio in perpetuum imposita prædio vel alteri immobili, quæ semper subsistit ad quassunque demum manus pervenerit. Posterior, quam *contractum Constitutionis* alio nomine Galli vocant, est verus *contractus Venditionis*, in quo summa ab

emptore exsoluta locum tenet pretii, jus verò pensionum, quæ debentur, locum tenent rei venditæ. Ut talis contractus sit legitimus requiritur. *1mo* Ut creditor pensionis pro semper alienet sortem principalem, ita ut in nullo amplius casu eandem possit repetere à debitore. *2do* Ut quotæ pensionis nunquam excedat quotam à Principe per edictum legitimam taxatam, secus enim usuraria foret. *3tio* Ut debitori perpetua maneat facultas redimendi pensionem, sortem principalem Creditori restituendô.

2. Possunt exigi restantes pensiones Dominicales pro annis viginti novem. Attamen Edicti Ludovici XII. de Anno 1512. non possunt exigi plures quàm anni quinque ex *contractu constitutionis*, si debitor non fuerit interpellatus pro solutione.

3. Pensiones annuæ Dominicales ex prædiis solvendæ juxta plura jura municipalia Galliæ æquiparantur immobilibus, v. g. in jure municipali Parisiensi. Juxta alia verò v. g. in Burgundia, Blesis, Rhemis, Montfortii &c. non admittuntur tanquam immobilia, nisi illæ tantum, quæ specialiter sunt assignatæ super fundis nobilibus prædiorum. In omnibus Parliamentis Juris scripti habentur pro mobilibus, & in ejusdem juris regionibus, quæ Parliamenti Parisiensi jurisdictioni subsunt, reputantur pro immobilibus. Parlamentum Normanniæ & quædam alia de qualitate immobilitatis vel mobilitatis judicant ex domicilio debitoris; alia verò Parliamenti Parisiensi ex domicilio creditoris.

CASUS I. *Simeon* habet pensionem annuam ex suo prædio solvendam in ratione florenorum seu denariorum octo pro centum; potestne Dominus prædii tutâ conscientiâ acceptare has pensiones?

R. Potest frui ea pensione, si sit constituta ante Edictum regium Anni 1665., quo pensiones hæc fuerunt taxatæ ad usuras quincunces in ratione florenorum seu denariorum quinque pro centum. Non verò poterit frui, si fuerit constituta post illam declarationem intra Jurisdictionem talis

talis Parliamenti, in qua declaratio usu obtinet; pro usurario quippe haberetur.

NOTA. Licet jus permittat hos contractus, charitas tamen Christiana non cogit subditos esse perpetuò miseris.

CASUS II. *Cæcilius Publius* debet francos 6000. ex residuis rationum initæ societatis, eidemque offert contractum trecentorum francorum pensionis annuæ. Poteritne absque peccato Publius acceptare hujusmodi contractum?

R. Si nulla in hac 6000 francorum summa contineantur anteriorum debitorum residua, vel usuræ ex contractu debitæ, *Publius* poterit tutò oblatam sibi pensionis conditionem acceptare; nam hi 6000 franci tenent locum paris summæ, quam numeratâ pecuniâ *cæcilius* accepit. *Navarvus tom. 1. comment. de usuris. n. 88. fol. 125. verso. col. 2.*

CASUS III. *Sergii* annos 55. nati universa substantia est 6000 francorum. Videns quod sustentationi suæ non sufficerent 300 franci, quos lucraretur, si summam hanc commodaret pro censu ordinario, cum præsumpto suo hærede de constituenda ipsi pensione usuris binis trientibus ad dies vitæ suæ. Acceptat pactum hæres. Potestne securâ conscientiâ *Sergius* percipere hanc pensionem ad 500 francos annuatim ascendentem?

R. Juxta *Ste Beuve tom. 3. cas. 18.* contractus hic est licitus, potestque *Sergius* acceptare pensionem 500 francorum, cum alienaverit suam totam substantiam, indèque tantum percipiat pensionem vitalitiam per obitum ipsius penitus expiratam. Necessarium tamen est, ut hæres aliunde non sit inhabilis ad hujusmodi contractum acceptandum.

CASUS IV. *Ivo* in bonis suis constituit *Gabrieli* pensionem 200 francorum pro 4000, quos ab eodem mutuavit, attamen ea expressa Conditione, ut 200 franci quot annis anticipatò solvantur. Estne vitiosa hæc clausula?

R. Est vitiosa, & expressè prohibita per *Bullam Pii V. 19. Jan. Annò 1566. Con-*

ferent. Petrocoriens. tom. 3. confer. 6. q. 5.

CASUS V. *Antonius* mille francos commodat *Florentio* ea conditione, ut in bonis suis ipsi constituat pensionem triginta francorum, quin tamen unquam possit solvere ac restituere summam capitalem. Estne justitiæ regulis conformis hic tractatus?

R. Pensio constituta necessariò involvit libertatem redimendi sortem principalem. Adeoque contractus, de quo in præsentiarum agitur, est injustus. *Idem ibid.*

CASUS VI. *Blandinus* indiget summâ 8000 francorum pro consummanda structura domûs suæ; hanc summam mutuatur à *Landvio*, inito cum ipso contractu pensionis annuæ & perpetuæ 400 francorum percipiendorum ex præfata domo, in qua hypothecam privilegatam ipsi constituit, nullo alio fundorum suorum vel in genere vel in specie eidem hypothecato. Post triennium domus hæc incendio devastatur ab hostibus. *Blandinus* cui alia adhuc supersunt bona teneturne continuare solutionem pensionis?

R. Non tenetur in conscientia in præfenti casu juxta *constitutiones Martini V. in cap. Regim. 1. de empt. & vend. lib. 3. extravag. comm. tit. 5. & Callisti III. 6. Maji 1455. in eod. cap.* si domicilium habeat in regione, in qua Bullæ hæc sunt receptæ. Sed hodiernis temporibus in Gallia semper inferitur contractibus clausula hypothecæ generalis pro securitate crediti.

CASUS VII. *Herennius* nullos possidens fundos ex natura sua fructificantes, sed tantum pecunias & merces, sibimet constituit in favorem Natalis pensionem annuam 500 francorum ex summa 10000, quam ab ipso mutuatus est. Pensio hæc constituta in bonis tantum mobilibus, & in ipsa persona *Herennii* estne legitima?

R. Verum est Pium V. expressè repræbasse hujusmodi pensiones; sed quia Bulla ipsius quoad hoc punctum non est recepta in Gallia, non habet ibidem vim legis. Hoc non obstante plures tenent

talem constitutionem esse usurariam; sed cum contraria consuetudo sit Generalis per Galliam, ubi pro legitima habetur, non est facile damnanda. *Confer. Petrocoviens. tom. 5. confer. 6. q. 2. De Ste Beuve tom. 1. cas. 203.*

NOTA. Cum iste census constituatur in industria personæ, sequitur: ab eo tempore, quo persona sit inhabilis ad lucrandum, cessare obligationem censûs. *Vide meam Theol. T. de Contract.*

CASUS VIII. *Potentianus* indiget summa 10000 francorum, hanc ex constituto ipsi commodat *Philippus*, ea tamen expressa conditione, ut bimestri ante restitutionem sortis principalis de restitutione hac faciendâ à *Potentiano* præmoneatur. Estne injusta talis conventio?

R. Talis præmonitio toleratur per consuetudinem; Verum licet regulariter loquendo æquitatis sit, ut debitor pro suo beneplacito & quodcumque libuerit possit se liberare debito suo, cui contraria videtur clausula de præmonendo debitore integro bimestri ante solutionem, non tamen propterea existimandum est hanc clausulam esse injustam, quia nempe ejusdem usus nunquam fuit prohibitum, etsi ex altera parte nullam publicam auctoritatem habeat; adde quod etiam à Pio V. sit approbata. *Ste Beuve tom. 1. cas. 203.*

CASUS IX. *Perigenes* omnia bona sua mobilia legavit *Josepho* patrueli suo; & post obitum ipsius inventi sunt duo contractus censuales, quilibet trecentorum francorum. Potestne sibi justè vindicare has pensiones?

R. Quæstionis hujus decisio unicè dependet à jure municipali juxta quod disposuit *Perigenes*; jura verò hæc variant quoad hoc punctum. Quando disposuit ex tali jure municipali quod contractus constitutionis annumerat bonis mobilibus, dictas pensiones *Josephus* jure sibi vindicabit; contra verò non poterit eas vindicare si reputentur pro immobilibus. *Pontas.*

CASUS X. Ædificia quædam notabiliter valde incommodant Ecclesiam parochialem loci. Possuntne desistere parochus & Ecclesiæ curatores à postulanda eorundem destructione intuitu annuæ pensionis quam pro damni resarcitione proprietarius promittit?

R. Non possunt propterea desistere in conscientia. *De Lamet.*

CASUS XI. Debet quidam pensionem annuam; teneturne monere creditorem suum de indemnificatione quam lex ipsi creditori nempe permittit, quando constitutio pensionis excedit triginta annos?

R. Non tenetur monere, modò sit dispositus ad solvendum hoc emolumentum, casu quo exigeretur. *Fromageau.*

REFORMATIO.

Vide MONASTERIUM. RELIGIOSUS. SANCTIMONIALIS.

REGALIA.

Vide CESSIO, *Cas. Eusebius.*

REGRESSUS.

Regressus est terminus significans actionem, quam quis habet in certis casibus, ut possit regredi in suum Beneficium resignatum vel permutatum. Admittitur Regressus in Gallia præcipuè 1^{mo} in favorem illius, qui dum resignavit suum Beneficium tempore morbi valde periculosi ad pristinam sanitatem redit: & quidem ex hoc fundamento, quia præsumitur resignationem non fuisse factam nisi ex metu jam instantis mortis. 2^{do} quando Beneficiarius resignavit eoquod injustè fuerit accusatus alicujus criminis, à quo innoxium se esse postmodum præbavit. 3^{to} quando minorennis, qui nondum attingit annum ætatis 15. vel 18., resignavit absque consensu parentum, tutorum vel curatorum. 4^{to} quando Episcopus collator moritur prius quam resignatarius obtinuit suas provisiones. 5^{to} quando unus permutantium non

satisfacit conditionibus conventionis mutuæ, resignans qui abdicavit suum Beneficium, non opus amplius habet nova provisione ad hoc ut possit redire in suum Beneficium, sed debet arripere viam Regressûs, idque, ex ratione, ne, ex quo recuperavit pristinam sanitatem, censeatur resignationem suam tacitè ratificasse. 2^{do} debet ante omnia offerre libellum supplicem Judici regio cum testimonio medici qua testetur curam se habuisse supplicantis durante ipsius morbo, ejusdemque ægritudinis tempore ab eodem factam fuisse Beneficii resignationem.

CASUS I. *Basilius* ex morbo valde periculoso decumbens purè ac simpliciter Prioratum Georgio resignat, expressè tamen intendens & volens regredi in Beneficium pristina sanitate sibi reddita. Poteritne generalis consuetudo ipsum excusare à peccato?

R. Tridentinum *Sess. 25. cap. 9. de Reformat.* declarat regressus in Beneficia odiosos, SS. Canonibus & Summorum Pontificum decretis contrarios, eosdem omnibus, ne quidem S. Ecclesiæ Cardinalibus exceptis interdicit. Interim tamen poterit à peccato, excusari *Basilius* 1^{mo} quia istiusmodi resignationes considerantur tanquam non omni ex parte libera. 2^{do} quia justitia & charitas videtur exigere ut provideatur, alimentationi & subsistentiæ resignantis qui semetipsum spoliavit. 3^{to} etiam quia necessarium videtur permittere regressus, ad puniendos plures resignatarios avidos & ingratos privatione Beneficii, quod in similibus circumstantiis ipsis fuit resignatum.

Dum hoc modo sanctiones Galliæ derogarunt juri per Decretales stabilito & à Tridentino confirmato ad sequentes casus respiciebant: 1^{mo} quando resignans egit bona fide, omni spe abjecta viam aliquam qua regredi in Beneficium à se resignatum possit, abjecta, se existimans utpetè mundo jam mortuum; videtur talis dispositio planè pura & simplex excludens omne pactum, quod spei regressûs in Be-

neficium suspicionem movere posset, quæ proinde dispositio animi spiritui Ecclesiæ non potest esse contraria. 2^{do} quando, licet cogitet de regressu, satis tamen adhuc viribus valet ad administrandum suam Ecclesiam. 3^{to} quando nihil ipsi superest amplius unde subsistere possit. *Conferent. Condomiens. tom. 2. confer. 2. sect. 2.*

NOTA. Hæ rationes mihi non videntur sufficere ad excusandum regressum moribundi, qui tenetur beneficium suum relinquere collatori, vel Patrono.

CASUS II. *Pamelius* permutavit de pacifico ad pacificum parochiam suam cum Cajo pro Capella; & posteaquam uterque arripuit possessionem parochiæ & Capellæ respectivè, Cajo lis mota fuit à Petro ratione tituli hujus Capellæ ad quam præsentari se fecit à Patrono laico, simulque à Parlamento obtinuit decretum, cujus judicio è possessione dejectus est *Cajus*. Poteritne *Pamelius* pleno jure regredi in suam parochiam quin opus habeat nova provisione?

R. Nullum est dubium quin hoc possit, id enim Juri Gallicano conforme est. *Pontas.*

CASUS III. *Ignatius* cum *Jacobo* permutavit præbendam 600 francorum, at tamen oneratam pensione 200 francorum, pro Capella francorum 300. Ignorabat *Jacobus* hanc pensionem, de qua ubi certior factus est, voluit regredi in possessionem suæ capellæ. Poteritne *Jacobus* sese opponere huic regressui citra injustitiam?

R. Est contra æquitatem naturalem, ut quis referat commodum ex sua fraude, uti declarat *Alexander III.* in cap. propositum 1. de eo qui duxit &c. Et sic *Jacobus* jure potest agere contra *Ignatium*, qui citra injustitiam non potest se opponere, regressui ipsius in possessionem Capellæ. *Pontas.*

CASUS IV. *Chrylogus* resignavit *Paulino* Prioratum 1000 francorum cum pacto præstandæ pensionis annuæ francorum 400. sed cum per integrum triennium nihil

hil potuerit impetrare ex hac pensione, merito oritur quæstio, an non ipsi integrum maneat jus regrediendi in suum Beneficium?

R. Non potest regredi propria ac privata sua auctoritate, licet Signatura Romana hoc ipsi jus concedat; sic enim jure Gallicano cautum est. Debet ergo obtinere sententiam, quam etiam facile impetrabit super mala fide pensionarii. *Cassut. lib. 2. cap. 14. n. 14. & cap. 18. n. 5.*

CASUS V. Candidus Prior ad S. Joannis emisit professionem religiosam solemnem, quin tamen antea resignaverit suum Beneficium, quod octiduo post præfatam professionem à Collatore obtinuit Josephus. At verò post semestre professio Candidi per sententiam fuit declarata nulla, an ex defectu ætatis vel probationis, vel ex alio motivo, non constat. Potestne regredi in suum Prioratum?

R. Cum nulla sit ipsius professio, certum est, nullum quoque esse quidquid consequenter actum fuit, nec ullum parere effectum. Justè ergo petit regressum ad suum Beneficium, pristinumque jus percipiendi ejusdem fructus: *Saltem obtentis in integrum restitutionis literis. Idem lib. 2. cap. 23. n. 6.* Sola triennis possessio Josephi posset impedire hunc regressum.

REHABILITARE.

Verbum hoc *Rehabilitare* accipitur hic pro termino Juris Ecclesiastici, in genere significans idem ac restituere aliquem Clericum in eum statum, in quo erat ante contractum illud impedimentum Canoniceum, quod ipsum privabat jure exercendi suas functiones. In sensu verò magis proprio sumitur pro sublacione, mediante dispensatione Superioris, impedimenti Irregularitatis, quæ ipsum inhabilem reddebat ad exercitium ministerii ecclesiastici, vel ipsum privabat jure ipsius statui an-

Vide *Irregularitas. Dispensatio ab Irregularitate.*

RELIGIO.

1. Vocabulum hoc *Religio* interdum accipitur pro Monasterio vel Conventu; interdum pro ipsa professione vitæ regularis; aliàs etiam adhibetur ad exprimendam hominis pietatem & integritatem.

2. In proprio suo sensu Religio est virtus moralis movens voluntatem creature rationalis ad exhibendum Deo cultum. Latræ ipsi debitum.

3. Actus Religionis sunt vel interni vel externi. Tametsi principale Religionis objectum sit Deus, nil tamen prohibet, quin etiam possit respicere cultum Deiparæ, SS. Angelorum, & Sanctorum.

4. Omnes Nationes mundi, saltem speciem aliquam Religionis habent; attamen in præsentì titulo sermo tantum est de Religione Christiana.

CASUS I. *Marcellinus* Catholicus moratur in regione cujus incolæ omnes sunt hæretici veram Religionem persequentes; dissimulat se Catholicum in pluribus occasionibus, in quibus gloriosum ipsi fuisset profiteri suam Religionem; estne peccati coram Deo reus?

R. Non est absolute necessarium ad salutem, publice profiteri suam fidem & suam religionem coram hæreticis eandem persequentibus; in certis tamen occasionibus id omnino necessarium est, puta si quis tanquam Catholicus in vincula conjectus à Magistratu vel Judice de sua Religione interrogaretur. *S. Thomas in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. q. 2. ad 1.*

CASUS II. *Gordius* peregrinabatur tribus mensibus in aliqua regione ubi persecutio grassabatur in Catholicos; potuitne absque peccato assumere Vestitum, ex quo hæreticus credi posset?

R. Est ingens crimen incedere tali vestitu, ex quo videri quis posset profiteri aliam religionem à sua, uti docet *Tertullianus c. 8.* Atrox itaque coram Deo com-

misit *Gordius* hac occasione, peccatum, dum interesse suum temporale Religioni suæ prætulit. *Conferent. Andegav. mensis Maji. A. 1713. 3. part. p. 95.*

CASUS III. Valerius Catholicus deprehensus in quadam regione, in qua sub pœna Capitis interdictum est exercitium religionis Catholicæ, in custodiam traditur & coram magistratu de hoc exercitio accusatur; teneturne aperte profiteri fidem suam, ut ut certò sciat pœnam mortis sibi fore subeundam; an saltem poterit evitandæ mortis causâ uti æquivocationibus?

R. Obligatur indispensabiliter confiteri suam fidem; ipsius silentium crimen foret, nec etiam per responsiones æquivocas posset se à peccato excusare. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, ait Apostolus ad Rom. 10. 10.*

Vide *Impedimentum disparitatis cultus. Fides. Monasterium. Professio. Religiosus. Monialis.*

RELIGIOSUS.

1. Propriè loquendo *Religiosus* vocatur, qui emisit professionem solemnem votorum Castitatis, Paupertatis & Obedientiæ in Religione ab Ecclesia vel à Summo Pontifice approbata. Potest dici, Religiosum novem vinculis esse ligatum uti Rebuffus observat.

2. Vocatur etiam Religiosus, qui Religiosum habitum gestat durante Novitiatu. Religiosus est persona mortua huic sæculo, cujus occupatio non debet esse alia quàm Cultus divinus, cura propriæ salutis, vel etiam *proximi* quando hæc ipsi ex Officio incumbit.

3. Legitur in quodam Canone *Gelasii* Papæ si quis 28. 26. q. 1. quòd Episcopus possit Presbyteratum conferre Religioso ad instantiam sui Abbatis, ejusdemque postmodum operâ uti ad omnes functiones Sacerdotii convenientes.

Diction. Cas. Confe.

4. Religiosus cum licentia sui Superioris potest esse executor testamenti; verumtamen in Gallia jus consuetudinarium non permittit, ut in potestate ipsius manent bona mobilia testatoris.

5. Quælibet persona Religiosa potest homagium præstare Domino Sæculari ex bonis feudalibus ad ipsum pertinentibus, ob Beneficium vel Monasterium cui præest.

6. Religiosus Beneficiatus potest absque violatione voti sui paupertatis disponere de fructibus sui Beneficii Sæcularis juxta mentem ac spiritum Ecclesiæ.

7. Religiosus non potest transire ad alium Ordinem nisi strictiorem, absque dispensatione Papali, ab Officiali Diocæsano servata juris forma verificanda & executioni danda. Si proponat transire ad Ordinem laxiorem, opus etiam habet licentiâ sui Provincialis.

8. Religiosus non potest administrare Beneficium ab alio monasterio ejusdem Ordinis dependens quando Beneficium hoc exigit residentiam & aliam obedientiam.

9. Omnis Religiosus transiens ad Ordinem strictiorem, in eodem tenetur sustinere novum Novitiatum, & emittere novam professionem.

10. Nullus Religiosus potest exequi rescripta Superioris sui Generalis extra regnum constituti absque literis patentibus Regis.

11. Imo ne quidem potest migrare ex uno in alium conventum vi solius licentiæ sui generalis extranei, absque consensu sui Provincialis.

12. Priores & Sub-Priores nequeunt suis Religiosis imponere aliquam obedientiam extra Galliæ Regnum.

13. Nulla potest introduci reformatio in aliquod monasterium absque literis patentibus Regis. Non possunt erigi Conventus & Hospitia in aliqua Civitate absque literis patentibus, & consensu Episcopi Diocæsani, & incolarum.

14. Communitates regulares, uti & Sæculares exceptis Hospitali majori Parisiensi,

ſenſi, ejusdemque Civitatis Noſocomio (Hôtel-Dieu) & Hospitali Incurabilium, nihil poſſunt ſibi aquirere vel acceptare ea pacta conditione, ut condonata ſibi forte principali, ad aliud non teneantur niſi ad penſionem vitalitiam.

15. Religioſis non licet prædicare verbum Dei etiam in propriis Eccleſiis abſque licentia ſui Ordinarii.

16. Religioſus ad Episcopatum promotus non poteſt ſuccedere ſuis propinguis; æquè parum poteſt aquirere pro ſuo monaſterio, ſed totum pro ſuo Episcopatu.

17. Religioſus illegitimis natalibus ortus legitimatur per profeſſionem ſolem-nem, non tamen poteſt abſque ſpeciali diſpoſitione promoveri ad quodcunque Officium publicum ſui Ordinis. Imo

18. Ordo SS. Trinitatis & Carmelitarum exigunt, ut talis Religioſus ſit diſpenſatus in forma authentica à Superiore altiore. Provocatio ad ſuperiorem Judicem à Religioſo facta in materia diſciplinæ regularis & correctionis morum, habet tantum effectum devolutivum.

19. Prior Clauſtralis nullum poteſt admittere Novitium abſque Conſenſu Capituli.

20. Religioſus profeſſus non poteſt ſuccedere ſuis propinguis, nec loco ipſius monaſterium.

21. Etiam Eremitæ intelliguntur ſub hac regula.

22. Religioſus ante ſuam profeſſionem poteſt diſponere de ſuis bonis, ſed non poteſt ſibi reſervare ullam penſionem vitalitiam.

CASUS I. *Pammachius* viduus habet liberos veneræ adhuc ætatis, qui pro ſua educatione & elocatione curis ipſius paternis opus habent; poteſtne tutâ conſcientiâ Religionem nomen dare, liberis Dei providentiæ relictiſ?

R. Si nec conſanguineos nec amicos habeant, qui poſſint vel velint in ſe ſuſcipere curam horum liberorum, non poterit tutâ conſcientiâ eosdem derelinquere. *S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 6. in corp.*

CASUS II. *Martinus* peritiſſimus artiſex pauperes habet parentes jam planè impotentes comparando ſibi victui; poteſtne ipſos relinquere providentiæ Numinis ingrediendo Religionem?

R. Non poteſt; juxta doctrinam *D. Thomæ art. 4. art. 4.* Non enim hoc eſſet aliud quàm tentare Deum. Ait tamen hic *S. Doctor quodlib. 10. art. 9. in corp.* quòd poſſet intrare Religionem, ſi non poſſet manere in ſæculo abſque evidenti periculo prolabendi in peccatum mortale. Sed hæc hypotheſis eſt aliquantulum metaphyſica. *Pontas.*

CASUS III. *Scipio* homo militiam profeſſus, debitique ſupra modum oneratus, poteſtne Religionem ingredi non ſolum antea debitum, ſi iisdem ſolvendis facultates ipſi ſuppetant. Quòd ſi ſolvendo par non ſit, tenétur remanere in ſæculo, & laborare, ut creditoribus ſatisficiat?

R. Juxta *D. Thomam 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3.* Sufficit ut cedat creditoribus bona ſua, quæ actu poſſidet. Adeoque *Scipio* non poteſt Religionem ingredi niſi exſolverit ſua debita, ſi facultates ſufficientes ad hoc habeat; quòd ſi quis putet conſtitutum ſe eſſe in impoſſibilitate morali ſolvendi animam ſuam inter tumultus ſæculi, poterit Religionem profiteri ſi nulla habeat, & nulla etiam lucrari poſſit bona, unde Creditores ſolvat. *Pontas.*

CASUS IV. *Sigebertus* Religioſus ſæpius deeſt obſervantiis exterioribus per Statuta vel Regulas ordinis imperatis; peccatne mortaliter?

R. Quando talis omiſſio concernit tantum illas obſervantias exteriores, ad quas non tenetur ex vi votorum profeſſionis religioſæ, nec etiam accedit contemptus formalis, non erit mortaliter peccaminofa. *S. Thomas 2. 2. q. 186. art. 9. in corp.* Interim tamen frequentiores relapsus eſſent diſpoſitio ad contemptum, vel ſignum.

CASUS V. *Theodotus* & *Cornelius* Religioſi profeſſi, uns ex Ordine Divini Do-

minici, & alter ex Ordine S. Benedicte, ſæpius transgrediuntur ſuas regulas vel ſtatuta; peccantne ſaltem venialiter, ſi id fiat ex parciore Dei cultu vel ex negligentia?

R. Juxta *D. Thomam loc. cit. ad 1.* Theodotus Religioſus Ordinis D. Dominici non peccat, quando obſervantiæ illæ, quibus deſt, non ſunt eſſentiales profeſſioni religioſæ, quando non ſunt expreſſè præceptæ ab ipſius Superiore, & quando eaſdem non transgreditur ex contemptu. Sed non eſt par ratio reſpectu *Cornelii* Benedicte; licet enim hic non peccet, dum agit contra regulam ſuam circa ea, quæ ab eadem non aliter præſcribuntur niſi per modum piæ ac ſalutaris ordinationis tantum ſub pœna obligantis, vel per modum admonitionis & conſilii, peccat nihilominus per omiſſionem eorum, quæ à regula ſtatuuntur per modum præcepti. *S. Bernardus de præcepto & diſpenſ. c. 2.* ſed peccatum eſt nonniſi veniale. Foret tamen etiam mortale, ſi negligentia vel indevotio conjuncta eſſet cum contemptu ſaltem interpretativo idemque eſſet dicendum in caſu, quo etiam accederet ſcandalum. *Ste Beuve tom. 2. caſ. 75.*

CASUS VI. *Placidus* Religioſus Benedictinus interdum veſcitur carnibus licet nullo morbo laboret; peccatne mortaliter?

R. Quando abſtinentia à carnibus non eſt præceptum formale, ſed ſolummodo res meræ diſciplinæ, non peccavit mortaliter, excepto caſu expreſſæ inobedienciæ erga Superiorem, vel caſu ſcandali. *S. Thomas quodlib. 1. art. 20. item 2. 2. q. 186. art. 9. in corp.*

CASUS VII. *Guntramnus* Religioſus profeſſus nondum ſacris ordinibus initiatus, totus occupatur circa ingens opus à ſe elucubrandum pro bono Eccleſiæ; poteſtne omiſſere horas ſuas canonicas, vel è contrario tenetur ad recitationem Breviarii ſub reatu peccati, eo tempore quo verſatur extra monaſterium?

R. Vi ſolemniſ profeſſionis tenetur ad recitationem Breviarii. Nec ſtudia ipſius, nec abſentia ex monaſterio poterunt ipſum eximere ab hac obligatione, peccabitque mortaliter niſi ſatisficiat. *Pontas.*

CASUS VIII. *Auxilius* Religioſus Ordinis reformati immiſcet ſe interdum negotiis temporalibus ſuæ familiæ, vel aliorum ſuorum amicorum; quorum cauſæ curam habet apud Judicem. Poteſtne hoc facere abſque peccato?

R. Religioſi multò minus quàm Clerici poſſunt ſe ingerere negotiis temporalibus, quando hoc fit ex motivo avaritiæ vel proprii intereſſe. *S. Thomas 2. 2. q. 187. art. 2. in corp.* Poſſunt tamen ſimilia negotia curare cum permiſſu ſui Superioris, modò id fiat ex motivo charitatis, & abſque reſpectu ad intereſſe proprium. Idem *q. 187. art. 2. &c.*

CASUS IX. *Joſephus* Religioſus habet penſionem vitalitiam 150 francorum, quam ad manus proprias ſibi traditam apud ſe ſervat, ad privatas ſuas neceſſitates expendit, deque iisdem diſponit abſque licentia ſui Superioris. Peccatne contra votum paupertatis?

R. Juxta Decretum *Tridentini Seſſ. 25. de Regular. & Monial. cap. 2.* Peccat mortaliter. Quin etiam colligitur ex Decreto Concilii, quòd nec ipſi Superiores alii ſuorum Religioſorum poſſint permittere uſum ac fruitionem bonorum ſtabilium ac permanentium.

CASUS X. *Marco* Religionem profeſſo pater ipſius conſtituit penſionem vitalitiam 200 francorum pro privatis ac perſonalibus neceſſitatibus cum licentia Superioris. Sed verò poſt quinquennium vel ſexennium ad anguſtiorum fortunam reductus pater filium rogat, ne ultra à ſe exigat penſionem, quòd facilius rei familiaris onera ſuſtinere poſſet. Poteſtne patri ſuo abſque Superioris ſui beneplacito penſionem hanc condonare.

R. Juxta *Sylvium Reſolut. variar. verb. Religioſus 5.* *Marcus* utpote Religioſus profeſſus non habet jus condonandi penſionem

tionem hanc absque expresso consensu sui Superioris. Decisio hæc est conformis Decreto Tridentini. *Pontas.*

NOTA. Si pensio hæc constituta est in favorem monasterii ad parcendum ejus sumptibus, recta est responsio. Si verò tantum servit ad inutilis expensas, & singularitates Disciplinæ inimicas, & si administratio religioso relicta est, etiam facultas renuntiandi illi relicta est.

CASUS XI. *Theophanes* Procurator, vel Sacristanus interdum sibi applicat pecunias Procuratoriæ vel Sacristiæ ad procurandas sibi res verè & certò necessarias; peccatne mortaliter faciendo hoc absque permissione sui Superioris, imò etiam si petita licentia ipsi negaretur?

R. Juxta *Cabassut. lib. 1. cap. 6. n. 22. in fin.* in primo casu peccat mortaliter. Attamen in posteriore casu cum Superior agat injustè & irrationabiliter, non peccaret *Theophanes*. Idem *loc. cit.*

CASUS XII. *Athanasius* Superior monasterii non reformati, pro more quot annis Religiosis suis pro sustentatione vel vestitu distribuit 150 Francos. Clemens parcius utendo his pecuniis, tandem œconomica hac sua industria 200. francos sibi comparavit ac sepelivit, clamque apud se retinuit invariis urgentibus necessitatibus usui futuros. Jubeat *Athanasius* ut privatum hoc peculium *Clemens* sibi tradat apud se custodiendum. Teneturne morem gerere *Clemens* huic Superioris sui jussioni?

R. Juxta Decretum *Tridentini sess. 25. de Regular. & Mon. cap. 2.* *Clemens* in conscientia tenetur tradere dictas pecunias suo Superiori petenti, imò sine speciali ipsius licentia easdem non potest apud se asservare, proprietatis culpam incursum si id faceret. *Sylvius loc. cit.*

CASUS XIII. *Olodomirus* Canonicus Regularis Præmonstratensis in Parochia sua, cujus ipse erat Prior Curialis, prospuit instituere Ludimagistrum assignando etiam eidem stabiles & sufficientes redditus. Coacervavit sibi ex suo Beneficio parcius vivendo 3000 francos, eaque ex summa emit prædium rusticum,

quod in feudum agricolæ cuidam concessit sub onere 150. francorum annuatim ex hoc prædio solvendum. Cum verò acquisitio ista facta fuerit infcio Superiore *Olodomiri*, qui constanter negabat ratum se habiturum contractum, acrem etiam reprehensionem à suo Episcopo sustinuit Religiosus, quòd hujusmodi pecunias sui parsimoniâ comparatas non applicaverit in sublevamen pauperum parochiæ & pro urgentibus necessitatibus suæ Ecclesiæ. Sed quia res hæc utpote jam facta infecta fieri amplius nequibat, & aliunde etiam hic parochus erat persuasissimus, posse se pro suo arbitrio ac judicio in pios usus impendere hoc prædium, per testamentum à se conditum destinavit dimidiam ejusdem fundi partem pro institutione Ludimagistræ ad perpetuos annos perduratura; alterum verò dimidium pro fundatione duarum missarum singulis septimanis in perpetuum ad solatium animæ suæ celebrandarum.

Potuitne *Olodomirus* legitimè acquirere hoc prædium? & postquam acquisivit, potuitne modo jam dicto de eodem dispo- nere: Successor ipsius teneturne in conscientia celebrare illas missas? poteritne sibi applicare stipendia ex iisdem percepta? an non potius tenetur illa expendere in elemosynas pauperum, & necessitates vel indigentias suæ Ecclesiæ, solamque commemorationem *Olodomiri* facere in omnibus his missis?

R. *Olodomirus* non potuit legitimè hanc acquisitionem facere; violavit votum suum paupertatis & leges Ecclesiæ taliter agendo propria sua auctoritate. Imò peccavit etiam contra justitiam coacervando & apud se retinendo tam notabilem summam: complevit verò peccatum suum per testamentum *injustum & nullum*, à se factum, continens utique duplam fundationem, quarum secunda propriam ac personalem ipsius utilitatem respiciebat. Cumque injustum & nullum sit hoc testamentum, successor ipsius nullam habet obligationem ejusdem dispositionibus facien-

faciendi. Debet rogare judicem, ut 150 franci annuatim solvendi dividantur inter Ludimagistrum cujus institutio reverà est utilis & inter pauperes, ipse verò in Missæ sacrificio commendare Deo animam *Olodomiri*. *Pontas.*

NOTA. Ex eo, quod fuerit Prior curialis, patet, parochiam fuisse etiam quoad temporalia incorporatam Ordini. Unde non habuit disponendi Potestatem, nisi circa partem pertinentem jure veteri in pauperes parochiæ, confusam & commixtam cum redditibus parochi.

CASUS XIV. *Isidorus* Superior cujusdam monasterii in quo quinque tantum vel sex reperiuntur Religiosi, potestne facultatem impertiri cuidam illorum jam morti proximo, in favorem amici disponendi de suis libris, suppellectili, & modica pecuniæ portione à consanguineo pro occurrentibus necessitatibus ipsi donata?

R. Non habet tantam potestatem Superior; juxta SS. Canones, *quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio.*

CASUS XV. *Hierophilus* Religiosus qui per plures annos in sua Ecclesia audiebat confessiones Sæcularium, repente mortuus est & sepulchro illatus. Aliquanto post Superior ipsius in ejus cella invenit 1000 francos nemine prorsus sciente unde nam vel cujus esset hæc summa? estne Religiosus hujusmodi pro proprietario habendus. Quid faciendum de his pecuniis?

R. Non est temerè nec præcipitanter judicandum de hoc Religioso. Superior ipsius per notabile tempus, v. g. per annum debet apud se custodire has pecunias, & si elapso hoc tempore nemo compareat, nec cujus sint quidpiam ipsi innotescat, debet erogare in elemosynas, vel applicare suo monasterio, si aliunde tenues sint ipsius facultates. *Sylvius verb. Religiosus 2.*

Vide *Depositum.*

CASUS XVI. *Nicodemus* Canonicus Regularis provisos Beneficio curato in districtu sui Monasterii, disponit privata sua auctoritate de proventibus fortuitis seu

redditibus Stolæ, quos ad pios usus applicat; potestne hoc facere tutà conscientia quin peccet contra vota paupertatis & obedientiæ?

R. Juxta *Navarrum comment. 2. de Regul. in 10 & 12. tomo 1. & Sylvius loc. cit. 1.* *Nicodemus* potest sic disponere de suis proventibus fortuitis.

NOTA. Hæc vera sunt, si beneficium est sæculare. Si autem est regulare, solum procedit de monasteriis, in quibus viget divisio bonorum in quatuor partes. Prout inquit in monasterio Navarri.

CASUS XVII. *Pachomius* vir apprime doctus & ingenii laude clarus ambit munus Superioris; peccatne sic ambiendo?

R. Peccavit sine dubio ascendendo ad Superioratum per viam ambitionis, juxta Doctrinam *D. Thoma in 4. Sent. dist. 25. q. 3. art. 2. ad 4.*

CASUS XVIII. *Palemon* Religiosus Professus, à Cæteris capitularibus jam designatus, ut in Superiorem eligeretur, convenit vel quasi paciscitur, daturum se suffragium suum in favorem alterius pro Provincialatu, si alter hic suo sibi favorit voto pro Superioratu; estne vitiosa talis conventio?

R. Conventio hæc in se continet speciem simoniæ, atque adeo est vitiosa. *Emanuel Rodericus tom. 3. q. 63. art. 4.*

CASUS XIX. *Fabianus* Religiosus moratur in quodam pago, cujus parochus eodie erat absens: audit ægrotum parochianum enixè petere Sacramentum Extremæ Unctionis: ad instantissimas ergo preces sibi factas, quia alius Sacerdos non aderat, extremam unctionem personæ ægrotanti confert; incurritne excommunicationem ipso facto, latam à Concilio Generali Viennensi A. 1312. sub Clemente V.

R. Religiosus hic egit optima fide & ex motivo Charitatis: videtur ergo quòd nullam incurrerit censuram. Ita sentit *Sylvius Resolut. variar. verb. Extrema Unctio.*

CASUS XX. *Cyprianus* Superior cujusdam Conventus mendicantium non potuit

tuit à suo Episcopo Diocesano impetrare licentiam exponendi SS. Sacramentum pro certis diebus Festis sui Ordinis. Peccavitne exponendo hoc non obstante Venerabile Sacramentum?

R. Usurpavit sibi Superior hic jus, quod privativè spectat ad Episcopum: adeoque peccavit ex hoc capite, & per suam inobedientiam quam in hoc casu Prælato debebat. *Pontas.*

CASUS XXI. *Pantbenes* Religiosus prolapsus in duo crimina enormia & scandalosa de his debito modo convictus est in pleno capitulo. Posteaquam admissorum promisit seriam emendationem & pœnitentiam. Superior unacum 19. Religiosis voluit expellere ipsum ex conventu contradicentibus viginti reliquis, qui volebant ut per menses sex carceribus manciparetur. Potestne sine peccato ejici ex Religione.

R. Juxta *D. Thomam quodlib. fin. art. fin.* peccant contra charitatem expellendo hunc Religiosum, cum Ecclesia neminem puniat pœna spiritali nisi induratum & obstinatum in suo peccato.

CASUS XXII. *Olympius* Religiosus Ordinis Reformati flagitium commisit in fine. Superior informatione juridica contra ipsum habita ipsum condemnavit, ut nudatus Religioso habitu squaloribus carceris per anni spatium affligeretur. Sed *Olympius* interea elabatur ex custodia. Potuitne absque peccato effugere, an non potius tenebatur sponte redire ad ergastulum? non redeundo commisitne novum peccatum assumendo habitum sæcularem, ut securius lateret.

R. Cum sententia in *Olympium* lata sit justa, tenetur redire ad suum carcerem, ex quo nunquam potuit effugere absque peccato; non tamen commisit novum peccatum assumendo habitum sæcularem. At tamen si sententia Superioris contra ipsum lata executioni mandaretur eum nimia severitate posset fugere sine peccato. *Pontas.*

CASUS XXIII. In pluribus monasteriis Religiosorum mendicantium existat statutum particulare, quo expressè fulminatur pœna excommunicationis *ipso facto* contra eos, qui causâ declinandi iudicii ab Ordine contra se instituti vel instituendi implorant alium Judicem sive Ecclesiasticum sive laicum. *Palemon* implorat auxilium Episcopi timens ne à suo Provinciali condemnatur ad carceres vel ad jejunium immo dicè austerum; appellatur ad Parlamentum temerè usurpatæ jurisdictionis nomine, protestatione interposita contra quasvis sequelas exinde manaturas. Poteritne sic agere *Palemon* absque periculo excommunicationis incurrendæ?

R. Quando agitur de mero facto concernente disciplinam purè regularem & claustralem, *Palemon* non potest recurrere vel appellare absque periculo incurrendæ excommunicationis pro casu quo contra ipsum Superior agit criminaliter, dummodo statuta Ordinis approbata & confirmata sint per literas patentes regias. Si verò quæstio sit de casu, cujus cognitio pertinet ad Ordinarium, ad hunc absque metu excommunicationis incurrendæ securè poterit recurrere religiosus, ut conformiter ad postulata jus suum ipsi administretur.

Quod verò attinet ad prohibitionem horum statutorum recurrenti ad Judices sæculares laicos, duæ sunt attendendæ exceptiones. *1ma Exceptio* est casus tumultus, seditionis, magni scandali, de quibus cognoscendi jus ad Parlamenta spectat; *2da exceptio* quando in processu judiciali contra religiosum accusatum Instituto deprehenditur manifestum vitium & Constitutionum regis infractio. *Pontas.*

CASUS XXIV. *Lucianus* Religiosus institutus parochus Titularis parochiæ S. Jodoci unitæ & incorporatæ cuidam monasterio à jurisdictione Ordinarii exempto, in quo Religionem professus est, commisit culpam gravem & notabilem in administratione Sacramenti pœnitentiæ, ob quam post juridicam causæ cognitionem

ab Episcopo fuit declaratus suspensus. Potuitne justè sic contra ipsum procedere Episcopus?

R. Episcopus potuit justissimè sic procedere contra *Lucianum*, ipsumque in præsententi casu punire. Omnis parochus sine ulla exceptione jure subest jurisdictioni Episcopi, licet Parochia sit regularis & annexa Monasterio exempto. *Innocentius III. cap. ex ore 17. de privilegiis & excessibus privilegiatorum. lib. 3. art. 33.* Est etiam observandum, quòd Episcopi habeant amplissimam jurisdictionem in Beneficia eurata ad Ordinem Melitensem pertinentia; & quòd omnes Religiosi etiam exempti ipsi sint subiecti *si ipso invito in ejusdem Diœcesi audeant prædicationis munus exercere; si absque justa causa recusent interesse Processionibus publicis à ipso indictis; quando attentant absolvere à casibus ipsi reservatis; si extra suum monasterium in ejus diœcesi commorantes committerent delictum aliquod castigatione dignum; si aggredierentur administrare parochiam Episcopalem.* *Pontas.*

CASUS XXV. *Amadeus* Religiosus clam absque dimissione & obedientia discessit ex suo monasterio, quòd jurisdictioni Episcopi subjacet; Audiens Episcopus ipsum in quadam parœcia suæ diœceseos Vicarii munus exercere jussit comprehendere & custodiæ tradi; potestne ipsum punire absque participatione sui Superioris eundem sibi tradi postulantis.

R. Episcopus potest imo etiam debet punire hunc Religiosum suæ jurisdictioni ordinariæ subiectum, & consequenter sub sua potestate constitutum, quem omni jure posset punire in hoc præsententi casu etiam si non subesset ipsius jurisdictioni, *vi Decreti Concilii Tridentini Sess. 25. de Regular. & Mon. c. 4.*

CASUS XXVI. *Potamius* ingressus est Ordinem Religiosum non reformatum. ipsum etiam atque etiam hortatur & urget *Victorinus* ut relicto suo monasterio transeat ad Ordinem strictiorem. Peccavitne sic hortando

R. Juxta *D. Thomam 2. 2. q. 189. art. 9. ad 3.* non peccat *Victorinus*; non tamen potest ipsi suadere, ut transeat ad Ordinem minus austerum absque specialissima ratione, justa & evidenti, & absque legitima dispensatione Superioris.

CASUS XXVII. *Christophorus* Religiosus professus sapissime velut homo triobolaris despicitur, calumniis appetitur, & aliis modis quàm indignissimè habetur à suo Superiore, qui ex falsis rumoribus vel relationibus ipsum adversatur & odit; potestne tutâ conscientia ob hanc solam rationem transire ad aliud monasterium; opusne habet hujus Superioris licentiâ. Quid, si hanc ipsi deneget?

R. Habet sufficientissimam rationem transeundi securâ conscientia ad aliud monasterium etiam diversi Ordinis; oportet tamen, ut observet formalitates requisitas, obtineatque licentiam sui Superioris quando observantia monasterii ad quod aspirat, non est strictior quàm sui ex quo migraturus est; si neget licentiam Superioris, debet recurrere ad Superiorem Majorem. *Sylvius Resol. var. verb. Religiosus.* Si verò monasterium ad quod aspirat, sit austerius, obtento Brevi suæ translationis, sufficet tantummodo petere licentiam, & sic poterit transire ad illud monasterium etiam negata sibi à suo Superiore licentia, uti ait *Innocent. III. in cap. licet 18. de Regular. & transeunt. ad Religionem lib. 3. tit. 31.*

CASUS XXVIII. *Philosfratus* Religiosus cujusdam Ordinis reformati gravissimam contraxit infirmitatem; potestne ob hanc solam rationem transire ad regulam mitiorem?

R. Si hæc ipsius infirmitas eum inhabilem reddat ad observantiam regulæ quam professus est, possitque adhuc facillè observare regulam mitioris Ordinis, poterit ad hunc transire juxta *S. Thomam 2. 2. q. 189. art. 8. in corp.* opus autem habet dispensatione, & debet sibi notare, quòd talis dispensatio ipsum securum reddat in conscientia, quando ratio ab quam

à Summo Pontifice fuit obtenta, non fundatur in causa legitima. *Pontas.*

CASUS XXIX. *Eustacius* Religiosus Ordinis valde rigidi, videns in eundem sensim introduci laxitates, & malè ibidem observari disciplinam regularem, se verò quia detestatur hujusmodi corruptelas, reliquorum persecutionibus patere, proponit migrare ad Ordinem minùs austerum, sed in quo regulæ exactius observantur; poteritne hoc facere bonâ conscientia, sciens præsertim nullam sibi esse spem vivendi regularius in reliquis omnibus monasteriis, in quæ relaxatio irrepsit.

R. Licet hoc ipsi juxta doctrinam *D. Thomæ loc. cit. & in 4. dist. 27. q. 9. art. 3. q. 1. ad 3.* debet tamen in hac re agere cum Consilio sui Superioris, & ipsius judicio sese accommodare; tandem verò recurrendum est Romam.

CASUS XXX. *Christus* Religiosus Ordinis non reformati à Superiore suo petit licentiam ingrediendi Ordinem strictiorem, quæ ipsi rotundè fuit denegata: potestne exequi hoc suum propositum etiam invito suo Superiore, quin peccet contra votum obedientiæ?

R. *S. Thomas loc. cit.* defendit posse talem transire ad Ordinem strictiorem invito licet Superiore, quin peccet contra obedientiam. Hæc etiam fuit Sententia *Alexandri III. in cap. sanè 10. de Regular. & transeunt. ad Religionem.*

CASUS XXXI. *Benignus* Religiosus mitioris observantiæ absque obedientia & insciis suis Superioribus fugit ex conventu suo amplius non reversurus; migravitque in Provinciam remotissimam, nunquam tamen habitu Ordinis deposito. Potestne in rigore haberi pro Apostata?

R. Nisi ingressus fuerit aliud monasterium, animo subjiciendi sese ejusdem Superiori, & talis loci observandi regulam, nemo dubitat quin apostasiæ criminis reus sit, & tanquam apostata puniendus. *Pontas.*

CASUS XXXII. *Martialis* Religiosus professus videt patrem suum decrepita-

jam ætate morbis afflictum, & consequenter ad miserum statum redactum, adeo ut victum ultra lucrari sibi haud possit. Deliberat ergo egredi ad tempus ex suo conventu, ut patri succurrat; licitène hoc facit & absque peccati periculo?

R. Prætextus hic videtur speciosus & approbatione dignus nec adeo rarè obtenditur ab iis, qui mundum claustrum præferunt, quid quod etiam Casuista non adeo pauci eidem faveant. Sed juxta Doctrinam *D. Thomæ 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4. ratio Martialis* non excusat ipsum à peccato. Debet certè in casu proposito operam ferre patri modis omnibus possibilibus cum consensu sui Superioris, cætera autem relinquere paternæ Numinis supremi providentiæ.

CASUS XXXIII. *Liebaldu* Prior claustralis S. Fusciani potestne, si velit, introducere reformationem in suum monasterium? imo teneturne ad hoc in conscientia?

R. Quando in ejus monasterio viget claustralis disciplina, ejusdemque Religiosi observant regulas & statuta, omnino non tenetur ad reformationem, ad quam sese obligandi Religiosi nullam habuerunt intentionem, dum ordinem professi sunt, licet eandem introducendi potestate præditus sit. *De Ste Beuve tom. 2. cas. 70.*

NOTA. Non sola exterior regularis disciplina, plerumque consistens in observantiis externis, est, ad quam obligantur Religiosi, sed etiam leges naturales, divinæ, & Ecclesiasticæ, v. g. devota psalmodia, devota lectio Missæ, honestas vitæ Clericalis ædificatoria populi aliena vanitatibus & pompis sæculi. Circa hæc reformare suos tenetur Superior sub gravi peccato, si errent.

CASUS XXXIV. *Philibertus* Abbas regularis in suum monasterium introduxit reformationem, convenitque utrinque reformatos inter & veteranos, ut hi interessent Missæ majori & vesperis diebus Dominicis & Festis; vicissim verò à reformatis acciperent habitationem, & quingentos francos pensionis annuæ, solvendo-

dos singulis in quocunque demum loco fuerint, vel quocunque Beneficium aut Beneficium haberent posthac. Post hanc conventionem *Alexis* veteranorum unus migravit ad aliud monasterium, in quo ex Officio claustrali ipsius curæ & administrationi commissio lucratur, quidquid pro alimentione, sustentatione & habitatione opus habet. Petit nihilominus à prioribus confratribus reformatis debitam sibi & necdum persolutam unius anni pensionem; tergiversantibus objicit conventionem ultrò citròque initam. Cum vi hujus tractatus *Alexis* tantum teneatur adesse Missæ majori & vesperis diebus Dominicis & Festis, poteritne exemptum se existimare ab obligatione in conscientia assistendi omnibus reliquis Horis in Choro dicendis? poteritne ipsi prodesse idem hic tractatus ad exigendam promissam pensionem non obstante, quod in alio monasterio possideat Officium claustrale?

R. Vererani tenentur in conscientia & sub peccati reatu quotidie assistere toti Officio Horarum Canonicarum in suo monasterio, etiam post introductam reformationem, non tantum ex vi solemnibus professionis, sed vel maximè etiam quia ex hoc percipiunt alimentionem aliisque necessaria. Adeoque tractatus hic nihil juvat *Alexin* quoad obligationem interessendi omnibus Horis, à qua utique obligatione ipsum liberandi potestate carebant Religiosi reformati. Quantum attinet ad Pensionem constitutam, hæc non aliter ipsi debetur nisi quatenus residet in suo monasterio, ibidemque omnibus suis obligationibus satisfacit, supposito etiam quod eadem indigeret pro sua sustentatione. Adeoque ex eo momento, quo migravit ex suo monasterio, & incepit possidere officium claustrale, ex quo lucratur necessaria ad sustentationem, exspiravit pensio à priori monasterio ipsi constituta. *Idem tom. 1. cas. 47.*

CASUS XXXV. Certi Religiosi mendicantes Diocesis S. Pauli prætendunt jus mendicandi tempore vindemiarum & eo-

Diction. Cas. Confe

quod superest usque ad finem anni in aliena Diocesi suo conventui contermina, absque licentia Episcopi illius Diocesis. An licitè agunt?

R. Conventus Generalis Cleri Gallicani de A. 1645. specialiter prohibet omnibus mendicantibus, ne in aliena diocesi absque licentia proprii ejus diocesis Episcopi elemosinarum Collectionem exerceant. Lex hac super re lata est conformis intentioni ac menti Concilii Generalis Lateranensis sub *Innoc. III. in cap. ex eo de Penit. & remission. & Tridentini sess. 21. can. 9.*

Vide *Approbatio, Cal. 10. Eleemosina, Cal. 12. Confessio, Cal. 33. Dispensatio in votis Religiosorum. Professio Religiosa. Monialis. Votum.*

CASUS XXXVI. Sacerdos damnatus ad triremes delicti & pœnæ veniam impetravit: potestne recipi in ordine aliquo religioso?

R. Si habeatur certitudo moralis ipsum verè esse conversum, poterit recipi; sed prius quam diligentissimè examinanda est ipsius vocatio. *Fromageau.*

CASUS XXXVII. Grassantur in quadam religiosa familia intolerabiles abusus & effrenata vivendi licentia. Ingemiscens tantis malis religiosus aliquis vellet remedium adhibere, sed nescit qua via aut ratione destinata possit exequi?

R. Si per se ipsum non possit mederi tantis abusus vivendique licentiæ, quam deplorat, primò adeundi sunt Superiores regulares & de omnibus instruendi, quibus curando malo commodare operam suam recusantibus implorandus est Ordinarius. *Fromageau.*

CASUS XXXVIII. Religiosus quidam percipit pingues redditus tam ex pensionibus quàm ex Beneficiis: negotiatur, thesaurizat, & ut melius potest, opes sibi accumulatur. An licitè hoc facit?

R. *imo.* Religiosus hic non potest absque gravissimis rationibus possidere redditus grossos provenientes ex pluribus Beneficiis vel pensionibus, hoc enim sup-

ponit

ponit dispensatio Papæ. *2do* Non licet ipsi qualemcumque demum exercere negotiationem vel mercaturam. *3to* Non tamen Superiori suo tenetur rationem reddere super redditibus sui Beneficii. Quando thesaurizat, contractus celebret, negotiationes exercet, Superior ejus debet ipsi interdicare celebrationem Missæ tam privatæ quàm publicæ; Confessarius eidem debet denegare absolutionem sacramentalem si nolit corrigi. Quilibet Religiosus tenetur se jungere suæ communitati ad facta testata & illata conservanda jura illius. *Fromageau.*

CASUS XXXIX. Religiosus quidam jam professus in domo fratrum Hospitalitatis secessit ad Abbatiam Septem fontium Ord. Cisterciensis, ibidemque professus est solemniter absque licentia sui Superioris. Postea ex Pœnitentiaria Apostolica obtinuit Breve qua facultas ipsi concedebatur transeundi Cistercium.

R. Non potuit relinquere suam Congregationem, ut ad Abbatiam Septem fontium discederet: ipsius professio ibidem facta est nulla, Breve Pœnitentiariæ Romanæ pariter est nullum, teneturque redire ad suos confratres Hospitalitatis. *Fromageau.*

CASUS XL. Benedictini quidam in professionibus suis utuntur hac formula; *Promitto coram Deo & Sanctis ejus. Anne juramentum continet hæc formula?*

R. Nullum his verbis inest juramentum, nisi emittens professionem habuerit intentionem expressum jurandi. In Juramento assertorio parvitas materiæ non reddit perjurium peccatum veniale, sed tantum in juramento promissorio. *Fromageau.*

CASUS XLI. Estne excommunicatus Religiosus, qui ad Superiorem Judicem super obedientia vel missione sibi à suo Superiore insinuata tanquam *de abusu* appellat;

R. Non videtur, quod ratione talis appellationis possit haberi pro excommunicato, cum excommunicatio non sit lata

ipso facto; & si etiam lata foret *ipso facto*, cum appellationes hujusmodi *de abusu* potestatis passim jam sint consuetudine introductæ, nequiquam apparet quomodo possit excommunicari, qui jus confugiendi ad hoc remedium propriæ defensionis gratiæ sibi competere existimat. Accedit quod via hæc nostris his temporibus consideratur tanquam via juris quam in compluribus occasionibus arripere permittum est. Nihilominus tamen magis expedit subijcere se suo Superiori. *Fromageau.*

CASUS XLII. Religiosus fecit professionem nesciens tamen onera omnia & omnes obligationes sui status. Estne nulla ipsius professio?

R. Non est habenda pro nulla; imo nec propter simoniam, si quam in sua receptione commisisset, sequeretur nullitas professionis. Hinc si hujusmodi Religiosus extra Gremium sui monasterii constitutus esset, hoc non obstante teneretur ad horas Canonicas. *Fromageau.*

CASUS XLIII. Scit quidam evidenter, regulam monasticam, quam amplexurus est, usque adeo esse supra suas vires, ut ejus austeritatibus brevi sit succubiturus, mortemque sibi acceleraturus. Rectene faciet jugo talis regulæ se subjiciendo?

R. Non potest amplecti hujusmodi regulam quin acceleratæ propriæ mortis culpam sibi adscribat. Objiciuntur de Ordinis Carthusiensis professoribus ratione abstinentiæ à carnibus, quarum esus ne quidem in extremo morbo permittitur, non stringunt; quia homo absolute potest carere hujusmodi nutrimento, & aliunde rigor circa abstinentiam à carnibus à fratribus Carthusiensibus spectat bonum commune totius Ordinis, quod semper præferendum est bono Religiosi privati. *Fromageau.*

CASUS XLIV. Erat schisma in Ordine S. Francisci. Generalis totius Ordinis ab Officio amovit Provinciales totius Galliarum professiones ergo durante hoc schismate in Gallia emissæ suntne validæ?

R. Sunt

R. Sunt validæ. Superiores enim in quorum manibus emissæ fuerunt hæc professiones, habebantur pro legitimis, & pro se habebant titulum coloratum. *Fromageau.*

CASUS XLV. Conspirant quatuor Religiosi, ut inamovibiles se reddant in suis officiis, quibus in ordine funguntur. Suntne securi in conscientia?

R. Hujusmodi conventio est Simoniaca & contra omnes regulas; quatuor hi Religiosi sunt excommunicati, & propterea inhabiles ad omnia prorsus Officia Ordinis. *Fromageau.*

CASUS XLVI. Religiosus ex Ordine Carthusianorum fuit subditus pœnitentiæ ob leviores quasdam transgressiones suæ regulæ. Aliquantò post pertæsus iniquæ suæ conditionis apostatavit ab ordine: sed mox pœnitentia ductus iterum petiit admitti ad suam Carthusiam, & admittus est, non impunè tamen, cum penè ad decennium squalores carceris debuerit sustinere. At verò egressus aliquando è custodia videndorum suorum confratrum causâ, fuit declaratus pro incorrigibili, decretumque ut ex claustris ejiceretur. Percussus terrore minarum sibi interea intentatarum, nondum insinuata, ut mos erat, ejectionis sententia iterum fuga sese subduxit. Secunda hæc evasio estne nova Apostasia? poteratne sententia eidem significanda auferre ipsi omnem spem redeundi ad monasterium? poteritne rehabilitari in ordine ad missam celebrandam ab Episcopo, à quo Ordines suscepit?

R. Secunda hæc evasio potest excusari ab Apostasiæ crimine; Superiorum est, examinare an juxta mentem Constitutionum Ordinis Religiosus hic promeritus sit ejici penitus absque ulla spe redeundi. Episcopus tamen in præsentis casu non potest ipsum rehabilitare, sed recurrendum est ad Summum Pontificem. *Fromageau.*

CASUS XLVII. Clericus quidam fuit nominatus bona fide ad Prioratum, qui æstimabatur Beneficium simplex, postmodum verò deprehendit eidem annexam

olim fuisse curam animarum. Teneturne iterum se abdicare hoc Beneficio?

R. Non tenetur se abdicare, imò ne quidem procurare ut animarum cura huic Prioratui reuniatur. Interim bene fieret, si institueretur ibi vicaria perpetua. *Fromageau.*

CASUS XLVIII. Religiosus fecit professionem, quin tamen unquam fuerit propositus Capitulo vel ab eodem receptus. Nullane est ipsius professio?

R. Pertinet ad capitulum generale Ordinis decidere, an hujusmodi defectus nullam reddat ipsius professionem, jusque tribuat remittendi ipsum ad sæculum. Posito quòd valida sit ipsius professio, non posset remitti ex prætextu quod mens ac ingenium hebescant. *De Lamet.*

NOTA. In ordinibus Clericalibus, ac proin regulandis per jus commune ex jure Collegiorum Canonicalium talis professio foret nulla.

CASUS XLIX. Adolescens quidam emisit professionem in monasterio, noluit tamen internè se obligare ad Officia ac onera vitæ Religiosæ. Estne verè Religiosus?

R. Coram Deo non est Religiosus; propterea tamen quoad externa non minus tenetur vivere uti Religiosus, ad evitandum scandalum. Cum enim nunquam reclamaverit in æstimatione hominum, habetur pro Religioso, quam utut erroneam opinionem ex eorum animo non potest tollere, nisi per viam juris.

CASUS L. In antiqua quadam Abbatia à novem vel decem jam annis sunt Religiosi aliquot, quibus ab altiori potestate hucusque semper impeditis nunquam hæctenus licuit emittere professionem. Poteruntne admitti ad Ordines Sacros?

R. Non poterunt admitti nisi aliunde habeant sufficientem titulum. Pius V. per annum suspendit ab Ordinum conferendorum exercitio quosvis Episcopos, qui huic Decreto contravenerit. *De Lamet.*

CASUS LI. In Congregatione reformata dantur Religiosi incorrigibiles; an

poterunt à Superioribus remitti ad alia monasteria non reformata?

℞. Non poterunt remitti, imo Superiores hi nec poterunt iisdem procurare Beneficia, ut hujusmodi homines procul à se amoveant. Extant Ordinationes juris, docentes: quid agendum sit in talibus occasionibus? *De Lamet.*

CASUS LII. Episcopus Religioso suæ Diœceseos attamen exempto negavit collationem Ordinis presbyteratûs. Religiosus sic repulsus ab Episcopo obtinuit rescriptum Pontificium *ut à quocunque*. Potestne sibi providere de tali rescripto?

℞. Quando in sua supplica Religiosus hic non exposuit tergiversationem Episcopi sui, nec repulsæ hujus exhibuit chartam, rescriptum erit nullum; & Episcopus, qui ipsum ordinavisset absque dimissiois proprii Episcopi, ad annum privatus esset jure conferendi Ordines, Religiosus verò exercendi functiones suorum Ordinum; & si exercuisset istiusmodi functiones post tempus suæ ordinationis, irregularitatem quoque incurreret.

CASUS LIII. Religiosus emisit professionem omisso Religiosi instituti annuo tyrocinio.

℞. Ipsius professio nulla omnino est. Debet tamen attendere ad suum quinquennium à jure sibi concessum, ut legitime possit impugnare suam professionem. *De Lamet.*

CASUS LIV. Quidam ut recipiatur in Religionem, pecuniis sibi viam sternit.

℞. Canones excommunicant omnes illos, qui ingressum in Religionem pecuniis sibi parant, uti & Religiosos qui vel directè vel indirectè pecunias exigunt. Præsens ergo receptio certo foret limonica. Hi Canones respectu monialium fuerunt non nihil mitigati. Sed quoad Religiosos nihil unquam fuit immutatum. *Fromageau.*

CASUS LV. Religiosus curam animarum habens moriturus in manibus personæ tertiæ reliquit certam summam, ut exinde solverentur usuræ, quas ex summa

Capitali cuidam mercatori debebat. Licetne hoc potuit facere?

℞. Neutiquam id illi licebat. Illi, ad quorum manus post obitum pervenerunt ejusdem exuviæ ac spolia, ex iisdem debent reservare, quantum satis est ad expungenda ejusdem debita; Creditores, si sint in casu lucri cessantis & damni emergentis, poterunt sibi vindicare interesse ex summa ipsi credita. *Fromageau.*

CASUS LVI. Probat Religiosus professionem se fecisse sub conditione, si sanitati, quæ Novitiatûs tempore diversorum morborum cruciatibus erat afflicta, restituendus sit. Potestne, deficiente hac conditione, agere pro annullatione professionis suæ?

℞. Poterit agere, & si convincenter probare nequeat assertum, debet pètere à Papa licentiam transeundi *ad laxiorem*.

CASUS LVII. Religiosus ex Ordine Minorum variis vexatur infirmitatibus observando regulam de abstinentia à carnibus, teneturne recurrere Romam pro licentia vescendi carnibus impetranda?

℞. Licentia hæc potest ipsi indulgeri à Superioribus; & si continuando abstinentiam infirmitas ejus sit incurabilis, poterit procurare sibi apud Papam facultatem transeundi ab Ordinem mitiorem.

CASUS LVIII. Religiosus continuus patet injustis persecutionibus, quas aliter nisi fugâ evitare non potest. Fugit itaque, estne ideo habendus pro apostata?

℞. Non est pro tali habendus, præsertim quando non deposuit habitum Religionis suæ. Melius tamen faceret, si secederet in aliquod monasterium, neutiquam verò ad parentes vel consanguineos. Postquam expirârunt termini Decreti Pontificii qua transeundi ad alium Ordinem facultas ipsi permittitur, procurare sibi debet novum Breve. Cùmque Generalis indignissimè habendo ipsum coegerit ad fugam, ut vitam in tuto reponeret, conventus tenetur ipsi providere de necessariis ad sustentationem. *Fromageau.*

CASUS LIX. Adolescens videns in mundo periclitari salutem animæ suæ, proponit ingredi Religionem. Cùm verò ære alieno sit supra modum gravatus, nequit satisfacere suis creditoribus. Poteritne hoc non obstante Religionem ingredi?

℞. Poterit profiteri Religionem. Discrimen enim est faciendum inter debitorem personaliter talem, & inter bona, quæ talis debitor habet, vel acquirere potest. Bona sunt hypothecata creditoribus, & de illis in horum præjudicium non potest disponere quidpiam, attamen persona ipsius plena gaudet libertate. *Fromageau.*

CASUS LX. Assumpto quidam habitu Canonorum Regularium possedit Beneficium curatum hujus Ordinis, nunquam tamen in ordine præfato vel Novitiatum subiit vel professionem emisit. Estne Religiosus?

℞. Non est Religiosus; poterit tamen esse administrator parochiæ, ibidemque exercere omnes functiones, si Episcopus ipsum ad hoc judicaverit idoneum. *Fromageau.*

CASUS LXI. Potestne Religiosus non reformatus acceptare & habere duo monachalia domicilia in duobus diversis monasteriis?

℞. Nec potest acceptare nec retinere; tenetur quippe residere in domo suæ professionis, ibidemque assistere choro & divinis: non potest inde egredi & transire ad alium conventum absque gravibus causis & auctoritate legitima. *Fromageau.*

CASUS LXII. Religiosi perantiquæ cujusdam Abbatæ longo jam abhinc tempore vivebant more Canonorum sæcularium. Exiit Decretum regium, ut viverent in communi, & ad unam mensam communem simul omnes cibus caperent.

℞. Tenentur se subicere huic mandato regio. Debet adhibere & teatere omnia media licita ad introducendam & urgendam ejus observantiam. Debet probare illos, qui obtinuerunt ex Curia Beneficia à suo monasterio dependentia, eosque quorum vitam religiosæ disciplinæ haud con-

gruere judicat, revocare. Professi, quibus Beneficia claustralia in titulum obtigerunt, non tenentur reddere rationem de usu fructuum Beneficii quod possident, sed fideliter debent ejusdem satisfacere oneribus, & observare regulas Canonicas pro Beneficiatis sancitas. Abusus est convocare & habere capitula sub Missa majore, cui utpote omnes tenentur interesse. Abusus etiam est permittere consanguineis spolia defuncti, nempe relicta ex supellectili, instructu & ornatu cubiuli &c. item dividere inter Religiosos pecunias, quæ exiguntur à Candidatis ad Novitiatum recipiendis. Religiosi non reformati non possunt renuntiare suæ regulæ, nisi sint ab eadem dispensati per Bullas authenticas debitis omnibus formalitatibus vestitas. *De Lamet.*

CASUS LXIII. Rei domesticæ in Cœnobio administrator seu frater *Conversus*, non reformatus potestne manere extra suum Cœnobium?

℞. Non potest manere absque gravi causa & quidem à Papa vel saltem ab ipsius Superioribus approbata. Confessiones ab eodem in hoc statu factæ, sunt nullæ ac proin repetendæ omnes. Non potuit absque dispensatione recipere tonsuram & obtinere Beneficium. Non potest possidere in titulum officium Sacristæ presbyteratum exigens. Non licet ipsi uti pecuniis, uti cæteris Religiosis professis; debentque ipsi sufficere recreationes à regula & constitutionibus permissæ. *Fromageau.*

CASUS LXIV. Religiosus quidam pessimè apud populum audit ob morum vitæque scandalosam licentiam. Poteritne talis admitti ad officia monasterii?

℞. Nec potest, nec debet admitti, etiam si excessus suos confessus fuisset in pleno capitulo, deque iis poenitentiam egisset. Debet in perpetuum excludi à Superioratibus. *De Lamet.*

RELIQUIÆ SANCTORUM.

1. Oportet venerari Sanctorum *Reliquias*, quarum utpote cultum illustribus Deus

Deus comprobavit miraculis & prodigijs. verum sicut Sanctorum cultus ad Deum ultimatò est referendus, ita veneratio ipsorum Reliquiis exhibenda ipsos hos Sanctos etiam respicere debet.

2. Observandum quoque est, dum sacras reliquias honorare nos dicimus, intelligendum id esse solummodo de honore rebus sacris debito.

3. Prohibet Concilium Tridentinum, ne in Ecclesiis publicè exponantur ullæ Sanctorum Reliquiæ nisi ab Episcopo ut tales fuerint recognitæ & approbatæ.

CASUS I. Casimirus Sacerdos Romæ secum attulit Reliquias cujusdam Sancti Martyris; quas parochiam postmodum adeptus thecæ inclusas propria sua auctoritate fidelium venerationi in sua Ecclesia exposuit.

R. Juxta Tridentinum Sess. 25. Decreto de invocat. & vener. Reliq. Sanctorum &c. non potuit hoc facere; oportebat, ut ab Episcopo tanquam genuinæ recognoscerentur.

CASUS II. Parochiæ cujusdam Curatores alterius Ecclesiæ parochialis Curatoribus suscitârunt litem super insignibus quibusdam reliquiis expositis in hac posteriore Ecclesia, in qua ex pijs fidelium largitionibus apud easdem oblati viginti quot annis Imperiales percipiebantur, prætendebantque una cum suo parcho ad se pertinere has reliquias. Proposita à quodam utriusque partis amico amabili transactione placuit, ut Reliquiæ relinquereentur suæ Ecclesiæ, in qua semper hætenus fuerant asservatæ, oblata verò æquis partibus inter utramque Ecclesiam dividerentur; eratne vitiosa hæc transactio?

R. Transactio hæc sola partium litigantium auctoritate facta non est Canonica, nec fieri potuit tutâ conscientia; oportebat, ut interveniret auctoritas Episcopi. Pontas.

CASUS III. Bermondus parochus in Ecclesia nullas habens Sanctorum Reliquias à vicino quodam parcho impetravit ca-

put alicujus Sancti, erga quem parochiani singulari devotione ferebantur; Consecrere curatores Ecclesiæ, ea tamen pacta conditione, ut prior parochus 10 francorum pensionem ex redditibus fabricæ suæ Ecclesiæ solveret. Estne vitiosa & simoniaca hæc conventio?

R. Est dubio procul vitiosa; quia quid quid est positum extra commercium humanum, non potest sub quocunque prætextu vendi; certum autem est; sacras Reliquias esse extra omne humanum commercium, uti declarârunt Imperatores Honorius & Theodosius. Est etiam simoniaca juxta S. Antoninum 3. part. tit. 12. c. 8. in init. item 2. part. c. 5. & 25. Reliquias vendere vel emere est simoniacum. In præsentem verò casum Bermondus emit, & confrater ipsius vendidit prædictas Reliquias. Pontas.

CASUS IV. Leo Sacrista cujusdam Ecclesiæ furtivè abstulit ossa ex brachio cujusdam Sancti in lypsanthecca asservata, eaque exposuit in Ecclesia parochiali, in qua nuper primùm parochus institutus fuerat; at verò Confessarius vult ipsum obligare & compellere ad eorum restitutionem. Peccavitne clanculum surripiendo sacras has Reliquias? teneturne etiam ad restitutionem?

R. Merito ad restitutionem ipsum obligat Confessarius. Leo grave commisit peccatum, nec potest retinere illas Reliquias absque novo crimine. Insuper aliud speciale peccatum perpetravit easdem propria sua auctoritate publicæ fidelium venerationi exponendo. Ste Beuve tom. 2. cas. 82.

Vide Simonia, Casu Callipus.

RENUNCIATIO BENEFICII.

1. Renunciatio est abdicatio Beneficii facta à Titulari ejusdem; sive dein habeat jus in re, cum scilicet legitima illius possessione gaudet, sive solum jus ad rem, dum nimirum ad Beneficium assumptus nondum ejus possessione gaudet, vel eidem renun-

ciat ante confirmationem electionis à legitimo Superiore factam.

2. Renunciatio fieri debet sponte, & cum cognitione causæ; quia ad validam renunciationem requiritur libertas, & causa legitima. Causæ autem ejusmodi sunt sex, & comprehenduntur in his duobus versiculis:

Debitis, ignarus, male conscius, irregularis,

Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

3. Beneficiatus non potest renunciare Beneficio suo absque causa legitima; utque renunciatio sit Canonica, debet fieri apud Superiorem.

4. Renunciatio est duplex: una pura & simplex, qua quis renunciat Beneficio in manus Collatoris absque ulla conditione; altera conditionata, dum quis renunciat Beneficio in favorem alterius, & non aliter, aut ea conditione, ut Resignatarius Resignanti cedat aliud Beneficium, aut pensionem ex fructibus Beneficii; & hujusmodi Renunciatio propriè dicitur Resignatio in favorem, aut permutationis causâ, aut cum onere pensionis.

5. Hic solum sermo est de ea Renunciatione, quæ renuncianti nullum relinquit jus reclamandi contra Renunciationem suam acceptatam à Superiore. De Renunciatione conditionata vide Titulos Penso, Permutatio, & Resignatio.

6. Renunciatio pura ut sit Canonica, necesse est, ut fiat in manus ordinarii Collatoris Beneficii, quovis alio excluso. Per puram Renunciationem non censetur vacare Beneficium, nisi ea admessa fuerit à Superiore, in cujus manus fieri debet.

CASUS I. Euty chius renunciavit Abbatia suæ in manus Regis in favorem sui nepotis.

R. Suppositò etiam, quo Rex teneat locum Papæ in iis, quæ concernunt Beneficia collationis Regiæ, nepos tamen iste nullum habet jus ad Abbatiam; nec absque Simonia procurare sibi potest admis-

sionem resignationis oblatâ cuidam Aulico pecuniâ, ut ejus industriâ à Rege Abbatiam obtineat. Pontas.

CASUS II. Eumenius Titularis cujusdam Prioratus simplicis, ad quem jus præsentandi habet Abbas quidam, eidem purè ac simpliciter renunciat in manus Abbatis illius, qui altero mox die præsentat alium ad Prioratum.

R. Hæc renunciatio non est canonica; cum non sit facta in manus Collatoris. Pontas.

CASUS III. Gedeon Canonicus & Scholasticus cujusdam Ecclesiæ Cathedralis ex Titulo Beneficii sui ac vi juramenti ante aditam possessionem Capitulo præstiti singulis Dominicis ac Festis tenetur concionem habere, ac actualem, continuamque servare residentiam sub pœna ejusdem mulctæ, qua solet animadverti in cæteros Canonicos absque legitima causa absentes. Gedeon autem sæpè se ruri detinet pro solatio Patris sui infirmi, ita, ut per quinquennium, ex quo Beneficium suum possidet, singulis annis fere tribus mensibus absens fuerit. Redituibus ipsius sic notabiliter diminutis declaratum ipsi est à Capitulo, ut aut officio suo ritè fungatur, aut præbendæ Scholastici renunciet; quod ille in manus Episcopi Collatoris facere non renuit, dummodo Capitulum restituat 500 libras, quibus ob absentiam suam privatus fuerat; aliàs se resignaturum in favorem cujusdam Clerici nec Capitulo nec Episcopo accepti. Quam conditionem cum Capitulum ultra mensum non acceptasset, tandem, ut Ecclesiam ab indigno Beneficiato liberaret, numerari ipsi jubet 500 libras, & quidem in præsentia cujusdam Clerici totius rei conficii, quem Episcopus utpote summè dignum ac idoneum locò Gedeonis ad hoc Beneficium destinaverat. Hoc facto Gedeon in forma consueta purè ac simpliciter renunciat Beneficio in manus Episcopi, qui de eo mox disponit in favorem memorati Clerici.

R. 1. Gedeon non potuit absque gravi peccato contra justitiam deesse residentie actuali

actuali ac continuæ, aliisque functionibus suis; & hinc justè fuit mulctatus. 2. Capitulum non potuit Gedeoni condonare 500 libras, quibus justè fuit privatus. 3. Meritò à Gedeone fuit petita renunciatio Beneficii; sed ea fieri non potuit, nisi gratuito. Denique Successor ipsius non potest excusari à Simonia, cum totam rei seriem sciverit; & hinc provisio ipsius nulla est, teneturque fructus perceptos restituere Ecclesiæ aut pauperibus, nisi de novo provisus à Papa obtinerit condonationem fructuum perceptorum. *Pontas.*

CASUS IV. Medardus Canonicus Cathedralis cum periculosissimè decumberet, Florentiusque in Præbendam ipsius intrudere vellet Titium, ille Medardo in præsentia Notarii ac testium, cum quibus conspiraverat, subscribendum offert instrumentum Renunciationis in favorem Titii, simulans, esse solutæ à Villico ipsius pecuniæ apocham.

R. Florentius, Notarius ac testes criminis falsi commiserunt. Si Titius est persona indigna hoc Beneficio, renunciatio est nulla, & provisio ipsius obreptitia ac invalida, Florentiusque tenetur reparare damnum tam Ecclesiæ quàm Collatori. Si verò Titius est persona digna, Ecclesiæque nullum exinde detrimentum nascatur, Florentius solum tenetur reparare injustitiam adversus Collatorem commissam. Titius quoque tutâ conscientiam non potest retinere Præbendam, si falsitatis commissæ conscius sit; de qua ipsum monere tenetur Florentius, uti sciat, se in conscientia obligatum esse ad dimittendum Beneficium. Non solum Florentius, sed & Notarius & testes, ac quicumque hujus falsitatis participes fuerunt, tenentur in solidum ad reparandum damnum; & Florentius in particulari tenetur omnes complices monere de commisso crimine. *Pontas.*

CASUS V. Nicomachus Parochus cum vellet, ut Beneficium suum obveniret Lamberto nepoti suo, accedit Mævium Collatorem, ipsique proponit, se purè ac sim-

pliciter renunciaturum Beneficio in manus ipsius, hac tamen conditione, ut conferatur Lamberto; hoc nã fiat, se non renunciaturum. Mævius id promittit, & facta renunciatione. Beneficium confert Lamberto, prout promiserat.

R. Provisio Lamberti est Simoniacæ, ac consequenter nulla; & tam ipse quàm Collator incurrerunt pœnas contra Simoniacos latas. *Pontas.*

CASUS VI. Epipodes successorem in Capellania sua sibi exoptans Hieronymum amicum suum, Patronum ejusdem laicum Balduinum ad lautissimas invitavit epulas, iisque finitis offert ipsi in manus renunciationem suam, adjunctis precibus, ut presentet ad hoc Beneficium Hieronymum; petitioni huic Balduinus consentit.

R. Hæc Epipodis agendi ratio ac calliditas à peccato excusari non potest: presentatio tamen à Balduino concessa est valida. Si autem Hieronymus induxisset Epipodem ad parandum Patrono convivium, cum promisso compensandi impensas in illud factas, uterque Simoniam commisisset. *Pontas.*

CASUS VII. In Ecclesia quadam Collegiata jam à quinquaginta annis consuetudo invaluit, ut Beneficia à Capitulo dependentia conferantur iis, qui obtentam à resignantibus renunciationem offerunt, aut illis, quibus renunciantes tanquam successoribus suis indigent.

R. Hæc consuetudo est simoniaca. *Pontas.*
CASUS VIII. Collator quidam recipit renunciationem Beneficii, ac promittit, se Beneficium collaturum illi, quem renuncians proposuerit.

R. Hæc renunciatio est simoniaca. Collator iste nec minimò indicio manifestare debet propositum suum satisfaciendi illi, qui renunciat: interveniret enim hoc modo pactum tacitum, quod collationem redderet simoniacam. Nec Beneficium hoc conferendum est illi, qui jam duo alia possidet Beneficia plusquam sufficientia: Concilium enim Tridentinum damnat hanc Beneficiorum pluralitatem. *Fromageau.*

Vide

Vide *Beneficium. Beneficiatus. Canonici. Collatio. Permutatio. Provisio. Resignatio. Simonia Confidentialis.*

REPARATIONES.

1. Unum ex præcipuis oneribus, quæ incumbunt censuario, illud est reparatum faciendarum. Quantum ad forum externum habetur pro usufructuario, & quoad hunc effectum bona ipsius omnia sunt hypothecata à die arreptæ ab ipso possessionis: tenetur ergo loca, ædificia &c, ratione quorum census præstat, facta conservare, & reparanda reparare: quod si succedat pessimo administratori, contra hujus tantum hæredes ipsi datur actio. Quando reparaciones oriuntur ex causa ruinositatis exiguntque totalem reparacionem, tenetur tantum usque ad tertiam partem sui rati. Idem dic de reparacionibus, quæ à prædecessore dum viveret fieri necessariò debuissent, si hæredes ipsius solvendo non sint. Reparaciones se extendunt ad Ecclesias, domos ad Ecclesias pertinentes, earum villas, horrea, & ad omnia reliqua ædificia in Ecclesiæ dominio constituta.

2. Quantum ad ipsas Ecclesias parochiales notandum, quod parochus habens decimas majores teneatur ad reparaciones chori, & presbyterii id est spatii quod est inter altare summum & cancellos; de reliquis uti & de habitatione parochi curare debent ipsi parochiani. In quibusdam verò locis Decimator debet concurrere ad tertiam reparacionum partem, nulla facta distinctione chori & navis Ecclesiæ. In aliis verò locis debent suppeditari materialia; alibi verò fabri lignarii & murarii pro cujusvis regionis vel loci consuetudine.

3. Episcopus durante visitatione suæ dioceseos debet imperare reparaciones necessarias, quas etiam per censuras potest urgere. In Gallia ipsi etiam Judices regii ad hoc tenentur concurrere, & obligare beneficiatos per sequestrationem bonorum temporalium.

Diction. Cas. Conf.

CASUS. Beneficiatus resignavit suum Beneficium, cujus omnes fructus extantes retinet, expensis deductis; teneturne inflaurare Prioratûs chorum, qui mox à resignatione ipsius corrui?

R. Tenetur. Ruina hæc probat, quòd debito tempore omiserit reparaciones necessarias. *Fromageau.*

RESERVATIO FRUCTUUM BENEFICII.

Per *Reservationem fructuum Beneficii* intelligitur hæc quædam species *Annatarum*, aut solutio fructuum unius anni ex Parochia Episcopo vel Archidiacono à novo Titulari præstanda: Galli vocant *Deport.* Jis hoc odiosum in aliquibus tantum Galliarum Provinciis adhuc in usu est, & quidem ex solo titulo malè fundatæ consuetudinis. Originem suam trahit ex eo, quòd Archidiaconi antiquitus essent Oeconomi nati Ecclesiarum vacantium in districtu Archidiaconatus sui. Hæc reservatio toleratur pendente lite circa Beneficium. Viget etiam reservatio ista in tota Normannia, casu, quo moriatur Titularis, aut purè ac simpliciter renunciet Beneficio, aut resignet *in favorem.* Uno eodémque anno nunquam potest bis locum habere hæc reservatio. In Normannia hæc reservatio comprehendit fructus anni integri; in aliis Provinciis solum redditus provenientes ex Beneficio, usque dum fuerit occupatum, aut per sententiam alicui adjudicatum. Pariter hæc reservatio non solum extenditur ad Parochias sæculares, sed etiam ad regulares. In Diocesi Parisiensi reservatio ista locum habet à die Cinerum usque ad Festum S. Crucis mense Majo, si intra hoc temporis spatium Titularis decedat; & in Diocesi Meldensi, quando nullus exstat Titularis die Mercurii ante Festum Paschatis. Tandem hæc reservatio varia est pro varia Diocesium; ubi viget, consuetudine.

CASUS I. Cosmas Archidiaconus percipit redditus valde notabiles ex hoc jure.

M m m m m

re-

reservandi fructus Beneficii vacantis, ita, ut ipsi à nullis desuper moveatur scrupulus.

R. Tutâ conscientiâ hos redditus percipit intra limites Archidiaconatus sui, si interea functiones Parochiales committat Presbytero idoneo, semper tamen omnibus aliis præferendô Titularem, si requisita ipsi capacitas non deest. *Pontas.*

CASUS II. Gilbertus provivus quadam Parochia in Diocesi Ebroicensi ex resignatione Fratris sui, primô annô eidem non deservit, quia redditus illius anni pertinebant ad Episcopum & Archidiaconum jure reservationis, qui tenebantur hoc tempore alicui committere functiones Parochiales. Nihilominus in conventionem cum iis, vî cuius se obligat ad solvendos 200 florenos pro redditibus illius anni Episcopo & Archidiacono reservatis: hos autem Gilbertus locat alteri pro 300 florenis; quibus perceptis solvit 200 florenos Episcopo & Archidiacono, 50 florenos vicario Parochiæ, qui eidem interea deservit; reliquos 50 florenos reservat sibi.

R. Gilbertus inita cum Episcopo & Archidiacono hac conventionem debuisse ipse personaliter deservire Parochiæ. Interea tamen non tenetur restituere residuum ex fructibus. *Pontas.*

CASUS III. Petrus Parochus in Diocesi Sagiensi moritur mense Februario; ipsi succedit Paulus in Parochia, cuius redditus annui jure reservationis pertinent ad Episcopum & Archidiaconum, ita, ut Episcopo obveniant duæ partes tertiæ, altera pars tertia Archidiacono. Paulus autem moritur & ipse ad finem ejusdem mensis.

R. Mors Pauli non tribuit Episcopo & Archidiacono jus onerandi Parochiam hanc secunda reservatione fructuum annuorum. *Pontas.*

RESERVATIO PECCATORUM.

1. *Reservatio* locum habet non tantum in materia peccatorum, verum etiam cen-

surarum, dispensationum, commutationis votorum, procuratorum in provisionibus Beneficialibus, delegationum, aliisque similibus rebus. Reservatio hæc quæcumque ea sit, nihil est aliud quam limitatio potestatis vel jurisdictionis sive ordinariæ sive delegatæ.

2. Quando potestas est ordinaria, reservatio non habet locum nisi in casibus expressis; si verò sit delegata, censetur reservata quæcumque expressè non sunt concessa. Fundamentum hujus regulæ est, quòd ordinarius Judex possit quicquid ipsi non est prohibitum, delegatus verò nihil omnino possit nisi quod eidem est permixtum. Quando potestas est ordinaria, reservatio est odiosa adeoque restringenda; quòd si verò delegata sit, favorabilis est adeoque extendenda. Reservatio tam respectu potestatis ordinariæ quam delegatæ provenit à Jure & ab homine, cumque fundetur in Sacra Scriptura, ligat in utroque foro.

3. *Reservatio peccatorum* juxta Concilium Tridentinum nihil est aliud quam limitatio potestatis absolvendi. Jam verò peccata possunt esse reservata vel in seipsis vel in aliare, id est *directè* vel *indirectè*. Directè, quando certa peccata nominatim & in specie sunt reservata; indirectè verò quando sunt reservata propter nexum, quem habent cum nominatim reservatis. Primò modò sunt reservata *explicitè ac distinctè*; secundo verò modo *implicitè seu confusè*.

4. In Corpore Juris nulla reperuntur peccata directè reservata ante initium sæculi 15.

5. Facultas reservandi pertinet ad potestatem jurisdictionis, uti etiam facultas absolvendi, quæ restringitur per reservationem. Papæ & Episcopis facultas hæc competit jure divino; si qui alii hujusmodi potestatem habeant, illam tenent immediate ab Ecclesia. Peccatorum reservatio potest statui à Conciliis, Summis Pontificibus, Decretis Episcopalibus. *Qualitatem*

tem porro criminum reservandorum vel reservabilium explicat Concilium Tridentinum.

6. Finis reservationum vel est *Generalis* uti animarum salus, honor Dei; vel *particularis*, veluti Conservatio disciplinæ Ecclesiasticæ, ne fideles impetu ruant in scelus, si facillè ipsi absolutio concederetur, & ut major reverentia atque Auctoritas conciliaretur primariis Ecclesiæ Prælati.

7. Reservatio sequitur confessarium ubi vis locorum supposito quòd absolvat ex auctoritate reservantis; non verò quando absolvit auctoritate alterius cujusdam, secus se res habet in penitente, quando exit ex Diocesi, in qua commisit peccatum reservatum. Pro articulo mortis cessat omnis reservatio.

Vide *Casus reservati*.

CASUS. Quidam confessus est peccata reservata apud Sacerdotem habentem potestatem absolvendi à reservatis, dubitat jam de validitate hujus suæ Confessionis.

R. Potest illam repetere apud quemcumque alium sacerdotem approbatum, quia reservatio jam est sublata per priorem Confessionem. *Fromageau.*

NOTA. In Casu supponitur, quòd penitens deposuerit confessionem saltem formaliter integram de omnibus peccatis mortalibus etiam non reservatis, quæ occurrebant memoriæ.

RESIDENTIA.

I. RESIDENTIA EPISCOPORUM.

1. *Residentia* vocatur mansio continua Beneficiati in loco sui Beneficii, ut nullo non momento sit paratus ad fungendum munere pastorali, vel alia Beneficii munera ac ministeria obeunda.

2. Episcopi ad residentiam tenentur non minus quam parochi, vel Canonici habentes Beneficia curæ, vel qui ad eandem tenentur ex titulo primæ foundationis. Sic enim jubent Concilia & Prælatorum Ecclesiasticorum Statuta ac Decreta.

CASUS I. *Nicander* *Quinquæ Ecclesiæ* in Hungaria Episcopus prævidet gravem persecutionem mox excitandam; potestne absque peccato derelinquere gregem suum durante persecutione, transferendo totam potestatem suam in Sacerdotem, qui se absente ovibus invigilet. An verò potius tenetur residere in Episcopatu etiam cum periculo vitæ?

R. Episcopi & omnes pastores animarum curâ onerati tenentur jurè divino & Ecclesiastico ad residentiam sub peccati mortalis reatu. *Conc. Trident. sess. 23. cap. 1. de Reform.* Hoc supposito, si persecutio, de qua agitur, sit decreta in ipsam personam Episcopi, potest & debet recipere se aliorum pro salute ovium suarum juxta *S. Cyprian. l. 3. Epist. 5. qua Pamelaio, §. 15. & 20. Edit. Anglic. & S. Thomas 2. 2. q. 183. art. 5. in corp.*; præcautione tamen adhibita ut alium sibi communicata interim ipsi sua potestate substituatur. Si verò ex ipsius absentia damnum immineret gregi, exemplum *S. Marci* Episcopi Arethusani temporibus Juliani Apostatæ, *S. Nicasi* Episcopi Rhemensis tempore vandalorum, *S. Lupi* Episcopi trecentis, & *S. Remigii* Episcopi Rhemensis doceret, teneri Episcopum exponere vitam pro ovium salute.

CASUS II. Erepta à Venetis Turcarum imperio arce *S. Mauri* in quadam Insula valde populosa, cujus habitatores penè omnes erant Græci Schismatici, omnesque Ecclesiæ subditæ Episcopo pariter Schismatico, Papa Hieronymus Episcopum consecravit, qui incolas ad unitatem & communionem Ecclesiæ Romanæ reduceret. Paruit Hieronymus & per sex menses nullo prorsus fructu reducendis ad Ecclesiæ gremium schismaticis insudavit, imo etiam indignissimis modis ab iisdem fuit habitus: insuper magistratus sæculares, ut Insulanos in obedientia Reipublicæ venetæ continerent, prohibuerunt, ne reunionem hanc curaret ac urgeret amplius; teneturne in tali casu residere in hac Insula, in qua, considerata habitatorum obstina-

tione, nulla spes fructus ac reunionis apparet?

R. Si adefsent etiam Catholici permixti schismaticis hujus Insulæ incolis, nulum est dubium, quin Hieronymus obligetur residere in hac Insula, ut illorum saluti invigilet; verum in casu nunc posito poterit aliorum sese recipere. *Gratianus 5. hoc autem. §. 3. post Canon. adversitas 48. 7. q. 1.*

II. RESIDENTIA PAROCHORUM.

Obligatio residendi est longè major ac indispensabilior respectu parochorum quàm quorumvis aliorum, utpote cum illorum ministerio & auxilio continuè indigeant parochiani. Concilium Tridentinum est clarum quoad hoc punctum. Potest nihilominus parochus quandoque abesse ex legitimis causis, quæ tamen rarè admodum sunt, & præterquam quòd debeant approbari ab Episcopo, tenetur etiam substituere sibi absenti vicarium, qui durante absentia functiones pastorales obeat.

CASUS I. Servius parochus ad S. Donati quovis anno ordinariè abest à sua parochia per 2. menses continuos, dum interim inter parentes, consanguineos & amicos sese exhilarat. Peccatne mortaliter?

R. Cura pastoralis animabus impendenda est parochorum respectu debitum ac obligatio Juris Divini. Tenentur ergo hoc ipso Jure residere in suis parochiis. *Covarruvias l. 3. variar. resolut. c. 23. & Servius peccavit mortaliter juxta Cabassutum l. 5. c. 1. num. 4.* potest tamen hoc non obstante parochus abesse ex justis causis substituto sibi Vicario idoneo, qui absentiam suam suppleat.

CASUS II. Eduardus parochus ad S. Elogii processum habet judiciale maximum momenti, jamjam per sententiam Judicis terminandum; poteritne tutà conscientia abesse à sua parochia, ut cum Judice agat, causamque suam teneatur & urgeat?

R. Quatuor sunt causæ legitimæ, quæ possunt excusare absentiam parochi. Charitas Christiana, urgens necessitas, Obedientia Superiori debita, evidens Ecclesiæ vel boni communis utilitas. Sed solius Episcopi est judicare de validitate harum causarum, & etiam in tali casu parochus debet constituere vicarium durante sua absentia. Tenetur ergo Eduardus exponere suo Episcopo naturam processus, & quanti momenti sit, & sic poterit constituto Vicario abesse, si Episcopus judicaverit opere pretium fore, ut in persona urgeat finem controversiæ. *Pontas.*

CASUS III. Rochus gradu Doctoratus ex Theologia vel Jure Canonico eminens, hoc Titulo supplicavit pro Parochia 1500 francorum, hujusque parochiæ planè adeptus est possessionem; sciens verò aliis graduatis ob prærogativam senii per totum semestre competere privilegium sollicitandi pro eadem parochia, putat se esse dispensatum ab obligatione residentiae, donec certus sit in possessione sua amplius se non esse turbandum; poteritne se eximere à residentia superveniente seniore graduato parochiæ candidato, licet possessionem jam per sententiam Judicis sibi vindicaverit.

R. Cum Rochus ob solum possessionis pacificæ titulum possit percipere fructus Beneficii, tenetur ad residentiam, cum fructus non debeantur nisi intuitu præstiti servitii. Sententiæ vindicatae possessionis multò magis ipsum obligat utpote cum hoc modo ab ipso jure vel certe iudice auctoritatem nanciscatur possessio ipsius. *Conferent. Lingou. tom. 1. conferent.*

CASUS IV. Theotimum parochum ad S. Protasii internecino odio insediatur territorialis Dominus, adeo ut etiam vitæ ejus jam fuerit insidiatus; poteritne ad notabile tempus discedere à parochia, ut furorem inimici sui juratissimi declinet. Possitne etiam dimittere suam parochiam, si ob notabilem infirmitatem medici ad unum vel duos menses mutationem acti ipsi imperarent.

R. Rationes hæ sunt sufficientes ad excusandum Theotimum à peccato, dummodo substituat sibi idoneum vicarium; neque absentia illius notabile præjudicium vel damnum inferat bono spirituali suorum parochianorum. *Tolet. Instruct. Sacerdot. l. 5. cap. 7.*

CASUS V. Amabilis parochus ad D. Valerii poteritne abesse ex sua parochia Exercitiorum Spiritualium faciendorum gratiâ?

R. Judicamus, ad hunc casum posse extendi quod dicit *Tridentinum Sess. 25. c. 1. de Reformat: Evidens Ecclesiæ utilitas.* Est una ex quatuor causis legitimis, quæ sufficientes habentur ab hoc Concilio ad hoc, ut quis possit abesse à Beneficio curam animarum sibi annexam habente. Poterit ergo amabilis discedere ad tempus sacræ recollectionis gratiâ. *See Beuve tom. 2. cas. 19.*

CASUS VI. Antoninus parochus timens ne moriatur ex lue pestifera suam parochiam devastante, inde aliorum per mensem sese recepit. Estne peccati reus & obligatus ad restitutionem fructuum?

R. Non Potuit tutà conscientia fugere ex sua parochia tempore hujusmodi calamitatis publicæ, nec relinquere gregem suum. *Confer. condom. tom. 2. confer. 5. sect. 2.*

CASUS VII. Justinianus valde eminentis Ordinis à suo Episcopo fuit assumptus, ut Officialis vel Vicarii Generalis munere fungeretur; poteritne retinere parochiam, quam actu possidet, substituendo sibi Vicarium parochialem idoneum, & quandoque per seipsum invivendo parochiam, cum officialis vel Vicarii generalis dignitas incompatibilis sit cum administratione parochiæ?

R. Justinianus credat se dispensatum ab obligatione acceptandi dignitatem sibi ab Episcopo suo oblatam, incompatibilem utpote cum parochia ad cujus administrationem multò magis tenetur quàm ad acceptandum munus Officialis vel Vicarii Generalis, si aliunde Episcopus possit inve-

nire subjectum idoneum, id quod difficile non est nostris his temporibus. *Pontas.*

III. RESIDENTIA CANONICORUM.

Obligatio, quæ incumbit Canonicis ad residendum apud Ecclesias, in quibus habent titulos suorum Beneficiorum, fundetur in altera hac obligatione, quòd teneantur ad psalmodiam, seu ad decantandas quotidie Dei laudes, & satisfacere reliquis etiam obligationibus, quas ultrò inerunt cum fundatoribus acceptando suas præbendas. Interim tamen obligatio hæc ipsorum respectu non est adeo rigorosa uti respectu parochorum; certè Jus Canonicum in illorum favorem approbat causas quasdam absentiae, quæ nihil juvant ad excusandam absentiam parochorum. Non tamen propterea satisfaciunt debito suo per solam residentiam; sed opus præterea est, ut satisfaciant obligationibus statui suo annexis; & sicut parochus absque justa causa absens tenetur ad restitutionem fructuum sui Beneficii, idem cum proportionem dicendum est de Canonico, qui nec residens apud suum Canonicatum, nec choro assistens, nihilominus percipit fructus Beneficii.

CASUS I. Sylvius jam à decennio Theologiæ Doctor & Professor in universitate Duacensi semper hucusque, tamen absens, percepit fructus ex Canonicatu, quem habebat apud Ecclesiam Cathedralē Tornacensem; estne securus in sua conscientia ratione residentiae, quam nunquam observavit tornaci?

R. Professor hic potest securà conscientia frui sua præbenda, etiam si non resideat. Statuit Concilium Generale Lateranense de anno 1179. ut in quavis Cathedrali constituatur Professor Grammatices pro instruendis pauperibus, eidemque provideatur de Beneficio, ut gratis possit instruere. Quartum Lateranense Anni 1215. confirmans ea quæ jam antecesserant fuerant decreta, imperavit præterea institutionem Professoris Theologiæ apud Sedes

metropolitanas, simul jubens, ut tam Grammatico quam Theologo dentur redditus ex aliquo Canonatu. Atque in hoc fundatur famosa illa *Decretalis SUPER SPECULA de Magistris lib. 5. tit. 11.* Honorii III. quæ Sylvium perfectè securum reddit in conscientia. Interim hoc non potest intelligi de Professoribus, quorum fundatio expressè cavet, ne provideantur Beneficio exigente residentiam.

CASUS II. *Renatus* Canonicus Ecclesiæ Burdegalensis 16. vel 18. annos natus, aliquot abhinc annis fruatur redditibus sui Canonatus, licet absens causâ studiorum quæ Parisiis absolvit; estne securus in conscientia?

R. Privilegium Professorum, de quibus in præcedenti casu sermo fuit, extendendum etiam est ad eos, qui studio Theologiæ operam navant juxta *Decretalem* ibi citatam; non tamen alios nisi fructus grossos Beneficii possunt percipere. Juxta *Fagnanum* & alios plures etiam Juris Canonici studiosis competit hoc privilegium. *Pontas.*

CASUS III. *Joannes, Jacobus, Petrus & Paulus* novelli Canonici Ecclesiæ Agathensis, in qua duodecim tantum sunt Præbendæ, obtenta à suo capitulo, incio Episcopo, licentia discedendi Burdegalam studiorum causâ, ibidem integro jam quimestrii studiis vacant. Certior de hoc discessu factus Episcopus ipsos revocat ad suas Præbendas utpote cum nulla ab ipso petita vel obtenta licentia sese absentaverint, & aliunde Capitulum Cathedrale ex Canonicis oppidò paucis constet. Tenenturne in conscientia obedire suo Episcopo; possuntne ab hoc etiam cogi in casu tergiversationis?

R. Tenentur obedire, & si renuant, Episcopus potest ipsos cogere per poenas Canonicas. *Gregor. IX. in cap. cum sint 16. de Cleric. non resident. lib. 2. tit. 4. & Glossa. Pragmat. sanctio tit. de collat. §. Primo, cum, v. Liberius.*

CASUS IV. *Petrus & Paulus* duo Canonici Cathedrales assumpti à suo Episco-

po ad regimen Diceceseos, possuntne totâ conscientia & sub hoc prætextu percipere fructus ac redditus suorum Beneficiorum, licet absentes?

R. Ad hanc perceptionem jus ipsis & auctoritatem tribuit *Decretalis Alexandri III. in cap. de cætero 7. de clericis non resident. 3. Eccles. vel Præbend. lib. 3. tit. 4.* non minùs ac *Decretalis Honorii III. in cap. ad audientiam 15 eod. tit. Non est justum, ait posterior hic Pontifex, ut pro absentibus habeantur, qui Episcopum suum juvant in ferendo Episcopatus onere;* & aliunde sunt Ecclesiæ multò utiliores servitio hoc quod Episcopo exhibent, quam cæteri Canonici choro ac psalmodiæ assistentes. Hoc tamen totum non usque adeo intelligendum est quasi etiam possent lucrari interim distributiones quotidianas; cum praxis contraria indiscriminatim contra omnes absentes jam ante has *Decretales* fuerit introducta, & exinde ad nostra usque tempora obtinuerit. *Pontas.*

CASUS V. Capitulum Cathedrale Augustæ Ausciorum ex quinquaginta Canonicis constans, amplissimosque habens redditus, pro more vix non Universalium omnium Capitulorum Burdegalam misit unum ex Canonicis suis, ut negotia ibidem totius Corporis, & causas judiciales apud Parlamentum curaret, urgeretque: moratur in præfata civitate per solidum triennium. Ratio hæc negotiorum pro bono Communitatis gestorum estne sufficiens, ut jus aliquod possit ipsi tribuere percipiendi fructus grossos & distributiones?

R. Illud, quod tridentinum dicit *sess. 23. c. 1. de Reform. de motivis, propter quæ aliquis excusatur à residentia: Evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas, juxta Navarrum l. 3. Consil. de Clericis non resident. & c. Consil. 3. tom. 1. fol. 104. Edition. 1601. venet.* est ratio sufficiens ad hoc, ut justa ac legitima reddatur præsentio hujus Canonici, cum in hoc casu adsit evidentissima necessitas. Idem omnino

nino dici potest de Canonico qui abesset ad terminandum processum injustum sibi à Capitulo intentatum.

CASUS VI. *Leopoldus* Canonicus Viennensis ex jussu expresso sui Episcopi jam per sex menses administrat quamdam parochiam campestris; estne coram Deo exemptus à residentia, & præsentia in choro & divinis, præsertim quando Episcopus non potuit invenire alium clericum idoneum, qui potuisset regere præfatam parochiam?

R. Juxta *Constitutionem Bonifacii VIII. in cap. consuetudinem Leopoldus* est exemptus à residentia & à servitio suæ Præbendæ exhibendo, dum functiones parochiæ modo exercet. *Pontas.*

CASUS VII. *Candidus* habet Canonatum, cujus annui redditus non excedunt 120. francos; cumque modicum hoc non sufficiat ipsius sustentationi honestæ, parochos quosdam rusticolas juvat in exercitio ministerii pastoralis & animarum curæ, ut victum sibi lucretur; licetne agit absentando se à suo Canonatu ultra tempus, Canonicis à Tridentino præscriptum?

R. Qui acceptat Beneficium, onera quoque ejusdem acceptat. Porro præcipuum onus Canonici est assistere Choro in sua Ecclesia, cui non potest satisfacere, nisi actualiter resideat in loco Beneficii. *Alexander III. in cap. conquerepte 6. de Clericis non resident.*

NOTA. Cum leges Ecclesiasticæ non possint esse irrationabiles, absque injuria extendi non possunt ad ejusmodi circumstantias, ad quas extensæ fierent irrationabiles. Itaque pro ejusmodi circumstantiis per Episcopum providere tenetur Episcopus.

CASUS VIII. *Sulpitius* Canonicus potestne absque peccato abesse per duas vel tres septimanas ultra tempus à Tridentino præscriptum, ut consanguineo vel amico ægroanti & mox morituro hortator assistat, vel magnas inimicitias inter personas valde eminentes auctoritate sua ac prudentia componat?

R. Patamus quantum ad præsentem casum, si *Sulpitius* sit persuasus de necessitate suæ præsentia, non peccaturum per suam absentiam; neutiquam, tamen poterit prætere quidpiam de distributionibus quotidianis, cum lex Ecclesiæ harum respectu intelligenda sit ad literam. *Pontas.*

CASUS IX. *Hieronymus* Canonicus non resedit apud suum Beneficium per integram annum peregrinatione institutâ Romam & ad eadem Lauretanam. Domum ex peregrinatione reversus resedit in civitate sui Beneficii, nec tamen per anni spatium interfuit choro: hoc non obstante percepit fructus grossos Beneficii, qui ad francos mille ac ducentos annuatim excurrerant; estne fructuum horum pro foro interno conscientia, possessor legitimus?

R. Pro foro conscientia non lucratur hos fructus; licet aliter judicet Justitia secularis. Nullum Beneficium datur nisi cum onere satisfaciendi omnibus obligationibus eidem annexis, uti ait *Bonifacius VIII. in cap. quia fin. de Rescript. in 6. lib. 5. tit. 3.* Consuetudo contraria non poterit ipsum excusare fructus grossos percipientem. *Ste Beuve tom. 2. cas. 49.*

CASUS X. *Liberius & Publicus*, Eleemosynarii, Capellani seu Clerici Regis ac Reginae ambo habent Canonatum in Ecclesia Cathedrali, in qua numerantur viginti Canonici; percipiuntque à pluribus retro annis fructus quin unquam functiones Beneficiis suis annexas obierint, prætextu nempe muneris, quo fugebantur; suntne securi in conscientia?

R. Vi privilegiorum ad preces Regum & Reginae Franciæ concessorum Clericis illis, qui regiarum eleemosynarum erogandarum Officium exercent, duo hi Canonici, etiam non residentes, possunt frui redditibus grossis suarum Præbendarum, sed intra illud duntaxat tempus, quod accedendo ad aulam regiam & inde revertendo itineri impendunt, & Regio servitio, dum apud Aulam commorantur. Pri-

Privilegium tamen hoc non est extendendum ad alias nisi ad Ordinarias præbendas; nullatenus verò ad eas, quæ vel ex vi foundationis vel ob immemoriam consuetudinem exigunt servitium actuale & personale in Ecclesia Beneficii. *idem tom. 1. cas. 23.*

CASUS XI. *Theodosius* Canonicus Tolitanus ab Hispaniarum Rege destinatus fuit pro obeunda legatione extraordinaria ad aulam magni cujusdam principis; potestne citra peccatum acceptare hujusmodi munus, illudque acceptando lucrari legitime fructus grossos sui Beneficii?

R. Cum hic agatur de bono publico statûs aut Reipublicæ, potest acceptare hoc munus, & æquum omnino est, ut fruatur redditibus grossis. *Pontas.*

CASUS XII. *Hipparchus* Religionem solemniter professus est in quodam monasterio reformato, cui plura pingua Beneficia incorporata sunt. Exacto à professione anno uno, Capitulum conventûs ipsi concessit Prioratum simplicem 2000 francorum, nullum aliud onus exigentem, quàm ut hebdomatim ibi celebrentur tres missæ privatae, potestne vel etiam tenetur residere in loco sui Beneficii?

R. Ex quo *Hipparchus* accepit titulum sui Beneficii, tantum abest ut teneatur residere solus in loco Beneficii, ut etiam prohibitum hoc sit à Concilio Generali Lateranensi tertio A. 1179. celebrato. Extant quidem exempla huic statuto contraria; attamen periculosum est in praxi sequi hujusmodi exempla, & utinam non immodicè magna essent absurda aliæque pravæ sequela, quæ exinde nascuntur! *Pontas.*

CASUS XIII. Tenenturne Canonici ad residentiam, ut lucrari possint fructus grossos suorum Beneficiorum?

R. Tenentur interesse Choro per novem menses; distinctio juris inter fructus grossos & distributiones manuales non excusat non residentes. *De Lamet.*

1. Resignare Beneficium, est illo voluntariè se abdicare in manus Collatoris, qui potest acceptare talem abdicacionem, in quo casu Beneficiarius amittit suum Beneficium, vel resignationem rejicere, eundem obligando ut illud retineat.

2. In materia Beneficiali terminus hic *resignatio* interdum accipitur pro renunciatione, vel abdicacione pura ac simplici Beneficii, interdum verò pro renunciatione conditionata, id est in favorem alterius personæ, atque in hoc sensu propriè accipienda est *Resignatio*.

3. Potest Resignatio fieri per hominem dum bona adhuc fruitur valetudine, vel per ægrotum etiam morti proximum. Juxta regulam *Innocentii VIII.* si contingat ut Beneficiatus ægrotus, qui resignavit, moriatur intra dies viginti completos, post quorum lapsum valida à Jure habetur resignatio, numeratione à die factæ resignationis inchoatâ, Beneficium tali casu censetur vacare per obitum; & provisiones super tali resignatione in curia impetratæ nullæ sunt. Attamen regula hæc hodiernis temporibus penitus est inutilis; nam ipsa Romana curia eidem derogat per expressam clausulam pro variis circumstantiis seu exceptionibus, videlicet dummodo hoc non vergat in præjudicium Indulgentiarum Eminentissimorum Cardinalium, qui non possunt præveniri, item si Ordinarii non sint soli collatores alicujus Beneficii, vel si concurrant cum aliquo capitulo, aut si sint Patroni alii laici. Non tamen licet celare mortem Beneficiati vel ad tempus occultare ejus cadaver, nam contra eos, qui talia audent, criminaliter proceditur.

3. Resignatio fit *caduca* per aliam Regulam Cancellariæ Romanæ, quæ vocatur *de Publicandis*. Potest resignatio fieri in persona vel per Procuratorem; sed procuracionis ad resignandum debet *imò* confici instrumentum à Notario regio vel Apostolico, quæ postmodum debite insinuanda

nuanda est. 2dò Procuratio hæc debet esse *specialis*, nempe expressè ad resignationem. 3tò Requiritur, ut resignatarius attigerit annos pubertatis. 4tò Ut resignatio sortiatur suum effectum intra annum, numeratione inchoata à die Data. 5tò Re adhuc integra resignatio semper est revocabilis. 6tò Finitur per mortem constituentis vel personæ, quæ acceptavit resignationem.

5. Pro Procuratore potest constitui etiam Laicus: moris est ut constituatur Expeditionarius in curia Romana. Districtè prohibitum est ut quis utatur violentiâ ut sibi resignetur Beneficium; nec licet ex ætate vel senio resignantis emolumentum sibi captare. Requiritur, ut saltem ætatis annos 18. completos habeat.

6. Si Resignans velit revocare resignationem puram ac simplicem, antequam à collatore fuerit admittita, talis revocatio ipsi intimanda est. Si sit *in favorem*, sufficit si insinuetur Procuratori, cujus operâ usus est, vel eo absente, ad ejus ades, aut ipsi resignatio.

7. Resignans potest ante admissam resignationem in Curia, abdicare suum Beneficium inter manus Ordinarii; sed in tali casu abdicatio necessariò intimanda est resignatario, uti alia quævis resignatio in debita juris forma facta.

8. Vi Statutorum & Constitutionum Galliæ non licet testes adhibere personas domesticas in resignationibus coram Notariis factis.

CASUS I. *Cresconius* præbendam suam resignat in manus Episcopi *in favorem* fratris Germani *Ruperti*. Motivum resignandi est, quod gravi morbo decumbat, & ob temporis brevitatem non possit mittere Romam, simulque velit evitare expensas apud curiam faciendas, quas reputat redolere simoniam, vel esse saltem sordidi lucri speciem. Potestne Episcopus admittere talem resignationem, & postquam admittit, eritne *Rupertus* Canonice provilus? foretne Canonice provilus, si abesset expressa resignatio *in favorem*, & Episcopi

Diction. Cas. Consc.

pus viva tantum voce eidem promississet Beneficium?

3. Solum Jus Ecclesiasticum prohibet resignationes *in favorem*, in quo Papa potest legitime dispensare; sed Episcopis non competit hujusmodi potestas, imo ne quidem *legatis à latere*; adeoque *Cresconius* non potuit adire Episcopum ad resignandum in favorem fratris sui; quòd si Episcopus admiserit resignationem, *Rupertus* erit malè provilus ejusque Beneficium poterit impetrari ab alio. *Cabassut. l. 2. c. 11. n. 12.* & juxta Authorem hunc Reges Galliæ habent idem jus ad Beneficia non curata.

CASUS II. *Crepinianus* parochus in favorem sui Vicarii resignavit ad manus Patroni, qui erat Abbas. Estne hæc resignatio Canonica; & si talis non sit, poteritne ratificari per collationem Episcopi Vicario faciendam?

R. Resignatio *Crepiniani* est vitiosa, quia non potuit fieri nisi ad manus Papæ; & quia nulla resignatio etiam simplex potest esse Canonica nisi fiat in manus collatoris, qui est Episcopus. Ex quo sequitur, quòd resignatio *Crepiniani* non possit ratificari per sequentem collationem Episcopi, cum hic non habeat potestatem dispensandi in pacto simoniacò, quod in hac collatione latet. *Ste Beuve tom. 3. cas. 82.*

CASUS III. *Armandus* ex morbo periculosè decumbens Beneficium suum resignavit in curia die 1mo Januarii in favorem Manlii; obiitque post dies quatuordecim. Post ipsius mortem *Sempronius* præsentator nominavit Julianum, qui ob tenta collatione ab Episcopo absque mora possessionem Beneficii arripuit. Resignatio facta *Manlio*, qui impetravit expeditiones suæ provisionis, estne valida & Canonica, poteritne hæc ipsi legitime controverti à Juliano?

R. Resignatio *Armandi* in favorem Manlii facta nulla est. Beneficium resignatum *in favorem* à Beneficiato ægrotante censetur vacare per mortem, si resignans

N n n n

signans

signans moriatur ante viginti dies ab actu resignationis elapsos; provisio ergo *Juliani* est legitima. Observandum est, terminos regulæ 18. CANCELLARIÆ APOSTOLICÆ, quavis auctoritate conservatur non habere locum in Gallia quoad resignationes, quæ fiunt in manibus Ordinarii, sed solum si fiant ad munus Papæ vel legati ejusdem, item nullo prorsus modo procedere in resignationibus à Rege admittis quando hic Beneficium contulit jure regalæ, nec etiam quando resignans moritur civiliter. Juxta *Cassutius* l. 2. c. 19. n. 3. effectus resignationis est nullus, quando resignans tempore suæ resignationis est ægrotus & quando ex illo occidenti moritur. Nullitas resignationis *Armandi* in favorem Manlii non est intelligenda nisi ex suppositione quod Papa non expressè derogaverit in sua provisione regulæ *de infirmis resignantibus*, quæ est regula dierum viginti præscriptorum ad valorem resignationis. Si enim derogavit huic regulæ, uti de facto sonant fere omnes provisiones, quæ expediuntur Romæ pro Gallia, valida foret provisio à die adventus cursoris in Urbem, dummodo resignans eo die adhuc fuerit in vivis: quæ derogatio hæc etiam locum habet juxta concordata in præjudicium Graduatorum. *Regula decima octava* Cancellariæ Romanæ tria continet puncta essentialia. *Primum* est ut resignans sit morbo correptus dum procurationem ad *Resignandum* concipit & exequitur. *2dum* Ut fuerit admittis à Superiore legitimo. *3tium* Ut resignans decesserit ex eo ipso morbo, & quidem intra dies viginti completos, non verò à die *procuracionis ad resignandum*. Collatores Ordinarii non subjacent huic regulæ respectu Beneficiorum, quæ conferunt super renunciatione pura ac simplici, subjacent verò quoad permutationes. Regula hæc æquè parum procedit circa Commendas Ordinis Melitensis, quæ proprie loquendo non sunt Beneficia. *Pontas*.

CASUS IV. Vacat parochia *S. Leodegarii*, cujus collatio pleno jure pertinet

ad Episcopum Diocesenum. *Patricius* extraordinarie cursore Romam missus parochiæ hujus provisionem impetravit: Episcopus interim Joanni eandem conferente. Ambæ provisiones sunt ejusdem dati. Estne præferendus *Patricius*?

R. Papa habet jus præveniendi Collatores Ordinarios; interim tamen jus hoc plures patet restrictiones. Hoc supposito *Patricius* est præferendus Joanni, quia fuit provisus à collatore, cujus major est auctoritas quàm Diocesani; simul utriusque provisiones idem Datum præferunt, præsertim si sciri nequeat uternam alterum tempore prævenit, supposito quod neuter provisorum adhuc ceperit Beneficii possessionem. In dubio ille qui primus arripuisset possessionem esset præferendus. *Bonifacius VIII. in cap. si à sede 31. De Tr. bend. & Dignit. in 6. l. 3. tit. 4.* Præventio Papæ non habet locum quando ante ipsius provisionem Ordinarius jam cepit exercere jus suum per admissionem resignationis à titulato factæ, vel per acceptationem præsentationis Patroni Ecclesiastici. Idem dicendum de Graduato & de Indultariis. Similiter Papa non potest uti jure præventionis, quando Collatio est divisa quemadmodum in Britannia minore. *Pontas*.

CASUS V. *Isaacus* in curia Romana obtinuit provisiones cujusdam parochiæ *in forma commissoria*; sed timens non impetraturum se *vidimationem* à suo Diocesano, resignat Beneficium cuidam Doctori amico suo, *possessione nondum adepti*; valétne resignatio?

R. Quando provisiones *Isaaco* concessæ sunt veræ provisiones, valida est significatio in casu proposito; verum si tantum extaret simplex *mandatum de providendo*, non valeret, cum hujusmodi gratiæ expectativæ sublatae fuerint & abolitae à *Tridentino*, Graduatæ, Indultariis & Brevetariis tantum exceptis.

CASUS VI. *Bernardus* parochus cogitabat resignare *Benedicto* amico suo; sed sciens, ipsum jam pluries prolapsus fuisse

in occulta peccata incontinentiæ, timet, tutâ conscientia se facere haud posse hanc resignationem. Estne rationabilis hic *Bernardi* scrupulus?

R. Quando certus est de emendatione & conversione *Benedicti*, simulque persuasus hunc amicum suum præ alio digniorem esse hoc Beneficio, & exigere hoc utilitatem Ecclesiæ, poterit ipsi resignare cum plenissima securitate. *Ste Beuve tom. 3. cas. 19.*

NOTA. Si occulta illa peccata consisterent in frequentatis actibus lascivis cum altero sexu, vel cum pueris, non posset absque gravissimo peccato mortali resignare *Benedicto*; quia tales vix unquam in iisdem occasionibus stabiliter emendantur.

CASUS VII. *Tharasio* parochus ruri periculose decumbenti *Genutius* medicus, qui solus in tota illa vicinia reperiri potuit, suadet, imo vehementer urget, ut parochiam *Guiberto* filio suo resignet; cumque difficilem se præberet ad ejus sollicitationes, medicus hic absque ambagibus ipsi significat, nullam se posthac ipsius curam habiturum nec amplius rediturum, si hanc sibi gratiam sit negaturus. Resignat *Tharasio*, attamen cum spe ac intentione revocandi resignationem si pristinae sanitati sit reddendus. Interim moritur & *Guibertus* capit possessionem parochiæ. Valétne hæc resignatio, & *Guibertus* potestne tutâ conscientia retinere hoc Beneficium?

R. Nulla resignatio, cui intervenit dolus, violentia vel metus gravis, est Canonica aut valida: *Guibertus* itaque est malè provisus, & si adhuc viveret *Tharasio* teneretur in conscientia ipsi reddere parochiam. Habet hoc locum etiam in resignationibus factis per fraudem resignatarii vel cujusvis alterius, sed tunc solummodo quando fraus est vera causa resignationis. *Conferent. condom. tom. 2. conferent. 2. sect. 1.*

CASUS VIII. *Theodulus* Carolo resignavit suum Prioratum die 1. Februarii A. 1709. & antequam fuit admittis apud curiam, revocavit hanc suam resignatio-

nem die 9. ejusdem mensis & Anni per instrumentum publicum debitis formalitatibus vestitum. Sed post biennium reddit Carolo actum originalem revocationis, consentitque, ut *Carolus* caperet possessionem Beneficii vi provisionum ex Curia obtentorum post tres à facta resignatione hebdomadas. *Carolus* flammis tradito in præsentia *Pedelli* instrumento revocationis possessionem Prioratus servata omni Juris forma aggreditur; Estne legitime provisus? & si nulla sit ipsius provisio, poteritne fieri valida per triennem pacificam possessionem.

R. *Carolus* non est legitime provisus, cum *Theodulus* non amiserit suum Beneficium per resignationem, quam postmodum revocavit; nec triennis possessio, de qua agitur, posset sanare ipsius provisiones. Requiritur ad hoc saltem titulus coloratus, qualem nullum habet *Carolus*. *Pontas*.

CASUS IX. *Josephus Gabrieli* die 1. Octobris A. 1709. dedit *procuracionem suam ad resignandum* Prioratum, quo volebat ipsi gratificari. *Gabriel* comitatis ergò erga benefactorem distulit tradere procuracionem suam procuratori expeditionario apud curiam (*Banquier en cour de Rome*) usque ad diem 2. Octobr. A. 1710. ita ut resignatio non nisi die 23. ejusdem mensis fuerit admittis. Estne valida?

R. Provisiones *Gabrielis* nullæ sunt, & procuratio vitium caducitatis contraxit. *Cassutius. l. 2. c. 12. n. 9.*

CASUS X. *Ovidius* parochiam suam resignavit *Norberto*; Resignatio fuit admittis Romæ die 2. Jan. A. 1708. obiitque resignans die 3. Julii sequenti. Altero mox ab ejus obitu die possessionem Beneficii apprehendit *Norbertus*; at verò Episcopus providit *Theogenem*, qui in possessionem intravit octiduo post *Norbertum*. Estne legitima provisio *Theogenis*?

R. Cum provisio *Norberti* facta fuerit caduca, eoquod non fuerit publicata per apprehensionem possessionis, pro qua

conceduntur sex menses respectu provisionum à Papa factarum; & unus mensis respectu provisionum Episcopaliū, sequitur provisionem *Theogenis* redditam fuisse Canonicam ac legitimam juxta regulam Cancellariæ Apostolicæ de *publicandis resignationibus*; sed hoc locum non haberet, si resignans propter impedimentum aliquod non posset capere possessionem.

CASUS XI. *Papinianus* Prior Romam misit procurationem suam ad resignandum in favorem *Galli* nepotis. Cursor in Urbem advenit 10. Octobr. eodémque adhuc die Datum supplicæ apud Datariam fuit notatum & ad Protocolla relatum. Interim verò moritur Papa ante expeditionem provisionum poteritne dies supplicæ in Dataria adscriptus servire pro expeditione gratiæ, nullo adhuc successore electo?

R. Datum Supplicæ ipso die, quo Romam pervenit cursor ad Protocolla relatum, validum manet, etiamsi eodem vel sequenti mox die Papa moriatur; consequenter provisiones *Galli* poffunt his stantibus expediri. *Cabassutius l. 2. c. 21. n. fin.*

CASUS XII. *Philemon* ægrotus *Laurentio* in curia resignat Capellam simplicem, quam possederat. Priori valetudini reddito *Philemone Laurentius* neglexit uti facta sibi resignatione, ejusque provisiones sibi procurare. Post quadriennium iterum morbo prostratus *Philemon* secundò resignat nulla facta mentione prioris resignationis, & post mensem è vivis excedit quin ullam harum resignationem revocaverit. *Laurentius* possessionem postmodum apprehendens estne Canonicè provifus?

R. Secunda resignatio nulla est, adeoque *Laurentius* non est Canonicè provifus. Idem Beneficium non potest validè secunda vice resignari, quando prima resignatio non fuit revocata; sic enim Beneficia redderentur hæreditaria. *Pontas.*

CASUS XIII. *Nemesius* resignata *Leoni* parochia sua in Curia postmodum muta-

vit mentem, eamque purè ac simpliciter dimisit in manibus Episcopi septiduo vel octiduo post abitum cursoris; Episcopus provisionem concessit *Antonio*, qui Beneficii possessionem mox iniit. Post duos menses *Leo* receptis provisionibus Papalibus ab Episcopo petit *vidimatorias* Literas quas hic negat; concedente econtra absque ulla difficultate metropolitano, Capturo igitur possessionem *Leoni* apponit se *Antonius*. Uterum est legitime provifus?

R. Solus *Leo* est legitime provifus, quia *Nemesius* resignavit nec revocavit unquam procurationem suam ad resignandum. Provisio non potest infirmari per renunciacionem posteriorem, requiritur enim ad eam infirmandam revocatio maturè facta & debito modo insinuata. *Conferent. Condom. tom. 2. confer. 2. sect. 2.*

CASUS XIV. *Andronicus* Prior propter crimen aliquod capitale amisit suum Beneficium, eodémque per sententiam declaratoriam à Judice privatus est. Appellat ab hac sententia & Prioratum suum resignat apud Curiam *Ambrosio* nepoti; valétne resignatio?

R. Si crimen non sit tale propter quod Beneficium vacat ipso facto; *Andronicus* vi appellationis, qua privabatur suo Beneficio, potuit validè resignare. *Rebuff. praxis Benefic. de modis amittendi Benefic. n. 52.*

CASUS XV. *Justinus* Canonicus præbendam suam resignavit *Joanni* filio, quem ante suam ordinationem susceperat ex matrimonio legitimo. Estne valida & Canonica resignatio?

R. Juxta SS. Canones pater non potest resignare Beneficium suum filio, ne nimirum Beneficia fiant hæreditaria; quapropter *Justinus* resignatio nec valida est nec Canonica. Multò adhuc rigorosiores sunt Canones respectu filiorum illegitimè natorum. Juxta plerosque Canonistas ne quidem nepos potest possidere Beneficium, cujus avus ipfius titulum habebat. *Pontas.*

CA.

CASUS XVI. *Flavius* Prior vult resignare Beneficium suum patri suo, qui defuncta uxore statum clericalem amplexus est. Potestne id facere Canonicè?

R. Nullus Canon talem prohibet resignationem, quod sufficit ad illam pro Canonica admittendam. *Cabassut. l. 2. c. 9. num. 7.*

CASUS XVII. *Ægrotus* resignat cum pacto, ut sibi concedatur regressus in Beneficium, si fortè sanitati sit reddendus. Estne confidentiæ reus?

R. Est reus confidentiæ, sicut etiam resignatarius. Resignans rediens in suum Beneficium postquam per triennium ejusdem titulum permisit resignatario, non potuit in illud regredi vi primæ suæ provisionis, nec disponere de redditibus Beneficii, quas tenetur restituere pauperibus vel Ecclesiæ sui tituli. *De Lamet.*

CASUS XVIII. *Titius* facit resignationem clandestinam Beneficii cujusdam, ut duorum, quæ sunt inter se incompatibilia, possit percipere redditus. Num peccat?

R. Resignatio hæc criminosa est, & non absque ratione suspecta de confidentia; alterum horum beneficiorum optionis tempore elapfo potest subjici juri devolutionis. *Fromageau.*

CASUS XIX. Clericus falsò de variis criminibus accusatus è suo Beneficio expellitur per regii Sigilli literas (lettres de cachet.) non potest obtinere sententiam definitivam in sua causa, quia contraria pars vult ipsum spoliare duobus Beneficiis, quæ legitime possidet. Poteritne iisdem renunciare per resignationem, ut ab injusta vexa sese liberet?

R. Potest quidem, attamen nullatenus debet subscribere contractui Simonico, qui ipsi proponebatur velut medium quo ab ulterioribus persecutionibus & iniqua vexa immunem se præstaret. Judices qui recusant manifestare ipsius innocentiam, gravissimè rei sunt coram Deo, & tenentur de omnibus damnis, quæ patitur & deinceps passurus est. *Fromageau.*

CASUS XX. Parochus quidam per 15. vel 16. annos possedit suum Beneficium, illudque cum magna sui apud populum æstimatione semper administravit. Vult illud jam dimittere, cum ex bonis suis patrimonialibus satis honestè se possit sustentare; poteritne ex hoc Beneficio reservare sibi pensionem discretam?

R. Cum Beneficium administraverit ultra annos 15. potest resignare sub pacto talis pensionis; & licet ex patrimonio suo habeat unde vivere commodè possit, hoc non obstante potuit tamen acceptare hanc parochiam. *Fromageau.*

CASUS XXI. Episcopus quidam scit, clericum obtinuisse Beneficium per falsam resignationem. Potestne ipsi negare *Vidimatorias*?

R. Debet ipsi negare; Decanus Ecclesiæ sciens, mortuum ex quacunque demum causa non potuisse resignare, tenetur se opponere possessioni civili arripienda à falso resignatario. Talis intrusus tenetur in conscientia, ut nullam litem moveat provifus ab Episcopo, & tandiu ipsi neganda est absolutio quamdiu iudicio cum eodem contendit. Nullus Advocatus, cui de facti veritate constat, potest tutà conscientiâ tueri causam intrusi; & si hic ipfius patrociniò ac directione vincat, tenebitur ad omnes expensas, damna & interesse erga partem innocentem victam. Idem dicendum de iis, qui cognita rei & facti veritate cooperarentur quovis modo defensionì. *De Lamet.*

Vide *Beneficium. Beneficiatus. Canonicus. Parochia. Eques Melitensis, Casu Renatus. Confidentia. Permutatio. Provisio. Simonia.*

RESTITUTIO.

I. Juxta D. Thomam restituere est reddere alicui possessionem & fructum rerum earum, quæ ipsius sunt, & quæ non possidebat hætenus. Id est, Restitutio est actus justitiæ commutativæ, qua cuique redditur quod suum est, sive hoc possi-

deatur contra voluntatem veri domini ut in casu furti, sive cum hujus consensu uti in materia pretii vel Depositi. Verum quia simplex ac nuda restitutio non semper potest tranquillare conscientiam sed præterea etiam reparanda sunt damna per privationem alicujus rei injustè illata, Theologi definiunt restitutionem quòd sit: *Rei acceptæ redditio, vel damni illati compensatio.*

2. Restitutio est de necessitate præcepti, quod potest considerari tanquam *affirmativum*, in quantum præcepti reddere rem detentam: & tanquam *negativum*, in quantum prohibet retinere rem alterius ipso inscio ac invito.

3. Qui peccavit contra justitiam erga proximum, semper tenetur ad restitutionem: si plures sint complices alicujus furti, vel alterius actionis, quæ est contra justitiam, omnes tenentur in solidum ad restitutionem.

4. Injustus detentor primus obligatur, & post hunc illi, qui participaverunt de damno vel injustitia, sive id factum fuerit jussione, sive Consilio, sive alio quocunque concursu aut cooperatione. Dum res non amplius extat in natura; restituendus est ejusdem valor. Restitutio debet fieri quantò citius potest fieri, absque dilatione, nisi adsit justa & magni momenti causa; si nesciatur persona, cui facienda est restitutio, hujus loco facienda est pauperibus, vel in alias pias causas, postquam spes inveniendi dominum rei evanuit.

5. Non solum datur obligatio restituendi, quæ injustè quis apud se retinet, verum etiam resarciendi omnia damna, quæ proprietario ex hujusmodi injusta retentione evenerunt, vel eventura sunt impofterum. Similis est obligatio reparandi omni modo possibili omnes injurias bonæ famæ proximi per Calumnias, maledicentiam, furta aliòsve modos injustos illatas.

6 Ex omnibus obligationibus, quæ Christianos stringunt, quasque lex divina iisdem imponit, obligatio restitutionis est illa, quæ fortassis minus cæteris omnibus observa-

tur; interim tamen hujus neglectus est omnium maximum salutis æternæ obstaculum.

Conventus Generalis Cleri Gallicani Annò 1700. damnavit sequentes propositiones:

Propositio XLVIII. Non tenetur qui sub pœna peccati mortalis restituere quod ablutum est per parva furta, quantumcumque sit magna summa totalis. Propositio falsa, perniciofa, approbans furta etiam insignia.

Propositio XLIX. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

Propositio L. Licet aliquis, cui donatio quadam facta est, certò sciat, eam sibi factam esse studiosè animo frustrandi ac fraudandi creditores, non tamen tenetur ad restitutionem, nisi ipsius suafu facta fuerit donatio, vel nisi alio quovis modo ad eam induxerit donantem. Propositiones falsæ, temerariæ, faventes furtis & fraudibus, ac justitiæ legibus contrariæ.

CASUS I. Romulus equum vendidit Servio, nec tamen statim ut debebat tradidit. Interim ejus culpâ ex aliquo accidenti plurimum de suo valore amisit equus, vel etiam periit casu fortuito, aut ex decreto judicis fisco adjudicatus abductus est. Teneturne quantum ad primum casus Romulus indemnem servare Servium quando ipfius culpa tantum est levis; an tenetur in duobus posterioribus casibus.

R. Vi juris *Digestorum custodiam 3. de periculo & commodo rei venditæ l. 18. tit. 6.* Venditor tenetur reparare damnum, quod supervenit rei venditæ sive intervenit culpa lata vel lenis. Adeoque in primo Casu Romulus tenetur indemnem præstare Servium.

Quoad casum fortuitum pariter tenetur ad damna resarcienda, quando equus non fuit venditus nisi sub conditione, & casus venerit ante impletam hanc conditionem. Contractus factus sub conditione *de futuro* non censetur totaliter completus

pletus nisi post impletam conditionem. Idem est, quando equus fuit fisco adjudicatus. *Pontas.*

CASUS II. Hubertus à Marco emit decem vini dolia cum pacto expresso solvendi pretium post mensem, commutatis 250 francis in singula dolia. Marcus certam sibi met promittens solutionem vini aliam fecit emptionem; sed nulla ab Huberto impetrata solutione perdidit plus quam centum francos, quos lucrari sibi potuisset. Teneturne Hubertus ad reparandum hoc damnum?

R. Juxta Jus *Digestorum Venditor fin. De periculo & commodo rei venditæ* Hubertus non obligatur nisi ad solutionem summæ principalis & in rigore ad interesse hujus summæ. *Pontas. Emptio Casu 1.*

CASUS III. Ogierius in quodam portu marino proxeneta apud mercaturam, Paulo mercatori extraneo commendat Lucianum mercatorem Gallum tantumque valet suasionibus suis, ut Paulus sine præfenti pecunia, sola fide merces suas vendat Luciano quem vel maximè solvendo esse affirmat. Interim tamen post tres menses Lucianus decocta fraudulenter omni creditorum suorum substantia fugam in alienas terras arripit, Paulo perdente omnia, quæ eidem vendiderat. Teneturne Ogierius proxeneta ad reparationem hujus damni?

R. Quando nullam commisit culpam notabilem quæ ipsi potest debetque imputari, Ogierius ad nullam tenetur indemnificationem. *Leg. si proxeneta ff. de proxeneta l. 50. tit. 14.*

CASUS IV. Epiphanius bona fide possidet hereditatem, quæ ipsi obtigit à Balduino malæ fidei possessore. Possessio bonæ fidei eximitne ipsum saltem à restitutione fructuum, quos verus proprietarius præterit unà cum fundis, præcipue quando illorum productio debetur penè tota curis ejus ac industriæ?

R. Hæredes possessorum malæ fidei tenentur ad eandem restitutionem ac ii, quibus succedunt, quia hos repræsentant eo-

rumque locum ac vices occupant, juxta *Leg. Litigator 12. in fin. Cod. De fructibus expensis l. 7. tit. 51. & Leg. vitia 11. Cod. de acquir. & retin. possess. l. 7. tit. 32.* adeoque bona fides non liberat Epiphanius ab obligatione restituendi fructus, sumptibus tamen & expensis legitimis antea deductis. *Pontas.*

CASUS V. Bertulfus per tres vel quatuor annos habuit jugerum vineæ, cujus etiam fructibus toto eo tempore perceptis; tandem ex ejusdem possessione per sententiam judicis deturbatus est à Raimundo vero proprietario teneturne Bertulfus ad restitutionem fructuum, cum ab eandem non fuerit condemnatus à Judice.

R. Quando toto possessionis suæ tempore fuit in bona fide nullatenus tenetur ad restitutionem fructuum; si verò mala fide possedit jugerum vineæ, debet restituere vel fructus vel eorum valorem. Sic decidit lex, & jus naturale hoc imperat. *Pontas.*

CASUS VI. Hermannus emit domum quam semper credens esse venditoris possedit bona fide per biennium. At verò lite postmodum super illius proprietate sibi mota, quæ per annum duravit, possessione expulsus est salvo jure recursus contra venditorem. Teneturne ad restituendum pretium locationis tertio hoc anno perceptum?

R. Tenetur, numeratione inchoata à die petitionis factæ. Quilibet æquus Judex tenetur ad hoc ipsum condemnare juxta *Leg. Litigator 2. cod. de fructibus & litium expensis l. 7. tit. 51.*

CASUS VII. Aubertus & Jacobus hæredes sunt Arnoldi. Auberto decem abhinc annis peregrè ad Indias profecto Jacobus sese immitit in possessionem successionis, quam per biennium bona fide tenuit persuasissimus, Aubertum jam è vivis excessisse. At ecce! comparet Aubertus ex Indiis reversus petens portionem hæreditatis suæ cum fructibus ex eadem perceptis. Teneturne Jacobus tanquam bonæ

bonæ fidei possessor ad restitutionem fructuum?

R. *Lex Cohæredibus 12. cod. famil. &c. l. 3. tit. 36.* ipsum obligat ad hanc restitutionem deductione tamen facta expensarum necessariorum pro fructu hæreditatis. *Pontas.*

CASUS VIII. *Aspâs* bona fide possedit bona fide triennio vel quadriennio jugera quatuor agri titulo donationis sibi factæ intentavit ipsi actionum apud Judicem *Romanus* ipso tempore messis, quando jam dimidia segetum pars demessa erat, & ex possessione dejecit. Teneturne ad restitutionem fructuum eo anno perceptorum?

R. *Aspâs* tenetur restituere unâ cum agro fructus nondum demessos tempore intentatæ actionis, juxta *Leg. S. fructuaria 23. ff. quibus modis ususfructus vel usus amittatur l. 7. tit. 4.*

CASUS IX. *Alucius* bona fide à biennio vel triennio possidet agri duo jugera quatuor sylvæ cæduæ & *lex Vaccas*, quorum omnium proprietates penè *Theogenem* erat, uti ex sententia definitiva Judicis uno abhinc mense lata constat. Potestne ipsi controvertere restitutionem fructuum toto possessionis tempore perceptorum?

R. Dantur fructus naturales, quorum cultura non indiget humanâ injuriâ, uti sylvæ, pascua &c., & fructus industriales, uti frumenta, vinum &c. lac & lana pecorum. Qui possidet fructus naturales absque ullo titulo, vel ex titulo gratuito v. gr. donationis, non acquirit eorum dominium per simplicem possessionem; at verò qui eodem possidet eam titulo oneroso emptos utpote unâ cum fundo, acquirit proprietatem eorum, quamdiu possessor est bonæ fidei, cessante autem bona fide, non amplius potest fructus facere suos, quia eorum amittit dominium. His præsuppositis, si *Alucius* res, de quibus in præfenti casu est sermo, possidet absque titulo, non acquisivit dominium sylvæ cæduæ, quia inter fructus naturales recensetur: si verò titulo emptionis possidet, verum

acquisivit illius dominium: ast si bona fides cessasset ante perceptionem fructuum & sylva cædua acceptorum, teneretur illos fructus restituere *Theogeni*.

Quod attinet fructus industriales, censetur quòd, si dicti fructus adhuc in natura existant, *Alucius* eos non per intergrum triennium bona fide possedit, tutius & probabilius sit dicere, *Alucium* teneri, eos restituere *Theogeni* ab eo tempore, quo bona fides cessavit, quia eorum absolutum & irrevocabile dominium non acquisivit, posito autem quòd hos fructus jam consumpsisset, teneretur restituere id, ex quo factus est ditior. *Pontas.*

CASUS X. *Bertrandus* bona fide per duos & dimidium annum possedit viginti jugera sylvæ cæduæ, & etiam stagnum, quæ tamen ad *Barnabam* jure pertinebant: *Barnabas* igitur jure suo certissimis documentis declarato in utriusque possessionem missus est. Jam quæritur, an *Bertrandus*, qui de dicta sylva & stagno lucrum 600 florenorum recepit, ac insuper hoc ipsa summa negotiatus ducentos lucratus est florenos, teneatur restituere etiam hos ducentos florenos?

R. Non tenetur *Bertrandus* restituere hosce ducentos florenos, cum sint fructus merè industriales. *Conf. de Petrogoric. tom. 5. conf. 7. q. 2.*

CASUS XI. *Sempronius*, nauta, ducebat navem pretiosis ad *Nicolaum* pertinentibus rebus onustam, & has inter sacculum impolitis adamantibus refertum abstulit animò retinendi: post biduum verò exorta grandi tempestate se projecit in undas una cum dicto sacculo, quem tamen, ut se ipsum salvaret, dimittere coactus est. Teneturne restituere pretium adamantum?

R. Cum non fuerit causa sacculi jacturæ, utpote qui una cum navi periisset, etiam si illum non abstulisset, non tenetur ad restitutionem pretii adamantum. *Conf. Condom. tom. 1. conf. 15. sect. 3.*

NOTA. *Sempronius* poterat & debebat sacculum firmare in pariete aut fundo navis, ut factum

naufragio potuisset cum sola navi salvari, vel per Urinatores, aut piscatores recuperari. Itaque tenetur ad restitutionem totius damni ex æquo juxta valorem spes.

CASUS XII. *Marinus* per quinquennium mala fide possedit quatuor jugera Vineæ ad *Honorium* jure pertinentis. Cum verò partem istam vineæ pessimè cultam invenerit, melioravit eam. Jam quæritur, an restitutus hæc quatuor jugera vineæ *Honorio*, teneatur ad restitutionem fructuum perceptorum post meliorationem, aut solum eorum, quos percepit ante meliorationem?

R. Videtur non solum tutius in conscientia sed etiam probabilius esse, *Marinum* teneri ad restitutionem omnium fructuum in genere, nam, cum hæc melioratio facta sit in parte fundi ad *Honorium* pertinentis, ipsa hæc melioratio fieri potuisset ab *Honorio* Domino fundi. *Conf. Petrogoric. tom. 5. conf. 7. q. 1.*

CASUS XIII. *Nebrius* mala fide possidet, scilicet, fraude, vi, aut titulo emptionis dolò factæ, jugerum agri aut vineæ ad *Justinum* pertinentis: Elapsò Triennio confiteatur, ac suo confessario promittit restitutionem jugeri, ast cum confessarius illum obligaret ad restitutionem etiam fructuum, quos *Justinus* per istud triennium percipere potuisset, se excusat dicendo, hoc jugerum à *Justino* incultum esse relictum. An hæc ratio excusat à restitutione fructuum perceptorum?

R. Certè hac *Nebrii* ratione Confessarium non debere esse contentum: Consulatur *Digesta Lege*. Si navis 62. §. 1. de rei vindicatione, ibique patebit, *Nebrium* teneri ad restitutionem omnium fructuum, deductis expensis, quos *Justinus* percipere potuisset, si dictum jugerum possedisset. *Pontas.*

NOTA. Cum leges positivæ, præsertim Civiles, ibi solum disponant, ubi lex naturalis deficit, vel obscura & dubia est, ac proin solum pro foro externo directe scriptæ sint; imo defacto vix in ullo regno amplius scrupulosè observentur etiam in foro externo, censo, nec penitentes iis ligari ante sententiam Judicis. Confessarius

Diction. Conf. Conf.

autem serviant directivè, ad penitenti ponendam nomine Dei conditionem vel legem probatè obtinenda venia attemperatam ad latitudinem Christianæ aequitatis & Charitatis. Hanc Notam velim præ oculis haberi in toto hoc titulo.

CASUS XIV. *Guiraudus*, senex ad *S. Guitarium* Parochus, facta pura & simplici dimissione suæ Parochiæ, successorem habuit *Fulcrandum*, ab Episcopo de dicta Parochia provisum. *Guiraudus* in eadem Parochia remanens tantum efficit, ut non solum animos Parochianorum à *Fulcrando* abalienaret, sed etiam Ecclesiæ Præfectos induxerit ad intentandam *Fulcrando* litem, falsè prætendens, *Fulcrandum* exegisse solutionem 30 florenorum, ultra id quod debebatur ipsi ex fabrica. Jam quæritur 1. an Ecclesiæ Præfecti, & *Guiraudus* in solidum teneantur restituere *Fulcrando* factas in processu sui defensionem expensas, atque compensare illatum ipsi damnum? 2. an Præfectus Ecclesiæ, qui à quadam illustri foemina 25 florenos gratis ad fabricam Ecclesiæ acceperat eo fine, ut processus finiretur, teneatur restituere dictos 25 florenos, cum processus fuerit continuatus? 3. an *Nicolaus*, Vicarius *Fulcrandi*, qui, cum pensione suam annuam non acceperit, Præfectus Ecclesiæ in jus vocavit, & bona Fabricæ sequestrari curavit, postea tamen à vindicatione pensionis sibi debitæ desistit inscio *Fulcrando*, teneatur resarcire damnum, quod *Fulcrando* intulit desistendò à vindicatione pensionis sibi debitæ?

R. *Guiraudus* graviter peccavit in suo agendi modo, utpote contrario justitiæ & charitati, & unâ cum Præfectis Ecclesiæ in solidum tenentur, & etiam quivis eorum, cæteris non solventibus obligatur in solidum restituere *Fulcrando* omnes impensas & expensas factas, ac etiam resarcire damnum, quod ipsi illatum est, hæc obligatio tamen primario incumbit Præfectis Ecclesiæ. 2. Præfectus Ecclesiæ, qui ab illustri foemina recepit præmemoratos 25 florenos, tenetur iterum restituere illos, si conditio, qua donati sunt fabricæ, non

fuerit impleta. 3. *Nicolaus* non solum tenetur ad solutionem, quam *Fulcrando* debet, sed etiam ad refarciendum damnum *Fulcrando* illatum desistendo à vindicatione pensionis sibi debitæ, supposito quòd *Fulcrando* à Præfectis Ecclesiæ satisfactum non fuerit. *Pontas.*

CASUS XV. Jam ante viginti annos *Matthæus* mutuam *Rogério* dedit summam 10000. florenorum, quibus nimirum omnis ipsius res familiaris constabat: *Rogérius* se obligavit ad solvendum quotannis censum quingentorum florenorum, quos etiam *Matthæus* singulis annis recipit, minimè dubitans, dictam summam se recipere posse, cum & alii spectatæ probitatis viri similem ex mutuo data pecunia sua recipiant censum, ac insuper aliunde non habeat, quo vitam sustentet. Verum eum à suo Confessario percepisset, se teneri renunciare toti summæ principali, utpote per viginti annos jam sibi per census annuos soluta, quærit, an ab ista obligatione non eximatur legitimè, si per istam renuntiationem extremam incurreret paupertatem?

R. Si in proposito casu *Matthæus* dictam summam bona fide mutuam dederit, ac annuos census bona quoque fide receperit, & insuper illi ex acceptis censibus nil amplius supersit, ad nullam tenetur restitutionem. Dein posito etiam quòd *Matthæus* teneretur ad restitutionem, ab ea nihilominus eximeretur, si *Rogérius* ex mera liberalitate dictos annuos census persolvisset, quia ad solutionem motus fuerit ex aliquo timore, ne *Matthæus*, si talem annum censum ipsi denegaret, summam principalem fors sit repetiturus. *Conf. de Lucon tom. 2. conf. 44. q. 3.*

NOTA. Verum quidem est, ex solo titulo mutui non posse exigi censum, potest tamen exigi titulo lucri cessantis, damni emergentis, vel ob periculum fortis, quod per tot annos reipsa esse potuit, etsi nil sinistri evenerit. Poterat ea elocatio pecuniæ etiam fieri ex tacita intentione contrahentium, conformiter ad notoriam Actis publicis approbatam consuetudinem, per modum contractus censualis, in quo ex bonis mu-

tuarii frugiferis, vel ex ejus industria, ex parte venditoris redimibiliter emittitur, emptione contractu Societatis mixta, pars reddituum vel frugum. Ex his ergo titulis iustitia censum assimanda est: non verò indefinitè respondendum.

CASUS XVI. *Epimachus* in negotiis regis constitutus valde multum lucratus est dandò suam pecuniam mutuo; trinitimè dubitans, tale commercii genus esse licitum: *Daniel* filius ejus, qui unà cum duobus aliis suis fratribus mortuo Patre hæreditatem adiit, valde timet, ne patris bonorum hæreditatis suæ à defuncto Patre sit acquisita commercio usurario, & hinc ad restitutionem teneatur. Censet tamen, se ab ista obligatione immunem, cum Pater suus census annuos semper bona fide receperit, & tales census sint bona mobilia, quorum possessione trienniali præscribi possit; ac insuper etiam Pater multos legitimos, ac licitos census acceperit vi juris, & impossibile denique sit, scire quot personis, & quantum pecuniæ à Patre mutuo datum sit.

R. Cum perdifficile sit scire; an *Daniel* reverà teneatur restituere quidquam, tutius & consultius erit, si *Daniel* tantum è bonis hæreditatis sibi retineat, quantum ad sustentationem vitæ necessarium habet; reliquum verò quod super est eroget, pauperibus ea intentione, ut satisfaciatur obligationi restituendi, qua forsàn coram Deo obstrictus est. *Pontas.*

NOTA. Cum ex *Nota* præcedentis *Casus 15.* constet, varios justos titulos accipiendi census dari posse, non tenetur hæres examinare, quo titulo parentes census acceperint; vel utrum bona fide præscriperint, nisi in casu particulari mortaliter constet de contrario. Aliter discurrendum circa bona immobilia necdum præscripta tempore immemoriali cum præsumptione iusti tituli; circa immobilia enim necdum certò præscripta etiam hæres tenetur habere fidem positivè bonam.

CASUS XVII. *Pedemontii* communis & generalis consuetudo ab ipsis etiam iudicibus approbata viget, ut tres florenales pro centum mutuo datis accipiantur, & hæc consuetudo immemorialis est: *Amadeus,*

deus, *Civis Augustæ Taurinorum,* qui bona fide juxta consuetudinem *Pedemontanam* pro mutuo data pecunia censum annum accipit, à quodam Doctore percepit, tales census esse usurarios, hinc Confessario suo promittit, se à tali usurario commercio deinceps desitutum; Confessarius *Amadeum* absolvit à peccatis suis & à restitutione censuum receptorum. An Confessarius illum ab obligatione restitutionis absolvere potuit?

R. Juxta *S. Beuve tom. 2. cas. 131. pag. 442.* Confessarius in proposito casu *Amadeum* absolvere potuit à restitutione, quia dictos census annuos recipere consuetudine introductum est in ista Provincia: Tutius tamen egisset, si illum obligasset, ut restitueret id, quod bona fide non consumpsit.

NOTA. Imperitè & inconsequenter hæc dicuntur. Si enim consuetudo *Pedemontanos* excusat ad accipiendos tres procentum, eadem consuetudo *Germanos* excusaret ad accipiendos quinque pro centum. Verum deest hujusmodi auctoribus spiritus legum. Ibi à Tribunalibus tolerantur tria, quia ex centum ordinariis lucrum annum non superat tria, apud *Germanos* autem quinque. Deus autem non præsumptos sed veros Titulos lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi &c. quærit.

CASUS XVIII. *Isabella* viro cuidam desponsata à Patre in dotem acceperat 1500. florenos; cum autem percepisset, partem bonorum à Patre suo commercio usurario fuisse comparatam, si certò de hoc sibi ipsi constaret, quærit 1. an, non nisi dubia, teneatur indagare in veritatem? 2. an, si de hoc sit certa, teneatur restituere dictos 1500. florenos, posito quòd illa possit, & Pater denegat restituere? 3. an teneatur rogare suum Maritum, utpote bonorum communium Dominum, ut in restitutionem consentiat, & an denegato consensu restitutionem in suo testamento procurare possit. 4. Denique an in casu, quo Pater bona sua, dotatà jam filià, per commercium usurarium acquisivisset, *Isabella* teneretur ad aliquam restitutionem?

R. Si *Isabella* est in dubio, non tenetur restituere, posito quòd ipsius dubium malo nitatur fundamento: 2. Si *Isabella* constat de usurario commercio Patris, non tenetur restituere post obitum Patris, nisi in quantum consuetudo Provinciæ exigit, & pro rata acceptæ suæ dotis. 3. Supposito quòd obligetur restituere, non potest id facere nisi post mortem Mariti, si ille in restitutionem non consentiat, potest tamen in suo testamento procurare istam restitutionem. 4. Si dotem à Patre accepit ante acquisitionem usurariam bonorum Patris, ad prorsus nullam tenetur restitutionem, attamen si defuncto Patre hæres scriberetur, teneretur restituere juxta proportionem hæreditatis, quam accipit. *Pontas.*

NOTA. Author ad primam quæstionem non respondet. Vide *Cas. 16.* ubi respondi, hæredem in dubio non obligari ad indagandum. Quod si etiam certò constaret, patrem fuisse publicum usurarium, dubitari tamen vix posset, multas pecunias ab eo partas fuisse titulo etiam justo, v. g. per contractum censuale, in quo revera intercessit periculum fortis, vel titulo emptionis, legati &c. Cum ergo possessor per confusionem bonorum fiat Dominus, validè disponit.

CASUS XIX. *Elpidius* & *Mævius* acquisiverunt hæreditatem Patris sui, qui regis negotiis præfectus, & per decennium cambio addictus è vita migravit relicta samà, quòd commercio usurario multa bona contraxerat. Possuntne frui tota hæreditate paterna, quin teneantur in conscientia, partem hæreditatis erogare in pauperes per modum restitutionis, cum notitiam non habeant eorum, quibus Pater fors damnum aliquod intulit?

R. Quamvis *Elpidius* & *Mævius* teneantur erogare elemosynas de superfluis, non tamen obligantur, nisi in casu extremæ, aut valde urgentis necessitatis, elargiri elemosynam de sibi necessariis præcisè ob eam rationem, quòd ipsorum Pater regis negotiis præfectus & cambio addictus fuerit, cum ejusmodi officia absque injustitiæ nota & absque usurario com-

mercio administrari possint, multò minùs ad restitutionem tenerentur, si ipsorum Pater notabilia legata in pauperum favorem reliquerit. *Ste Beuve tom. 3. cas. 197. & 198.*

CASUS XX. Cassius, Maritus Michelinæ filia Cræsi divitis Campforis, non nullis abhinc annis certò comperit, Patrem Uxoris suæ quondam præfuisse teloniis regiis, ac per usurarium commercium & aliis injustis modis sua multa, quæ habet, comparasse bona. Jam quæritur, an Cassius, cui uxor 4500 florenos in dotem attulit, teneatur restituere quidquam de dote ista, utpote parte bonorum injustè à Cræso acquisitorum?

℞. Juxta præfatum Doctorem *Ste Beuve tom. 3. casu 152.* non tenetur Cassius restituere censum annum ex dote uxoris suæ acceptum, aut partem summæ principalis bona fide consumptam, tenetur tamen ipsam, quam adhuc in manibus habet, summam principalem, & census, quos jam percepit, aut percipere potuit, restituere ab illo nempe tempore, quo bona fides cessavit. Interim tamen, si nesciat, quibus restituendum sit, debet per modum restitutionis eleemosynas elargiri pauperibus. *Pontas.*

CASUS XXI. Catharina mortuo suo Marito certò compererat, eum comparasse 100 florenos commerciò usurariò, illòsque non fuisse restitutos. An tenetur ipsa eos restituere?

℞. Si Catharina post obitum Mariti sui communitati bonorum renunciârit, ac suis propriis bonis contenta sit, non tenetur ad ullam restitutionem, si verò præter suam dotem bona Mariti sui, aut eorum partem possideat, tenetur ad restitutionem in integrum, idem dicendum, si vivente Marito his usuris fruebatur. *Apud S. Thomam opusc. 73. de usuris cas. 17.*

CASUS XXII. *Hermolaus*, Mercator, inter alia sua bona possidet summam 1000 imperialium usurariò commerciò acquisitorum. Potestne ipsius uxor dicta summam restituere Marito infcio, aut etiam invito?

℞. juxta doctrinam sæpiùs laudati *Ste Beuve cas. 17.* potest istam summam restituere infcio, non autem invito Marito. At in præsentī casu censetur, istam libertatem non esse concedendam uxori, restituti enim ab illa præstanda omnino esset injuriis salutis Mariti, utpote restituere nolentis. *Pontas.*

CASUS XXIII. *Thiboldus* collatis cum *Leandro* rationibus reperiebat, se illi debere 100 florenos, *Aristarchus* igitur amicorum amicus, utrumque sibi obligaturus, offert *Thiboldo* dictam summam *Leandro* solvendam, & *Thiboldus* accepit istam summam tradiditque *Leandro*: brevi post verò moritur *Thiboldus*, qui solvendo non erat, an jam *Leander* in conscientia tenetur restituere præfatos 100 florenos *Aristarcho*?

℞. Quando alicui pecunia commodatarius sit verus dominus commodatæ pecuniæ, quia commodans suum transfert dominium in commodatarium. Hinc *Leander* non tenetur ad ullam restitutionem, imò *Aristarchus* nec etiam in foro exteriori quidquam ab eo postulare potest. *Pontas.*

CASUS XXIV. *Ildephonsus* mutuos dedit *Theophilo* 100 imperiales ad annum; elapso igitur anno repetit dictam summam cum importunitate, quia illà in suo commercio quidquam lucri comparare cupiebat; *Theophilus* verò ipsemet præfata pecunia in sua negotiatione quidquam lucraturus denegat restituere istos 100 imperiales præterdicens, se non esse solvendo, & sub hoc prætextu per triennium contra justitiam & bonam fidem retinet dictam summam certus, *Ildephonsus* tantum animi non habere, ut sibi propterea litem moveret. An in foro interno tenetur *Theophilus* restituere lucrum è dicta pecunia per hos tres annos comparatum?

℞. Non censetur; teneri illum *Ildephonsus* restituere totum lucrum, quod *Ildephonsus* in suo commercio facere potuisset, si ipsemet dictam summam possedisset, sed *Theophilum* solum obligari ad restitutionem

nem lucri, quod tali summa in sua negotiatione, cui *Theophilus* operam navat, comparari potest *S. Thomas in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. quest. 2. ad 4.*

NOTA. Cum mutuum sit contractus bonæ fidei, censo; *Theophilum* obligari ad compensandum *Ildephonsus* totum lucrum cessans, ordinarium ac moraliter certum, quo illum privavit ob moram solutionis.

CASUS XXV. *Maximinus* tradidit *Joanni* amico suo 100 imperiales ut eos ad *Hubertum*, à quo illos mutuos acceperat, deferret: *Joannes*, dum in via ad *Hubertum* erat, à furibus spoliatus est hac pecuniæ summa. An *Maximinus* in hoc casu fortuito tenetur de novo *Huberto* 100 imperialesolvere?

℞. Aliud dicendum est de debito, quod ex contractu quis debet, & aliud de restitutione. In proposito casu *Maximinus* tenetur de casu fortuito, quo isti 100 imperiales perierunt, & tenetur restituere *Auberto* dictam summam. *Genet. Theol. moral. tom. 6. tract. 5. c. 7. n. 26.*

CASUS XXVI. *Theodatus* & *Flavianus* factò inventariò, *Julii* Patris sui defuncti hæredes declarati, 1750 florenos jam solverunt creditoribus Patris, cum tamen cuncta bona Patris tantum summam 1500 florenorum constituerent; cum insuper ex inventario intelligerent, 250 florenos à Patre commerciò usurariò fuisse comparatos, quærun, an teneantur ut hæredes restituere hos florenos. cum sufficientes habeant facultates ad restitutionem præstandam?

℞. Qui beneficiò inventarii hæreditatem edit; non tenetur ad solutionem debitorum ultra id, quod hæreditate acquisivit, hinc *Theodatus* & *Flavianus*, licet aliunde opulenti sint, non tenentur dictos 250 florenos restituere, cum creditoribus Patris jam solverint summam ipsa hæreditate majorem. *De Ste Beuve tom. 3. cas. 232.*

CASUS XXVII. *Clara* parentibus orbata, à quibus jure hæreditario 40000 florenos accepit, Religionem ingredi cogi-

tat; sed cum sciat, partem hæreditatis constare ex lucro usurario à suo Patre, forsitan bona fide, comparato; quærit, an in conscientia teneatur restituere iis, qui asseverant, à se ab ipsius Patre exactas esse usuras? aut, an totam hæreditatem secum in Monasterium transferre possit, quin indaget, qua ratione summam hæreditatis suæ Pater acquisierit?

℞. Si *Clara* certa est, aut prudenter dubitet, Patrem sibi bona malè parta reliquisse, tenetur studiosè indagare veritatem, & si ipsi certo constat, quosdam dari, à quibus Pater exegit usuras, tenetur eas illis restituere, & non posset licitè secum in Monasterium transferre totam hæreditatem. Si verò non certò constat, sed solum sciat ex testimonio eorum, qui restitutionem exigent, & de eorum bona fide non sit plenè certa, non tenetur ad restitutionem. Denique quamvis sciat partem hæreditatis fuisse usurario commercio comparatam, interim tamen ignoret, cui restituat, poterit eam donare Monasterio, quod ingredi cogitat. *Idem ibidem cas. 19.*

NOTA. In hac responsione titulante *Clara* solum obliganda est ad restitutionem, si certa sit usura, non autem, si duntaxat prudenter dubitet.

CASUS XXVIII. *Amandus*, Tutor *Antonii*, acquisivit 250 florenos ex usurario commercio pecunià *Antonii* mutuò datâ. Jam quæritur, an *Amandus* teneatur restituere hosce 250 florenos; an verò sufficiat, si pupillum suum certiore faciat de isto lucro usurario tutelæ suæ ipsi rationem reddens?

℞. Tenetur *Amandus* de suis propriis restituere dictos 250 flor. debuisset enim pecuniam pupilli ita collocare, ut legitime fructificet, cum igitur hoc non fecerit, tenetur ipse non solum ad censum annum pupillo suo solvendum sed etiam ad restitutionem dictorum 250 florenorum. *Idem tom. 1. cas. 94.*

CASUS XXIX. *Petrus* summam 1500 florenorum sibi maximè necessariam mutuò accipit à *Matthæo* additò promissò,

se per tres annos decem pro Centum ipsi soluturum. Confessarius *Matthæum* obligavit, dictum censum annum erogare in pauperes, pretendens *Petrum* restitutione esse indignum. An benè egit Confessarius?

R. Restitutio præstanda est *Petro* juxta D. THOMAM 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2. solum enim ille, qui donandò contra legem prohibentem peccavit, meretur amittere quod donavit; *Petro* verò non erat prohibitum dare censum annum in sua urgenti necessitate.

CASUS XXX. *Falcidius* à *Quintino* mutuò accepit 200 florenos, & in assurationem debiti sui tradidit ei horologium aureum, & monile margaritis confectum: Post aliquot menses domus *Quintini* conflagravit una cum horologio & margaritis, aut à furibus fuerunt ablata. An *Quintinus* jacturam hujusce pignoris ferre tenetur?

R. Jacturam dicti pignoris sufferre debet *Falcidius* in tali fortuito casu, quia per traditum pignus non amisit proprietatem ejus. At verò si jactura facta esset fraude vel latà culpà ex parte *Quintini*, *Quintinus* respondere deberet de jactura; si autem jactura accidisset ex levissima culpa, ferenda esset à *Falcidio*. *Pontas*.

CASUS XXXI. *Gabinius Gabriella* spondet, se eam ducturum, & in sponsionis suæ arrham 500 florenos in ipsius tradit manus, licet bona sua tantum in 1000 florenis constarent: post aliquot temporis intervallum absque ulla data ratione recusat ducere *Gabriellam* ac simul ab ea repetit traditos ei 500 florenos. Teneturne *Gabriella* restituere dictam summam postò, quòd *Gabinius* se offerat ad solvendum illi censum, quem vel ipsa postulare potest, vel à judice aut æquis Arbitris ei adjudicabitur?

R. *Gabriella* ad nullam tenetur restitutionem, *Gabinius* enim donavit illi 500 florenos in arrham suæ sponsionis, *mutare consilium*, dicit regula juris, *quis non potest in alterius detrimentum*.

CASUS XXXII. *Henrietta*, filiafamilias *Martiali*, à quo vi deflorata fuerat, minabatur actionem criminalem, nisi dotis locò daret 2000 imperiales: *Martialis* his minis motus dedit postulatam summam: *Henrietta* elapsis aliquot mensibus, cum *Martiali* delictum profus secretum ac occultum permanferit, eodem successu & emolumento matrimonium iniiit, ac si factum *Martialis* nunquam accidisset. An *Henrietta* non tenetur ad restitutionem 2000 imperialium, cum nec minimum detrimenti ex facto *Martialis* passa sit?

R. Censetur, licet retinere eam posse dictam summam; interim tamen verum est, eam, si præmemorata summam nondum accepisset, non habituram jus exigendi hanc summam ante sententiam condemnatoriam. *Pontas*.

NOTA. Non haberet quidem jus, determinatè exigendi hanc summam; haberet tamen jus, agendi apud Judicem pro honestiori dote ad compensandam verecundiam à marito sufferendam, si reperietur non esse virgo. Si autem stuprator offerret æquam summam in compensationem injuriæ, posset & deberet ea acceptari ab oppressa.

CASUS XXXIII. *Anatolius* operam suam pro uno die locans *Leonidi* ad transportanda vitra, & alias res valde fragiles non nullas harum rerum confregit, an igitur tenetur resarcire damnum *Leonidi* factum?

R. Si id ex ipsius culpa, quamvis *levi*, accidit, tenetur resarcire *Leonidi* damnum, quod passus est, ita lex. *Si mercis 25. §. 7. locati conducti lib. 19. tit. 2.*

NOTA. Omni lege civili, quæ procedit ex præsumptione, potentior est intentio contrahentium, ex usu aut circumstantiis sufficienter declarata. Non est autem verosimile, locatores suæ operæ, plerumque tenui aut mediocri fortuna præditos, & in rebus propriis quandoque incurios, se obligare velle ad amissionem omnium suorum bonorum, si committant culpam levem.

CASUS XXXIV. *Alexius Juvenali* equum suum commodavit ad conficiendum iter Parisiis *Aureliam*: *Juvenalis* monitus, ne nocte sylvam transeat ob-

varia

varia pericula, nihilominus in equo, & armis suis fiduciam ponens pertransiit sylvam; in qua periculosis plagis vulnerato equus ablati est. Teneturne refundere pretium equi *Alexio*?

R. In præsentis casu agitur de *commodato*, hinc tenetur *Juvenalis* solvere *Alexio* pretium equi sublato ex ipsius; etiamsi *levissima culpa*, voluntariè enim se exposuit periculo. *Pontas*.

CASUS XXXV. *Albinus* tradidit *Conrado*, viro prudenti & fideli, equum, ut illum reduceret ad dominum suum, à quo ipsum commodatò accepit. Jam factum est, ut plena meridie fuerit equus iste *Conrado* ereptus. Quis jacturam ferat?

R. Si *Albinus* à persona ignota monitus fuisset, ut equum suo domino restituat, ac huic personæ equum tradidisset, ut eum reducat, teneretur reddere pretium perditæ equi; in casu proposito verò ad id non tenetur, omnis enim casus fortuitus in dominum rei cadit. *Pontas*.

CASUS XXXVI. *Paternus* commodavit *Juliano* duo argentea candelabra, quæ *Julianus* eistæ clave obseratæ unà cum sua propria supellectili argentea inclusa afferrebat in superiori parte Anticameræ domus suæ: fures contractis ferreis fenestrarum clathris noctu abstulere omne, quod eistæ inclusum erat. Teneturne *Julianus* restituere pretium dictorum candelabrorum?

R. Ad resolutionem præsentis casus, & aliorum hujusmodi necesse est, ut distinguantur tres culparum species. Prima est *lata culpa*, quæ gravis & inexcusabilis est: secunda dicitur *levi culpa*, id est, quando quis non facit, quod tamen alii ejusdem statûs & conditionis homines faciunt, aut quando quis negligit id, quod ab aliis ejusdem conditionis negligi haud solet: tertia vocatur *culpa levissima*, quando nimirum non adhibentur omnes præcautiones, & curæ, quas tamen alii prudentissimus, & diligentissimus adhibet: ex his patet *Julianum* non esse ab-

omni culpa immunem, cum igitur in præsentis casu agatur de *commodato*, sequitur, *Julianum* teneri ad restitutionem pretii candelaborum. *Pontas*.

CASUS XXXVII. Cum *Germanus* percepisset, *Leandrum* amicum suum iter decem circiter leucarum instituturum, obtulit ipsi equum suum veritus, ne equus jam per tres menses in stabulo reservatus, & nullo labore exercitatus quemdam contraheret morbum: *Leander* oblato usus est equo, qui in itinere inflammatione tonsillarum laborare coepit, *Leander* verò, qui istam morbi speciem non intelligebat, neglexit accedere Veterinarium, quem dimidia circiter leuca ab urbe, quam petebat, remotum consulere potuisset, cum existimaret, se in urbe medicum equorum magis peritum inventurum. At equus, antequam in urbem venerat, periit. Teneturne in conscientia ad solvendum *Germano* pretium equi?

R. Culpa *Leandri* levissima est, hinc censetur, non teneri illum ad solutionem pretii equi. *Genet. Theol. moral. tom. 6. tract. 8. c. 5. Clem. 39.*

NOTA. In priori casu commodatarius tenebatur ex culpa levissima, quia commodatum principaliter cedebat in ipsius gratiam: E contra in præsentis casu non tenetur, quia commodatum fiebat in gratiam commodantis.

CASUS XXXVIII. *Aurelius* commodavit pallium suum *Bernardo* titulò precarii, quod pallium *Bernardo* fuit furtò ablatum post duos dies ex ipsius imprudentia. Teneturne *Bernardus* solvere pretium pallii?

R. Ille, qui aliquid titulò precarii accipit, solum tenetur de damno proveniente ex culpa lata, aut fraude. Hinc si pallium ablatum sit *Bernardo* ex ipsius levi tantum, in sensu, quo hunc terminum sumunt leges, *Bernardus* non tenetur ad solutionem pretii pallii in foro interno. *Pontas*.

CASUS XXXIX. *Meletius* rogavit *Leonardum*, ut sibi ad aliquod ipsi libitum temporis spatium quasdam res mobiles ad usum gratis concederet: *Leonardus*

duo annuit ipsius petito, elapso tamen mense repetit dictas res, Meletius verò ob quasdam rationes restitutionem earum recusat invito quidem Leonardo: post quatuor dies contigit, ut à furibus prædictæ res mobiles ablatae, aut incendiò consumptæ fuerint. Quis igitur eorum jacturam harum rerum ferre tenetur?

℞. In casu proposito de *Prevario* agitur, hinc Meletius; qui has res precario acceptas reddere suo domino eas repetenti renuit, tenetur earum jacturam ferre. *Pontas.*

CASUS XL. Sejus acceptata ab Alberto oblato sibi gratuita procuratione negotiorum, semper bona egit fide cum aliqua tamen negligentia, quæ in causa fuit, quòd Albertus 100 florenos expendere debuerit ad prosequendam quamdam litem. An Sejus tenetur restituere Alberto dictos 100 flor?

℞. Licet Sejus gratuito acceptarit procurationem negotiorum Alberti, tenetur tamen in præsentem casu restituere hosce 100. florenos, omnis enim Procurator tenetur eandem habere curam negotiorum illius, cujus Procurator est, quam ipse haberet in suis negotiis. *Lege à Procuratore 13. eod. mandat. vel contra. lib. 4. tit. 35.*

NOTA. Si negligentia fuit ejus generis, quam Albertus facile committeret in rebus propriis, intentio ejus non præsumitur se obligasse gratuito ad præstandam culpam ejusmodi levem.

CASUS XLI. *Lucius Titio* mandat curam suorum negotiorum, & culturam agrorum pertinentium ad Marcium amicum suum: Titius gratuito mandatam sibi provinciam in se suscipit; postea autem ex ipsius negligentia occidit, ut Marcio damnum 500. florenorum illatum sit. Peccavitne *Marcus* suâ negligentia? num etiam tenetur refarcire damnum Marcio illatum, quocum nullam iniecit conventionem?

℞. Titius suâ negligentia peccavit, & tenetur refundere Marcio damnum, quod passus; sufficit enim quòd convenerit

eum Lucio ratione etiam agri Marcii. *Lege Mandatum. 2. ff. mandati.*

NOTA. Idem considerandum & observandum, quòd Casu 40.

CASUS XLII. Bartholus rogavit Ægidium, ut tempore, quo fieri posset, magis apto pratum suum demeti curaret; Ægidius petito annuit, ast primo faventi tempore cum demere fœnum neglexisset, fœnum notabiliter corruptum est. Teneturne in conscientia ad aliquam restitutionem, cum petito Bartholi tantum obsequii gratiâ annuerit?

℞. Ægidius excusari haud potest à culpa, saltem levi, hinc licet petito Bartholi voluntariè, & gratuito annuerit, tenetur tamen refarcire damnum, quòd Bartholo illatum est. *Genet. Theol. moral. tom. 6. tract. 8. cap. 5. q. 43.*

NOTA. Vide Casum 36. 37. 40. 41.

CASUS XLIII. Dracontius acceptata à Claudio sibi commissa negotiorum suorum gratuita procuratione, eorum gerendorum tandem pertæsus officio suo deesse cœpit, quo factum est, ut Claudius 400. florenorum passus sit damnum. An Dracontius de dicto damno tenetur?

℞. Si Dracontius claudium prius non admonuit, se procurationis sibi ab eo commissæ esse pertæsum, cum tamen ipsum admonere potuisset, tenetur Claudio refarcire damnum. *Pontas.*

CASUS XLIV. Gratianus, nobilis juvenis, Parisiis obiit, hunc Alphonso, ipsius amicus, humani curavit, & pro exequiis 150 florenos expendit. Hæres Gratiani cognito expensarum excessu renuit solutionem Alphonso præstare. An licitè renuit?

℞. Hæres Gratiani tenetur solvere dictos 150 florenos, si constat dictas expensas prudenter & bona fide fuisse factas: si verò constaret contrarium; posset deducere de ista summa partem superfluum, & non teneretur in foro interno ad solutionem expensarum imprudenter factarum. *Pontas.*

CASUS XLV. Eustochius Principem suum, cujus officialis domesticus erat, in Germaniam comitatus reliquit domum suam proximam ruinam minantem, quin ipse curam cuidam comisset. Sempronius, ipsius amicus, dictam domum fulcris sustentari curavit, ast post actò dies exortâ ventorum intemperie conquassata corrui domus, sicque inutiles factæ sunt expensæ Sempronii: Cum igitur Eustochius reversus esset, petit ab eo Sempronius 60. florenos ad fulciendam domum expensas. An Eustochius denegare potest solutionem?

℞. Refundi debent expensæ, quas quis fecit urgente necessitate ex mera benignitate & amicitia erga aliquem absentem. *Lege Si quis 2. ff. de negot. gestis. lib. 3. tit. 3.* Hinc Eustochius tenetur refundere expensas à Sempronio 60. florenos. *Pontas.*

Vide casum sequentem.

CASUS XLVI. *Probus* sciens, *Rollando* amico suo jam sex mensibus absentem à *Cajo* intentatam esse actionem, qua solutionem 1000. florenorum, quos *Rollandum* sibi debere ex falso supposito affirmat, urget spontaneè ipse *Rollandi* causam defendendam in se suscipit, quia sufficientes habebat probationes injustæ petitionis *Caji*. Ast post aliquot mensium intervallum defuncto *Rollando* *Probus* à defensione causæ *Rollandi* penitus abstinuit, quo factum; ut *Cajo* dicti 1000. floreni adjudicati fuerint. Jam quæritur, an hæres *Rollandi*, cognita causæ serie, à *Probo* solutionem exigere possit dictorum 1000. florenorum?

℞. Leges civiles neminem obligant ad suscipiendam curam negotiorum alterius, nisi quis ad id teneatur ex particulari officio v. g. Tutoris, vel Procuratoris: si quis igitur spontaneè alterius negotiorum curam in se suscipit, tenetur ad eam usque ad finem, & non amplius ipsi liberum est desistere à suscepta cura, ex quo etiam sequitur, teneri illum ad reddendam rationem suæ administrationis. *Lege. Si quis*

Diction. Cas. Conf.

&c. jam citata. Probus igitur tenetur ad reparandam jacturam Hæredi *Rollandi* illatam.

Vide resolutionem *Casus præcedentis.*

CASUS XLVII. *Valerio* in regione longinqua degenti intentata est actio injusta, *Palamon* verò, amicus *Valerii*, sua sponte curam causæ absentis amici in se suscipit: ast pendente lite ex defectu prudentiæ commisit notabilem errorem, aut saltem levem, *valerio* tamen nocivam. An *Palamon* tenetur de reparando damno *valerio* illato?

℞. Si nullus alius negotia *Valerii* absentis procurare voluerit, *Palamon* solum tenetur ad reparandum damnum culpæ gravi & notabili illatum: si verò rationaliter credere potuerit; alios negotiorum *Valerii* curam gesturos, se ipsum præferendo aliis tenetur non solum ad refarcendum damnum ex culpa notabili sed etiam levissima ex culpa emergens, cum alios impederit in gerenda cura negotiorum *Valerii*. *Pontas.*

CASUS XLVIII. *Aristus* procurationem negotiorum *Claudii*, amici sui, absentis, cujus bona omnia sequestrabantur, ex mera generositate in se suscepit, quam ob rem coactus erat, aut mutuam pecuniam accipere, & pro ea censum annum persolvere, aut propriam suam impendere pecuniam, quam aliàs in commercio pro certo censu expendisset. Jam quæritur, an *Claudius* teneatur in conscientia non solum ad restitutionem summæ principalis ab *Aristo* pro se expensæ, sed etiam ad censum præstandum *Aristo*? 2. Utrum teneatur *Claudius* etiam præstare compensationem damni *Aristo* ex impensa propria pecunia emergentis?

℞. *Claudius* tenetur ad restituendam *Aristo* non solum summam principalem mutuò acceptam sed etiam censum præstandum pro dicta pecunia, tenetur insuper *Claudius* *Aristo* compensare lucrum, quod *Aristus* sua mutuò ipsi data pecunia in commercio percipere potuisset. *Pontas.*

CASUS XLIX. *Fabricius*, *Gemma-*
rius, commercium suum exercere ob in-
opiam haud valens coactus est instar
conductitii negotiorum curatoris emere
& vendere gemmas in rem aliorum suæ
artis mercatorum, qui ipsi dimidium pro
centum, tanquam mercedem suæ indu-
striæ, dabant absque eo, quod ipsemet ab
emptoribus acquirere posset. *Paulinus*,
& ipsemet *Gemma-*
rius, dedit *Fabricio*
Adamantem cum addito, ut eum vendat
pro 3000. florenis, si posset: *Fabricius*
hunc *Adamantem* detulit ad *Barnabam*,
qui pro eo tantum 2150 florenos daturum
se affirmabat; cum verò *Paulinus* majori
pretio dictum *adamantem* æstimaret, *Fa-*
abricius altera die ipsum adiit, illique signifi-
cavit; pro dicto *adamante* sibi oblatos esse
2250. florenos; *Paulinus* verò ei reposuit;
velle se, ut aliis adhuc mercatoribus osten-
dat *adamantem*, hocque modo exquirat,
an non posset pro eo acquirere 2500. aut sal-
tem 2400. florenos; quodsi tamen tale
pretium obtinere non posset, se contem-
tum fore, licet ægrè, 2250. florenis. *Fa-*
abricius igitur secum perpendens, dictum
adamantem suo tempore vendi posse pro
2400. florenis, ipse *adamantem* retinet,
ac pro eo solvit pretium 2250. florenorum
ex proprio suo ære *Paulino*, à quo etiam
pro suæ industriæ mercede 70. florenos re-
cepit. Elapsa hebdomade *Fabricius* de-
nuò accedit *Barnabam*, illique significat,
Paulinum alio quàm 2400. florenorum pre-
tio esse cessurum *adamantem*, *Barnabas*
igitur persolvit dictum pretium, & insu-
per *Fabricio* pro sua industria 30. florenos,
quo factum, ut *Fabricius* hac occasione
ex sola venditione *adamantis* lucratus sit
250. florenos. Jam quæritur, an *Fabri-*
cius dictum *adamantem* pro se ipso emere
potuerit, & nihilominus pro sua industria
ab utroque recipere 100. florenos. 2. Si
Fabricius teneatur ad restitutionem, cui
& quomodo sit facienda?

R. Bona fides debet esse anima omnium
contractuum, conventionum, & mutua-
rum inter homines obligationum. *Pauli-*

nus in proposito casu tradendo *adama-*
ntem Fabricio ut ipsum vendat, egit bona
fide; *Fabricius* verò in multis punctis
conventionis infidelem se erga *Paulinum*
exhibuit. Hinc non solum tenetur ad re-
stituendos *Paulino* 250. florenos, quos sibi
proprius ex venditione *adamantis* fecit;
sed etiam obligatur restituere mercedem,
quam ab utroque, *Paulino* & *Barnaba*,
pro sua existimata industria accepit. *Pon-*
tas.

CASUS L. *Genesis*, cujusdam Prin-
cipis *Theaurarius*, summam 25000. flo-
renorum, quam à diversis fundorum aut
ædium locatariis receperat, quæque pro
salario *Officialium* ac *famulorum domesti-*
corum destinata erat, cambio ad duos
vel tres menses commisit, & hac occa-
sione lucratus est 2000. florenos. Tene-
turne *Genesis* lucrum hoc restituere
Principi suo?

R. Potest *Genesis* absque injustitia re-
tinere lucrum hoc, supposito tamen, quod
per hoc Principi, aut iis, quibus pro so-
lario destinata erat dicta summa, nullum
emergerit damnum: lucrum enim è dicta
pecunia factum unice ipsius industriæ at-
tribuendum est, & non ipsi pecuniæ, ut-
pote rei de se & ex sua natura sterili. *S.*
Antonin. 2. part. Summæ Theol. tit. 1.

NOTA. Tenetur tamen ad restitutionem Principi,
aut famulis, si solutionem, illi vel istis facien-
dam retardasset; aut locatariis, si ab iis anti-
cipatam solutionem extorsisset; aut æratio
principis, si illi in morte solum cederet sua de-
bita activa incertæ solutionis.

CASUS LI. *Amabilis* actionem habens
contra quamdam personam particularem
pro suo *Advocato* elegit *Bartholum*, illi-
que decem aureos anticipato dedit, ut se
ad defensionem causæ præpareret. Ast
actione diutius durante *Bartholus* mortuus
est, priusquam defensionem causæ ince-
perit. Jam quæritur, an ipsius hæredes
teneantur restituere dictos aureos *Am-*
abili, si illos repetat?

R. He-

R. Hæredes non tenentur ad restitutio-
nem; *Bartholus* enim causam *Amabilis*
studiò discutiebat, & ad ipsius defensionem
se præparabat ante suam mortem, & si via
iudicii potuisset inchoari suum obitum,
certè defensionem causæ *Amabilis* in ju-
dicio strenuè suscepisset. *Genet. Theol.*
moral. tom. 6. tract. 5. c. 6. q. 2. Vide
Advocatus casu 2. 3. 6. & 7.

NOTA. Ex hoc ipso responso sequitur; eos ad
restitutionem obligandos, si *Bartholus* discus-
sionem causæ neglexisset.

CASUS LII. *Heracides* triginta aureos,
quos *Pbocioni* furatus est, exposuit in lu-
su, in quo 250. florenos lucratus est. Te-
neturne etiam lucrum unà cum triginta au-
reis restituere *Pbocioni*?

R. Juxta *Cabascutum l. 6. c. 11. n. 2.*
solum tenetur restituere triginta, quos
abstulit, aureos; nam qui alteri quid-
quam abstulit, solum tenetur ad restituo-
tionem ablati, & refarciendum damnum,
damnum, quod suâ injustitiâ intulit. *S.*
Thomas 2. 2. q. 78. art. 3. in corp.

NOTA. Peccavit tamen gravissimè, furtivam pe-
cuniam exponendo periculo differendi, aut
reddendi difficilem, vel impossibilem resti-
tutionem.

CASUS LIII. *Nebrius* & *Licinius* in-
ierunt inter se societatem universalem ad
decem annos quoad omnia sua bona mo-
bilia & immobilia, præsentia & futura abs-
que omni exceptione; ast elapso biennio
Nebrius testamentò acquisivit quamdam
domum, cujus redditus per quatuor aut
quinque annos sibi soli reservavit, ratus,
nullam ex eis competere *Licinio* partem.
Verùm *Licinius* præterdit, dimidium
pretii locatæ domus sibi deberi, num-
benè?

R. *Nebrius* tenetur solvere *Licinio*
dimidium pretii ex locatione dictæ domus
percepti; nulla enim est distinctio inter
societatem inter se ineuntes, & cohære-
des; nec etiam bona fides *Nebrium* exi-
mit à restitutione portionis *Licinio* debi-
tæ. *Pontas*.

CASUS LIV. *Leo* in publica Urbis pla-
tea invenit crumenam, in qua decem au-

reos francicos repererat. Teneturne ad
restitutionem, si ignoret, ad quem hæc
pecunia pertineat? Item, si aliquid aliud
inveniat consideratu dignum in platea, aut
alio loco, an etiam hoc debet restituere?
Et supposito quod restituere debeat, cui
verò & quomodo facienda est restituo-
tio?

R. *Leo* non potest retinere hos aureos;
& si ignoret, cui eos restituat, tenetur
illos impendere ad tales usus, quos judi-
caverit utiliores, & magis acceptos eorum
Domino, ut saltem fructus spiritualis hu-
jus boni temporalis redundet in Domi-
num. *S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3.*
Leo igitur inventam pecuniam tenetur di-
stribuere in pauperes, & si ipse sit pau-
per, *Confessarium* propterea consulere,
à quo obtinere poterit licentiam hanc si-
bi retinendi pecuniam. Verùm si pretio-
sas gemmas, aut margarithas inveniret in
littore maris in arena jacentes, posset il-
las retinere. *Idem ibidem ad 2.*

NOTA. In mea *Theologia* doceo oppositum ex
sensu omnium hominum, qui repertores cen-
sent esse felices. Author etiam contradicit si-
biipsum, dum alibi *Urinatores* circa pretiosa in-
venta in fundo maris ad restitutionem obligat.

CASUS LV. *Gauterius* inventâ cru-
menâ, in qua triginta aurei contineban-
tur, omni, qua potuit, diligentia in ip-
sius Dominum inquisivit, sed frustra: Con-
suluit igitur suum *confessarium*, qui illi sua-
sit, ut inventam pecuniam donet communi
Civitatis hospitali, in cujus territorio eam
invenerat. *Gauterius* monitum *confessa-*
rii sine mora exequabatur, ast elapso men-
se certior factus est, inventam crumenam
pertinere ad *Benedictum*, qui & eam repe-
tit. Jam quæritur, utrum *Gauterius* in
foro interno teneatur restituere dictam
summam ex propriis?

R. Non tenetur restituere ex propriis,
possessores enim bonæ fidei rebus ad alium
pertinentibus bona fide consumptis solum
tenentur restituere id, ex quo facti sunt
ditiores. Hinc *Gauterius*, qui inventam
pecuniam suadente *confessario* suo dona-

vit hospitali, eorum Deo & hominibus absolvendus est à restitutione. Observandum tamen, in similibus casibus res inventas non nisi hac conditione esse donandas, ut, si Dominus rei innotescat eum tempore, restituantur illi. *Pontas.*

NOTA. Hic casus ostendit; exoptabilius esse Domino rei, si inventor non obligetur ad expendenda in causas pias, ut semper possit facile convenire possessorem rei. Hinc in casu obligandus ad restitutionem videtur Confessarius, præsertim si suavit, sibi vel suis applicari in stipendiis Missarum; eoquod usus sit sententia mere probabilis in præjudicium tertii, & ob jus incertum privaverit Dominum rei jure certo dominii civilis vel actionis utilis pro recuperatione rei.

CASUS LVI. *Metellus* sacculum, quem viginti quinque florenis refertum invenerat, ac in eo aliquot chirographa tabellario solvenda repererat, ad *Fabium* amicum suum pertinere agnoscit, quapropter eodem die dictum sacculum per quemdam famulum domesticum *Fabio* remittit; dictus verò famulus duobus militibus obviam factus ab eis sacculo spoliatus est. Tenenturne *Metellus* ad aliquam restitutionem?

R. Censetur, dicendum esse, *Metellum* non teneri in conscientia ad restitutionem; jactura enim sacculi ferenda est *Fabio* juxta regulam juris: *quoties omnis debitoris culpa seclusa res debita perit, domino suo perit.* *Gregorius IX. in cap. Cum gratia. unic. de commodat. libro 3. tit. 15.*

CASUS LVII. *Crassus*, Foricarius, labori suo insistens invenit capsulam cupream, in qua quadraginta aurei inclusi erant, hos aureos suis applicavit necessitatibus. Tenenturne eos restituere, & cui?

R. Si *Crassus* persuasum habeat; hos aureos illegitimè à se esse acquisitos, aut saltem de hoc prudenter dubitet, tenetur in conscientia ad restitutionem. Ast si *Crassus* hos aureos bona fide consumpsisset penitus persuasus, eorum dominium fortunam in se esse translatum, non tenetur eos restituere, nisi factus esset ditior; in

hoc enim casu obligaretur ad restitutionem, quamvis ea fieri non posset sine ipsius incommodo. *De Ste Beuve tom. 5. cap. 255. & 256.*

NOTA. Imperita est hæc res responsio. Non enim conscientia cujusque in regulam erigenda, sed per sanam doctrinam regulanda est. *Crassus* adhibita morali diligentia pro inventando rei inventæ eam tamdiu servet, donec omnis spes evanescat repertiendi Domini.

CASUS LVIII. *Callistrates* occidit de liberatè *Medericum*, opificem, qui solo suo labore nutriebat suum Patrem, suam uxorem & infantulum, utpotè qui vitæ necessaria sibi comparare nequibant. An *Callistrates* à suo confessario obligandus est, ut necessariam, eorumque conditioni competentem procuret eis sustentationem? Potestne etiam illi denegari absolutio, si istam obligationem non acceptet?

R. Qui alium occidit extra casum inculpata sui metipsum tutelæ, tenetur coram Deo refarcire omnia damna, quæ suò homicidiò intulit, & quidem juxta æquitatem, & æstimationem hominum prudentum, & doctorum. Ex hoc igitur sequitur *Callistratem* teneri obligationem à suo confessario sibi impositam exequi *S. Antonin. 2. part. Summa Theol. tit. 2. c. 2. §. 2.* Si verò *Callistrates* suo confessario obedire recuset, deneganda est illi absolutio.

CASUS LIX. *Pisistrates Clodionem*, cui jam diu infensus erat, obviam sibi factum aggreditur, illique ictu gladii amputavit manum. Tenenturne ad aliquam restitutionem?

R. Si *Clodio* fuerit opifex, & ista mutilatio sit in causa quo minus suam sustentationem comparare possit, tenetur *Pisistrates* sub mortali reparare omne damnum sua mutilatione illatum. *S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. ad 1.*

CASUS LX. *Protasius*, nobilis stemmate, se moribus valde ignobilis, *Ameliam*, filiamfamilias proximè se matrimonio conjungere cogitantem, deflorare frustra

strà attentans illi nares amputavit, aut oculum effodit. Tenenturne ad aliquam restitutionem?

R. Si *Amelia* non eodem, ac prius, emolumentò matrimonium contrahere possit, tenetur *Protasius* absque dubio refarcire illi damnum à se illatum. *Pontas.*

CASUS LXI. *Odo*, nobili genere oriundus, contra *Balduinum*, hominem plebeium, vindictam meditatus, falsò affirmat, sibi ab illo quidquam furtò esse sublatum. An tenetur *Odo* reparare damnum, quod *Balduino* suà calumnià intulit? aut positò, quòd veritatem dixerit, ad quid tenetur?

R. Si *Odo* falsò *Balduinum* furti accusavit, tenetur declarare, se eum calumniatum esse: *Tenetur restituere famam confitendo se falsum dimisse*, dicit *St. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2.* Si verò veritatem dixit, injustè tamen, & animo se ulciscendi, tenetur declarare, se ex passione fuisse locutum, ac illum injustè diffamasse, si verò & hoc modo illata injuria refarciri non posset, alio ipsi satisfacere modò tenetur. *Tenetur quantum potest*, ait *S. Thomas ibidem.* Tenetur etiam reparare damnum, quod proximo suo per diffamationem intulit. *Pontas.*

NOTA. Si quis vera dixit, & videat, bonam famam nocentis esse nocivam Deo, Ecclesiæ, Reipublicæ, vel sibi, non tenetur restituere seu reparare famam. Si autem videat, ejus famam esse utilem Ecclesiæ vel Reipublicæ, tenetur ejus famam celebrare in aliis materiis. Vide in mea Theol. *De Detract.*

CASUS LXII. *Hypolithus* atrociter calumniatus est *Sabinium*, qui tamen testibus fide dignis se purgavit à calumnia, & effecit, ut *Hypolithus* pœnam Calumniatori debitam subire coactus sit. An *Hypolithus* nihilominus tenetur revocare, & insuper compensare expensas, quas *Sabinius* facere debuit ad sui defensionem?

R. Si revocatio *Sabinio* non proffit, *Hypolithus* non tenetur revocare; tenetur tamen in conscientia reparare damnum, quod illatà calumnià passus est *Sabinius*,

& etiam restituere expensas, quas ad sui defensionem fecit *Sabinius.* *Sylvius in 2. 2. q. 62. art. 2. q. 9.*

CASUS LXIII. *Farulfus Theocritem*, vicinum suum, calumnià, & infamià affecit, utramque tamen injuriam condonavit ei *Theocrites*: An nihilominus tenetur *Farulfus* reparare famam *Theocriti*, omnem injuriam sibi illatam expressè condonanti?

R. Tenetur duntaxat satisfacere Deo per sinceram pœnitentiam, & vitam deinceps cum *Theocrite* juxta regulas charitatis proximo debitæ ducendam, non tamen tenetur ad reparationem famæ, cum *Theocrites* sit persona privata, de cujus fama nec Ecclesiæ nec Reipublicæ interest. *Idem ibidem.*

NOTA. Esti *Theocrites* sit persona privata, aut pauperrima, tenetur tamen calumniator revocare, si falsa dixit, est Rex foret. In Christo omnes pares sumus, & calumnia gravius affligit miferos, quàm divites.

CASUS LXIV. *Clemens*, & *Judas*, uterque Mercator & Civis se invicem diffamârunt reciprocis calumniis: unus eorum se offert ad reparandam alteri illatam injuriam, si & ipse idem facere paratus sit; alter verò recusat hanc conditionem, & è contrario pergit diffamare suum convicem. An prior tenetur sub mortali reparare famam alterius?

R. Cum uterque ejusdem sit conditionis, & utriusque delictum æquale, censetur, utrumque teneri æqualiter ad reparationem famæ, cum igitur unus eorum hanc obligationem recuset, alter videtur eximendus ab ista obligatione: interim tamen uterque coram Deo obligatur, ut sibi invicem factam injuriam condonent. Observandum tamen, quòd, si inæqualis sint conditionis, & uni major injuria illata sit quàm alteri, ille, qui majorem alteri intulit injuriam, non possit uti jure compensationis. *Pontas.*

NOTA. Ne detur mutua prioritas excusationum in peccatis, tenetur quilibet prævenire alterum revocando falsam calumniam.

CASUS LXV. *Oliverius* judicialiter accusabatur, *Diodoro* quidquam furtō abstulisse: *Artus* testis fide dignus contra ipsum deponit; *Oliverius* verò actis authenticis probare potest, *Artum* in alia occasione falsum deposuisse testimonium, & hæc acta in iudicio producit, quæ *Artus* omnino diffamatus est. Teneturne *Oliverius* coram Deo illatam *Arto* diffamationem refarcire? Et si ad id tenetur, quomodo refarcire debet?

R. *Oliverius* ad nullam reparationem famæ tenetur; suppositò, quòd nullò aliò modò se defendere potuerit, & simul declaraverit authenticè; *Artum* jam semel egisse falsum testimonium. *Sylvius in 2. 6. q. 62. art. 2. quest. 10.*

NOTA. Id *Oliverio* licet, si est innocens. Si autem est reus, & contra ipsum jam aliunde probatio habeatur semiplena, tenetur fateri crimen. Exceptione tamen contra *Artum* uti potest, ne habeatur pro legaliter convicto.

CASUS LXVI. *Gracilianus* conscius furti à *Rauldo* secretò commissi illum, ut ipsius exitium promoveat, denunciat apud iudicem. An tenetur ad reparandam injuriam *Rauldo* ex mera vindicta illatam?

R. *Gracilianus* non peccavit quidem contra iustitiam, peccavit tamen contra charitatem proximi, propterea ad nil aliud tenetur quàm ad pœnitentiam de suo contra charitatem commissio peccato. *Genet. Theol. Moral. tom. 6. tit. 8. c. 5. demons. 25.*

CASUS LXVII. *Marcellus*, textor fabricarius Lugdunensis, publico rumore notabilis furti *Ambiani* commissi reus ausugerat *Ambianò*: *Eutropius* hujus conscius furti, id publicè narravit *Lugduni*, ubi dictum furtum adhuc ignotum erat, & etiam probabiliter ignotum mansisset; id ipsum *Eutropius* etiam significavit illis, qui *Marcelli* operam conduxerant. An *Eutropius* peccavit, num etiam ad aliquam reparationem famæ tenetur?

R. Haud dubiè peccavit gravissimè *Eutropius*; hinc si contra *Marcellum* in iudicio publico nulla adhuc sententia fuerit

lata, tenetur *Eutropius* in conscientia non solum ad compensationem pecuniariam, sed etiam ad reparationem famæ, quòd valde difficile in tali casu est. *Pontas.*

NOTA. Si *Marcelli* crimen jam erat notorium *Ambiani*, & si timetur, ejus bonam famam fore nocivam Lugdunensium nonnullis, non datur obligatio restituendi. Vide *Cas. 66. & 61.*

CASUS LXVIII. *Bertholdus* publicè divulgavit erimen occultum *Natalis*, quòd tamen contra regulas est fraternæ correctionis, & quidem ita divulgavit, ut non amplius possit restituere ablatam *Natali* famam. Potestne aut etiam tenetur jacturam famæ reparare pecuniæ sumà?

R. Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2. Certum est* *Bertholdum* teneri reparare jacturam famæ ablatæ pecuniâ.

NOTA. Censeo, propalatores criminis veri non obligari ad restituendum in pecunia. Vide *Cas. 66. & 61.* Aliquando etiam Reipublicæ interest nosse malos.

CASUS LXIX. *Cleonides* ante duos vel tres annos detractione nocuit famæ cujusdam puellæ, quæ tamen hoc non obstante matrimonium iniit eo, quo sperare poterat, successu, suòque eum Marito contentissima vivit. *Cleonides* hanc detractionem, tanquam peccatum, cujus oblitus erat, confitetur. An Confessarius illum obliget ad reparandam injuriam huic puellæ à *Cleonide* illatam?

R. Si detractio in eis, coram quibus facta est, nullam fecit impressionem, aut si *Cleonides* credat vel etiam certus est, factam à se detractionem oblivioni datam esse, aut si malum, quòd de dicta puella dixit, postea certò innotuit, & hac ratione famam restituere nequit, in his casibus Confessarius non debet illum obligare ad reparationem famæ. Idem dicendum in casu; quo quis exponeretur periculo vitæ aut alterius notabilis mali in suis bonis vel propria sua persona: Exceptò tamen casu, quo diffamatus vitæ periculum incurreret, in tali enim casu diffamans teneretur etiam cum periculo propriæ vitæ reparare famam diffamati. *Cabassutius lib. 6. c. 22. n. 8.*

NOTA

NOTA. Hæc doctrina, quòd *notabile malum* à restitutione famæ excuset, nisi diffamatus vitæ incurrat. Falsissimum, & Evangelico principio: *Quod tibi non vis fieri &c.* contrarium est in casu, quo quis falsum crimen sparfit de altero.

CASUS LXX. *Theophrastes*, cujusdam Religiosæ communitatis Superior cognitò, quòd suorum subditorum quidam perversam seminaret doctrinam, illum juxta præscriptum Evangelii reprehendit; verùm nulla secuta correctione denunciavit illum Communitati. Teneturne Superior ad aliquam reparationem famæ ex eo, quòd cæteri communitatis de ipsius perversa doctrina hucusque nihil sciverint?

R. Juxta *Sylvium in 2. q. 62. art. 2. q. 10.* Superior iste non tenetur reparare famam hujus subditi, nec etiam juxta eundem *Sylvium* inferior tale quid denuncians Superiori teneretur ad reparationem famæ denunciati.

NOTA. Hæc vera sunt, si quis doceat propositionem à Generali Concilio damnatam in terminis vel professioni fidei apertè contrariam. Circa ea verò, quæ Roma nondum accedente assensu formi Ecclesiæ, si quis diffametur tanquam hæreticus vel suspectus de hæresi, ad restitutionem tenentur illi, qui diffamant.

CASUS LXXI. *Theotimus* à *Godefredo*, famulo *Marcelli*, emit ad antem pro 150. florenis, eumque donò dedit amico suo quamvis sciret dictum adamantem à præfato famulo furtò fuisse ablatum. An tenetur restituere pretium adamantis *Marcello*, cum nullum exinde habuerit lucrum?

R. *Theotimus* tenetur restituere pretium adamantis, si *Godefredus* illud non restituat Domino suo, cui illum abstulit. *Idem 2. 2. q. 62. art. 6. init.*

CASUS LXXII. *Brutus* atramentarium argenteum *Desiderio* furtò abstulit, illudque *Samsoni* vendidit, qui bona fide emptum donavit amico suo, aut vendidit aurifabro, aut casu fortuito illud perdidit. Teneturne *Samson* cognitò, quòd

dictum atramentarium à *Bruto* sit furtò sublatum, restituere pretium illius *Desiderio*?

R. In proposito casu non tenetur restituere juxta principia *S. Thomæ 2. 2. q. 6. art. 7. in corp.* bona enim fides ipsum excusat.

CASUS LXXIII. *Sylvanus* horologium argenteum furtò à se sublatum vendidit *Bertrando*, qui non quidem certò sciens, tamen dubitans, an furtò sit sublatum, illud emit pro 25. florenis. An *Bertrandus* tenetur illud restituere?

R. Si *Bertrandus* hocce horologium emit mala intentione illud retinendi non obstante suspitione furti, peccavit mortaliter; tenebatur enim diligenter inquirere; & postquam indagavet veritatem furti, tenetur ad restitutionem pretii, si horologii possessor, quocunque modo demum, non amplius esset solvendo *Sylvius in 2. 2. q. 62. art. 6. qu. 3. concl. 1.*

CASUS LXXIV. *Tullius* jam ante decem annos furatus est cuidam Mercatori 1000. imperiales; ac licet eos restituere potuisset per hoc temporis spatium, restituere neglexit. Ast nunc tandem restituere cogitat, sed quærit, num etiam censum annum pro istis decem annis persolvere teneatur ab illo tempore, quo furtum commisit?

R. Si *Tullius* suâ negligentia, restituendi furtò ablatos 1000. imperiales, Mercatori damnum 750. florenorum, quam summam census annuus pro 100. imperialibus per decem annos constituit, jactulit, tenetur etiam ad persolvendum censum annum per decem annos. *Ste Beuve tom. 3. casus 217.*

CASUS LXXV. *Didacus*, cujusdam Camporis Numerator, pecuniarum repetitis vicibus personis divitibus furto abstulit aliquot crucigeros, retinendo scilicet in solutionibus jam ab hoc unum, & ab alio duos albos, nunquam tamen plus quàm quinque furripuit albos: verùm per ista parva, sed repetita furta collegit notabilem summam; nihilominus tamen præ-

præterdit, se sub mortali non teneri ad restitutionem, ratio ipsius est, quia nullus eorum, quibus abstulit, tantum passus est damnum, ut illud teneatur sub mortali restituere, hinc verisimile sibi haud videtur, eos ob tam leve damnum restitutionem à se exigere; denique si etiam daretur obligatio restituendi, impossibile si foret, cuique debitam præstare restitutionem, cum singulas personas non nosset.

℞. Hæ rationes non excusant ab obligatione restituendi singula parva furta, nec etiam à peccato mortali immunis est Didacus, si restitutionem omittat. *Conf. Condom. tom. 1. conf. 15. sect. 3.*

NOTA. Obligandus est ex præsumpta mente damnificatorum, & ex mente Christi exigentis prudentem usum clavium ad non fovendam impunitatem scelerum, ut successivè malè parta expendat in causas verè pias, designando summam annuam viribus poenitentis proportionatam.

CASUS LXXVI. *Protogenes* unum agri jugerum à vicino suo frumentò constitutum ita destruxit, ut messis vix quidquam retulerit. Teneturne *Protogenes* vicino suo tantum frumentum restituere, quantum hoc jugerum spondens, & in eodem valore, quo frumentum tempore messis constituit?

℞. *Protogenes* in foro interno non tenetur ad restitutionem æquivalentem pretio, quo frumentum ex hoc agri jugero colligendum tempore messis fuisset venditum, quia multi casus contingere possunt, ut ager speratas non pariat fruges, tenetur tamen restituere tantum, quantum juxta æstimationem viri prudentis & æqui arbitri constitutum jugerum valere judicabitur. *S. Thomas in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. quest. 1. ad 4.*

NOTA. Melius responderetur *Casu* 78. quia non solus valor spei, sed etiam impotentia recuperandæ spei in agricola paupere non habente alia frumenta vel pecunias compensanda sunt.

CASUS LXXVII. *Geraldus*, cujusdam Nobilis famulus, per annum plures vini lagenas Domino suo surripuit furto, &

eas cum suis sociis ebibit. Teneturne restituere pretium vini sublatis?

℞. Si quis rem alienam mala fide consumpsit, tenetur ad restitutionem: Hinc *Geraldus*, & ipsius socii furti complices tenentur restituere. *S. Thomas quodlibeto 12. art. 25. in corp.*

Vide *Casum* 96.

CASUS LXXVIII. *Anselmus* furatus est *Nicasio*, Agricolæ, quinquaginta optimi frumenti modios, quos ad conferendos agros emerat, quapropter *Nicasius* coactus est agros suos frumento valde communi conferere, quo factum, ut frumenti quarta parte minus collegerit, quam collegisset ex frumento ablato; jam quaeritur, an *Anselmus* teneatur restituere non solum justum quinquaginta modiorum pretium, sed etiam quartam partem, quam frumentum ablatum produxisset? Aut si *Nicasius* agros suos omnino non potuisset conferere, an *Anselmus* in tali casu teneretur ad restitutionem tam quinquaginta modiorum, quam & omnium frugum, si frumentum ablatum non fuisset, producendarum?

℞. Haud dubitandum, *Anselmum* teneri in utroque casu ad totalem & perfectam restitutionem. *de Ste Beuve tom. 3. casu 22.*

NOTA. Vide *Casum* 76.

CASUS LXXIX. *Michael*, *Protasius*, *Simon* & *Victor* ex condicto *Basilio* simul furati sunt 200. imperiales, quos *Victor* asservavit. *Basilius* haud ignarus *Victorem*, cui plurimum fuerat obstrictus, fuisse è numero furum, remisit illi obligationem restitutionis; an per hoc & reliqui tres excusantur ab obligatione restituendi?

℞. Ille, qui rem furto ablatam possidet, tenetur ante omnes suos complices ad restitutionem; qui tamen unà cum ipso in solidum obligantur, hinc si furtum passus possessori rei ablatæ condonat restitutionem, etiam ejus complices excusantur ab

ab obligatione restitutionis. *Lege Si ex pluribus 16. ff. de accept. lib. 46. tit. 4.*

NOTA. *Centio*, *Basilium* noluisse deobligare tres alios à sua obligatione solvendi in solidum tres partes damni. *Lex Ethnica* disponit pro foro externo ex præsumptione animi in damnificato in solidum invitæ: sed pro foro interno legem furibus ponit sola intentio damnificati.

CASUS LXXX. *Tribonius*, cujusdam civitatis Consul recipit à *Metello*, fundorum civitatis conductore, donum 100. imperialium in recognitionem factæ sibi diminutionis 250. florenorum, quos aliàs solvere deberet per annum ob novam locationem. Potestne *Tribonius* retinere hoc donum? & an non tenetur ad aliquam restitutionem civitati, aut *Metello* conductori præstandam?

℞. Si diminutio *Metello* concessa justa est, *Tribonius* eam debuit gratis concedere, & tenetur restituere donum *Metello*: si autem diminutio concessa injusta est, non solum tenetur restituere donum sed etiam reparare damnum Civitati illatum per dictam diminutionem 250. florenorum. Ita docet *S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. 4. & 7.*

CASUS LXXXI. *Romanus*, *Navarchus* Mercator, ad quemdam Portum cum sua navi, mercibus ad *Hieronimum* & *Basilium* spectantibus, onusta delatus, neglexit conducere Rectorem navis, ut sumptibus parceret: Ast ex defectu dicti rectoris navis periclitata est adeo, ut jacturam 1000. imperialium passi sint *Hieronimus* & *Basilius*. Num refarcire tenetur *Romanus* hanc jacturam?

℞. Omnis vector navalis tenetur de damno ex defectu suæ experientiæ, aut industriæ emergente *Lege 174. ff. de divers. Reg. jur. ant.* Tenetur igitur reparare damnum *Romanus Hieronymo* & *Basilio*.

CASUS LXXXII. *Casparus* furatus est patinam argenteam in domo, quam frequentabat. Teneturne eandem patinam, quam adhuc possidet, restituere? an verò sufficit, si restituat pretium patinæ. *Conf. Conf.*

tinæ, quia hanc deaurari curavit, ut pro alia habeatur?

℞. Si res furto ablata adhuc exstat in natura, tunc debet restitui juxta *S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 5.* Ast verò si talis res fuerit meliorata, ut in casu præsentis factum est, sufficit tunc restitutio pretii rei ablatæ. *Pontas.*

Vide *Casum sequentem.*

CASUS LXXXIII. *Columbanus* furatus est *Claudio* horologium pendulum sonans, cujus motus ad duos durabat dies, & in eo duæ rotulæ erant contractæ, *Columbanus* verò duas novas fabricari rotulas, & ad quinque dies motum extendi curavit; quin tabulam quoque, cui horæ inscriptæ erant, & cardines deaurari fecit. Potestne restituendò horologium factas expensas exigere à *Claudio*?

℞. Tria expensarum dantur genera, nimirum *necessaria* ad conservationem rei ablatæ furto, *utiles* non tamen *necessaria*, & *voluntaria* ad proprium placitum. His suppositis censetur, *Columbanum* posse exigere expensas factas in duas rotulas, utpote *necessarias*, & in extensionem motus, tanquam rem utilem, non autem expensas factas in deaurationem, utpote rem merè voluptuariam, & fors superfluam. Hæc verò dicta sunt excepto casu, quo *Columbanus* à iudice fors jam condemnatus sit ad amissionem omnium expensarum. *Pontas.*

CASUS LXXXIV. *Ascanius* abstulit *Lambertino* pallium coccineum, illudque *Ægidio* vendidit pro 15. florenis: *Ægidius* palliò bona fide empto utitur per tres menses, & dehinc illud alii vendidit pro 22. florenis. Post aliquod temporis intervallum rescit *Ægidius*, dictum pallium fuisse ab *Ascanio* furto sublatum; hinc quaerit, num sua bona fides ab omni restitutione excuset?

℞. *Ægidius* tenetur *Lambertino* restituere 7. florenos, quos ex venditione pallii lucratus est, hoc enim lucrum injustum est, & repugnans juri naturali. *Cassus lib. 6. c. 17. n. 8.* Verùm si *Ascanius*

nus *Egidio* pallium donò dedit, tunc tenetur *Egidius* 22. florenos, quos ex vendito pallio recepit, *Lambertino* restituere. *Cajetanus in 2. 2. q. 62. art. 6.*

CASUS LXXXV. *Alphonfus* furatus est *Tribonio*, Advocato, 50 libros in folio, Salmurii repositos, eosque *Burdigalam*, ubi postea suum domicilium fixit, misit. In confessione à suo Confessario admonetur de obligatione ablatos libros remittendi *Salmurium* ex proprii sumptibus. An ad hoc tenetur?

R. Non potest revocari in dubium, quin *Alphonfus* teneatur ad hoc. *Redintegranda sunt omnia exspoliatis aut Joannes 1. Papa in can. Redintegranda 33. q. 1. & in eo loco, unde abscesserunt, funditus revocanda.* Ast aliud dicendum foret de eo, qui aliquam rem ad alium pertinentem invenit, aut bona fide possidet, talis enim ad nullas tenetur expensas ratione restitutionis faciendas. *Genet. Theol. moral. tom. 9. tract. 8. c. 7. demonst. 15. & 16.*

CASUS LXXXVI. *Theonillus* ovem *Cornellio* furtò ablatam gregi suo adjunxit, quæ postea agnellos genuit. Teneturne ovem unà cum agnellis restituere?

R. Tenetur ovem unà cum agnellis restituere juxta *Decretalem Celestini III. in cap. Gravis. 2. de restit. spol. lib. 2. tit. 13.* nam ovis est res fructificans, cujus fructum Dominus ovis percepisset, si sublata non fuisset, interim tamen deducere potest impensas, quas facere debuit in nutritionem ovis & agnellorum. *Conf. de Lucon. tom. 2. conf. 45. q. 1.*

CASUS LXXXVII. *Attalus* Germano furatus est 500 florenos, & 1000 florenos debet *Theodoro*, ast tota ejus substantia ad 1000 duntaxat florenos se extendit. Cui horum prius solutionem præstare debet?

R. Justitiæ conformius est, bonum ablatum restituere, quam debita persolvere. Hinc *Attalus* prius debet solvere *Germano* 500 florenos, & deinde dimidiam partem debiti *Theodoro*; non enim licet expungere contracta debita ex bono aliquo, si autem propria bona ad delenda

debita ne quidem ex parte sufficiant, eorum Deo non datur obligatio solvendi creditoribus. Juxta *Cajetanum* verò, si lex aut consuetudo Regionis contrarium statueret, eidem conformare se oportet.

NOTA. Consuetudo non potest reddere licitam occultam retentionem alienorum. Cum enim occulta sit, non potuit illi unquam forniciter accedere consensus legalis principis. Lex juxta autem talia permittere nequit, nisi causa maxima necessitatis publicæ, quæ utrum vertetur in nonnullis Lotteriis ad furtiva privilegia, examinabit Deus.

CASUS LXXXVIII. *Victorius* furatus est triginta aureos *Mauritio*, viginti *Joanni*, quinquaginta *Geminio*, centum *Mario*, & totidem etiam *Proculo*. Omnia hæc furta jam consumpsit, exceptis centum aureis *Proculo* ablati. Jam verò restituere cogitat, in quantum potest; hunc in finem vendidit residuam, quam habet, supellectilem pro ducentis aureis; cum verò hæc summa addita centum aureis *Proculo* ablati, quos adhuc possidet, trecentorum aureorum duntaxat efficiat summam, ac ideo centum adhuc deficient ad totalem restitutionem, quærit, qua ratione restitutio sit inter illos dividenda?

R. Præ aliis restituendum est *Proculo*, quia centum ipsi ablatos aureos adhuc in natura possidet, de quibus nil competit cæteris. Reliqui verò ducenti aurei, quos residuos habet, dividendi sunt inter cæteros, juxta proportionem tamen damni furtò illati. *Conf. Condom. tom. 1. Conf. 17. sect. 3.*

NOTA. Hic ordo restitutionis non convenit cum Regula, de qua *Casus 91.* Mihi videtur, cum agatur in foro interno ex mente solius Dei, ordinem restitutionis, prius deductis jis alienis, quæ in individuo, vel in æquivalenti extant, regulandum esse secundum primam regulam omnium obligationum erga proximos merè personalium, nempe secundum ordinem charitatis divinæ & humanæ. *Nec obstat*, quod Lex Civilis circa Creditores non privilegiatos juxta rationem debitorum æqualiter dividat damna; Lex enim ad vitandas lites sic disponit non attendit

tenta prioritatem creditorum, aut lege charitatis internæ.

CASUS LXXXIX. *Donatus* convenit cum quodam milite de donatione viginti imperialium, si *Petrum*, inimicum suum, egregie fastibus exceperit: miles mandatum hoc executus à *Donato* promissam pecuniam petens decem tantum accepit imperiales. An tenetur *Donatus* etiam reliquos decem imperiales militi persolvere? & an miles recipere potest has pecunias pro talis mandati executione?

R. *Donatus* non tenetur stare promissio militi facta, cum inventio *Donatum* inter & militem inita sit contra legem naturalem, divinam, Ecclesiasticam & civilem; hinc nec miles recipere aut retinere potest promissam pecuniam. *Leg. Ubi autem. 3. ff. de conditione ob turpem causam lib. 12. tit. 6.*

NOTA. Hæc rectè dicuntur, quamvis contra communem. Circa leges enim naturales Deus non judicabit non juxta opiniones auctoritatis extrinsecæ, sed juxta legem inscriptam cordibus. Si quis à Sicario timeat vindictam, poterit licitè redimere vexam & securitatem vitæ.

CASUS XC. *Laurentius* furatus est *Theotimo* 500. florenos, qui ad extremam redactus est paupertatem, totidem florenos abstulit & *Fabio*, viro tamen diviti: *Laurentius* dimidiam utriusque furti partem restituere potest. Quid illi agendum?

R. Tenetur restituere hanc dimidiam partem, id est 500. florenos, *Theotimo* utpote maximè egenti, & non *Fabio* jam aliunde diviti. *S. Thomas opusc. 73. c. 18.*

CASUS XCI. *Nicolaus* furatus est 100 florenos *Gabinio* & *Titius*, qui uterque prorsus æqualiter pauper, aut dives erat: *Nicolaus* 50. florenos potest restituere; quid igitur illi agendum?

R. Juxta eundem authorem supra citatum, si neuter restitutionem exigat, restitutio faciendâ est illi, cui prius furatus est *Nicolaus*; sic enim jus naturale exigit. Verùm si alter, cui *Nicolaus* posterius furatus est, restitutionem exigat sive judicialiter sive in particulari, hic præferen-

duus esset priori ratione restitutionis illi præstandæ: *Vigilantibus jura subveniunt*, ait *NAVARRUS, Manual. c. 17. & 53. v. Secundo.* Cæterum si uterque, cui *Nicolaus* furatus est, in extrema necessitate viveret, dividenda esset restitutio inter illos: *Pontas.*

NOTA. Sola prioritas petitionis dependens à contingente concursu circumstantiarum non potest tribuere prioritatem juris in solo foro interno.

CASUS XCII. *Remigius*, Miles, furtò furripuit *Martino* equum, quem mense Septembri à quodam *Belliduce* pro triginta aureis emerat, & hunc ipsam equum usque ad *Martium* retinere, ac tunc pro 50. aureis vendere cogitavit, cum illo tempore pro exercitu equi coemerentur. Teneturne *Remigius* restituere *Martino* tam 30. aureos, quæ equum emerat, quam etiam illos 20. aureos, quos ex venditione equi acquirere potuisset *Martino*?

R. Haud dubiè tenetur *Remigius* restituere *Martino* 30. aureos, ac insuper lucrum, quod acquirere potuisset *Martino* ex venditione equi. *S. Thomas opusc. 73. de usuris c. 20.*

CASUS XCIII. *Andreas*, *Egidius*, *Ludovicus*, & *Bertinus* furati sunt fructus ex horto cujusdam *Olivarii*: *Andreas* erat principalis author furti, & omnium maximè reus: Interim tamen dictus *Olivarius* condonavit *Andree* obligationem restituendi. Jam quæritur, an etiam reliqui ipsius complices sint pariter de obligati à restitutione?

R. Si *Andree* complices sublato fructus non detineant, censendi sunt & ipsi deobligati à restitutione, præsertim si *Olivarius* erga *Andream* ostendisset, talem etiam erga illius complices esse animum. Verùm si unus eorum ablatos fructus detineret, teneretur restituere eos. Item si reliqui tres fructus furati sint ex mandato, aut commissione *Andree*, & *Olivarius* illis condonasset restitutionem, *Andreas* propterea non excusaretur ab obligatione

gatione restituendi, præsertim si Olivarius generalem condonationem restitutionis eis non impertitus fuerit. *Genet. Theol. moral. tom. 6. tit. 6. c. 7. demonstr. 3.*

NOTA. Vide *Casum 79.*

CASUS XCIV. *Felix & Godefredus* furati sunt *Flaviano* horologium argenteum, illudque vendiderunt *Norberto*, qui scivit horologium ab eis esse furtivum sublatum. Jam quæritur, quis horum trium tenetur restituere?

R. *Felix & Godefredus* solum tunc tenentur restitutionem, si *Norbertus*, nam hic est possessor horologii, restituere negligat. *Cabassut. l. 6. c. 23. n. 4.*

CASUS XCV. *Blesilla* cujusdam mercatoris famula cellaria singulis septimanis duas vini mensuras furata, dedit eas servo mercium tabernæ præposito præter portionem ordinariam illi debitam. Quis horum tenetur ad restitutionem?

R. *Servus*, qui biberat vinum, tenetur primus ad restitutionem: ille enim, qui rem mala fide consumpsit, considerandus est, ac si etiamnum possessor foret. Si autem hic non restituat, ancilla cellaria debet restituere; & una parte furti pretium restituente, altera pars ad nullam amplius huic Mercatori restitutionem tenetur. Observandum tamen est, quod, si *Blesilla* fecisset restitutionem, & hic servus illi promississet indemnificationem, in conscientia ad hanc præstandam obligaretur. *De Gen. Theol. mor. tom. 6. tract. 8. c. 7. dem. 2.*

NOTA. Si furtum non contigit ex mandato vel instinctu servi, prius tenetur restituere *Blesilla* auctrix furti, quam participans.

CASUS XCVI. *Fullonius* abstulit *Joanni* argenteum atramentarium, quod postea donaverat *Titio*, probè gnaro, illud fuisse furtivum ablatum. Paulò post *Titius* perdidit atramentarium. Quis amborum tenetur ad restitutionem?

R. Ambo in solidum obligantur ad restitutionem *Joanni* faciendam, qui habet jus conveyandi, quemcumque voluerit.

Fullonius tenetur restituere *ratione injuriosæ acceptionis*, & *Titius* *ratione rei acceptæ*. *S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 6. ad 1.*

NOTA. Prius tenetur restituere auctor furti, quam participans, v. g. donatarius, si neuter possideat rem. Hic enim ordo restitutionis lumine naturæ dictante agnoscitur ab auctoribus.

CASUS XCVII. *Flaminius* ante quinque vel sex annos *Cæsari* Hero suo abstulit 20. dupliones Gallicos. Sincerâ autem poenitentia ductus hanc pecuniæ summam dedit Confessario suo, ut redderet *Cæsari*. Confessarius postmodum viam ingressus, ut pecuniam deferret ad *Cæsarem*, cum navigio flumen trajiceret, in aquas ejectus, ac submersus est; sicque casu fortuito & pecunia periit, quam manu tenebat. Teneturne *Flaminius* alios 20. dupliones *Cæsari* restituere? & an denique semper ad id teneretur in simili casu, si sæpius accideret?

R. Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 6. in Corp.* obligatio ex delicto non tollitur, donec res restituenda pervenerit in manus Domini sui. Hinc *Flaminius* obligatur ad restituendos *Cæsari* alios viginti dupliones; & hoc in omni alio casu simili toties, quoties accideret. Aliud tamen foret, si ipse *Cæsar* designasset Confessarium pro facienda restitutione. *Conf. de Lucon tom. 2. conf. 17. sect. 2.*

NOTA. Quamvis Confessarii non sint mandatarii constituti à Dominis damnificatis; videntur tamen ad hoc tanquam iudices constituti à Deo & tacite acceptati à populis. Quis enim debitorum conveniatur de novo, si pecuniam deposuerit ad iudicem?

CASUS XCVIII. *Ruffina* defuncto marito, ex quo nullam susceperat prolem, ex bonis utrique parti communibus clanculo subtraxit crumenam 500. florenos continentem, & ornatum muliebrem 200. florenis constantem adjuvante *Angelica* affine sua, cui in recompensationem decem dupliones Gallicos dederat. Potestne Confessarius obligare *Angelicam* ad amplio-rem restitutionem, quam decem dupliones?

R. *Angelica*, cum non fuerit causa furti, tantum debet restituere perceptos decem dupliones. Nihilominus si *Ruffina* aut non velit aut non possit restituere reliquum, *Angelica* obliganda est ad integram restitutionem. Si autem plus restituere non possit, quam quod percepit, Confessarius saltem eam obligare debet, ut omni modo possibili urgeat *Ruffinam* ad restituendam reliquam partem.

NOTA. Imo tenetur denunciare complicem, si præmonita nolit restituere, procurata tamen prius sibi impunitate.

CASUS XCIX. *Gunebalus* agricola frumentum ablaturus vicino suo iussit pastorem suum scalam afferre, eamque sustentare, ut in horreum facilius eluctari posset, ac interea fideles servare custodias, ne in flagranti deprehenderetur. Id omne executioni datum, & *Gunebalus* repetitis vicibus duodecim frumenti modios abstulit, ac post aliquot menses subitam mortem oppetiit, nulla facta restitutione, aut dispositione, ut hoc damnum repararetur à suis liberis. Teneturne pastor ad restitutionem, qui non nisi metu suum amittendi servitium adactus Hero suo operam præstitit?

R. Pastor hic verè commissio ab Hero suo furto cooperatus est; & hinc tenetur ad restituendum ablati frumenti pretium. *S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7.*

NOTA. Obligandus est ad monendam uxorem & liberos sub comminatione denunciationis judicialis. Vide *Cas. 98.*

CASUS C. *Natalis* occultâ ad referendam *Flori* vicini sui cellam clave instructus intra sex menses abstulit integrum ferè dolium excellentis vini, amicis suis pluries propinati, qui nullam furti habebant notitiam. *Florus* detecto *Natalis* furtivum criminalem illi processum intentavit, qui tamen rem advertens desertâ patriâ in loca ignota secessit. Jam quæritur, an amici illius in foro interno teneantur ad restitutionem vini ablati, aut saltem pro rata portionis, quæ cuilibet obtigit?

R. Non tenentur ad ullam restitutionem; quia bona fide fruebantur re furtivè ablata, nullâ habitâ furti cognitione. *Pontas.*

CASUS CI. *Leonardus* noctu ablata ex taberna *Stephani* tria panni volumina ad *Flavianum* cognatum suum attulit, à quo tamen post octiduum furti restituta fuerunt. Teneturne *Flavianus* furti conscius deficiente *Leonardo* ad restitutionem panni?

R. *Flavianus*, cum sciverit furtum, illudque occultaverit, tenetur cum fure ad restitutionem in solidum: concurrunt enim efficaciter ad furtum, illud celandò, & rem ablatam furi restituendò. *Conf. de Condom. tom. 1. conf. 14. sect. 2.*

CASUS CII. *Nobilis* consulebat *Cajo*, ut furetur *Joanni* Patruo suo 250. florenos, in suum applicandos commercium, cui utpote jam ad interitum inclinanti alio modo subvenire non posset. *Cajus* sequi hoc consilium statuit, animò tamen restituendi, quamprimum fieri potuerit. *Nobilis* autem dati consilii poenitentia ductus, & accipiti suspensus dubiò, an non à Confessario obligari posset ad restitutionem hujus summæ, retractatò consilio conatus est *Cajo* persuadere contrarium: verum nil egit, & furtum fuit perpetratum. Teneturne *Nobilis* ad restitutionem deficiente *Cajo*?

R. Cum primum *Nobilis* consilium revera furti causa extiterit, etsi postmodum fuerit retractatum, videtur, eum excusari non posse à facienda restitutione in defectu *Caji*; idque eruitur ex *D. Ibo. ma 2. 2. q. 62. art. 7. in Corp.*

CASUS CIII. *Salomon & Andreas Bartholomæo* clam declarabant, se *Stephano* furatum ire. *Bartholomæus* applausit, & consensit eorum proposito; laudavit insuper illorum industriam, consuluitque, ut exequerentur propositum. Teneturne *Bartholomæus* æquè ac illi commissò furtivè ad restitutionem?

R. Juxta *S. Thomam* non omnis consensus obligat semper ad restitutionem,

sed solum ille, sine quo iniustitia non fuisset commissa. Quapropter, si *Salomon* & *Andreas* furari statuerunt independenter à consensu, consilio, vel adulatione *Bartholomæi*, hic ad nullam tenetur restitutionem; ad quam tamen is deficientibus tenetur, si furtum non fuisset commissum sine ipsius consensu, vel consilio; quod iterum observat *D. Thomas in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. quest. 3. in corp.* Nilominus notandum hac super re; quod dantes consilium etiam bona fide & absque malitia contrahant culpam notabilem, ac eam, quæ in iure dicitur *culpa levis*; & consequenter teneantur ad reparationem damni suo consilio illati, si consulti illud dederunt ex officio, vel honorarium receperunt ab iis, quibus confulebant. *Pontas.*

CASUS CVI. *Ulysses Jacobo* declaraverat, se *Petro* furaturum 100. dupliones; *Jacobus* autem ipsi consulit, ut tantum fieretur quinquaginta; id quod executioni dedit *Ulysses*. Teneturne *Jacobus* ob datum consilium ad restituendos *Petro* quinquaginta dupliones, casu, quod *Ulysses* non restituat? An *Jacobus*, si *Ulysses* de furandis *Petro* duplioneibus dehortatus, consuluit, illos potius *Paulo*, utpote ditioni, auferendos esse, in foro conscientie condemnandus est ad aliquam restitutionem *Paulo* faciendam?

R. Quoad primum *Jacobus* non potuit absque iniustitia tale consilium suggerere *Ulyssi*. Idem dicendum quoad alterum; quod clarè patet ex pluribus locis *D. Thomæ* jam citatis in præcedentibus responsionibus. *Pontas.*

NOTA. Si *Jacobus* efficaciter dissuassisset totum malum & non haberet medium illud impediendi, non peccasset suadendò minus malum; manente tamen obligatione, denunciandi furem modo dicto. *Cas. 98.*

CASUS CV. *Joannes & Petrus* jure hæreditario successerant in bona *Bernardi* Patris sui, qui paulò ante mortem suam *Placido* abstulit 100. florenos, non restitutos, nec tamen hæredibus proficuos; quia ab

ipso defuncto jam dissipati fuerant. Tenenturne *Joannes & Petrus* ad restitutionem?

R. Hæredes defuncti, qui bona aliena diripuit, tenentur reparare damnum furto illatum, ut ait *S. Thomas q. 4. de malo art. 3. resp. ad arg. 15.* Et quia juxta ipsum peccatum patris transit ad filium quantum ad penam, *Joannes & Petrus* tenentur restituere hos 100. florenos. *Pontas.*

NOTA. Si bona forent immobilia tantum, eaque inalienabilia, vel inonerabilia sine aliorum consensu, v.g. Domini directi, aut familiae, eatenus obligatio ex bonis furtivis consumptis, nec æquivalenter extantibus non transiret ad hæredes.

CASUS CVI. *Numerianus* vir dives ac beneficus, propinquam sibi mortem intuens conditò holographò testamento purè ac simpliciter legavit duo meliorum vinearum suarum jugera cuidam *Conventui Religiosorum Mendicantium*, paupertate non minus quam Regulari disciplinà conspicuo. Defunctò *Numeriano* *Zenobius* ipsius filius occultatò testamento, duo vinearum jugera per totam vitam suam possidet; donec tandem morti proximus duobus filiis suis *Jacobo & Juliano* declaraverit, hæc duo jugera pertinere ad prædictum *Conventum*, illisque *Numeriani* testamentum exhibuerit, cum mandato, ut *Religiosos* continuo in possessionem mitterent; cujus fidelem promiserant executionem. Verùm filii de adimplenda patris sui *Zenobii* voluntate minimè solliciti, post mortem ejus diviserunt inter se hæreditatem defuncti, in quam & ipsa duo jugera trahebantur, quæ *Juliano* obtigerant. *Julianus* quoque è vita migravit nulla facta restitutione; hinc duo ista jugera transferunt ad aliquem cohæredum *Jacobi* divisit defuncti bonis. Denique *Jacobus* actuali morbo periculosè decumbens obtinere nequit absolutionem, nisi plenam *Religiosis* præstet satisfactionem; ad quam quidem se resolvit, sed in executione ejusdem gravissimas difficultates reperit; eum non possideat hæc jugera, & possessor eorum sese opponat. Jam quæ-

quæritur, quomodo hoc *Jacobo* propositum ad felicem exitum perducendum? Potestne cum *Religiosis* transigere oblata numeratà pecunià, ea tamen conditione, ut singulis mensibus pro anima *Numeriani* privatam Missam celebrent? & an facta hac transactione omnis erga illos *Jacobo* remissa est obligatio? An in solidum unà cum horum jugerum detentore tenetur ad faciendam restitutionem? Num, quod fructus à morte *Numeriani* perceptos attinget, pariter in solidum tenetur ad integram eorumdem restitutionem; supposito, quod ex parte *Religiosorum* nulla ipsi fiat remissio?

R. Evidens est *Zenobii* suorumque filiorum iniustitia, eaque habet naturam Sacilegii. Hoc supposito; ante omnia à *Jacobo* holographum *Numeriani* testamentum exhibendum est publico Notario, ut *Communitas Religiosa* authenticum extractum obtineat. Quod attinet *Zenobium*, non debuisset illi sufficere, suis liberis solam vineæ restitutionem percipere, sed etiam addere obligationem restituendi justum valorem omnium fructuum perceptorum; cum hæc duplex obligatio æqualiter sit necessaria. Hinc nec *Jacobus* natu major *Zenobii* filius, nec actualis duorum jugerum possessor securà conscientia cum *Religiosis* transigere possunt, nisi declarata prius veritate facti. Dein non possunt *Religiosos* obstringere ad celebrandas Missas, nec alia iis onera imponere, nec obligare illos ad acceptandam certam pecuniæ summam pro duorum jugerum retio. Denique obligatur *Jacobus* in solidum unà cum horum jugerum detentoribus ad integram restitutionem *Religiosis* debitam; & ad hanc restitutionem tenetur ex proprio, si detentor jugerum adduci non possit, ut aliquam restitutionis partem conferat. Eodem modo in solidum tenetur ad restitutionem omnium fructuum perceptorum deductis expensis. *Pontas.*

NOTA. Circa fructus non amplius in æquivalenti

extantes posset restitutio regulari per Regem charitatis juxta dicta ad Casum 88

CASUS CVII. *Franciscus* mercator per exercitas pluribus annis usuras tria florenorum millia lucratus, illa jam restituere cogitat. Sed aliunde bis mille florenorum ære alieno gravatur pro mercibus dilata solutione emptis, nec tota ipsius substantia quatuor florenorum millia excedit. Tenentur restituere lucrum usurarium præ aliis debitis legitime contractis?

R. Tenetur expungere bis mille florenorum debita præ acquisito lucro usurario, juxta *Card. Cajetanum in Sum. 7. Restitutio c. 8. n. 6. Et 7.* Expunctis his debitis primum ex bonis residuis tenetur facere restitutionem lucri usurarii, si id non amplius existat in natura: nam, si extet tale lucrum adhuc in natura, prius deberet restitui. Similiter teneretur prius solvere usuras, si posteriora debita fuissent tantum contracta, per contractus gratuitos, v.g. *Ejusdem sententiæ sunt GRAEFIIUS decision. aurear. l. 2. c. 133. n. 8 & NAVARRUS Manual. c. 17. n. 53.* *GAUGERICUS* in suis Notis ad cit. c. 8. Summæ *Cajetani* addit aliam rationem, cur usurarius prius solvere debeat alia debita legitime contracta, quam restituere lucrum usurarium; quia nimirum justitia exigit, ut restitutio potius fiat illi, qui nullo modo consensit in amissionem bonorum suorum, quam illi, qui aliquantulum saltem consensit, ut is, qui persolvit lucra usuraria. *Pontas.*

CASUS CVIII. *Martinus* cum *Aureliâ* Parisios iter pedes relegeret, offendit in *Benedictum* sylvâ hujus primæ civitatis egressum; & ex eo seiscitatur, an nesciat prædonibus hanc sylvam esse infestam. *Benedictus*, qui diu occultum odium fovebat erga *Martinum*, respondet, viam esse tutissimam. nihilque latere periculi; etsi tribus prædonibus fuerit obviam factus, quos ægrè celerrimi equi beneficiò effugerat. *Martinus* iter profecutus incidit in prædones, à quibus centum, quos secum habebat, florenis spoliatus fuerat.

Teneturne *Benedictus* in conscientia *Martino* restituere summam à prædonibus ablatam?

R. Tenetur juxta *D. Thomam* 2. 2. q. 62. art. 7. arg. Sed contra. Manifestum enim est, *Benedictum* revera consensisse in furtum *Martino* illatum, eumque illati damni causam existisse. *Pontas.*

CASUS CIX. *Theodorus & Mævia* per turpem quæstum centum florenos lucrabantur. Tenenturne ad restitutionem, cum peccatum non sit titulus legitimus justè aquirendi?

R. Terminis hæc: *aquirere per peccatum*, diversi possunt sensus attribui. 1. Potest quis aquirere aliquid titulò legitimò, etsi peccet aquirendò? & in hoc casu datur obligatio restituendi; v. g. si quis opera servilia pro mercede exercent diebùs Dominicis & Festis. 2. Non tenetur quis restituere pecuniam ob admissum peccatum gratis datam, si nulla lex divina aut humana eam dari prohibeat; ut si *Mævia* à fornicario admissi peccati causâ centum florenos accepisset: id tamen intelligendum pro casu, quo non fuerit conjugata. Nihilominus juxta *S. Beuve* tom. 3. cas. 148. ejusmodi lucra impendenda sunt in causas pias pro satisfactione peccatorum. 3. Quando quis cum alio convenerat de danda pecuniæ summa ad ponendam actionem peccaminosam; illam pro peccati pretio recipiens non tenetur ad restitutionem, nisi lex ejusmodi conventiones nullas declaret, aut repugnent justitiæ commutativæ: in tali enim casu conventio est nulla, & obligatio restituendi indispensabilis. 4. Si res per peccatum acquisita includit injustitiam, restitui debet. 5. Lucra per Simoniam acquisita restitui debent pauperibus. Et ex his facile solvi poterit casus propositus; ponderatis nimirum exactè circumstantiis concurrentibus. *Pontas.*

NOTA Hæc responsio quoad num. 3. denud contraria est dictis *Casu* 89. Tenendum est, omnes contractus sub conditione turpi initos esse jure naturali invalidos. Non igitur opus est lege irritante positiva.

CASUS CX. *Optatus* inter bona hæreditaria *Gilberti*, cui successerat ut hæres, invenit aureum horologium 25. duplionibus æstimatum, quod nunquam antea apud ipsum viderat. Novit *Optatus*, *Gilbertum* de commissis aliquibus furtis vehementer esse suspectum, & nunquam ejusmodi fuisse conditionis, ut emere potuisset tanti pretii horologium. Satis prudenter igitur dubitat, an non horologium istud à defuncto fuerit furtò ablatum. Tenenturne *Optatus* pretium horologii erogare in pauperes, nemine illud reclamante?

R. Cum dubium prudens ac benè fundatum sufficiat ad turbendam bonam fidem, *Optatus* tenetur omnem curam adhibere ad indagandam rei veritatem; & si detexerit, horologium non pertinuisse ad *Gilbertum*, obligatur ad ejusdem restitutionem. Sed si adhibitâ omnî possibili diligentia, in veritatis notitiâ venire non potuit, dubium ipsius definit esse prudens, & bona fides eum excusat ab obligatione restituendi. *Conf. Petrocorens. tom. 5. conf. 7. q. 1. & Conf. Condomiens. tom. 1. conf. 14. sect. 2.*

NOTA. Ex obligatione incerta non potest nasci obligatio restituendi certa. Tenetur quidem probabiliora sequi in dubio juris, non autem in dubio facti. Tenetur proin *optatus* asservere Horologium tandiu, donec spes reperendi alterius Domini evanescat, sicque supponendo esse rem inventam præscribat.

CASUS CXI. *Joannes, Jacobus, Petrus & Paulus* adierant hæreditatem *Ludovici* patris sui defuncti, & cuilibet ex bonis ipsius cefferunt 10000. floreni. *Ludovicus* autem gravabatur debitis 30000. florenorum ante mortem nondum expunctis. An quatuor illius liberi obligantur in solidum ad illa debita persolvenda, ita, ut duobus solutionem recusantibus, aut non habentibus, unde partem suam conferant, reliqui duo teneantur soli ad præstandam totalis summæ solutionem?

R. Duo distinguenda sunt genera debitorum, ad quorum solutionem quis tenetur ante mortem. Alia proveniunt ex

contractibus vel quasi contractibus; alia ex delictis aut quasi delictis. Si debita *Ludovici* sunt de primo genere, quatuor hæreses tenentur in solidum ad ea expungenda, quando sunt hypothecaria; si verò tantum sunt personalia, quilibet eorum tenetur ad solutionem pro rata partis ex hæreditate perceptæ. Si autem debita *Ludovici* sunt de secundo genere, quod consistit in lucris illicitis, hæreses juxta leges Civiles non obligantur in solidum, nisi personæ læsæ defuncto ante suum obitum actionem intentassent. Nihilominus non conveniunt Canonistæ hac super re, aliis hæreses semper obligantibus, aliis non semper obligantibus: videtur tamen quoad rem hanc insistendum esse consuetudini loci, ubi casus contingit. Observandum denique quoad illicitè acquisita & ex usura provenientia, obligationem restituendi non cadere super lucra, quæ quis percepit ex summa hòc modò acquisita, sed solum super summam ipsam. *Pontas.*

Vide *Cessio bonorum* *Cas. Hyparcus.*

NOTA. Vide & sequere potius dicta ad *Casum* 105. Si bona erant onerabilia absque alterius consensu, eo ipso in contractibus bonæ fidei præsumenda sunt fuisse jure naturali obligata per modum hypothecæ privatae.

CASUS CXII. *Hyacinthus* mercator civis Parisinus, dives viginti millibus florenorum legitime acquisitis, & quinque millibus malè partis, moriens reliquit quinque millia *Huberto* natu minori filio per modum legitimæ; reliqua omnia transtulit in *Judam* filium natu majorem. *Hubertus* expressè monuit fratrem suum, inter bona hæreditaria patris reperiri 5000. florenos malè partos, eumque ad faciendam restitutionem est exhortatus, oblata simul sua adeptæ hæreditatis parte proportionali; quæ tamen ut *Judas* credat, adduci non potuit. Tenenturne *Hubertus* recusante id Fratre solus restituere integram summam malè partorum; aut tantum pro rata portionis suæ hæreditariæ?

R. Restitutio 5000. florenorum malè acquisitorum debet fieri juxta dispositionem consuetudinis pro diversitate locorum v. *Diction. Cas. Conf.*

riam. Juxta consuetudinem Parisiensem *Hubertus* tantum obligatur ad restitutionem quintæ partis 5000. florenorum per modum legitimæ perceptorum; & *Judas* tenetur ad residuum. *Pontas.*

NOTA. Hæc consuetudo est juri naturali conformis, nisi Summa *Huberto* relicta in individuo foret malè parta.

CASUS CXIII. *Caninius* in mandatis dederat *Diomedæ* domestico suo, ut fureretur *Joanni* crumenam 500. florenos continentem; & *Africanus* consuluit *Diomedæ*, ut exqueretur mandatum Heri sui. *Diomedes* abstulit crumenam, eamque reposuit in manus *Mæviæ* cum consensu mariti sui *Jacobi*, quorum utriusque hoc furtum probè innotuit. *Julianus* tandem, qui potuisset & debuisset impedire hoc furtum, impedire noluit. Quisnam horum omnium tenetur primus ad restitutionem? & hoc deficiente quis dein?

R. Si *Mæviæ* adhuc ad manus sunt 500. floreni, illa præ omnibus tenetur ad restitutionem, utpote possidens rem alienam. Hac deficiente tenetur præ reliquis *Caninius*, tanquam furti causa principalis. Dein *Diomedes*, qui commisit furtum; & his tribus deficientibus *Africanus*, qui dedit consilium ad committendum furtum. Etsi *Mævia* non amplius in sua possessione habeat rem ablatam, ipsa tamen & maritus aliis deficientibus tenentur ad restitutionem, cum revera participes fuerint commissæ injustitiæ. Denique reliquis omnibus deficientibus tenetur restituere *Julianus*, si ratione officii sui debuit impedire hoc furtum. Si possessor rei ablatæ restituit, omnes reliqui complices liberantur ab obligatione restituendi: idem dicendum, si restitutio fuit facta ab eo, qui dedit consilium. Si ii, qui fuerunt causæ furti minus principales, restituerunt, causæ principales eos tenentur indemnes servare. Denique si quis illorum, qui sunt causæ minus principales, obtinuit ab eo, cui debetur restitutio, condonationem suæ in particulari debite restitutionis, reliqui non amplius ob-

ligantur nisi ad restituendam suam pro se quisque partem pro integra damni reparatione. *Pontas.*

CASUS CXIV. *Sylverius, Lampridius, & Orontius* ex condicto noctu *Gabrielis* furabantur auctore *Jacobo*, quisque sex vini amphoras, reliquis duobus interim excubias agentibus, ne primi tres deprehenderentur. Quæritur, an uno integrum damnum reparante, reliqui ab omni restitutionis onere sint liberi.

R. Responsio ad præcedentem casum servire poterit ad casum quoque præsentem. Si *Sylverius* totum damnum illatum reparat, *Jacobus*, qui dedit consilium, & duo excubitores ab omni prorsus restitutionis obligatione liberi sunt: *Lampridius* tamen & *Orontius* tenentur *Sylverio* præstare indemnitate, reddita à quolibet portione, quæ ipsi ex furto contigit. *Pontas.*

CASUS CXV. *Gabriel, Andreas, & quatuor* alii domestici ante septem vel octo annos ex condicto repetitis vicibus *Ferdinando* Hero suo 250. florenos abstulerunt. *Gabrielem* hac de re in confessione se accusantem obligavit Confessarius ad restituendam totam summam; qui tamen pro sui excusatione reposuit 1. portionem furti, quæ sibi contigit, vix 30. florenos adæquare. 2. Verosimile non esse, quod complices furti, aut saltem quidam eorum non restituerint partem suam. 3. Evenire posse, ut *sexies* *Ferdinando* integra summa redderetur, si quilibet complicum in solidum obligetur ad restituendam totam summam.

R. Prima ratio *Gabrielis* non potest admitti; cum certum sit, quemlibet complicum furti obligari in solidum ad faciendam integram restitutionem ablati. Secundam rationem propriam *Gabrielis* exemplum destruit, dum tandem confessus non fuit, aut saltem furtum in confessione non exposuit; id quod etiam à complicibus fieri potuit: credibile insuper non est ab ullo eorum restitutionem factam fuisse; cum sit rarissimum, faures esse, & perfe-

verare in concepto restituendi proposito. Tertia demum ratio nulla; quia remanente semper perpetrati furti certitudine, certa remanet restituendi obligatio, compliceque de facta restitutione certum esse oportet; meraque possibilitas *Gabrielem* coram Deo excusare non potest. Totum, quod in hoc casu facere potest *Gabriel*, est, ut inquirat, an restitutio facta fuerit; positò etiam, quod facta fuerit, teneretur adhuc portionem furti, nempe 30. florenos restituere illi, à quo facta est integra restitutio. *S. Beuve tom. 3. cas. 225.*

CASUS CXVI. *Blossius* vineam *Christophori* viri omnium odiis expositi ingressus, vites rumpere ac evellere incipiebat. Quatuor alii fortuito ipse detinentes captam devastationem prosequabantur, quin tamen à *Blossio* fuerint insignati. Alii duo demum primorum exemplum secuti idem fecerunt, ita, ut brevi temporis intervallò vinea penitus fuerit destructa. Tenenturne singuli isti septem in solidum ad reparandum damnum?

R. Si omnes ex condicto hoc delictum commiserunt, omnes, & quilibet in particulari, tenentur in solidum ad reparationem damni illati. In casu proposito nulla quidem intervenit conspiratio; sed, cum pravo exemplo maxima insit vis trahendi in criminis societatem, & quod plures ad illud perpetrandum concurrunt, eo majori singuli accendantur audaciâ, est quilibet tantum proprio suo motu agat, satis probabiliter defendi potest, omnibus in particulari incumbere obligationem in solidum reparandi damnum, etiam illò non exceptò, qui ex parte sua non nisi modicum intulisset. Hæc opinio est *S. Bernardini Serm. 33. in Dom. 4. Quadr. art. 2. cap. 1. tom. 1.* Nihilominus cum in casu proposito damnum fuerit illatum successive, & diversis temporibus, videtur, non quemlibet obligari in solidum ad reparandum damnum integrum, sed tantum pro ratione damni à se illati. *S. Ruymond. in Sum. Lib. 2. tit. 5. §. 31.*

CA.

CASUS CXVII. *Fulcus* & ducenti cum illo fanatici, quorum caput erat, ex condicto Urbem quamdam expilarunt. *Fulco* in prædam venerunt 100. dupliones: conversus autem postmodum partem suam, cum plura non posset, restituendi promptum concepit animum. Quæritur, cuiusnam restituendum sit in hoc casu; quo impossibile est eos inquirere, qui damnum tolerarunt?

R. Juxta *S. Thomam in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. quest. 4. art. 3.* restitutio faciendâ est pauperibus Urbis, aut res ablata pro bono communi incolarum impendenda secundum arbitrium Episcopi, vel eorum, ad quos pertinet cura loci illius. Reliquis ducentis interea imposita semper manet obligatio in solidum restituendi residuum damnum, prout & *Fulco* ipsi. *Pontas.*

NOTA. Quoad modum obligationis in solidum: Vide & sequere legem Charitatis, de qua in *Casu 88.*

CASUS CXVIII. *Petrus* sciens, *Didymum* Religiosum Professum argenteò instructum esse horologiò, quod dono acceperat, illud ipsi furatur. Tribus mensibus elapsis *Petrus* rogat *Didymum*, furti veniam, & restitutionis condonationem; quam gratiam illi *Didymus* non denegavit. Num liber exinde coram Deo est *Petrus* ab obligatione restituendi?

R. Idem hic dicendum de debito, quod de donatione. Jam verò certum est, Religiosum Professum nec donationem facere, nec debitum remittere posse. Hinc condonatio debiti facta *Petro* à *Didymo* coram Deo nulla est, *Petrusque* semper manet obligatus ad faciendam restitutionem Monasterio; cum *Didymus* nihil possidere possit jure proprietatis. *De Gen. Theol. Mor. tom. 6. tract. 8. c. 7. dem. 22.*

CASUS CXIX. *Cassianus* Mercator cum bona fide, & ex inadvertentia accepisset adulterinum duplionem pro genuino, præcepit uxori suæ, ut illum confundat cum aliis, eumque cum genuinis pro faciendâ solutione expendat; id quod uxor ex metu fuit executâ. Tenenturne uxor proprio

ac privato suo nomine ad restitutionem? aut num sufficit, si commoneat maritum de obligatione restituendi?

R. Maritus & uxor in solidum tenentur ad restitutionem. Maritus tamen tenetur prior, & eo deficiente uxor. *Pontas.*

CASUS CXX. *Sempronia* filia *Mævia* pluribus annis servit Matri suæ sine ulla accepta mercede, iterata tamen sæpius accipiendæ proportionatæ remunerationis promissione. *Mævia* subito apoplexiâ tacta, ac usu loquelæ destituta comprimit manum *Semproniae*, & moritur. *Sempronia* id pro signo interpretata factæ sibi donationis triginta duplionum, quos *Mævia* infans reliquis sororibus *Semproniae* reclusos habebat, hanc sibi summam vendicat in justam recompensationem præstiti per tot annos servitii. Jam quæritur, num *Sempronia* peccaverit, & an hæc summa legitime sit acquisita?

R. *Sempronia* non peccavit contra conscientiam suam; si non credidit, se committere injustitiam, aut Deum offendere: sed tamen peccavit contra legem, vti cuius nemini licet accipere rem alienam. Jam verò triginta dupliones non magis ad *Semproniam*, quam ad reliquas sorores ipsius pertinent. Quod attinet signum à *Mævia* factum, id valde est æquivocum. Hinc *Sempronia* & reliquis sororibus suam ex hac summa partem restituere tenetur. *S. Beuve tom. 3. cas. 339.*

CASUS CXXI. *Leodegarius* & *Leander* Nummularii mutuam frequenter exercebant commercium. *Leander* defunctò *Leodegarius* defuncti hæredibus declaravit; in manibus suis quædam adhuc bona esse reposita ad *Leandrum* pertinentia, eaque illis reddidit, addita simul & à se & à conjugè sua declaratione, sibi nulla alia superesse bona ad successores defuncti spectantia. *Leodegarius* & ipse post quatuor annos mortuus reliquit quatuor liberos, duos ex primo, ac duos ex secundo thoro. Liberi ex primo thoro petierunt partem ex bonis paternis sibi competentem; sed *Noverca* iis respondit, paratam se fore

Rrrr x

ad

ad tradendam cuilibet partem suam; sed in conscientia se teneri ad illos commonefaciendos, quod communia sibi & *Leodegario* bona onerata forent debitis 1000. florenorum *Leandri* hæredibus persolvendorum: & ut illos de dictorum veritate omnino convinceret, prima restituit 500. florenos ex parte sua, quam ex bonis communibus habebat dimidiam. Liberi ex thoro primo de veritate rei persuasi suam etiam partem contribuerunt: sed ubi Noverca illorum è vivis excesserat nullâ aliâ facta declaratione, liberi ex thoro secundo geniti coram Judice protestati sunt, se nullam de hoc debito patris sui habere notitiam, sicque per sententiam juridicam ab obligatione solvendi liberati fuerunt. Censendine sunt etiam liberi ab hac obligatione in foro interno?

R. Cum declaratio matris sincera videatur, & nullus super sit locus suspicandi collusionem cum hæredibus *Leandri*, prudenter remitti non potest liberis secundi thori obligatio suam quoque partem, & debiti hujus portionem restituendi. *S. Beuve tom. 3. cas. 233.*

CASUS CXXII. *Humbertus* debet *Bernardo* & pluribus aliis notabiles admodum pecuniæ summas, pro quibus creditores in illius bona immisionem fieri curarunt; sed *Bernardo* amico suo gratiam facturus *Humbertus* integrum ei ex bonis suis debitum solvit. Reliqui creditores hoc cognitò præterdunt, *Bernardum* in conscientia obligari ad id, quod acceperat, in communem massam referendum. Potestne *Bernardus* uti quovis, quod in promptu habet, remediò ab hac obligatione sese eximendi?

R. Bona arrestò onerata, & fructus inde provenientes pertinent ad omnes creditores in communi, & non ad quempiam in particulari. Hinc *Bernardus* non potest tutâ conscientia se eximere ab obligatione reddendi id, quod ab *Humberto* acceperat. *Leg. Qui autem l. §. 7. ff. Quæ in fraudem creditorum facta sunt, restituantur. Lib. 42. tit. 9.* Idem dicendum,

quando debitor facit cessionem bonorum.

NOTA. Aliud dicendum, si *Bernardus* suam pecuniam commodasset ad breve solum tempus pro usu determinato privilegiato v. g. satione. CASUS CXXIII. *Hildebertus* sollicitavit pro aliquot officio annuorum reddituum 400. florenorum. *Stephanus* id sciens adiit collatorem, cumque rogavit, ne id conferat *Hildeberto*. Teneturne *Stephanus* ad reparationem damni illati?

R. Semper datur obligatio reparandi damnum, quando quis aliquem impedit à consecutione juris sui per fraudem, violentiam, aut efficaces preces ad persuadendum aptas; imo etiam, quando quis minis, calumniis, aut aliò modo injustò quempiam impedit à consecutione rei, ad quam nullum habet jus. *Stephanus* autem, cum simplicibus tantum precibus usus sit, & *Hildebertus* nullum habuerit jus ad officium, non tenetur ad restitutionem; licet peccaverit contra charitatem. *Conf. de Cond. tom. 1. conf. 14. sect. 1.*

CASUS CXXIV. *Patritius* ex odio erga *Thomam* impedit, ne ei conferatur Præbenda, qua dignus erat; vel collationem aut præsentationem jam factam revocari curavit. Teneturne ad aliquam restitutionem?

R. Potest quis impediri, ne Præbendam obtineat, *injustè*; scilicet si intendat bonum Ecclesiæ, ut Præbenda conferatur digniori; & alio modo *injustè*, ut in casu præsentati; & tunc distinctione opus est: si Collator aut Præsentator nondum plene fuerint determinati ad conferendum tali personæ Beneficium, impediens tantum tenetur ad simplicem compensationem juxta arbitrium viri prudentis, etiamsi persona fuerit digna Beneficiò. *S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4.* Si verò Collator aut Præsentator jam promisit tali personæ Beneficium, impediens tenetur ad compensationem æquivalentem. *Idem ibidem.*

NOTA. Compensatio illa correspondens lesionì charitatis in genere obsequii indebiti charitatis ver-

versari debet, si inveniri queat occasio, aut certè iteratis precibus supplenda. Hæc autem obligatio non daretur, si quis haberet rationale motivum dissuadendi vel impediendi alterius promotionem, v. g. ex intentione commendandi certò digniorem.

CASUS CXXV. *Epimenides* sciens, ab aliquo amicorum suorum *Lalium* universalem legatarium solemnè testamento fuisse institutum, illum adeò vehementer sollicitavit, ut mutato testamento ipsum *Epimenidem* universalem instituerit Legatarium. Hoc amico defunctò *Epimenides* in bonorum possessionem successit. Teneturne *Lalio* ad aliquam restitutionem?

R. Observandum est, tres requiri condiciones, ut alterius bonum impediens teneatur restituere: 1. ut impeditus facile potuisset rem obtinere, nisi hoc impedimentum obstidisset. 2. ut impeditus potuisset justè rem consequi. 3. Ut quis impediverit per dolum & fraudem, mendacium aut minas, aliâque quamlibet actionem justitiæ oppositam. *Cabassut. Lib. 6. c. 14. num. 6.* Hæc observatio tamen intelligenda est de impedimento illiposito, qui nullum habebat jus ad rem. Ita idem Author *ibid. n. 8.* Hinc *Epimenides* ad nullam *Lalio* tenetur restitutionem; quia amicum suum ad mutandum testamentum non induxit modò injustò, *Lælius*que nullum habuit jus ad hæreditatem, ac præterea testatori plena erat libertas revocandi testamentum suum.

NOTA. Cum charitas sui sit prior charitate erga proximum, *Epimenides*, si cætera sint paria, ne quidem peccavit contra ordinem charitatis, commendando seipsum vel amicum æquè dignum præ alio non eminentes digniore. Si autem alius præoccupando jam cepisset quasi possessionem in animo Patroni, non posset arbitrariè dejici sine violatione illius magnæ regulæ charitatis: *Quod tibi non vis fieri &c.*

CASUS CXXVI. Rex Provinciam quamdam *Alexandro* commisit gubernandam assignatis ipsi redditibus 15000. florenorum cum multiplici jure utili: præter ista assignata ipsi sunt mille floreni pro Capita-

neo custodiae suæ. *Alexander* hos mille florenos sibi applicaturus, in Capitaneum custodiae suæ assumpsit virum nobilem de suo servitio, cui de hac pecuniæ summa obtigit nihil, licet singulis annis solutionis apocham subscribere debuerit: unde *Alexander* suum, Capitaneique stipendium à Rege recepit. Potestne *Alexander* securâ conscientia in proprium hos mille florenos reservare commodum, quin ad ullam viro Nobili teheatur restitutionem? Idem quæritur de Præfecto *Ærarii*, vel alio simili Ministro, qui pro suis usibus retinet id, quod à Rege assignatur pro Vicario primario ipsi adjuncto.

R. Nec Governator Provincie, nec Præfectus *Ærarii* possunt in suum commodum applicare has summas; cum evidenter id sit contra intentionem Regis. *S. Beuve tom. 3. cas. 209.*

CASUS CXXVII. *Demetrius* nobilis Gallus ab Imperatore *Pofonii* Governator constitutus præter nocturnas excubias etiam diurnas agi jussit à certa hominum copia, ut adventus hostium editò signò statim possit indicari vicinis Oppidis, quorum singula in expensas harum excubiæ certam pecuniæ summam solvebant. Restituta pace *Demetrius* diurnas excubias inutiles esse ratus, eas omitti, & tantum nocturnas agi jubebat, licet vicina Oppida easdem, quas tempore belli, expensas solverent. Potestne *Demetrius* contributiones à vicinis Oppidis in diurnas excubias factas, & etiam restituta pace, ac omisissis de die excubiis perceptas retinere salvâ justitiâ? Et casu, quod teneatur ad restitutionem, cuinam facienda est restitutio?

R. Hic Governator Urbis nullo gaudet jure retinendi contributiones à vicinis Oppidis restitutâ pace, ac omisissis excubiis perceptas. Nihilominus hæc oppida liberari non debent ab onere præstandi hæc contributiones; quia tributa eorum exinde diminuntur, aliòque tempore difficile foret eas restaurare. Nec etiam videtur

hos reditus publicè offerendos ac relinquendos esse Principi, ne populo præbeatur occasio conquerendi, vel etiam seditionem excitandi. Hinc convenientius est, ut Governator residuas has contributiones secretò conferat in eleemosynas pauperibus illorum oppidorum, aut in horum defectu aliis pauperibus. *S. Beuve tom. 3. cas. 208.*

NOTA. Sicut mendacium nunquam licet, ita nec licet principi mendax allegatio falsi tituli; & sicut mendacium privatum non excusatur ob utilitatem vel necessitatem privatam, sic nec mendacium regium licitè ponitur vel continuatur ob utilitatem publicam.

CASUS CXXXVIII. *Aristides* incitavit *Tullium* ad corrumpendam aliquam sceminam. Teneturne ad aliquam reparationem *Tullio* faciendam?

R. Tenetur coram Deo illi reparare damnum spirituale illatum, quantum potest. *Scotus in 4. dist. 15. q. 3. & Conf. de Perig. tom. 1. conf. 7. q. 2.*

CASUS CXXXIX. *Eustorgius* in mandatis dederat *Relio* filio suo, ut *Lælium* verberibus excipiat; prohibita tamen ipsi occisione aut mutilatione. Filius autem vel mutilavit vel occidit *Lælium*. Teneturne *Eustorgius* ad reparanda omnia damna exinde illata?

R. Qui jubet pravam actionem, principalis ejusdem causa est, & tenetur ad reparandum integrum damnum exinde secutum. *S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 9. in corp.* Hinc *Eustorgius* tenetur ad reparanda omnia damna *Lælio* illata à filio suo.

CASUS CXXX. *Macrobius* præcepit *Judæ* domestico suo, ut necaret equum *Caji* inimici sui. Postea autem facti pœnitens revocavit mandatum suum: *Judas* nihilominus insuperhabita revocatione heri sui enecavit equum. Teneturne *Macrobius* in conscientia ad restituendum *Cajo* pretium equi?

R. Si mandatum revocatum ante executionem ejusdem, *Macrobius* non tenetur ad restituendum pretium equi; sed

solum *Judas*, qui executus est mandatum, quod sciebat fuisse revocatum. *Cabassut. l. 6. c. 16. n. 5.*

CASUS CXXXI. *Henricus* mutuos dedit 1000. florenos *Laurentio* mercatori sericario. Cum autem ex fama communi cognovisset, res *Laurentii* lapsi esse proximas, petiit ab eo solutionem. *Laurentius* liberè fatetur, negotiationem suam pessimo esse loco, consentitque, ut omnes merces suæ transferantur in securum locum, & ex earum venditione *Henricus* retineat mille florenos, residuum autem sibi reddatur; id quod executioni datum est. Verùm *Laurentius* residuum ex mercium venditione pretium brevi dissipavit, exceptâ tamen summâ 250. florenorum, quæ Summa adhuc in manibus *Henrici* hæret. *Henricus* postmodum à quodam *Laurentii* creditore in judicium vocatus favore & Authoritate amicorum suorum causam lucratur, procuratâ pariter creditoris condemnatione in actionis expensas 250. florenorum summam adæquantem. Jam quæritur, ad quid teneatur *Henricus*, qui in omni suo agendi modo summam se *Laurentio* charitatem exhibere arbitratur, nec à longè suspicans, quid mali se fecisse?

R. *Henricus* revera est complex receptionis mercium *Laurentii*, & quidem non sine damno creditoribus illato. Et hinc tenetur in conscientia ad præstandam illis indemnitatem quoad omnia, quæ *Laurentius* malè dilapidavit, ac etiam quoad summam 250. florenorum in manibus suis relictam. Quod attinet 1000. florenos à *Laurentio* illi debitos ac perceptos; si hujus summæ acceptio in judicio idoneis testibus probaretur, teneretur eam referre in massam communem; imo posset puniri ut complex decoctionis à *Laurentio* factæ. *S. Beuve tom. 3. cas. 228.*

CASUS CXXXII. *Caprasius* confessarius *Titii* dedit ipsi consilium, ut restituat 100. florenos; ad quam restitutionem tamen *Titius* non obligaretur. Teneturne *Caprasius Titio* reparare damnum?

R. Do-

R. Doctores non conveniunt circa hoc punctum. Nihilominus videtur; *Caprasium* teneri ad faciendam suo pœnitenti restitutionem 100. florenorum, si hoc ei consilium dedit ex malitia, ignorantia graviter culpabili, aut ex imprudentia inexcusabili. Et hæc est sententia *S. BERNARDINI Serm. 34. in Dom. 4. Quad. tom. 1.* Si tamen Confessarius competentî scientiâ instructus erret, pœnitentem eximendò ab onere restitutionis, ad quam tamen obligatur, vel ad illam sine necessitate obligandò, suggestò tamen consiliò, quod in conscientia dandum esse putabat, non videtur talis obligatus esse ad reparandum damnum in his circumstantiis illatum; dummodò in casu dubii consuluerit viros eminentî scientiâ conspicuos, si fieri potuerit. *Pontas.*

NOTA. Hinc in materia restitutionis, si occurrat casus extraordinarius, de cujus resolutione Confessario prudens occurrit dubium, peccat Confessarius nisi sibi tempus deliberandi vel peritiones consulendi exposcat; aut si pœnitens redire nequeat, ut cum ad consulendum alium peritum suæ viciniae confessarium obliget.

CASUS CXXXIII. *Theocrites* homo privatus, catapultâ, duobus sclopis minoribus, & gladio instructus, ac cujusdam amici pariter armati comitatu stipatus plateam civitatis pertransit, & furem deprehendit, qui actu domum vicini sui spoliabat: quem, licet facillimè abigere potuisset, tamen non abigit. Teneturne fure non restituente reparare damnum vicino suo illatum?

R. Graviter in hoc casu peccavit *Theocrites* contra charitatem; ad restitutionem tamen non obligatur; quia non ex justitia tenebatur impedire furtum. *S. Bernardinus locò supra citatò.*

NOTA. Erronea est hæc ratiocinatio; non obligatur ex justitia ad impediendum furtum, sed tantùm ex charitate, ergo non tenetur restituere. Non obstant sit alieni criminis v. g. furti reus. Ergo tenetur restituere.

CASUS CXXXIV. *Theodemirus* Judex civilis & criminalis in quodam Pro-

vinciæ *Oppido* novit, *Julianum Jacobi* Tutorem usurpare ac diripere bona pupilli sui nemine se opponere auso, nec tamen malo medetur, etiamsi desuper fuerit requisitus. Teneturne in conscientia ad reparandum omne damnum huic pupillo illatum?

R. Cum *Theodemirus* ratione officii sui fuerit obligatus ad protegendum hunc pupillum, tenetur in solidum unâ cum Tutore ad reparandum omne damnum illi illatum. *Pontas.*

NOTA. Rectè dicitur in solidum. Qui enim solidum ex charitate tenetur impedire damnificationem proximi, non tenetur ad restitutionem in solidum, sed ex æquo juxta exigentiam læsi arbitrio boni viri, v. g. Confessarii pro variis circumstantiis variè metiendam. Vide *Cas. 88. 97. 124. 125.*

CASUS CXXXV. *Amaricus* Parochus vidit bona Ecclesiæ suæ dissipari à Curatoribus, qui potentiâ pollentes hanc sibi auctoritatem arrogarunt; quin se opposerent, veritus, ne simultatibus viam aperiret. Teneturne Parochus deficientibus Curatoribus Ecclesiæ suæ reparare damnum illatum?

R. Ex Responsonibus ad præcedentes casus satis colligitur, eum teneri. *Pontas.*

CASUS CXXXVI. *Palladius* falsum deposuit testimonium circa rem uno abhinc anno factam; ratus tamen, se dicere verum: ac per hoc pars innocens 100. florenorum jacturam passa est. An defectus memoriæ eum excusat à peccato mortali, & obligatione reparandi damnum?

R. Si hic defectus memoriæ est purè naturalis, *Palladius* juxta *S. Thomam 2. 2. q. 70. art. 4. ad 1.* peccati mortalis condemnari nequit, nec, ut addit *Cajetanus in S. Thom. citat.* tenetur ad restitutionem damnum passo. Si tamen ejusmodi testis postmodum adverteret, se veritatem non dixisse, teneretur admonere reum, in cujus favorem deposuit, ut hic damnum parti læsæ repararet; & casu, quo hic restitutionem repudiaret, coram *Judice* revocare

vocare deberet testimonium suum, si sine gravi periculo id fieri posset. *Pontas.*

NOTA. In mea *Theologia* doceo, ex culpa theologicè levi non dari obligationem reparandi totum damnum grave.

CASUS CXXXVII. Trebonianus Judex valde doctus ac idoneus scit, plures Collegarum suorum proximè esse dispositos ad injustam ferendam sententiam, & metuens, ne ipsis displiceret diversa opinandò, omnino non accessit judicium, licèt sibi perspectum haberet, se posse illos convincere de committenda injustitia. Tenetúrne Trebonianus coram Deo reparare damnum per iniquam reliquorum Judicum sententiam parti læsæ illarum?

R. Cum Trebonianus non habuerit causam legitimam se subtrahendi confesui judiciali, cui ex officio interesse debuisset, apparet, eum teneri ad reparandum parti læsæ damnum: non enim se opposuit injustæ sententiæ Collegarum suorum, prout tamen ratione muneris, & in conscientia debuisset. Idem dicendum foret, si Trebonianus adstitisset quidem judicio, eandem tamen cum reliquis sententiam tulisset, illis complacendi gratiâ. *Pontas.*

CASUS CXXXVIII. Lyfidius & Mœvius contendunt de proprietate domus cujusdam: septem Judices, quibus in hac controversia pronuntiandum, Lyfidio infensi domum adjudicârunt Mœvio, licèt fatis certi, eam pertinere ad Lyfidium. An omnes, & singuli in particulari tenentur Lyfidio ad restitutionem?

R. Omnes tenentur ad restitutionem, licèt primi quatuor Judices teneantur præ posterioribus. *Cabassut. l. 6. c. 16. num. 2.* Tres enim posteriores debuissent primis quatuor demonstrare sententiæ injustitiam. *Pontas.*

CASUS CXXXIX. Alphius accepit tres dupliones ad faciendum aliquid, ad quod aliunde tenebatur. Tenetúrne has pecunias restituere?

R. Si ad faciendum id tenebatur ex justitia, tenetur restituere has pecunias: v.

g. si fuisset Judex, & accepisset has pecunias pro ferenda sententia; aut si ut testis suum vendidisset testimonium; aut si invenisset summam pecuniæ, quam nollet reddere, nisi fiat aliqua remuneratio &c. *Pontas.*

CASUS CXL. Fulgosus à quodam Episcopo obtinuit Parochiam intercedente illius cubiculario, cui Fulgosus dederat summam 150. florenorum, eidem promissam, casu quo Beneficiò isto potiretur. Jam quæritur; an Fulgosus teneatur reddere hoc Beneficiam, & an Cubicularius teneatur ad restituendos Fulgoso 150. florenos?

R. Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 100. art. 6. in corp. & ibid. q. 32. art. 7. in corp.* Fulgosus tenetur reddere Beneficiam Episcopo, & Cubicularius acceptos 150. florenos erogare in pauperes; quia non licet dare aut accipere temporale quid pro tebus spiritualibus.

NOTA. Spectato solo jure naturæ malè parata per contractus turpes juxta veriore sententiam jure naturali invalidos restitutio facienda.

CASUS CXLI. Arthemius fruebatur Præbendâ, de qua Canonicè provisus non erat; quia pater ipse eo incidiò ad obtinendam provisionem decem dupliones expenderat. Duobus post aditam possessionem annis venit in notitiam commissæ Simonix, & conscientix suæ tranquillitatem conciliaturus Præbendam dimittit in manus collatoris. Tenetúrne ad restituendos fructus perceptos ante cognitam suæ provisionis nullitatem?

R. Si ex perceptione fructuum non fuit factus ditior, ad nullam restitutionem tenetur: fuit enim possessor bonæ fidei. *Pontas.*

CASUS CXLII. Josephus commissam à se inculpabiliter simoniam post sex primùm menses cognovit; & ex hoc statim suam sibi procuravit rehabilitationem, obtentâ possessi Beneficii nova provisione. Tenetúrne restituere perceptos interea ex hoc Beneficio 100. florenos, & nondum consumptos?

R. Be-

R. Beneficiatus, cujus titulus est vitiosus ac nullus, nunquam potest fructus Beneficii facere suos. Hinc Josephus tenetur ad restitutionem horum 100. florenorum. Nihilominus posset à Papa obtinere condonationem horum fructuum. *S. Beuve tom. 1. cas. 31.*

NOTA. In casu, quo Papa convenienter adiri non potest, transactio seu compositio pertinet ad Episcopum, & in ejus difficili accessu ad Confessarium nomine Dei, præsertim circa Casus Simoniacos merè occultos.

CASUS CXLIII. Decanus & Canonici cujusdam Ecclesiæ Collegiæ Simoniam commiserunt in collatione cujusdam Præbendæ Julio facta, qui per integrum annum Præbendæ fructus percepit, licèt conscius commissæ Simonix. Potestne is, aut debet huic Ecclesiæ restituere fructus ex Præbenda perceptos?

R. Si omnes Canonici simonix, de qua agitur, rei non sint, sed tantum aliqui, Julius potest restitutionem fructuum facere eidem Ecclesiæ; ita tamen, ut complices Simonix nullum inde emolumentum capiant: excipienda nihilominus est portio distributionum quotidianarum & Manualium, quas acceperat cum præjudicio Canonicorum nullo modo Simonix participum; ad harum enim restitutionem obligatur. Si verò omnia membra Capituli Simonix rea sunt, restitutio faciendâ est Ecclesiæ alteri, aut pauperibus. Et hæc Responsio sumitur ex *D. Thoma 2. 2. q. 100. art. 6. ad 4.*

CASUS CXLIV. Fortunatus Presbyter ac Prior per sex menses non recitavit Breviarium. Tenetúrne restituere quamdam portionem fructuum, qui consistunt in 50. florenis?

R. Tenetur restituere partem dimidiam horum reddituum. *Officium . . . , propter quod Beneficiam Ecclesiasticam datur, inquit Bonifacius VIII. in cap. Quia per ambitiosam. De Rescriptis. &c.*

Vide Beneficiatus *Cas. Marius.*

CASUS CXLV. Godefridus vir nobilis duo vel tria Beneficia simplicia valde *Dubium. Cas. Conf.*

pinguia obtinuit pro Francisco secundo suo filio, undecim vel duodecim solum annos nato, & scholas frequentanti, licèt probè sciens, nullum illi ad statum Ecclesiasticum esse animum. Franciscus revera Clericatum nunquam suscipere cogitans, & invitus de his Beneficiis provisus, cum is se abdicare ob inferiorem ætatem non posset sine consensu patris, absolutè volentis eorum retentionem, usque ad annum ætatis decimum sextum Breviarium non recitavit, ubi de sancto Patre ocyus sua dimisit Beneficia. Tenetúrne coram Deo restituere fructus ex his Beneficiis perceptos, quorum administrationem pater habuit?

R. Licèt Franciscus non teneatur ad restitutionem propter omissionem Breviarii, tenentur tamen ad eam hæredes defuncti patris, in quorum emolumentum cedunt fructus percepti; & consequenter etiam Franciscus eadem incumbit obligatio tanquam cohæredi pro rata portionis hæreditariæ. *Pontas.*

CASUS CXLVI. Bertrandus cujusdam Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, licèt sex mensibus absens, quotidianas tamen distributiones sibi persolveri curavit, concedentibus id reliquis Con-Canonicis. An propterea liber censendus est ab omni onere restitutionis?

R. Ejusmodi condonatio à Con-Canonicis Bertrando facta juxta Concilium Tridentinum *Seff. 24. de reform. cap. 12.* nulla est, utpote à jure prohibita. Hinc Bertrandus non potest eâ uti tutâ conscientiâ; sed tenetur ad restitutionem Ecclesiæ aut pauperibus faciendam. *Pontas.*

CASUS CXLVII. Gordius Canonicus per sex menses adstitit Horis Canonicis negligenter, sine ulla attentione, & semper voluntariè distractus. Tenetúrne in rigore ad restitutionem fructuum suæ Præbendæ pro rata hujus temporis?

R. Authores circa hanc quæstionem divisi sunt. Cabassutius cum aliis *l. 6. c. 14. n. 14.* censet, Gordium teneri ad restitutionem pro rata temporis; cui sententiæ & nos *sub-*

subscribimus, cum iustitiæ contrarium sit sibi aliquod bonum attribuere, quod tantum destinatum est pro iis, qui dignè Deo & Ecclesiæ serviunt. *Pontas.*

NOTA. Si inattentio solum fuit interna, censetur Ecclesiam non obligare ad restitutionem, sicut ex eo capite non obligat ad novam recitationem Breviarii vel auditionem Missæ. Cum enim gravis malitia actuum interiorum non habeat mensuram determinatam, ea lex redderet innumeris perplexos sine necessitate talis legis.

CASUS CXLVIII. Pompilius Collator Præbendæ cujusdam reddituum 250 florenorum, illam contulit Jacobo minus digno præ Joanne illam petente, & singulariter merito. Teneretur Joanni ad restitutionem æquivalentem, eoquod peccaverit contra iustitiam?

R. Pompilius ad nullam tenetur restitutionem, etsi peccaverit contra iustitiam distributivam; teneretur autem, si peccasset contra iustitiam commutativam. *S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 4. in corp.* Per iustitiam commutativam redditur proximo, quod illi debetur. Cæterum obligatio restituendi ex tribus fontibus emanat. 1. Quando res aliena in manibus detinetur. 2. Quando res aliena injustè accipitur. 3. Quando intercedit legitima conventio, seu contractus. In casu autem proposito nihil horum intervenit. *Pontas.*

NOTA. Benedictus XIV. concedit tamen circa beneficia curata actionem evidenter digniori. Vide *Append. meæ Theol.*

CASUS CXLIX. Sopbronius Canonici Regularis gaudens pensione annua ex quodam Officio Clausurali, aut ex Beneficio, per meram parsimoniam concessit 1500. florenos, eosque donavit nepti suæ quindecim aut sedecim annos natæ. Summa hæc matris custodiæ tradita, pervenit in manus patris, qui ea brevi dissipatâ moritur. Neptis paulo post contrahit matrimonium, & in primo anno fit vidua. Teneretur neptis hanc summam restituere Ecclesiæ aut pauperibus? Dubium neptis movetur ex eo, quod audiverit, Sopbronium, utpote Religiosum, proprium possidere non posse.

R. Religiosus non potest habere administrationem cujusdam pensionis, nisi cum licentia sui Superioris, quæ concedenda non est, nisi pro necessariis ad sustentationem vitæ. Si Sempronius habet Officium claustrale, aut Beneficium, de redditibus disponere potest ut sæculares. Hoc supposito, si Beneficiarij ejusmodi sunt domini reddituum Beneficialium, possunt pro suo libitu de illis disponere, quin peccent contra iustitiam, etiam malè utendò, licet peccent contra charitatem; & ii, qui aliquam exinde partem obtulerunt, ad nullam tenentur restitutionem. Verùm si tantum sunt Oeconomi fructuum Beneficialium, prout nos censemus, de eo tantum disponere possunt, quod est necessarium ad honestam sustentationem vitæ, & residuum tenentur erogare in pauperes. Nihilominus si neptis Sopbronii bona fide ab eo accepit 1500. florenos, non videtur, eam teneri ad restitutionem; maximè cum exinde non sit facta dicitur. *S. Beuve tom. 3. cas. 137.*

NOTA. Religiosus non potest validè disponere de bonis annexis Massæ aut personæ regulari. Canonici autem Regularis, cum ex ipsa natura sui Ordinis sit capax beneficiorum sæcularium, licitè & validè disponit de redditibus beneficii sæcularis conformiter ad mentem Ecclesiæ.

CASUS CL. Adrianus tempore vindemiali locavit Bertholdo vasa vindemialia, quæ sciebat esse putrefacta. Bertholdo vinum immittente, illud aut fuit corruptum, aut effusum. Teneretur Adrianus ad reparandum damnum?

R. Adrianus peccavit mortaliter, & tenetur ad reparandum integrum damnum: idem enim tenendum de contractu locationis, quod de contractu emptionis & venditionis. *Leg. Sed addes. 15. §. 1. ff. locati conducti. lib. 19. tit. 2.*

CASUS CLI. Si Adrianus credidisset, vasa locata non esse vitiosa, teneretur tamen præstare damnum locatario illatum? Et, si non teneatur, potestne etiam recipere à Bertholdo pretium locationis?

R. Si Adrianus sua bona fide locavit, nulla

nulla habita justa ratione suspicandi ali-quod vitium, & ea Bertholdo simpliciter tradidit, non affirmata eorum bonitate, sed relicta locatario plena libertate ea visitandi ac probandi, ad nullam tenetur restitutionem; cum hæc ignorantia eum reum non constituat: quia tamen hæc vasa ad destinatum usum non erant idonea, Adrianus petere non debet solutionem pretii locationis. Verùm si Adrianus hæc vasa locasset affirmata illorum bonitate per fidem suam, integrum damnum Bertholdo reparare teneretur. *Pontas.*

CASUS CLII. Daniel sub falsa promissione matrimonii, & violentis sollicitationibus corruptit Joannam octodecim annorum puellam; idque factum est notorium, & publicum. Teneretur puellæ ad aliquam restitutionem? An pari ratione teneretur, si nec fraude nec violentiâ fuisset usus?

R. Quod attinet primum, tenetur puellæ reparare damnum, eam ducendò, si fieri possit, & ipsa velit, aut eam dandò. Quoad secundum dico, Danielem ad nullam restitutionem teneri; *scienti enim & volenti non fit injuria, neque dolus.* *Pontas.*

NOTA. Juxta meam & aliorum probatiorem sententiam, quod contractus turpes sint jure nature invalidi, etiam in primo Casu ad nihil tenetur ante sententiam Judicis, qui expediat, ad hanc penam potest condemnare reum.

CASUS CLIII. Constantina genuit ex adulterio infantem, qui cum aliis liberis pro legitimo habetur. Debentne Confessarius eam obligare, ut veritatem suo marito vel huic proli declaret, ad præcavendam injustitiam, quam reliqui liberi patrentur? Et sub quibus conditionibus ea est absolvenda?

R. Principium jure naturali fundatum est, quòd nemo teneatur se ipsum diffamare. Hinc Constantina non obligatur ad peccatum suum declarandum, nec marito, nec illegitimæ proli; imo ne quidem crederetur propriam alleganti turpitudinem, & proles adulterina semper habe-

retur pro legitima in foro externo, non obstante declaratione matris. Ad hæc, quamvis hæc proles teneatur restituere id, quod jam accepit, & ab ulteriori acceptance abstinere, supposito, quòd matris suæ declarationi fidem adhibeat; certum tamen est, quòd nullò modò teneatur credere id, quòd ipsi pater vel mater hæc in re declararet. Interea, si Constantina moraliter certa foret, nullum ex sua declaratione marito facta oritur scandalum aut aliud malum, videtur dici posse cum *S. Antonino*, eam teneri ad declarandam veritatem; idem sentiendum, si prolem suæ declarationi fidem habituram crederet: nihilominus tamen Sanctus hic Archiepiscopus id restringit ad casum, quo jam antea apud maritum & alios fortis & gravis suspicio invaluisse, prolem hanc esse adulterinam. Ex quibus omnibus sequitur, Confessario Constantinæ sufficere debere, ut ei proportionatam delicto pœnitentiam injungat; quin eam obliget ad declarandam turpitudinem suam. *Pontas.*

CASUS CLIV. Ferrandus suscepit prolem adulterinam ex Bertha Theodori conjugæ. Teneretur in conscientia deficiente matre reparare damnum inferendum, aut jam illatum liberis legitimis, vel hæredibus Theodori & Berthæ?

R. Dubium non est, quin teneatur ad reparandum damnum, sive id consistat in expensis à Theodoro jam factis in sustentationem hujus prolis, sive consistat in parte ex hæreditate Theodori ab hac prole jam accepta, vel accipienda. *S. Antonin. 2. part. Sum. Theol. tit. 2. c. 7. §. 4.* Nihilominus mater hujus prolis tenetur prior ad reparandum damnum, si possit; si non possit, pœnitentiam agere debet, & exhortari patrem adulterinæ prolis ad splendendum suum defectum. *Pontas.*

NOTA. Cum hæc restitutio fundetur solum in obligatione personali ex facto, à Confessario nomine Dei ex æquo componenda est. Vide *Cas. 88.*

CASUS CLV. Alexander suscepta prole ex adulterio cum Antonia Ludovici uxore commisso, cogitat reparare damnum vivente adhuc Ludovico; sed nescit, quomodo, aut cui facienda sit restitutio. Quale igitur consilium ipsi suggerere debet Confessarius? Quid, & cui restituendum est?

R. Nec justitia, nec ratio exigere videtur actualem ab Alexandro restitutionem portionis ex hæreditate Ludovici huic proli obventuræ liberis legitimis faciendam; cum hæc proles prævenire possit fata Ludovici; & in hoc casu restitutio foret nimia. Verùm diligenter inquirere debet, quantas expensas Ludovicus fecerit in educationem, sustentationem statui congruam, aut etiam in promotionem proli putativæ ad statum aliquem stabilem: & ad id omne restituendum Confessarius obliget Alexandrum, persuadeatque illi, ut serium concipiat propositum reparandi damnum, quod pati possent legitimi hæredes Ludovici, si proles hæc veniret in partem hæreditatis, aut, positò quòd sit proles unica, in totam hæreditatem succederet in præjudicium aliorum hæredum. *Navarr. Manual. c. 16. num. 50.*

NOTA. Vide *Cas. 154.*

CASUS CLVI. Si Alexander, de quo in præcedenti casu sermo erat, sit morti proximus eo tempore, quo sese ad faciendam restitutionem offert, quomodo poterit illam facere, ut iusta sit, & competens; & quid agendum Confessario, ut moribundi securam reddat conscientiam?

R. Confessarius non debet ipsum obligare ad reparandum damnum incertum, sed tantum ad certum, id est, ad omnes expensas rationabiles à Ludovico in prolem adulterinam jam factas; & respectu damni dubii obligandus est ad restitutionem juxta æstimationem viri prudentis, intelligentis, & non interessati. *Navarr. ibidem.*

NOTA. Vide *Cas. 154.*

CASUS CLVII. Geruntius genitam ex quadam puella à se corrupta prolem lecretò tulit in hospitale liberorum expositiorum ad evitandum scandalum, & salvandum suum ac puellæ honorem. Teneturne huic Hospitali restituere expensas ad nutritionem & sustentationem hujus proli necessarias?

R. Si Geruntius est pauper, non tenetur; si autem ipsi sufficientia suppetunt media necessariam proli sustentationem procurandi, absque manifesta injustitia non potest omittere restitutionem. *S. Antonin. p. 2. tit. 1. cap. 24. in fine.*

CASUS CLVIII. Septem aut octo creditores Mœviæ obtinuerunt immissionem in quemdam illius fundum, eumque judicialiter elocârunt pro censu annuo 1100. florenorum. Titius unus ex creditoribus ægrè ferens, fundum ob varias technas fœminæ tamdiu non posse vendi, sese emptorem fundi offert Mœviæ pro 20000. florenis sub nomine Caji, & insciis reliquis creditoribus; quamvis fundus valeret 30000. florenis. Mœvia acceptat hanc oblationem, & ut Titius facilius iniret hunc contractum, Mœvia ipsi remisit 3000. florenos, quæ prætere poterat ex bonis venditis, tanquam vitalitium viduum. Jam quæritur, an Titius in foro interno teneatur aliis creditoribus ad restitutionem pro eo, quòd bona minoris fuerint vendita; & an creditoribus etiam teneatur restituere 3000. florenos, vitalium Mœviæ?

R. Titius tenetur ad restitutionem reliquis creditoribus non tantum quoad excessum pretii, quo bona juxta æstimationem prudentum potuissent vendi, sed etiam quoad omnes expensas, quas subire cœacti sunt ob fraudem Titii: creditores enim minùs læsi fuissent, si fundus iustò pretiò fuisset venditus. Quod attinet remissionem vitalitii à Mœvia Titio factam, ea non est habenda pro mera liberalitate, licet Mœvia plenum hujus vitalitii habuerit dominium. Denique non solus Titii intererat, Mœviæ tantum relinquere,

re, ut congruè possit sustentari, sed omnium creditorum. *Pontas.*

CASUS CLIX. Hercules cujusdam Ducis ac Paris Franciæ procurator domesticus promisit cuidam sartori, se curaturum; ut ipsi pro Hero suo ac tota domo deinceps vestes conficiendæ forent, si pro se & uxore sua easdem conficeret. Conventio hæc ab utroque inita per septem aut octo annos fuit servata. Teneturne Hercules sartori ad quamdam restitutionem?

R. Non videtur Hercules peccasse contra justitiam commutativam. Hinc ad nullam tenetur restitutionem. *S. Beuve tom. 3. cas. 224.*

CASUS CLX. Fuldradus matrimonio locaturus quamdam puellam cognatione sibi conjunctam, non nisi mille florenis divitem, eam Eusebio obtulit, cui asseverabat, puellam ter mille florenos numeratam habere pecuniam. Eusebius prorsus Fuldrado confusus consentiebat ad faciendas nuptias, facta tamen declaratione, se, si hanc dotem puella non foret allatura, eidem non esse nupturum. Fuldradus postquam etiam juramentò affirmaverat hanc puellæ substantiam, tandem contractum fuit matrimonium. Eusebius cognita postmodum fraude Fuldradi petiit sibi restitui duo florenorum millia promissæ doti deficientia. Num jure petiit?

R. Præsentio Eusebii iusta est, & Fuldradus tenetur ipsi præstare indemnitate, & defectum promissæ dotis compensare, utpote reus mendacii, & manifestæ injustitiæ. *S. Beuve tom. 3. cas. 232.*

CASUS CLXI. *Eustachius* mutuos dedit 250. florenos *Rudolpho* recepta ab eo obligatione ab unico tantum Notario sine testibus subscripta. Defunctis creditore & debitore cautio inter *Rudolpho* debitoris scripta reperiebatur, quam *Godefridus* testamenti executor subtrahit & transmisit *Joanni Eustachii* filio. Hic suo eam Procuratori monstrat, idque ex eo capit consilii, quòd, si nulla præstitæ solutionis

apochâ inveniretur, ab hæredibus *Rudolpho* exigi possit solutio; necesse tamen esse, ut obligatio ab alio adhuc Notario subscribatur: quod & factum est, licet ab inito hoc contractu mutui decem jam anni effluxerint: sicque hæredes *Rudolpho* per sententiam judicialem ad solutionem hujus summæ condemnati sunt. Potuitne *Godefridus* hanc obligationem subtrahere, & transmittere *Joanni*? An peccavit *Joannes* sequendò consilium à Procuratore sibi suggestum? Teneturne *Joannes*, si non potuit exigere hanc solutionem, ad restitutionem 250. florenorum & omnium expensarum? Num potuit Notarius secundam cautionis subscriptionem facere absque peccato; & ad quid tenetur, suppositò, quòd id non potuerit? Teneturne *Godefridus* ad aliquam restitutionem? Suppositò etiam, cautionem jam antea fuisse subscriptam à duobus Notariis, num *Joannes*, qui facile credere poterat, debitum jam fuisse solutum aut gratis remissum ab *Eustachio*, teneretur restituere hæredibus *Rudolpho* 250. florenos? num eo nihil restituente ad id teneretur *Godefridus*, qui cautionem *Joanni* tradiderat?

R. *Godefridus* manifestam commisit injustitiam; debuisset enim judicare, debitum aut jam fuisse solutum, aut gratis remissum *Rudolpho*: nec *Joannes* hac cautione uti potuit, & procurare sibi solutionem, non obstante consilio à Procuratore sibi dato; manifestum enim malæ fidei suæ argumentum dedit, dum cautionem decem annis post primam expeditionem per alterum Notarium subscribi curavit. Tenetur igitur *Joannes* hæredibus *Rudolpho* non solum ad restitutionem summæ 250. florenorum, sed etiam ad refundendas omnes expensas, quas illi facere debuerunt. *Notarius*, qui secundò subscripsit huic cautioni, peccavit mortaliter, & tenetur ad eandem restitutionem in solidum cum *Joanne*; quia verè fuit causa effectiva damni *Rudolpho* hæredibus illati. Idem dicendum de *Godefrido*, utpote

primo autore hujus injustitiæ. Denique, licet hæc cautio fuisset inventa cum subscriptione duorum Notariorum inter scripta Rudolphi, non potuisset tamen *Godofridus* absque injustitia illam *Joanni* tradere. *S. Beuve tom. 3. cas. 293.*

NOTA. Si Apecha fuisset in Gallia à duobus vel extra Galliam à duobus testibus subscripta, & si Rudolphus decessisset repentina morte, aut constaret, Eustachium non ita pridem ante mortem Rudolphi solutionem exegisse, vel censum accepisse, ita ut executori testamenti ante plures annos confecti moraliter certum esset, nullam præcessisse condonationem, peccasset quidem falsificando Apecham, sed non teneretur ad restitutionem.

CASUS CLXII. *Massæus* mutuos dedit *Florentio* 200. florenos solvendo, quando debitori placuerit; neque à tribus abhinc annis solutionem petit *Massæus*. Oborta tandem inter eos dissensione *Massæus* in iudicium vocavit *Florentium*, ut ediceret, an non ipsi deberet 200. florenos. *Florentius* ob hanc insolitam citationem ratus, à *Massæo* chirographum fuisse amissum, debitum negavit. *Massæus* studiosè non produxit suum chirographum, nisi postquam *Florentio* caulaverat expensas 75. florenorum, ad quas simul ac ad solutionem summæ fuit condemnatus. An non tenetur *Massæus* ad restitutionem expensarum, eoque illas *Florentio* solum vindictæ animò fecerit?

R. Debitor iste mala fide sua ipsemet hanc in se condemnationem attraxit; & hinc *Massæus* non tenetur ad restituendas 75. florenorum expensas, etsi peccaverit contra charitatem: *Dammum, juxta Regulam juris 86. in 6., quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis, imputare.* Nihilominus, cum justum non sit, ut *Massæus* ex vindicta sua lucrum reportet, in conscientia tenetur hos 75. florenos erogare in pauperes: *æque enim in omnibus fraus punitur, ut ait lex in fraudem. 45. ff. de jure fisci. l. 49. tit. 14.*

NOTA. *Massæus* neque tenetur in pauperes 75. florenos; pena enim pecuniaria ob peccata sollicitati contraria non habet locum in foro

interno; imo ne quidem in foro externo ante sententiam.

CASUS CLXIII. *Theodorus* filiusfamilias quindecim annos natus, Canonicus cujusdam Ecclesiæ Cathedralis Præbendam suam resignavit *Jacobo* æque filiofamilias octodecim circiter annorum, cum retentione pensionis ducentorum florenorum. Domus illius Canonica vî recepti ordinis obtigit *Juliano*, qui & possessionem illius adiit; sed cognito pessimo ædificii statu *Theodorus* in jus vocavit ad solvendas necessariorum reparacionum expensas: *Theodoro* autem, utpote filiofamilias, nulla bona propria possidente, pensionem à *Jacobo* ipsi debitam arrestò oneravit. *Jacobus* verò in iudicio declaravit, se nihil debere *Theodoro*, id quod *Julianus* credidit, cum de bona fide *Jacobi* non dubitaret; & propterea egit contra *Theodorum*, eumque condemnari fecit in summam 250. florenorum pro reparanda domo, à quo tamen nihil accepit, eoque *Theodorus*, cum hæc gererentur, è vita decesserit. Tenereturne *Jacobus* in conscientia ad solvendo *Juliano* 250. florenos à *Theodoro* illi debitos? an etiam ob falsam declarationem *Juliano* refundere tenetur expensas litis?

R. Si falsa declaratio fuit facta spontè & scienter, *Jacobus* in conscientia tenetur ad solvendo *Juliano* reparaciones domus & litis expensas: verum si hanc declarationem fecit invitus, paterna deceptione inductus, ac fraudulenter persuasus, se nullam *Theodoro* debere pensionem, non tenetur ad restitutionem, nisi pro rata portionis hæreditariæ à patre acceptæ; sufficitque, ut reliquos suos cohæredes sollicitet, ut reliquum restituant, quisque pro ratione portionis suæ. Quod attinet expensas litis, intelliguntur hic solum legitimæ, & necessariò faciendæ. *S. Beuve tom. 3. cas. 84.*

CASUS CLXIV. *Arbanus* homo pauperrimus fingit se incarceratum ratione debiti 150. florenorum, rebûsque

compositis cum carceris custode amico suo, eique duplionem promittit, si sibi permittatur, ut in carcere se detineat in vigilia Paschatis, ubi personæ quædam piæ solent visitare carceres, ibique ratione debitorum detentos liberare. *Arbanus* producit falsum creditorem secreti conficium, qui exhibitò falsò chirographò dicit, se fore contentum, si dimidium debiti solvatur, reliquam partem se debitori condonaturum; quod & factum est, & *Arbanus* beneficio hujus stratagematis accepit 75. florenos. Peccavitne moraliter *Arbanus*? num tenetur ad restitutionem 75. florenorum? & cui?

R. Absque dubio *Arbanus* peccavit mortaliter per falsitatem hanc gravem, & interpositione fidei publicæ confirmatam; teneturque ad restituendam pecuniam contra justitiæ leges acceptam; eaque applicanda est ad liberationem pauperum, verè ratione debitorum in carcere detentorum. *Pontas.*

CASUS CLXV. *Wunibaldus* licet sufficienter pro ratione status sui vivere posset, ex tædio tamen laboris mendicitate victum quærit. Teneturne ad restituendam hoc modo collectam eleemosynam? cui & quomodo faciendæ est restitutio?

R. Si has eleemosynas dolò acquisivit, tenetur ad earum restitutionem. *Catechismus Concilii Tridentini part. 3. de 7. præcepto n. 17.* dicit, simulatos hosce pauperes veris annumerandos esse furibus. Restitutio autem faciendæ est veris pauperibus, quos dolosè corrasis spoliavit eleemosynis. *Conf. de Cond. tom. 1. Conf. 15. sect. 1.*

CASUS CLXVI. *Damianus* Notarius erectò instrumentò admisit aliquam cautionem usurariam *Ægidium* inter & *Paulum* legendi scribendique ignaros, quæ *Ægidius* *Paulo* creditori sese obligabat ad solvendam excessivam usuram. Teneturne *Damianus* *Paulo* nihil restituente ad restituendum *Ægidio* exactum ab illo censum?

R. Si usura innotuit *Damiano*, is regulariter loquendò tenetur ad restitutionem; imo meretur suò privari officio, & condemnari ad multam impositam à Constitutione *Ludovici XII.* annò 1510.; quia revera se complicem reddidit injustitiæ *Pauli*. Dicitur, regulariter loquendò; si enim *Damianus* usurariam cautionem admisisset non nisi ad preces *Ægidii*, qui in urgenti necessitate constitutus rebus suis mederi non poterat, nisi exactam à *Paulo* usuram persolvendò, non obligaretur ad restitutionem; licet certum sit, illum peccasse mortaliter. *S. Antonin. 2. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 9. §. 6.* Addit Sanctus hic Præsul; quòd si in instrumento facta sit expressa mentio de usura, Notarius non teneatur ad restitutionem; *nam potest, ut ait, qui mutuum accepit ad usuram, in iudicio se juvare, ut non solvat. S. Beuve tom. 1. cas. 143. & tom. 2. cas. 146.* existimat, quòd, quando contrahentes sciunt legere & scribere, & Notarius non sollicitavit usurarium ad dandum mutuum pro usura, ille ad restitutionem condemnari non possit; cum hoc modò non sit causa efficax usuræ.

NOTA. Cum etiam periculum fortis juxta me fundet justum titulum exigendi censum, & hoc periculum à Notario æstimari non possit, licet scribit contractum, quamdiu de ejus injustitia sibi certò non constat.

CASUS CLXVII. *Marculus* Notarius aliquod damnum intulit *Juliano*; eoque instrumentum non ritè confecerit. Teneturne ad reparandum damnum?

R. Tenetur ex quasi delicto ad reparandum damnum *Juliano* illatum; cum tantam teneatur habere scientiam, quantam officii sui ratio exigit. *Pontas.*

Vide *Judex. Notarius.*

CASUS CLXVIII. *Eligius* gregem habebat quadringentarum ovium, quem pastor quidam sollicitè custodiebat; milites autem pastorem interceperunt, & ad castra vî abstraxerunt, sicque grex ovium agrum *Medardi* frumentarium invasit, qui ab

Eligio indemnitate petit. Teneturne *Eligius* ad reparandum damnum?

R. *Medardus* jure petit indemnitate, & quidem conformiter ad leges tam civiles quam Canonicas. Verum cum in hoc casu nec culpa *Eligii* nec pastoris inter- venerit, *Eligius* non tenetur in conscientia ad reparandum damnum, nisi ad id judicialiter condemnatur. *Conf. de Condom. tom. 1. conf. 14. sect. 1.*

CASUS CLXIX. Cum grex armentorum ad *Carpophorum* spectans in campis pasceretur, pastore sopore oppresso, armenta campum ingressa, ubi *Carpophorus* non habebat jus pascendi, aut alium locum, ingentem ibi devastationem causarunt. Teneturne *Carpophorus* in conscientia ad reparationem damni?

R. Non videtur; *Carpophorum* posse eximi ab obligatione reparandi damnum; ipsius enim est reddere rationem gregis sui, & illius, cui illum custodiendum commisit. *Leg. si quadrupes. 1. ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. Lib. 9. tit. 1.* Nihilominus non tenetur *Carpophorus* ad reparationem damni ipso facto, sed duntaxat post latam à Judice sententiam condemnatoriam. *Pontas.*

CASUS CLXX. Taurus, quem habebat & sciebat *Stephanus* esse admodum ferocem, in publicis cum reliquo armentorum grege pascuis se detinens, equum vel aliam pecudem ad *Renatum* pertinentem occidit. Teneturne *Stephanus* ad reparandum damnum, antequam à Judice condemnatur?

R. Tenetur; quia revera in culpa fuit, eoquod hunc Taurum non custodierit, & cum reliquis armentis in pascua emiserit. *Gr. g. IX. in cap. si culpa. fin. de injuriis & damno dato.*

CASUS CLXXI. *Palamedes* ex curiositate alebat *lupum*, sollicitè tamen inclusum; nihilominus è custodia elapsus notabile damnum intulit ovium gregi ad *Julium* pertinenti. Teneturne *Palamedes* ad reparationem hujus damni?

R. Si hic *lupus* è custodia elapsus est sine culpa *Palamedis*, hic non tenetur ad reparandum damnum. *Leg. quod enim 3. §. 2. ff. de aquirendo rerum dominio. Lib. 41. tit. 1.* Si verò elabatur animal non ex natura sua ferox, licet mali inferendi capax, & damnum inferat, dominus feræ tenetur de damno illato. *Leg. Si quadrupes supra cit.*

NOTA. Hæ duæ leges sibi invicem contradicunt. In foro interno nemo tenetur restituere ex culpa Theologica levi. *Palamedes* potius obligandus ad restitutionem ex æquo, cum periculum ab ejusmodi animali sit inseparabile.

CASUS CLXXII. *Ansbertus* Dux & Par Franciæ possidet sylvam refertam cervis, capreis & apris, quæ animalia grandem in vicinos agros inferunt vastationem. Sex agricolæ supplicabant pro indemnitate & facultate has feras occidendi, aut saltem abigendi. *Ansbertus* neutrum concessit, præterdens jus suum venandi. Peccavitne *Ansbertus* contra justitiam? num tenetur ad justam agricolis indemnitate?

R. Juxtalegem divinam Exod. 22. 5. *si laeserit quispiam agrum vel vineam ... pro damni aestimatione restituet;* & hæc lex neminem excipit ab obligatione. Hinc *Ansbertus* tenetur his agricolis reparare damnum.

CASUS CLXXIII. *Pamelius* videns, feras sylvestres noctu devastare agros suos, profundas construit fossas in via strata, qua feras incedere sciebat, easque ramis ac frondibus tegit. Contigit autem, ut *Matthæus* rei ignarus hac viâ transfret, ac præceps in foveam actus tibiam & brachium frangeret, ita, ut per tres menses labori vacare non posset. Teneturne *Pamelius* ad reparandum *Matthæo* damnum?

R. *Pamelius* nullo jure gaudebat has fossas construendi; dein etsi hoc jure gauderet, culpâ tamen non caret, eoquod has fossas construxerit in via strata, qua incedere solebant homines. Hinc videtur, dubitari non posse, quin teneatur ad reparandum *Matthæo* damnum. *Leg. Si alius. 2. §. 8. ff. quod vi aut clam. 1. 43. tit. 24.*

CA.

CASUS CLXXIV. *Adolpbus* cum tempore opportuno spinas ac tribulos in agro suo incendisset, subortò subito ventò flamma in agrum vicini sui deportata est, & omne in eo frumentum consumpsit. Teneturne ad præstandum damnum?

R. Leges Civiles in hoc casu eximunt ab obligatione reparandi damnum. Nihilominus talis indulgentia approbari non potest: Exodi enim 22. 6. sic habetur: *si egressus (proserpendo) ignis invenerit spinas, & comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succenderit. Pontas.*

NOTA. Lex Exodi est solum dispositiva pro foro externo ex præsumptione culpæ saltem levis, quæ, ubi agitur de periculo boni publici, graviter puniri potest.

CASUS CLXXV. *Nicasius* cum ex negligentia paleas in horreo *Juvenalis* ignem concipere permetteret, tota domus conflagravit. Teneturne de damno, etsi culpa ipsius fuerit levissima?

R. Certum est, in foro externo *Nicasium* ad reparandum damnum condemnandum fore. *Leg. in lege 44. ff. ad leg. Aquiliam Lib. 9. tit. 2.* Non videtur tamen ad id teneri in foro interno ante sententiam condemnatoriam. Nihilominus lex naturalis exigit, ut repararet partem damni juxta judicium viri prudentis, considerantis qualitatem & circumstantias culpæ. *Conf. de Cond. tom. 1. conf. 14. sect. 1.*

CASUS CLXXVI. Cum ignis corripisset domum quamdam adjacentem domui *Titii*, quam & ipsam flamma brevi invasura erat, proximi vicini videntes, quod, si ignis *Titii* domum invaderet, suas pariter in eandem ruinam trahendas fore, illam diruerunt, ac solo æquarunt. Teneturne *Titio* ad reparandum damnum?

R. Cum ejusmodi eventus considerandi sint tanquam casus merè fortuiti, quorum damna unicè in illos, qui læduntur, redundare debent, vicini isti ad nullam *Titio* indemnitate tenentur, etiam si domum illius propria autoritate demoliti

Diction. Cas. Conf.

fuerint in absentia Magistratûs aut Prætorum, ad quos solos alias spectat talia præcipere. *Pontas.*

NOTA. Ea licentia diruendi fundatur partim in pacto moribus comprobato, partim in lege non scripta, partim in consuetudine.

CASUS CLXXVII. *Medardus* in domo sua propria, aut sibi locata Parisiis extra fenestras secundæ contignationis aliquam asserum contabulationem fieri curavit, ac in ea quædam vasa plantaria posuit. Hæc contabulatio licet solidè affixa, venti impetu tamen soluta in nonnullas domum prætereuntes personas delabitur, quas inter non nemo vulneratus est. Teneturne *Medardus* ad reparandum damnum?

R. *Medardus* peccavit contra leges politicas, & tenetur ad reparationem, ad quam à Judice condemnatus fuerit. Non tenetur tamen ad id in conscientia ante sententiam. *Pontas.*

CASUS CLXXVIII. *Blandina* Theodati Civis Parisiensis famula, aut domûs locatarius per fenestram effudit aliquam materiam humidam, quæ in vestes cujusdam Matronæ delapsa, illas penitus corrupit. An *Theodatus* tenetur de damno à *Blandina* vel locatario Matronæ illato?

R. *Pena suum autbovem teneat*, inquit *Bonifacius VIII. in cap. Si compromissarius 37. de electione & electi potest. in 6. l. 1. tit. 6.* Nihilominus leges Civiles obligant Dominos domorum ad reparationem damni à suis domesticis cuiquam illati: quando tamen dominus nihil participat de culpa domestici sui, in foro conscientie ad nullam tenetur reparationem ante sententiam condemnatoriam Judicis; & in præsentī casu tunc dominus habet suum recursum adversus *Blandinam* vel locatarium, qui absque controversia tenentur reparare damnum. *Pontas.*

CASUS CLXXIX. *Polybius* retibus ceperat duodecim anates lacustres, illasque in tuto ac clauso loco asservatas uno mense aluit, verum cum ancilla quondam loci januam apertam relinqueret, anates in proximum stagnum evolarunt, ubi pau-

Tute

lo

Id post *Cajus* sex earum sclopētō trajecit. Teneturne *Cajus* ad restitutionem *Polybio* id petenti?

R. *Polybius* tamdiu solūm habuit dominiū harum anatium, quamdiu illas in sua habuit possessione; & hinc in stagno natantes non ampliū pertinebant ad ipsum, & *Cajus* nullo modo tenetur ad restitutionem. Aliud tamen dicendum foret de animalibus naturaliter cicuribus & domesticis v. g. de gallinis, anseribus & columbis &c. Inter animantia etiam naturaliter fera recenseri possunt apes, donec in alveario inclusæ fuerint. *Pontas.*

CASUS CLXXX. *Conradus* cū in domo sua vel horto aquis indigeret, puteum illas abundē subministrantem effodi curavit; sed per hoc fontem vicini sui excavit. Teneturne vicino huic graviter conquerenti ad aliquam indemnitate?

R. Nulla vicino huic debetur indemnitas: dominus enim fundi eum sibi utilem reddere potest, prout opportunum judicaverit; dummodo id non faciat animō per id nocendi proximo. Dein defectus aquæ aliunde est casus merè fortuitus. Hinc juxta communem Juris regulam, non videtur injuriam facere, qui utitur jure suo.

NOTA. Si aqua vicini est æquè bona, teneretur *Conradus* ex charitate moderari profunditatem putei ad libellam.

CASUS CLXXXI. *Tarbulius* ictu minoris sclopēi periculose vulneravit *Sylvestrum*, non ex malitia, sed ex imprudentia, quam homo prudens ac diligens evitasset. Teneturne in conscientia ad reparandum damnum, antequam à Judice ad id condemnetur?

R. Juxta Innocentium IV. ad lib. 5. Decret. tit. 12. de homicidio. cap. sicut dignum. n. 4. & 5. *Tarbulius* ad nullam reparationem tenetur. Plures tamen alii docti Interpretes in illius sententiam non concedunt; & de Gen. Theol. moral. tom. 6. tract. 8. c. 5. q. 50. dicit, *Tarbulium* teneri etiam ante sententiam condemnatoriam de sua negligentia, quæ excusari non potest.

NOTA. Quo majus est malum, quod potest incurri: eò majori diligentia illius periculum vitandum est. Et ideo *Tarbulius*, si constiterit, se advertisse aliquale periculum, ex æquo, ut se læso ad notabilem compensationem offerat, obligandus est.

CASUS CLXXXII. An *Tarbuliō* defunctō ad eandem reparationem tenentur hæredes ipsius?

R. *S. Raymundus in Sum. l. 2. t. 5. §. 24.* censet; hæredes teneri ad eandem restitutionem; cūm hæredes aliquo modo onerentur culpā à defuncto commissā juxta hanc regulam Juris: ex qua persona qui lucrum capit, ejus factum præstare debet.

NOTA. Hæredes, nisi testator aliud ordinet, possunt supponere, eum vel nullam culpam theologice in se agnovisse, vel jam satisfecisse.

CASUS CLXXXIII. *Epbidius*, cūm videret domum *Tullii* vicini sui proximam minitari ruinam, illamque, si corrueret, domui suæ admodum fore damnificam, institit apud *Tullium*, ut domum suam aut demoliretur, aut fulcris sustentari curaret: *Tullio* autem rem hanc differente domus corruit, unamque domū *Epbidii* partem destruxit, ex quo is 3000. florenorum damnum passus est; eoquod multæ picturæ ac sculpturæ omnino perierint. Teneturne *Tullius* ad reparandum hoc damnum?

R. Si *Tullius* potuit avertere periculum ædibus *Epbidii* imminens, tenetur ipsi præstare damnum illatum. *Leg. Prætor. 7. ff. de damno infecto. lib. 39. t. 2.* Verūm si *Tullius* non potuit reparare aut suffulcire domum suam, monitusque id declarasset *Epbidio*, simulque ipsi domum in hypothecam obtulisset, si ipsemet necessarias ad præcavendum damnum expensas facere vellet, id verò *Epbidius* recusasset; videtur æquitas naturalis deobligare *Tullium* à prætena ab *Epbidio* indemnitate, vel saltem illam facere moderatiorem ex judicio æqui Judicis. Quod attinet picturas & sculpturas, leges volunt, æstimationem damni non in omni rigore esse faciendam. *Pontas.*

CA.

CASUS CLXXXIV. *Maurus* & *Adrianus* in spatioso quodam compito ludam cuneorum exercebant, & *Bernardus* forte ex adverso transiens ingentem in tibia plagam accepit per globum à *Mauvo* emissum. Teneturne *Maurus* Bernardo reparare expensas in chirurgum factas, & refundere lucrum interea cessans?

R. Juxta legem *Sed et si 5. §. 1. ad leg. aquiliam. lib. 9. tit. 2.* damnum reparari debet ab eo, qui illius causa existit; & hinc *Maurus* tenetur Bernardo ex integro reparare damnum ex sua incuria aut negligentia illi illatum juxta aliam legem: *lulus quoque noxius in culpa est, 10. ff. ad leg. aquiliam.* Aliud tamen dicendum foret de eo, qui imprudenter locum lusus globorum, dum actu luditur, pertransiret, & vulnus acciperet à globo jam emissio. *Pontas.*

NOTA. Qui facile advertere possunt periculum casus fortuiti ex actione non necessaria vel utili, sed merè voluptuaria, eo ipso ex æquitate naturali tacite in se recipiunt periculum damni.

CASUS CLXXXV. *Stephanus* sæpè accipiebat bona fide nummos aureos, præscripto à legibus pondere carentes, illōsque ad alios transmisit mercatores, qui eos pariter non examinato pondere expendebant, licet quandoque quatuor aut quinque granā justo deessent ponderi. Teneturne ad aliquam restitutionem?

R. Quando consuetudo viget generalis non ponderandi monetas aureas, quas quis recipit & iterum expendit in commercio, non censetur *Stephanus* obligandus esse ad aliquam restitutionem. *S. Beuve tom. 3. cas. 19.* Et hæc responsio fundatur in regula Juris: *Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt.*

CASUS CLXXXVI. *Tremelius* quondam abstulit 50. florenos cuidam, cujus nec nomen, nec domicilium, nec patriam novit. Quid illi agendum, ut satisfaciatur conscientia suæ?

R. Hanc summam applicare debet in causas pias, maxime in elemosynas pro salute illius, cui abstulit, sive jam obierit,

sive adhuc vivat. *S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3.*

NOTA. In hac re ad intentionem præsumptam intentionem damnificatorum, ordinata charitate ad usus divinos regulatam, respiciendum est. Cum ergo deus dicat: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Math. 9. censeo; ejusmodi restitutiones potius faciendas esse in verè pauperes pios observato ordine charitatis, quam in stipendia Missarum erga quosvis malè expendentes tales elemosynarum, aut vanè. Suaderem, ut mediæ pars applicetur in stipendia Missarum erga Sacerdotes pauperes, pios, Ecclesie utiles.

CASUS CLXXXVII. *Rigobertus* 100. florenos debet *Dominico*, qui jam per septem aut octo annos se detinet in Persia, ibique fixit domicilium; nulla autem *Rigoberto* relatio ad Regnum Persarum. Quid ipsi agendum pro tranquilla conscientia?

R. Si absolutè nullum reperiatur medium hanc summam reddendi *Dominico*, aut graves nimium obstarent difficultates, hæc summa deponenda est in loco securo, & monendus desuper *Dominicus*, quod recipere possit hanc summam ex manibus depositarii, quamprimū & quomodo-cumque voluerit. *S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 1. ad 3.* Nec tenetur *Rigobertus* ad expensas in restitutionem faciendas, si hanc summam non acquisivit modò injusto.

CASUS CLXXXVIII. *Clotharius*, postquam *Festo* mille florenorum damnum intulerat, ab obligatione restituendi se excusat ex tribus his rationibus: 1. quia est nobilis, ac restituendū se & familiam suam ad mendicitatem esset redacturus. 2. quia, etsi posset restituere, ad id tamen se obligari non putat; eoquod *Festus* sit prodigus, & publicus dissipator, qui restitutam sibi summam exiguo tempore dilapidaret. 3. quia sine sui diffamatione non potest fieri hæc restitutio. An istæ rationes coram Deo securam reddunt *Clotharii* conscientiam?

R. Hæ rationes sufficere possunt ad excusandum *Festum* ab obligatione restituendi. PRIMA ratio est legitima juxta *S.*

Antoninum 2. part. Sum. tit. 2. c. 8. Sylvium in 2. 2. q. 62. art. 8. q. 1. conclus. 4. & Cabassutum l. 6. c. 22. n. 2. SECUNDA ratio pariter legitima est juxta eundem *S. Antoninum*. TERTIA denique non minus potest admitti, suppositò quòd realis sit ac vera; nam *melius est nomen bonum quam divitiarum multarum*. *prov. 22. 1.* Hinc *Clotharius* pro præsentis solùm obligatur ad parcendum, quantum fieri potest, suis redditibus, ut conquirat media sensim id, quod debet, restituendi. Potest differre restitutionem, si *Festus* pergat bona sua prodigere; sollicitè tamen curare debet, ut restitutio ipsi suo tempore certa sit, prout fieret, si deponatur hæc summa in loco securo, aut, si esset periculum diffamationis, faciat restitutionem personam aliquam tertiam, probam ac discretam, cujus fides minimè suspecta est. Si tamen *Festus* gravi necessitate laboraret, nullo modo *Clotharius* excusari posset à facienda restitutione. *Pontas.*

NOTA. *Æquitas naturalis* petit, ut gravius onus indigentiarum ferat reus, quam innocens. E contra si nec debitor nec creditor sit reus, in casum ferendæ indigentiarum ad majus onus obligare se præsumitur debitor, non tamen ad totum.

CASUS CLXXXIX. *Artemidorus* Notarius regius, cui unicus erat filius viginti annos natus, à sua infantia demens aut paralyticus, bis mille tantum florenos possidet, & similem summam diversis debet hominibus particularibus. Potestne tutè conscientiam pensionem alimentariam ex hac substantia suo constituere filio, antequam suam creditoribus debitum persolvat?

R. Potest in hoc casu suo providere filio de tali pensione juxta *Cabassutum lib. 6. c. 23. n. 5.* Idque in Gallia approbatum & confirmatum est pluribus decretis Parlamentaribus. *Pontas.*

NOTA. Juxta me in *Theol.* competentia status pro se & liberis non solùm debetur personis honoratis, sed etiam rusticis.

CASUS CXC. *Fulgosus* jam est in prociectu restituendi 100. florenos *Friderico* furtò ablatos, dum comperit, patrem suum in extremam devenisse necessita-

tatem, è qua ipsum eruere non posset nisi retentà hac summâ. Potestne differre restitutionem, ut Patrij suo subvenire possit?

R. Potest differre restitutionem, ut patri subveniat. *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 4.* Hic tamen casus est rarissimus.

CASUS CXCI. *Waldradus* debet Natali summam 1000. florenorum, ad cujus solutionem intra tres menses præstandam se obligavit per publicum instrumentum. Elapsò hòc terminò *Waldradus* non potest satisfacere suæ obligationi, nisi vendat domum & merces suas viliori pretiò; ex quo notabile pateretur damnum; Natalis autem ex dilatione solutionis non pateretur tale damnum. Teneturne *Waldradus* nihilominus solvere, non obstante damnò perferendò?

R. Excusatio *Waldradi* non admitteatur in foro externo; in foro tamen interno non tenetur ad restituendum hîc & nunc, nisi Natalis ipse laboraret indigentia; tunc enim teneretur ad restitutionem statim faciendam, non obstante perferendâ jacturâ: & sic sentit *Cabassutius l. 6. c. 21. n. 3.* qui simul advertit, quòd, si debitum proveniret ex furto, aut alio modo injusto, debitor ratione damni proprii perferendi non excusaretur ab obligatione restituendi. *Pontas.*

CASUS CXCI. Duodecim socii in nova quadam manufactura indigentes privilegiò regiò unà cum utili quadam clausula, proponunt *Juvenali* consorti suo, ut rogatum accederet Ducissam, quæ magna pollet apud Aulam autoritate, ipsique in recognitionem nomine omnium offerat 7500. circiter florenos, & si opus fore censeat, insuper augeat hanc summam. *Juvenalis* suscepta in se hac commissione loquitur Ducissæ, ipsique declarat, etiam sibi partem esse relinquendam ex hoc dono aureo. Ducissa consentit, & obtentò à Rege privilegiò recipit summam 7500. florenorum, de qua 1500. florenos donat *Juvenali* in puram gratificationem. Num hæc

hæc summa *Juvenali* fuit legitime acquisita?

R. In hoc casu *Juvenalis* respiciendus est tanquam Commissarius aut mandataris Societatis, qui voluntariè suam navat operam ad procurandum gratuitò commune bonum societatis, cujus & ipse membrum est. Hinc obligatur in conscientia ad administrandum gratuitò Sociorum suorum interesse, juxta id, quod dicitur *leg. obligatio §. 4. ff. mandati. l. 17. tit. 1.* *Juvenalis* ergo Societati declarare debuit, Ducissam fuisse contentam summâ 6000. florenorum; residuum, quod ipsa reddidit, censetur pertinere ad Societatem, nec illud *Juvenalis* retinere potest sine consensu suorum Sociorum. *Pontas.*

NOTA. Vide *Casu* 193.

CASUS CXCI. *Crasus* dives Telonarius à Senatu taxatus ad 400000. florenos, cum sibi persuasum haberet, hanc bonorum suorum taxationem dimidia parte esse majorem, accessit Paulinam, quæ magnâ apud aulam pollebat gratiâ, eidemque supplicavit, ut vellet suam conferre operam pro taxationis diminutione, oblatò donò 5000 florenorum pro qualibet summa 50000. florenorum, cujus remissionem in favorem *Crafi* fuerit obtentura. *Paulina Crafo* obtinuit remissionem dimidiæ taxæ, à quo percepit in gratificationem 20000. florenos. Potestne *Paulina* hanc summam lucrari, & sine peccato retinere?

R. *Paulina* in casu præsentis nullatenus recipere potest hanc summam, aut receptam retinere juxta doctrinam sacræ Facultatis Parisiensis *art. 89. Qui gratiâ & auctoritate, qua polleat apud Magnates ..., abutuntur ad quæstum ..., peccant, & restitutionis lege tenentur.* Idem dicendum de Præfecto aut Procuratore alijus magni Domini, qui pro quadam pecuniæ summa, vel dono insigni (Gallicè *pot de vin*) aliis procurant officium, v.g. quæstoris, aut aliud simile. *Pontas.*

NOTA. Si constaret, Advocatam esse concubinam Patroni, nunquam liceret, ejus intercessionem

uti, utpote semper fundata & fundanda in obsequio merè tritico, seu contractu innominato do ut des; facio ut facias.

CASUS CXCV. *Riberius* mutuas dedit *Augustino* plures pecuniæ summas, quæ simul sumptæ conficiunt 1750. florenos, pro quibus *Augustinus* non solùm sua illi reddidit chirographa, sed in suo diario etiam dies signavit, quibus quamlibet summam accepit, ibique inter alias summas annotavit tres, quamlibet 250. florenorum, primam acceptam 2. Januarii, secundam 23. Februarii, & tertiam 20. Martii. Elapsis sex mensibus *Augustinus* sex ejusmodi summas restituit consistentes in 1500. florenis; videns autem, quòd *Riberius* septimam non exigat consistentem in 250. florenis, quam in suo diario annotaverat ut acceptam 20. Martii, ipsemet declarat *Riberio*, se adhuc hanc illi summam debere; sed *Riberius* non repertò septimò chirographò hanc summam acceptare renuit, non obstante iterata oblatione ab *Augustino* sibi facta; eoque semper dubius hæreat, an non jam soluta fuerit hæc summa. Potestne tandem acceptare hanc summam 250. florenorum, quam *Augustinus* absolutè vult restituere?

R. *Riberius* potest eam acceptare; 1. quia credibile non est, *Augustinum* in suo diario annotasse summam ut debitam adhuc, quæ tamen soluta jam sit. 2. Quia, cum hoc debitum sit scriptò annotatum, positiva habetur probatio, debitum adhuc extare: positiva autem probatio prævalere debet simplici dubio. 3. Quia, cum *Augustinus* in rebus ac negotiis suis domesticis admodum exactus sit, præsumendum non est, eum falsum quid ac præjudiciosum sibi in suo annotasse diario. *Pontas.*

CASUS CXCV. *Emilianus*, cum audiret, post menses imminuendum valorem pecuniæ, suam omnem tradidit *Joanni* amico suo, ut eam expenderet in commercio, ac post imminutionem pretii sibi iterum æqualem summam restitueret. Accepta conditione *Joannes* expendit pecuniam *Emiliani*, & post imminutionem pre-

tii separatim in sacculo reponit æqualem summam, destinatam ac proximè restituendam *Emiliano*. Interea autem crescit valor pecuniæ in sacculo contentæ. Ad quem pertinet lucrum?

R. Lucrum, quantumcunque notabile fuerit, pertinet ad *Joannem*, qui in se recepit omne periculum, & omnem imminutionem pecuniæ, sempèrque fuisset obligatus ad restituendam *Emiliano* integram summam ab eo acceptam: *Joannes* enim in hoc casu non est habendus pro simplici Procuratore, cum semper haberet dominium hujus pecuniæ. *Pontas*.

CASUS CXCVI. *Diogenes* pauper agricola in extremam paupertatem redactus tempore penuriæ, cogebatur fectò per aliquot menses furtò auferre farinam vicino pistori, ne fame periret. Elapsò hóc egestatis terminò per laborem suum aut per eleemosynas tantum sibi comparaverat, quantum sufficiebat ad sustentationem suam, & etiam ad faciendam diviti pistori restitutionem ablatae farinae. Parochus autem ipsi dicebat, eum ad nullam in conscientia obligari restitutionem. Potèstne tutà conscientia sequi opinionem Parochi sui?

R. Potest sequi; licet melius fieret restitutio: non enim abstulit, nisi quod vñ juris naturalis ipsi licebat auferre. *S. Thomas 2. 2. q. 66. art. 7. ad 2.* Nihilominus si quidpiam de ablata farina adhuc in natura existeret, teneretur illud restituere. *Pontas*.

NOTA. In mea *Theologia* doceo, etiam in extrema necessitate non fieri bona absolutè communia, sed conditionatè cum onere restitutionis, si quis ad pinguiorem fortunam pervenerit.

CASUS CXCVII. *Eraldus* Nobilis cum in suo frumento ad messem jam maturo deprehenderet octo vel decem porcos ad Robertum pertinentes, eosque abigere non posset sine augmento illata ab iis vastationis, duos sclopò trajecit. Peccavitne? & num tenetur in conscientia ad valorem restituendum *Roberto*, qui

porcos custodiri, & factam ab iis devastationem impediri non curavit.

R. Dubium non est; quin *Eraldus* peccaverit; eum in propria causa se Judicem constituerit. Nihilominus si damnum illatum justo valori porcorum occisorum æquivalet, in foro interno ad nullam *Roberto* tenetur reparationem damni. Si consuetudo regionis *Eraldo* permittat, ut ipse sibi justitiam fieri curet, ad id duntaxat obligatur, ad quod obligat consuetudo. Denique ab onere restitutionis immunis foret *Eraldus*, si per sententiam Judicis fuisset absolutus ab obligatione reparandi damnum. *Pontas*.

NOTA. Si à Judice sperari non posset certa reparatio damni, aut non sine periculo magnorum sumptuum damno prope parium, licet egisset *Eraldus*.

CASUS CXCVIII. *Sisinnius* Toparcha in flagranti delicto deprehendit *Lucianum* agricolam, qui in districtu ipsius venabatur, aut columbas ejus trajiciebat; illum aggreditur, ac ablatò sclopò, minabatur illi actionem judicialem. *Lucianus* hīs minis territus relicto sclopò duos insuper dupliones ipsi obtulit ad declinandam in judicio persecutionem. *Sisinnius* hanc oblationem accepit. Teneturne *Luciano* ad aliquam restitutionem?

R. Censeo; *Sisinnium* nec accipere nec retinere posse duos dupliones à *Luciano* oblatos: hæc enim solutio esset instar multæ; multa autem nec debetur, nec potest exigi, nisi à Judice imponatur. Si tamen *Lucianus* intulisset damnum datæ summæ æquivalens, eam accipere ac retinere posset, tanquam præstitam sibi indemnitate. Quod attinet sclopèrum, non videtur, *Sisinnium* obligari ad illud restituendum. *Pontas*.

CASUS CXCVIX. *Andronicus* Parochus vocatus ad excipiendam confessionem *Gerardi* excommunicati denunciati ob furtum 500. florenorum, quos abstulit *Gabrieli*, & periculosè decumbentis, eundem absolvit ab excommunicatione & pec-

peccatis suis, eoque simplicem fecisset promissionem restituendi hos 500. florenos unà cum sumptibus actionis. *Gerardus* paulò post in phrenesin delapsus non potuit exequi promissum suum. An peccavit *Andronicus*? & num tenetur ad reparandum *Gabrieli* omne damnum à *Gerardo* illatum?

R. Parochus iste gravissimè peccat contra justitiam & obligationem suam; & si *Gabriel* nequeat totum damnum sibi illatum recuperare, eximi non potest ab obligatione integrum damnum reparandi; cum ex imprudentia sua & nimia facilitate unica illius causa extiterit. *Pontas*.

NOTA. Excommunicati notorii absolvendi non sunt, ne quidem in articulo mortis, nisi præstita possibili cautione de satisfaciendo laicis.

CASUS CC. *Tatianus* mutuam dedit *Jacobo* summam 10000. florenorum, ex qua per quinque annos censum usurarium percepit. Eodem tempore debebant Regi pendii decimæ omnium bonorum, quæ quilibet possidebat. Num decimæ ex hac summa solvi debent à *Jacobo*, an à *Tatiano*?

R. Edictò, quo decimæ partis bonorum pensio fuit decreta, cautum est, ut omnes particulares personæ decimas bonorum suorum Regi persolverent, illasque possent suis deducere creditoribus ex censu illis persolvendo. Hóc suppositò si *Jacobus* in declaratione bonorum suorum Regi facta mentionem fecit capitalis summæ 10000. florenorum à *Tatiano* mutuatae, & census præstandi, non taxabitur ad decimam, nisi post factam ex illius bonis hujus decimæ partis deductionem; quo casu *Tatianus* ad illam *Jacobo* restituendam non tenetur; eoque Regi nihil persolverit. Si non fecit mentionem mutuatae summæ, Regique ex bonis suis decimas persolvit, *Tatianus* tenetur eam ipsi restituere. Denique si istæ decimæ Regi non fuerunt persolutæ, *Tatianus* eas solvere tenetur, quamprimum præfectus earum illas exegerit. *Pontas*.

CASUS CCI. *Farinacius* Advocatus disertissimus susceptam in se causam, quam injustam noverat, tam dextrè propugnavit, ut illam fuerit lucratus. Teneturne in conscientia ad restituendos 20. dupliones pro labore suo acceptos?

R. Evidens est, eum accepisse has pecunias contra justitiam; & consequenter tenetur ad restitutionem *S. Aug. Epist. 153. aliis 54. n. 25.* Tenetur insuper ad reparandum omne damnum adversæ parti illatum, illo non restituente, pro quo hanc causam injustè fuit lucratus. *Pontas*.

CASUS CCII. *Heraclides* Advocatus consulit *Ludovico* clienti suo litiganti cum *Antonio*, ut negaret verum aliquod factum, nisi vellet cadere causâ suâ. *Ludovicus* Advocati consilium secutus lucratus est causam suam. Teneturne *Heraclides* ad reparandum *Antonio* damnum in defectu *Ludovici*?

R. Certum tam Juris Canonici quàm Romani principium est, illum, qui consulit furtum, ejusdem reum esse. Hinc *Heraclides* tenetur *Antonio* reparare damnum illatum, si illud non reparet *Ludovicus*. *Pontas*.

CASUS CCIII. *Hyginus* præmeditatè occidit Paulum *Renati* patrem; & *Petrus* ac *Jacobus* soli sunt testes oculati. Ad supplicem *Renati* libellum fuit facta inquisitio contra *Hyginum*, & in judicium vocati sunt *Petrus* & *Jacobus* unà cum pluribus aliis ad perhibendum testimonium; sed nullus contra *Hyginum* testatus est. Jam quæritur, num *Petrus* & *Jacobus*, qui veritatem reticuerunt, ad restitutionem teneantur fisco, ad quem maxima bonorum *Hygini* portio pertinuisset post latam in eum mortis sententiam?

R. Lex purè pœnalis à Potestate seculari condita, quæ nec recipitur, nec in usum deducitur, & quidem cum consensu saltem tacito hujus Potestatis secularis, in foro interno non obligat; licet lex promulgata juxta receptam consuetudinem obliget in conscientia. Dein potest lex reci-

recipi & vigere quoad certos articulos, non item quoad alios; quo casu ad hos posteriores nulla datur obligatio. Denique non obligat amplius lex, quæ fuit abrogata ab ipso Legislatore, aut per consuetudinem contrariam rationabilem & legitimè præscriptam. Hic prænotatis dicitur, *Petrum & Jacobum* in casu proposito ad nullam Fisco obligari restitutionem; quia lex pœnalis bona alicujus hominis ad mortem condemnati Fisco adjudicans, locum & usum non habet, donec sententia à Judice fuerit pronuntiata. *Navarrus Manual. c. 25. n. 15.*

CASUS CCIV. *Christianus* contra Religiosos cujusdam Ordinis Reformati malè affectus ob perditam contra illos causam, persuasit *Paulo*, qui à decem annis Frater laicus solus sartoris munere in Communitate fungebatur, ut transfret ad Ordinem laxiorem; id quod cum dispensatione Romana etiam factum est. Teneturne Communitati ad aliquam restitutionem?

R. *Christianus* excusari nequit ab obligatione reparandi damnum Communitati, quæ alterius sartoris operam conducere cogebatur: non enim peccavit solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam; eoquod ex malitia huic Communitati damnum intulerit. *Merbesius Sum. Christ. tom. 1. part. 2. q. 172. conclus. 3. pag. 619.* Peccatum *Christiani* ex eo fit gravius; quia causa exstitit cujusdam generis apostasiæ, in quam incidit *Paulus*.

CASUS CCV. *Victoricus* famosus campfor tres habet commercio suo famulantes, *Paulum*, *Petrum*, & *Claudium*, qui cum illo de sua mercede convenerant, nimirum *Paulus* pro 200. florenis, *Petrus* pro 150., & *Claudius* pro 100. *Petrus* & *Claudius* non minus operæ præstabant Hero suo, ac *Paulus*; & ideò idem cum *Paulo* sibi salarium deberi existimabant. Hoc nixi fundamentò ex pecuniis pro Hero suo acceptis tantum retinent, quantum cujuslibet salario à summa 200. florenorum deest. Tenenturne in rigore ad

restituendum id, quod ultra constitutum salarium occultè sibi attribuerunt?

R. *Caustica*, qui docuerunt, domesticos in hoc casu propria autoritate uti posse occulta compensatione, fuerunt censurati ab Universitate *Bovaniensi*, & pluribus Episcopis Galliæ. Doctrina Facultatis Parisiensis hujusmodi domesticos expressè furti arguit. Hinc *Petrus* & *Claudius* tenentur ad restituendum id, quod ultra præfixum salarium receperunt. *Pontas.*

CASUS CCVI. *Albertus* vir nobilis cum perdidisset horologium argenteum, ocyus in furti suspicionem attraxit *Barnabum* famulum suum; idque manifestavit toti Familiæ suæ; etsi falsum fuerit. Teneturne à *Barnaba* calumniæ veniam petere, & reparare famam hujus famuli?

R. Tenetur in conscientia *Albertus* ad reparandum *Barnabæ* famam injustè ablatam: non tamen tenetur ab eo petere veniam. *Merbesius Sum. Christ. tom. 1. part. 1. q. 178. conclus. 3.*

CASUS CCVII. *Pyfander* ante triginta annos in Universitate Parisiensi per duos annos studiis vacabat; & cum à patre suo per annum tantum recepisset 65. florenos pro sustentatione sua, non potuit solvere debitum Professore suo honorarium 24. florenorum. Jam *Pyfander* Professore nil unquam exigente domum rediit, ibique suscepto statu Ecclesiastico obtinuit Beneficium, cujus redditus annui cum aliis bonis hæreditariis ascendunt ad summam 1250. florenorum. Teneturne 24. florenos restituere hæredibus sui Professoris?

R. *Pyfander* non censetur obligari ad hanc restitutionem; licèt generaliter loquendò Professore eo tempore jus haberent tale honorarium exigendi. Quia tamen tale salarium Professoribus tantum debebatur ab iis, quibus illud solvendi facultates suppetebant, & reliqui considerandi erant tanquam pauperes; *Pyfander* ut talis considerari debuit, & non obligatus tunc temporis ad solvendum salarium,

rium, non ampliùs obligari potest; quia, ut habet axioma, *obligatio semel extincta nunquam reviviscit.*

CASUS CCVIII. *Corentinus*, postquam legerat publicè affixam schedam, qua *Jacobus* triginta dupliones promittebat illi, qui sibi in manus deferret adamantem 2000. florenorum in quadam Ecclesia perditum, sedulo illum quæsivit, & in dicta Ecclesia reperit. Accedit ocyus *Jacobum*, & ab eo triginta duplionum solutionem petit, aliàs non redditurus adamantem; *Jacobus* veritus, ne *Corentinus*, quem non noverat, restitutionem recusaret, triginta illi dupliones numerat, & suum recipit adamantem. Jam Confessarius *Corentinum* obligat ad restitutionem triginta duplionum; *Corentinus* autem ratione factæ à *Jacobo* promissionis se excusat.

R. Existimo, *Corentinum* in casu proposito teneri ad restitutionem acceptæ pecuniæ; quia illam exegit, antequam reddiderit adamantem, suamque illum aliàs non reddendi mentem satis declaraverit: nemo enim sine crimine retinere potest bonum alienum invito dominò: facilè insuper quivis sibi imaginari potest, *Jacobum* non promississe triginta dupliones, nisi ex metu perdat adamantem suum. Verùm si *Corentinus* reddidisset adamantem, quin aliquid exegisset, *Jacobus* autem nihilominus ipsi dedisset triginta dupliones, gratificatio hæc justè ipsi foret acquisita; licèt longè meliùs esset nihil recipere. *Pontas.*

NOTA. Censèo, quod *Corentinus* teneatur quidem ad reddendum absolutè Adamantem, attamen licèt convenire poterit *Jacobum* coram Judice ad standum promissis

CASUS CCIX. *Freculfus* Patruus & Tutor *Maria* & *Ludovica*, minis, vñ, ac iniqua tractatione *Ludovicam* coëgit, ut Religiosum statum amplecteretur; quia erat valde deformis, ipsique odiosa. Teneturne ad aliquam restitutionem? & cui?

Diction. Cas. Conf.

R. *Libertas inestimabilis res est.* Unde nihil justitiæ magis adversatur, quàm aliquem privare libertate sua. Cum autem omne peccatum contra justitiam obliget ad restitutionem, etiam *Freculfus* obligatur ad reddendam *Ludovicæ* integram ac plenam libertatem 1. agnoscendò, quòd eam coëgerit ad amplectendum statum Religiosum. 2. Eidem declarandò, quòd possit egredi è Monasterio, ipsique procurandò medfa annullandi vota sua. 3. Offerendò ipsi gratiam recipiendi eam in domum suam, & cum mansuetudine ac charitate tractandi. 4. Ex propria sua pecunia persolvendo omnes expensas in ingressum Religionis, ac commorationem in eadem factas, deductis tamen expensis, quas facere debuisset in alimentationem & sustentationem *Ludovicæ*, si mansisset in sæculo. *Merbesius Sum. Christ. tom. 1. part. 2. q. 173. conclus. 2.*

CASUS CCX. *Lactantius* Mercator annò 1680. quingentos florenos mutuos dedit *Josepbo* æquè mercatori, qui tradidit ipsi chirographum, quo annus mutuatæ pecuniæ non literis, sed numeris erat expressus. *Lactantius* non petita solutione usque ad obitum *Josephi*, & veritus, ne *Jacobus* unicus defuncti filius nuper primùm à bello redux, ubi quindecim annis Regis stipendia meruit, & prorsus ignarus de statu rerum sui parentis, extingueret hoc debitum 500. florenorum jure præscriptionis, locò 1680. posuit 1689. Hac usus industrià impediit, quòd minùs posset *Jacobus* uti præscriptione, illumque obligavit ad solvendum debitum 500. florenorum. Teneturne in foro interno *Jacobo* ad restitutionem?

R. Nunquam absque peccato potest fieri aut supponi falsum chirographum, aut quicumque alius titulus: hinc *Lactantius* graviter peccavit falsificandò chirographum. Non tamen censetur obligatus esse ad restitutionem; quia hæc summa legitimè illi debebatur. *Pontas.*

U u u u

CA.

CASUS CCXI. *Euphrasius* Notarius, creditor *Barnabæ*, cum recepisset summam 1000. florenorum, deducendam à summa 3000. florenorum eidem mutuo data, pro qua accepit cautionem datam primo Januarii 1660., neglexit petere solutionem residuorum 2000. florenorum usque ad primum Martii 1692; quia putabat, eum fore solvendo, & studiosè intendebat, ut debitum in notabilem summam accresceret, sicque debitorem suum postea obligaret ad concedendum sibi pro solutione pratum sibi valdè commodum. Facta autem reflexione, jam plusquam triginta annos fuisse elapsos à die datæ cautionis, & *Barnabam* uvi posse jure præscriptionis, locò Nullionis posuit numerum novenarium, ut appareret, cautionem primùm datam esse 1669. sicque præscriptioni locus non esset. *Barnabas* obventa cautione in originali sibi communicata, & cognita *Euphrasii* falsificatione, tanquam falsarium in judicio ipsum detulit. Verùm tribus annis in continuata actione elapsis *Euphrasius* lucratus est causam suam, & *Barnabas* fuit condemnatus non solum ad solvendo 2000. florenos residuos, sed etiam in expensas ac interesse 500. florenorum; quam integram solutionem sibi ocyùs fieri curavit *Euphrasius*. Appropinquante autem mox tempore jubilæi *Euphrasius* hoc factum exposuit Confessario; quem cum parùm favorabilem expertus esset, reposuit, *Barnabæ* certò constitisse hocce debitum residuum 2000. florenorum, séque ab eo falsi accusatum fuisse solum animò eripiendi hanc pecuniæ summam sub prætextu præscriptionis; unde ipse sibi imputare deberet infelicem causæ judicatæ aleam, sicque se eximi ab omni obligatione restituendi expensas, & perceptum interesse.

R. Ingens discrimen est inter summam principalem 2000. florenorum, & inter expensas ac interesse 500. florenorum: summam enim principalem *Euphrasius* tutà conscientiâ retinere potest, ut legitime sibi debitam. Verùm quod attinet ex-

pensas & interesse, tenetur in conscientia ad restitutionem; nam *Euphrasius* mutandò annum datæ cautionis ansam præbuit *Barnabæ* actionem instituendi de falsificatione: *Qui occasionem dat, damnum dedisse videtur*, inquit Regula Juris. *Pontas.*

CASUS CCXII. *Pothinus* duos florenos cum dimidio accepit pro depositione testimonii in quadam causa, pro qua à Judice fuerat citatus. Teneturne ad restitutionem acceptæ pecuniæ?

R. Si has pecunias accepit pro pretio depositi testimonii, tenetur ad faciendam restitutionem; eoquòd peccaverit contra justitiam, quæ non minus testibus prohibet vendere suum testimonium, quam Judicibus judicium. *S. Aug. Epist. 53. aliàs 54. ad Macedonium. n. 23. in Can. Non sanè. 15. 14. q. 5.*

CASUS CCXIII. *Fulcinus* noctu abstulit *Jacobo* equum aliquò morbò laborantem, qui quatuor aut quinque horis post commissum furtum repentè occubuit. Teneturne restituere valorem equi?

R. Authores quoad hoc punctum in diversas abeunt sententias: justum tamen magis videtur & tutius pro conscientia, sequi opinionem *S. Thomæ*, juxta quem *2. 2. q. 62. art. 6. in corp.* ille, qui abstulit rem alienam, ad restitutionem tenetur non solum ratione rei, sed etiam ratione injustæ actionis, quam commisit. Hinc *Fulcinus* tenetur *Jacobo* restituere valorem equi. *Pontas.*

NOTA. Tenetur fur à momento furti ad valorem rei, quem habuit tempore furti, & quanti interest Domino, animali non potuisse applicari debitè fomenta.

CASUS CCXIV. *Papyrius* homo mediocris conditionis postquam vitâ excefferat, *Jacobus* ipsius hæres ab intestato reperit inter mobilia defuncti bona argenteum horologium pretiò constans 20. florenorum; sed conscius *Papyrium* istò horologiò nunquam usum fuisse, dubitat, an non in foro conscientiæ teneatur ad restituendum pauperibus justum illius valorem. Quid respondendum ipsi à Confessario?

R. Si

R. Si *Jacobi* dubium legitimò nititur fundamentò, à Confessario ipsi consulendum est, ut faciat istam restitutionem. *Pontas.*

NOTA. Potius Christianè de *Papyrio* sentiendum, quod horologium vel invenerit, vel in pignus non redemptum receperit, vel in militia ex hoste occupaverit.

CASUS CCXV. *Candidianus* dives agricola, ut desiderium *Paulini* filii sui secundi expleret, qui statum Religiosum in Ordine quodam Mendicantium amplecti volebat, convenit cum Superiore & Capitularibus, se ante illius Professionem daturum 1250. florenos præter summam 150. florenorum pro anno Novitiatus; id quod etiam executus est, non modico licèt absque absque scrupulo. Potestne Superior & Conventus retinere hanc summam? &, si obligantur ad restitutionem, num ea facienda est *Candidiano*?

R. Religiosi isti absque omni jure ceperunt summam 1250. florenorum, quam *Candidianus* non ex mera liberalitate ac gratuito ipsis numeraverat, sed sub conditione, ut filium suum ad professionem admitterent; & hinc tenentur ad restitutionem. Hæc autem restitutio non est facienda *Candidiano*, cum mala fide egerit, sed pauperibus; vel hæc summa applicanda est in alias causas pias, quin Superior aut Religiosi eam privata auctoritate suo applicare Conventui possint. *Pontas.*

NOTA. Monasteria non illicite transigunt anticipatò de legitima dotis. Peccant tamen in Ordinibus clericalibus, si recipiant Clericandos ex motivo primario datis, hoc est, alioquin non recipiendos. Ob eam internam intentionem, qua in foro externo est difficilis probationis, non datur obligatio restituendi.

CASUS CCXVI. *Andronica* vidua quinque liberorum parens, quorum secundus est adulterinus, videns, se periculosè decumbere, nec posse ex hære titare illum, lege id prohibente, omnes con-

vocat; atque, cum existimaret, suam deonerandam fore conscientiam ratione damni vel quis quatuor liberis inferendi, si æqualis inter omnes fieret divisio bonorum hæreditariorum, ipsis declarat, quempiam eorum esse ex adulterio natum, séque ad eum manifestandum, si vellent, paratam fore. Liberi mox consentiunt in hoc, ut Mater adulterinum non manifestet, séque invicem condonare damnum alterutri inferendum, quicumque ille sit. An isthoc remedium coram Deo in conscientia securam reddit Andronicam?

R. ALCIATUS approbat talem præcautionem ut sufficientem. Nihilominus præferenda videtur sententia *COVARUVIÆ* Episcopi Hispalensis contrarium sentientis: duplex enim metus, incurrendi infamiam & amittendi hæreditatem, censendus est plurimum posse in animis horum infantium, ita, ut ipsis sufficiens libertas non relinquatur faciendi reciprocam condonationem; ex quo etiam non sufficienter tranquillari potest conscientia matris. *Pontas.*

NOTA. Vide *Cas. 153.*

CASUS CCXVII. *Desiderius* irregularis ex delicto se provideri curavit à Collatore ordinario de Parochia quadam, ex qua per duos annos redditus percipiebat; quamvis nec residentiam servaverit, nec toto illo tempore Breviarium recitaverit. Supplicavit postmodum Papæ pro rehabilitatione & condonatione fructuum; id quod ipsi etiam concessum fuit: in supplicatione autem omissionem Residentiæ & Breviarii exponere non ausus, solam expressit irregularitatem. Estne securus in conscientia?

R. Ex triplici titulo *Desiderius* non potuit percipere fructus hujus Beneficii, nimirum ratione irregularitatis, ob omissionem Residentiæ & Breviarii; cumque in supplicatione solam expresserit irregularitatem, Rescriptum subreptitium est & nullum, ac consequenter fructus jam perceptos, non obstantè condonatione à Papa sibi facta tenetur restituere. Rescriptum

Uuuuu 2

solum

folùm id operatur, ut incipiat novus esse Titularis legitimus à die dati Rescripti. Ut autem fructus perceptos sibi attribueret possit, opus est novò Rescriptò. *Pontas.*

CASUS CCXVIII. *Anatolius* abstulit 250. florenos cuidam Abbati Commendatio, & similem summam cuidam Patri-familias. Jam ad restitutionem paratus est; sed dubitat, num illis ipsis ea facienda sit; quia ambo jam per plures annos dissipant bonà sua comessationibus, lusu ac venatione; imò in huac ipsum finem contrahunt etiam debita; nec melius applicarentur pecuniæ restituendæ. Quid agendum Anatolio?

R. Quoad Abbatem restitutio facienda est Ecclesiæ, aut pauperibus. *Cajetanus in Sum. v. Restitutio. 4. n. 2.* Quod atinet Patremfamilias, restitutio fieri debet uxori ipsius, si prudenter res suas administrat; dummodò timenda non sit perturbatio ac discordia domestica, si nimis maritus facti veritatem detegeret. *Gaugericus in Cajetan. v. Furtum. tit. quibus casibus liceat uxori &c.*

CASUS CCXIX. *Alpbiarius* Diaconus, viginti tres annos & dimidium natus, de Beneficio curato provisus intra annum Ordinem Presbyteratus suscipere neglexit: continuatà per alios duos annos possessione, in Curia Romana resignavit hoc Beneficium *Remigio* fratri suo Presbytero & Parocho alterius Parochiæ redditum admodum tenuium. An hæc resignatio valida est, & *Remigius* Canonicè provisus post lapsum horum trium annorum? An non tenetur *Alpbiarius* ad restitutionem fructuum perceptorum ex hac Parochia?

R. Quia *Alpbiarius* intra annum non recepit Presbyteratum, & insuper per alios duos annos retinuit Parochiam, ipso jure eà privatus existit; & consequenter nullum habuit jus per simplicem resignationem eam dimittendi *Remigio*, qui proinde illegitimè de ea provisus fuit. Ad hæc tenetur *Alpbiarius* ad restitutionem omnium fructuum ultimis duobus annis

ex Beneficio perceptorum, utpote illegitimus ejusdem possessor: imò obligatur etiam ad restitutionem fructuum primò annò perceptorum, si acceptavit provisionem animò non recipiendi Presbyteratum intra annum. *Bonif. VIII. in cap. Commissa. 35. de elect. in 6.* Verùm si *Alpbiarius* ob legitimum impedimentum non potuisset suscipere Presbyteratum, juxta eundem Papam non excidisset suo Beneficìo. *Pontas.*

CASUS CCXX. *Emericus* cùm recepisset 5000. florenos ostiduo, antequam valor pecuniæ diminueretur, notabilemque jacturam timeret, hanc summam dedit cuidam actionario pro schedis numerariis. *Justinus*, qui gravis summæ debitum solvere debebat, obtulit se *Emerico* ad accipienda ejus chirographa juxta valorem suum intrinsecum, ac præstandam annuam pensionem 250. florenorum, licèt tunc hæc chirographa tertia pretii parte publicò edictò fuerint diminuta. *Emericus* acceptavit *Justinus* oblationem, & inito contractu per duos annos censum recepit. *Justinus* postea *Emericum* certiorum reddit, quòd tertiam pretii partem perdiderit, sibi que justam fieri remissionem petit. Teneturne *Emericus* fidem habere *Justinus*? an obligatur ad faciendam petitam remissionem, reducendò 250. florenos per contractum importatos ad duas tertias? An ob eandem rationem reddere tenetur unam tertiam 500. florenorum lapsu duorum annorum jam perceptorum?

R. Lucrum hoc est usurarium, quidquid de eo sentiant quidam Authores, qui considerant hujusmodi chirographa tanquam mercem currenti pretiò æstimabilem. Hòc suppositò si *Emericus* recepisset ab Actionario chirographa 750. florenos continentia sub prætextu amittendæ aliàs unius tertiæ partis, justum non est, hanc tertiam partem à *Justinus*, qui tantundem amisit, exigere, suppositò, quòd jactura sit certa, & ipse *Emericus* sibi persuasum habeat, hanc jacturam *Justinus* fuisse

fuisse illatam: & in hoc casu *Emericus* debet reparare damnum *Justinus* causatum, annuam pensionem ad duas tertias reducendò & reddendò duas tertias per biennium jam perceptas. Verùm si *Justinus* non potest convincere *Emericum* de jactura, quam se passum fuisse ait, *Emericus* regulariter loquendò non tenetur ipsis verbis credere. Denique suppositò quòd *Emericus* receperit chirographa 5700. florenos continentia pro 5000. florenis numeratæ pecuniæ, quos dedit Actionario, & quòd hanc summam expenderit sine suo damno, & quòd non obligetur *Justinus*, propterea non cessat obligatio hanc tertiam partem restituendi jacturam passo; qui si lateat, restitutio in elemosynas vel alias pias causas facienda est. *Pontas.*

CASUS CCXXI. *Gildebaldus* filiusfamilias rixatus cum Henrico, tam crudum illius capiti ictum impegit, ut illud pterebrari debuerit, imò post octo aut decem dies Henricus ex hac plaga obierit. *Framburgus* Hildebaldi pater cognitò hòc factò, & sciens, viduam Henrici jam obtinuisse decretum comprehendendi occisorem, unà cum provisione 100. florenorum contra suum filium, eidem de fuga prospexit. Vidua autem intentata *Framburgus* actione præterit, illum condemnari debere non solùm ad solutionem 100. florenorum, sed etiam in expensas chirurgi & funeralia sui mariti. Potestne *Framburgus* in judicio se defendere à præstanda hac solutione pro filii sui delicto? Potestne à Judice condemnatus ad hanc solutionem, in conscientia & absque injustitia se eximere ab obligatione solvendi?

R. Jus naturale & divinum non permittit, ut delictum filii imputetur patri. Index igitur solùm condemnare potest *Hildebaldum* in solutionem provisionis, in expensas, in damnum & interesse, atque ad pœnam capitalem commissò homicidiò promeritam. Cæterùm *Framburgus* potuit, imò debuit filio suo de fuga prospicere. *Pontas.*

CASUS CCXXII. Creditori cuidam syngrapha mutuo datæ pecuniæ furtò ablata fuerat, sui substituit aliam recentiorum, eamque in excussione bonorum debitoris exhibuit, & obtinuit solutionem, posthabitis aliis creditoribus, quorum debita quidem erant recentiora, syngrapha tamen antiquiores. Potuitne recipere solutionem in præjudicium horum creditorum posteriorum?

R. Non potuit eam recipere; sed tenetur ad restitutionem reliquis creditoribus vi juris & consuetudinis. *Fromageau.*

CASUS CCXXIII. Quidam recepit census usurarios, aut jure hæreditario acquisivit bona ex usura provenientia. Cuiam facienda est restitutio?

R. Illi facienda est restitutio, qui solvit hujusmodi census usurarios: si tamen census illi solverentur voluntariè, & merè gratuito, tanquam donum ex generositate factum retineri possent. *Fromageau.*

CASUS CCXXIV. Petrus ingentes cumulavit divitias ex meris mutuis usurariis. Teneturne restituere, quæ hòc modò acquisivit?

R. Tenetur omnia restituere; & si restitutio non facta est in vita ipsius, ad eam tenentur hæredes: neque differenda est ejusmodi restitutio. Si ii non reperiantur, quibus facienda est restitutio, summa restituenda erogari debet in panperes. *Fromageau.*

CASUS CCXXV. Mercatores compererunt, antequam publico innotuisset, Algerienses bellum indixisse Gallis; & hac occasione utendum rati, naves suas eodem pretiò sibi assecurari curarunt, quo assecurari solent tempore pacis.

R. Non potuit id fieri tutà conscientia; tenenturque assecuratoribus reparare damnum per fraudulentam dissimulationem illatum. *De Lamet.*

CASUS CCXXVI. Quispiam bona fide percepit censum usurarium ex mutuo. Teneturne ad restitutionem?

R. Potest contingere, ut quis in casu valde extraordinario ratione bonæ fidei

non obligetur ad restitutionem census usurarii ex mutuo percepti. Verum, quamprimum censum esse usurarium semel innotuit, eum non amplius percipere potest. *De Lamet.*

NOTA. Ad casum-extraordinarium pertinet repentina indigentia possidentis lucrum usurarium,

CASUS CCXXVII. Quidam fuit vulneratus ab iis, quos ipsemet primus est aggressus: nihilominus falsi testimonii beneficio favorabilem pro se obtinuit sententiam. Potestne uti hac sententiâ?

R. Non potest; imo tenetur etiam reparare damnum illatum illis, contra quos obtinuit sententiam. *De Lamet.*

CASUS CCXXVIII. Mercator quidam vendi ac tradi sibi curavit frumentum jam venditum, sed nondum traditum alteri. Potestne retinere lucrum ex hac emptione perceptum?

R. Tutâ conscientiâ non potest lucrum retinere; sed tenetur illud restituere primo emptori. *De Lamet.*

CASUS CCXXIX. Judex quidam potitus est prædiò vî Decreti, quo sub nomine alieno sibimet ipsi illud adjudicavit. Potestne illud retinere?

R. Tutâ conscientiâ non potest retinere. Tenetur insuper prædii domino sic oppresso reparare damnum, ei prædium restituendò pro eadem summa quam ipse vî Decreti solvit. *De Lamet.*

CASUS CCXXX. Tenentur hæredes restituere bona malè acquisita, quæ in partem hæreditatis veniunt? Tenentur ad id omnes simul, aut quilibet in particulari?

R. Quilibet eorum tenetur ad restitutionem pro ratione portionis suæ hæreditariæ. *Fromageau.*

CASUS CCXXXI. Quidam induxit filiumfamilias, ut furetur patri suo pecuniam. Tenentur sic inducens ad restitutionem?

R. Integram summam tenetur patri restituere, etiam defunctò filiofamilias. *Fromageau.*

CASUS CCXXXII. *Sempronius* videns, à Titio actu committi furtum decem modiorum tritici, ipsemet hac occasione tale furtum committit, de quo tamen non cogitasset, nisi suò Titius exemplò præisset. Tenentur *Titius* restituere pro *Sempronio*, si hic restituere nolit?

R. Non tenetur; quia Titius nec positive, nec negative fuit causa furti à *Sempronio* commissi; sed tantum occasionem præbuit. Præbendò autem *Sempronio* occasionem furandi Titius non peccavit contra iustitiam, sed tantum contra charitatem; & hinc non tenetur ad restitutionem.

NOTA. Tenetur tamen Titius monere *Sempronium*, ut restituat; & si nolit, clam sub secreto monere parochum.

CASUS CCXXXIII. Titius bona fide emit bovem, quem decem florenis pluris denuò vendit Paulo: postea autem comperiens, bovem hunc fuisse furtò ablatum, & pertinere ad Franciscum, quærit utrum teneatur Franciscò restituere lucrum ex venditione bovis Paulo facta redactum, nempe decem florenos.

R. Non tenetur, nisi bos factus sit intrinsecè melior. Ratio est; quia in casu, quo bos nullam recepisset mutationem intrinsecam, lucrum reportatum unice respiciendum est tanquam fructus industriæ Titii. *De Lugo.*

CASUS CCXXXIV. Bertha frequenter à Franciscò recepit munuscula, ea intentione sibi facta, ut tandem consentiat pravis ipsius desideriis; sed Bertha constanter restitit.

R. Non tenetur Bertha restituere hæc munuscula; quia ea acceptandò nullam contraxit obligationem iustitiæ erga Franciscum Bertha, posset exigere, ut quia hic titulo iustitiæ non aut consentiat voluntati ipsius, aut reddat accepta. *Lopez. Rebellus p. 1. lib. 3. q. 7. n. 6.*

CASUS CCXXXV. Cajus inter deposita à defunctò Parocho, Patruo suo sibi relicta, reperit monilia aurea, quæ certò vel ad Petrum vel ad Paulum spectant.

Cum

Cum autem detegi non posset, quis horum verus monilium dominus sit, quærit novum Parochum, cuiam sint reddenda.

R. Parochus tenetur ipsi respondere, ut pretium monilium dividat æqualiter inter Petrum & Paulum. *Azor tom. 1. l. 2. c. 15. §. quinto quæritur.*

NOTA. Tenetur potius monere ambos, & reddere illi, qui jus suum probaverit; vel ea deponere apud sequestrum à iudice designandum.

CASUS CCXXXVI. Agricola quidam, cui nec panis ad vescendum suppetebat, mutuos accipit ab aliquo decem florenos, cum obligatione eos reddendi tempore messis. Tenentur re ipsa restituere hanc summam tempore præfixo?

R. Tenetur; licet enim agricola iste fuerit pauperrimus actu, non tamen erat talis in spe: hinc, sicut nec publicè nec occultè potuisset cuiquam auferre decem florenos, nisi cum obligatione eos restituendi, ita non potuit recipere hanc summam ad sublevandam suam miseriam, quin eandem obligationem contraheret. Dein, etsi in extrema necessitate omnia fiant communia, sententia tamen adhuc valde probabilis est, quòd quis in extrema necessitate constituto non teneatur subvenire gratis per donationem, sed licitè possit illi dare mutuum. Hòc suppositò, cum ille, qui dedit agricolæ mutuos decem florenos, iustè inierit hunc contractum, & agricola receperit, quòd volebat, non videtur, quomodo hic vî huius ipsius contractus non obligetur ad restituendam summam tempore præfixo. *Bonac. de rest. in gen. q. ult. punct. 1. n. 35. Navar. l. 4. c. 4. n. 21. & alii.*

CASUS CCXXXVII. Res iniustè ablata perit in domo furis; ea tamen æqualiter periisset apud legitimum possessorem, domo ipsius in cineres redacta. Ad quid tenetur fur?

R. Ad nihil tenetur; quia nec ipse per furtum fuit factus ditior, nec dominus rei pauperior: sicut nec nauta tenetur ad restitutionem, licet contra voluntatem Do-

mini sui merces transtulerit ex navì optimè constituta in aliam malè constitutam, in qua dein perierunt; si navis prior similiter naufragiò periit. *Less. de rest. l. 2. c. 12. n. 72. Lamb. l. 8. tr. 3. c. 2. §. 8.*

NOTA. Cum in optione domini sit, ex incendio salvare rem etiam viliozem, & cum periculo vitæ, fur nihilominus ad restitutionem ex æquo obligandus est.

CASUS CCXXXVIII. Titius cum quibusdam debitis esset oneratus, nec ea dissolvere posset, in hunc finem adhibet anulum aureum, à se inventum, cuius Dominum detegere non potuit.

R. Licet in hunc finem utitur inventò annulò: si enim id non liceret, tunc ideò; quia inventa, quorum dominus nescitur, erogari debent in pauperes, aut applicari in alias causas pias: in casu autem proposito Titius ex una parte est habendus pro paupere, cum debita sua solvere non possit; & ex altera parte annulus aureus applicatur in causam piam, qualis est, impedire, ne debitor vexetur à creditoribus suis. *Girib. de rest. c. 5. n. 34. Rosig. prænot. 8. n. 2. De Lugo disp. 20. n. 5.*

CASUS CCXXXIX. Petrus bona fide possidet agrum per aliquod tempus; dein, postquam per integrum annum dubitavit, an ager iste pertineat ad se, certum ipsi fit, agrum pertinere ad alium. Quid tenetur Petrus restituere?

R. In primis tenetur restituere agrum, nisi dominium ejusdem acquisierit per præscriptionem: dein tenetur restituere fructus nondum præscriptos, deductis tamen semper pro indemnitate sua expensis in agrum factis. Præscriptio huiusmodi fructuum locum habet post triennem possessionem, sive ea fuerit bona fide, sive fide dubia, dummodò eo anno, quo dubitavit de legitimitate possessionis, sufficientem diligentiam adhibuerit ad indagandam rei veritatem; tunc enim dubium non tollit possessionem bonæ fidei, nec impedit, quo minus tempus præscriptionis continetur. Verum si fuit ommissa debita diligentia pro indaganda rei veritate, tunc

tunc, cum statim ab initio possessionis dubiæ quis sit possessor malæ fidei, annus hujus possessionis dubiæ non potest computari inter annos necessarios ad legitimè præscribendum. Denique si Petrus possedit agrum per aliquod tempus non sufficiens ad præscriptionem ejusdem, aut fructuum, teneretur restituere & agrum, & omne id, unde per possessionem ejusdem est factus ditior; quia omnî caret titulô ea retinendi. *Girib. de just. & jure c. 4. n. 76. & 77. Layman. l. 3. tr. 1. c. 8. n. 10. Covarr. §. 7. n. 3.*

CASUS CCXL. Duo homines, quorum unus se fingit pauperem, alter autem vera talis est, ingentes pecuniæ summas coacervant petendô eleemosynas.

R. Ille, qui se fingit pauperem, tenetur ad restitutionem; quia erogantes ipsi eleemosynam fuerunt decepti quoad objectum charitatis & misericordiæ suæ: error autem hujusmodi tollit consensum donantis, & consequenter impedit translationem domini rei donatæ. Quod attinet alterum re ipsa pauperem, is ad nihil tenetur.

NOTA. Si verè pauper habeat liberos, licitè illos elocat ad honestam sustentationem, aut sibi ipsi de ea providet ex Eleemosynis.

CASUS CCXLI. Titius habet filiam nubilem; cum autem paupertate pressus eam dotare non posset, abstulit 500. florenos, quos pro dote dedit filiæ suæ, quæ etiam sic dotata facilè Maritum reperit. Aliquot annis post consummationem matrimonii maritus detegit, dotem ab uxore sibi allatam fuisse furtô ablatam Cajo. Teneturne eam restituere?

R. Si dos nondum fuit commixta cum aliis bonis mariti, cenleo, eum obligari ad restitutionem, suppositô quòd nondum legitimè contra eam præscripserit. Verùm si tempus ad præscriptionem requisitum jam effluxit, aut facta est commixtio dotis cum aliis bonis, non tenetur ad restitutionem. *Sporer. La Croix. aliique.*

NOTA. Commixtio bonorum non liberat ab onere restituendâ furtiva, ex quibus Titius factus

est ditior. Neque enim Legislator titulum transferendi domini absolute indulgisset commixtioni furtivorum.

CASUS CCXLII. Titius in confessione se accusat, quòd abstulerit 100. florenos, quin tamen sciat, ad quem pertineant. Confessarius ipsum obligat ad distribuendam hanc summam in pauperes. Distributio hæc vix fuit facta, & Titius mox comperit, hos 100. florenos pertinere ad Petrum.

R. Titius non tenetur altera vice solvere hanc summam, si ante factam distributionem in pauperes adhibuit omnem diligentiam prudenter exigibilem ad detegendum verum Dominum hujus pecuniæ. *Lessius lib. 2. cap. 14. n. 43.*

NOTA. Hinc Confessarii potius obligent penitentem ad deponendam pecuniam obsequatam in loco tertio tuto per Confessarium designando, donec omnis spes retegendi veri Domini evanescat.

CASUS CCXLIII. Titius vendidit dolium vini, quod cum aveheret ad emptorem, in via advertit, dimidium vini fuisse affusum; dolio hinc tantum aquæ affudit, quantum vini defuit, ne tam facilè adverteret emptor.

R. Suppositô quòd venditor fuerit obligatus ad avehendum vinum ad emptorem, dico in primis, Titium teneri ad reparationem valori proportionatam corrupti damni; sive quia vendidit aquam pro vino, sive quia commixtio aquæ vix non omnem vino vigorem adimit. Dein dico; si commixtio aquæ vinum reddidit totaliter inutile emptori, venditor tenetur ad totalem reparationem damni. *D. Thomas Girib. de empt.* Si autem vinum sit mixtum potest adhuc servire emptori, venditor tenetur ad reparationem pro ratione damni, quod intulit emptori.

CASUS CCXLIV. Titius furatus est equam gravidam.

R. Tenetur restituere tantum, quantum valet equa actu; quia in rebus recipientibus incrementum intrinsicum restitutio faciendâ est in pretio summo: omne enim incrementum inseparabile à re furtô

furtô ablata cedit totum in lucrum domini legitimi. *Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 16.*

NOTA. Cum tamen valde incertum sit, an obtineri potuisset pretium summum, sola illius spes adhuc vaga non recipit in humano æstimationem commercio. Aliud dicendum, si jam constaret de offerente summum pretium.

CASUS CCXLV. Petrus lucratur in lusu chartarum; sive quia inspicit chartas colludentis, qui sua non satis occultat folia; sive quia durante lusu nōsse didicit chartas, sine ullo tamen signo ipsis impresso.

R. Non tenetur restituere lucrum; quia ex propria culpa colludentis accidit, ut non sollicitè sua occultet folia; & quòd Petrus noverit chartas sine ullo tamen signo impresso, ipsius fortuna & astutia est. *De Jugo Giribal.*

NOTA. Cum lusus sit contractus bonæ fidei, qui ex intentione contrahentium legem accipit, ea inspectio & notatio chartarum sinceritati & æqualitati colludentium, ac proinde etiam justitiæ repugnat, atque ad restitutionem lucrif obligat.

CASUS CCXLVI. Titius abstulit vitulum valentem quinque florenos, quem tantâ industriâ aluit, ut post aliquod tempus æstimatus fuerit 10. florenis: sed inadvertenter pretium ejusdem iterum decrevit, ita, ut tantum valeret septem florenos cum dimidio. Quomodo in hoc casu regulanda restitutio?

R. Titius utpote possessor malæ fidei tenetur restituere virulum, si eum habet adhuc, in eo statu, quo esse supponitur, & legitimo domino reparare damnum, quod occasione furti pati potuit. De damno autem illato judicari poterit, si consideretur, quid valuisset vitulus, si ab ipso legitimo domino fuisset venditus; & hæc circumstantia adhuc clarior reddetur ex consideratione qualitatis ac professionis legitimi possessoris. Si non obstante hac consideratione res adhuc manet incerta, restitutio fieri debet juxta æstimationem & judicium peritorum in hac re.

NOTA. Non reparandum omne damnum, quod Dominus rei absolute pati poterat, sed quod verosimiliter passurus erat.

CASUS CCXLVII. Titius confitetur, se furtô abstulisse decem florenos; & ad *Diction. Cas. Conf.*

dit; se non posse restitutionem facere illi, ad quem pertinent, qui incurrat infamiam. Confessarius hac ratione motus, eum obligat ad distribuendam hanc summam in pauperes.

R. Si periculum per restitutionem incurrendi infamiam cessaret, positô quòd restitutio fiat per tertium, responsio Confessarii ineptissima est; quia salvâ famâ Titii præceptum restituendi obligat ad inquirenda omnia media reparandi damnum per furtum illatum. Verùm si Titius nullô modò posset evitare suâ diffamationem, quomodocumque damnum fiat restitutio, hocque periculum sit perpetuum, benè sic egit Confessarius; quia nemo tenetur sacrificare bona Superioris ordinis bonis inferioris ordinis & aliunde in casu, quo restitutio moraliter fit impossibilis, præsumpta legitimi domini intentio est, ut summa ablata distribuatur in pauperes. *Anaclet. tr. 9. in decal. q. 6. n. 107. & 108. Gobatt. 1. tr. 7. n. 56. Navarr. in manual. c. 17. n. 57.*

NOTA. Vix occurreret casus, in quo restitutio per æquivalens fieri nequeat absque infamia, si differatur sufficienti tempore, & interim deponatur apud tertium.

CASUS CCXLVIII. Famulus quidam domesticus Hero suo quinquaginta interceptis vicibus auferit florenos, sine ulla tamen intentione sentim deveniendi ad tantam summam, & quin unquam in actuali furto recordatus fuerit furtorum præcedentium.

R. Tenetur sub peccato mortali ad restituendam integram summam. Modus, quo famulus iste abstulit successivè hanc summam, eum quidem excusat à peccato gravi; sed cum obligatio restituendi non solum deducatur ex injusta acceptione, sed etiam ex notabili quantitate rei ablatæ, certum est, famulum hunc domesticum teneri ad restitutionem. Responsio hæc fundatur in propositione 38 damnata ab Innocentio XI. *Navarr. in Manual. c. 17. n. 139. Sanchez. l. 7. Mor. c. 21. n. 1. & 9. Girib. de furto dub. 3. n. 19. & 20.*

CASUS CCXLIX. Colonus quidam difert metere fegetes, etfi Herus id fieri mandaverit: & interea grando vix non totam depopulatur mensem. Ad quantam reparationem damni colonus iste tenetur?

R. Si dilatio coloni est theologicè culpabilis, tenetur ad reparandum damnum pro ratione ubertatis fructuum speratorum; quia verè est causa hujus damni. Si autem hæc dilatio non est culpabilis, siue quòd fegetes ad mensem maturæ satis nondum fuerint, siue quòd deficerent operarii ac messores, colonus ad nihil tenetur; quia in hoc casu damnum tantum per accidens contigit, & mandatum Heri relarè ad has circumstantias tanquam irrationabile cenferi potuit.

NOTA. Ex culpa Theologicè levi non datur quidem obligatio restituendi erga eos, erga quos non tenemur ad præstandam culpam levem ex contractu; *Colonus* verò obligatur ex contractu ad præstandam obedientiam & servitutem debito tempore & quidem in casu periculi gravium malorum sub gravi obligatione ex intentione principalis contrahentis seu primi obligantis, puta Domini directi, cujus est ponere legem contractui. Pœnitens proin restituit ex æquo.

CASUS CCL. Quidam recreationis causa cum cane suo mitissimo verticem montis conscenderat; & oves ibi pascentes aspectu canis territæ, omnes sese de monte præcipites egerunt. Teneturne is ad aliquam reparationem damni?

R. Non tenetur; quia nemo tenetur reparare damnum tantum per accidens, & nulla interveniente propriâ culpâ causatum *Less. Rebell.* ut contigit in casu præsentis: dominus enim canis, qui supponitur esse mitissimus, prævidere non potuit, eò visò gregem terri, & sese præcipitem agere.

CASUS CCLI. Sylvester domi suæ numerosam habet familiam; cumque sit pauperimus, durante hyeme ruri ligna quærit; cum autem ligna arida non reperiret, sumit arborem actu fructus præferentem, aut proximè prolaturam.

R. Si Sylvester in tantam extremitatem redactus est, ut absque subsidio lignorum ablatorum aut ipse, aut quidam ex fami-

lia aut liberis suis de vita periclitaretur, omnî culpâ caret factum ipsius; quia in extrema necessitate, in qua Sylvester se deprehendit, omnia fiunt communia, & dominus arboris eodem modo ageret, si in statu Sylvestri foret constitutus. Si autem necessitas non fuit adeò urgens, malè egit Sylvester, id quod ex propositione 36. ab Innocentio XI. damnata desumitur.

NOTA. Cum etiam in extrema necessitate, præsertim breviter transeunte, non fiant omnia absolute communia, tenetur Sylvester habere animum, quamprimum poterit, compensandi ablata.

CASUS CCLII. Petrus videns, notabile damnum fuisse illatum agro suo à galinis ac columbis vicini sui, eas occidit.

R. Si Petro non supererat aliud medium sibi reparandi damnum ab his animalibus jam illatum, aut præcavendi deinceps inferendum, non peccavit, nec ad ullam tenetur restitutionem. Si autem aliud suppetebat medium, prout in hoc casu non suppetiisse vix possibile est, injustè egit, & tenetur ad præstandam vicino suo indemnitate, majorem vel minorem, pro ratione scilicet damni illati, majoris vel minoris. *Felix à potest. de 7. præc. Decalogi.*

CASUS CCLIII. Titius furatus est equum personæ nobili ac ditissimæ, eumque per sex annos elocavit alteri. Ad quid tenetur?

R. Tenetur imprimis restituere equum; dein etiam indemnem præstare dominum equi in tantum, quantum valor equi diminutus est intra sex annos elocationis. Quod attinet lucrum ex elocatione equi perceptum, Titius illud retinere potest tanquam fructum suæ industriæ; quia non est præsumendum, personam nobilem & divitem unquam voluisse elocare suum equum. *Less. de just. lib. 3. cap. 12.* Si dominus equi foret homo plebeius, Titius non solum teneretur restituere equum, sed etiam omne lucrum ex locatione ejusdem.

NOTA. Obligandus est ad restituendum valorem equi, & totum interesse Domini pro momento abductionis.

CASUS CCLIV. Petrus noctu ingressus domum Caii absque lumine, fregit incidendò speculum magni pretii.

R. Te

R. Tenetur reparare damnum, utpote non per accidens illatum. *Molina tom. 3. disp. 278. Navarr. & alii.*

NOTA. Responsio est vera, si ingressus est animo furandi seducendi, vel aliud malum patrandi, videlicet titulo læsionis ex actione injusta: non autem, si intentione honesta fuisset alienam domum ingressus cum periculo solum remoto causandi damnum. *Vide Casum sequentem.*

CASUS CCLV. Titius debet 100. florenos Francisco, qui, cum solutionem obtinere non posset, secretò intrat domum sui debitoris, ablatoque eo, quod sibi debebatur, egressus reliquit januam apertam; per quam dein fures ingressi notabile furtum commiserunt. Teneturne Franciscus reparare damnum à furibus illatum?

R. Non tenetur; qui nihil egit, quod directè & per se ipsum fuit causa damni à furibus illati: janua enim domus potest esse aperta, quin propterea fures ingrediantur. Hinc, quia Franciscus non fuit causa mali, non tenetur ad reparandum damnum.

NOTA. Non videtur eximendus ab omni restitutione, quia debuit judicialiter exigere solutionem. Navans autem operam actioni illicitæ conjunctæ cum periculo remoto damni tenetur reparare damna secuta per accidens, v. g. Clericus venans, aut bacillis ladens. Ad quod autem justè obligat Judex in foro externo, ex æquo obligare potest Confessarius nomine Dei.

CASUS CCLVI. Franciscus semper solet oves suas mittere ad communia pascua: quodam die tamen eadem pratium vicinum ingressæ, magnam ibi devastationem causarunt. Teneturne dominus ovium reparare hoc damnum?

R. Non tenetur; quia hoc damnum ex parte Francisci est tantum casuale: non enim prævidere potuit, ab ovibus suis in campo vicino devastationem fore causandam, postquam frequenter adeò in publica emissæ pascua nil mali unquam causarunt.

NOTA. Si emisit oves sine custode, tenetur reparare damnum; quia, cum pascua sint communia, ad communitatem pertinet, contractui pro eorum usu ponere legem. Communitas autem haud dudè in tali locationis contractu

usufructuarios tacitè obligat, ut, si absque custode oves emittant, in se recipiant periculum damni.

CASUS CCLVII. Titio commodatus est equus, qui ipsi postmodum furtò abductus fuit: dubitat autem, an non ex negligentia sua id factum sit; & quærit, num teneatur ad restituendum pretium equi?

R. Si Titius certus non est, se fuisse negligentem, & equum ex sua negligentia fuisse furtò abductum, ad nihil tenetur in foro interno; quia, quando culpa non est evidens, possessio stat pro innocentia.

NOTA. Si Titio probabilius est, se fuisse suâ negligentia causam, obligandus est à Confessario, ut satisfaciatur *ex æquo.*

CASUS CCLVIII. Mater quædam actu lactans prolem suam, obligabat se pro 30. florenis ad lactandam etiam prolem Titii, quæ autem brevi ex nimio languore obiit; eoquod huic foeminae sufficiens lac deesset ad nutriendos duos infantes.

R. Si foemina isthæc advertit, sufficiens sibi lac deesse ad necessariam nutritionem duorum infantium; & ob defectum nutritionis aut sollicitudinis maternæ proles obiit, cui pro solutione præstanda fuit alimentatio, peccavit mortaliter, & tenetur restituere partem summæ acceptæ. Si verò non advertit defectum lactis, & æquali prorsus cura ac sollicitudine fovit utramque prolem, non peccavit, nec tenetur ad ullam restitutionem.

CASUS CCLIX. Antonius cecidit arbores in fundo vicini sui, quæ actu tantum valebant decem florenos, intra decem annos autem valituræ fuissent triginta florenis.

R. Restitutio fieri debet juxta æstimationem viri prudentis. *Ratio* est; quia ex una parte dominus arborum habet jus exigendi reparationem damni respondentem spei, quam habuit, ex istis arboribus intra decem annos percipiendi triginta florenos; & hæc spes non parum auget pretium actuale arborum. Quia tamen ex altera parte hæc spes non est adeò certa ac firma, ut non potuisset contingere, has arbores intra decem annos quidpiam sperati pretii admittere, injustum foret, actu

Xxxxx 2

has

has arbores triginta florensis aestimare. Necessesse proin, ut consideratis omnibus restitutio fiat juxta æquum viri prudentis arbitrium. *Navarr. l. 4. c. 1. n. 52. Azor. Bonac. de rest.*

CASUS CCLX. Antonius graviter infensus Philippo concipit propositum ignem subjiciendi cuidam domui ipsius; sed in executione fallitur, & ex errore incendit domum Alberti.

R. Tenetur ad reparandum Alberto illatum; quia, quicumque directè vel indirectè habet animum nocendi proximo, tenetur ex hoc titulo ad reparationem damni illati: obligatio enim restituendi in genere deducitur ex omni actione formaliter injuriosa ac damnosa proximo, & non solum ex actione damnosa personæ individuae ac particulari. *Diana tom. 8. tr. 5. resol. 91. n. 2. Bonac. de rest. disp. 2. q. ult. Sponer tr. 5. in 5. prac. c. 3. sect. 2. n. 4.*

CASUS CCLXI. Titius Cajo vendit bovem; sed quindecim horis post initum contractum occumbit bos ex occulta infirmitate. Teneturne Titius ad restituendum pretium bovis, positò quòd invincibiliter ignoraverit defectum illius?

R. Tenetur; licet enim bona fides & ignorantia Titium excusent à peccato: quia tamen occulta bovis infirmitas causa fuit erroris afficientis ipsam substantiam contractus, sequitur, hunc contractum fuisse nullum; quia defuit consensus ad valorem contractus necessarius. *Girib. de empt. & vend. c. 2. dab. 9. n. 89. Beja p. 3. c. 24.*

NOTA. Censeo; Titium ad nullam restitutionem obligandum, si ne quidem habuit prudens dubium de occulto defectu; quia pretia rerum communi aestimatione funguntur. Si autem habuit dubium, juxta qualitatem dubii in foro interno ad restitutionem obligandus est *ex æquo*. In foro enim externo ob præsumptionem scientiæ obligaretur ad restituendum *ex toto*.

CASUS CCLXII. Bernardus Sempronio vendit equum; & quia hic non inquirat in qualitates equi, Bernardus ipsi non detegit defectum occultum, quo laborat equus; etsi sciat, Sempronium

non fore empturum equum, si defectus hujus notitiam haberet.

R. Si defectus iste equum reddat nocivum aut inutilem emptori, Bernardus peccat graviter, & tenetur rescindere contractum; quia omnis venditio est injusta, & consequenter nulla, ubi intervenit fraus notabilis, quæ dat causam contractui. Verùm si equus iste ex suo defectu non sit inutilis emptori, Bernardus non peccavit, nec tenetur ad reparationem damni, suppositò quòd eum vendiderit justò pretiò. *Ratio est, quia Bernardus solum usus est jure suo, quærendò scilicet commodum suum, quin ulli exinde noceat. D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 3. in C. Girib. de contract. c. 2. n. 96. & 100.*

CASUS CCLXIII. Agricola quidam emit bovem, quem paulò post iterum vendit quatuor florensis pluris, ac eum coemerat. Venditione facta comperit, bovem hunc fuisse furtò surreptum Cajo ab eo ipso, à quo illum emerat. Ad quid tenetur hic agricola?

R. Si agricola bovem emit infra justum pretium, tenetur reddere hos quatuor florenos tanquam partem pretii intrinseci bovis, quæ proin pro fructu propriæ industriæ haberi non potest. Si verò bovem emit justò pretiò, ad nihil tenetur, ob rationem contrariam. *Girib. de rest. cap. 2. dub. 1. n. 6.*

NOTA. Si ne quidem habuit dubium de furto, ad nullam restitutionem tenetur ante sententiam Judicis forte præsumpturi scientiam & concessuri regressum. Secus obligandus est *ex æquo*. Vide *Casum* 261.

CASUS CCLXIV. Mercator quidam non rogatus Antonio mutuos dat 100. florenos, quos paulò post utiliter applicare pro commercio potuisset. Antonius acceptat hanc summam, eamque adhibet pro negotio, in quo multum lucratur. Jam mercatori censum solvere recusat, quem petit ratione lucri cessantis. Potestne mercator hunc censum exigere?

R. Non potest, quia ad hoc, ut mutuum dans habeat jus quidpiam exigendi titulò compensationis, tanquam conditio necessaria requiritur prævia monitio facta mutuuario de præstanda compensatione, & inita desuper conventio, antequam contractus concludatur: aliàs enim mutuarius semper & meritò quidem dicere posset, se non fuisse accepturum mutuum sub hac conditione. Cùm autem in præsentem contractu id observatum non fuerit, concludendum est, Antonium jure reculare solutionem census. *Girib. de contract. cap. 3. dub. 8. §. 2. n. 66.*

CASUS CCLXV. Petrus mandat Cajo, ut furetur centum florenos, etsi prævideat, Cajum majorem summam ablaturum, si commodè possit: & revera Cajus abstulit ducentos florenos. Teneturne Petrus ad restitutionem ducentorum florenorum, si Cajus non restituat?

R. Solum centum florenos tenetur restituere: quia obligatio restituendi fundatur in mandato, quod dedit Petrus ad committendum furtum. Jam autem, cùm mandatum se tantum extendit ad centum florenos, etiam obligatio restituendi ulterius se non extendit.

NOTA. Petrus tenetur ad restituendos 200. florenos: quia injustè proximum exponens periculo gravis damni, tacite.

CASUS CCLXVI. Famulus quidam domesticus confitetur, se ex mandato Heri sui abstulisse modium tritici, de quo tamen nihil pro se retinuerat. Confessarius eum nihilominus obligat restitutionem si Herus non ad restituat. Num benè ad id obligat Confessarius?

R. Hic famulus est obligandus ad restitutionem: quia uterque, mandans furtum, & illud exequens, est causa totalis furti, licet ille sit causa magis principalis quam hic. Obligatio igitur restituendi æqualiter respicit utrumque, licet mandans teneatur primus ad restitutionem, & dein solum exequens, si nimirum mandans non restituat. Confessarius igitur benè egit, famulum hunc obligandò

ad restitutionem, si Herus ipse non restituat.

CASUS CCLXVII. Idem famulus domesticus, cùm non possit restituere, petit ac obtinet à domino critici condonationem furti. Num ex hac condonatione etiam Herus hujus famuli eximitur ab obligatione restituendi?

R. Non eximitur; quia, cùm Herus fuerit causa principalis commissi furti, condonatio facta famulo non potest extendi ad ipsum: sicut enim ille, qui est causa principalis furti, semper foret obligatus ad reparandum damnum, etsi ille, qui est causa minus principalis, fecisset restitutionem; ita ille non eximitur ab obligatione restituendi, etiam si huic condonetur hæc obligatio. Et ita sentiunt plurimi Doctores.

CASUS CCLXVIII. Petrus videns tabernam Sempronii apertam, dicit Cajo: si tibi ardent quædam bona mobilia Sempronii, modò poteris habere, quin ullus hominum id sciat. Teneturne Petrus ad restitutionem, si Cajus ibi furtum commisit, & nolit restituere.

R. Non tenetur; quia non est complex furti à Cajo commissi, cùm nec mandatura nec consilium dedit ad illud committendum. Sed solum igitur fuit occasio furti, & propterea peccavit contra charitatem; quin ulla ipsi incumbat obligatio ex justitia.

NOTA. Censeo; Petrum ad restitutionem obligandum *ex æquo*: licet enim se non fecerit participem furti alieni *CONSILIO* strictò dicto: fecit tamen se participem *consensu, sollicitatione, silentio, conniventia* &c.

CASUS CCLXIX. Paulus potuisset alios in auxilium advocando impedire damnum per furtum suo vicario illatum: sed oblata à furibus summa pecuniæ ipsum induxit, ut taceret, & neminem advocaret. Potestne retinere hanc summam pecuniæ?

R. Potest eam retinere; quia habet jus à furibus solutionem exigendi sui silentii ipsis adeò utilis. Hinc, licet peccaverit tacendò, potest tamen retinere id, quod

ipsi oblatum est tanquam pretium silentii.

NOTA. Hæc propositio est erronea & scandalosa. Paulus tenetur restituere cooperatione per silentium.

CASUS CCLXX. Antonius occidendò Cajum tantum commisit culpam venialem ob defectum sufficientis advertentiæ. Teneturne sub peccato mortali reparare damnum per hoc homicidium familiæ Caji illatum?

R. Non tenetur: sicut enim Antonius, si occidendò Cajum omnino nullam culpam commisisset, ad nihil prorsus teneretur; sic etiam, si culpa est tantum levis, obligatio restituendi non potest esse adeò stricta & rigorosa; quis non minus repugnat, dari effectum sine causa, ac admittere effectum ampliolem, quam causa est, à qua producitur. *Lessius l. 2. c. 7. n. 27. Lug. disp. 8. sect. 5. Girib. de rest. dub. 4. n. 26.*

CASUS CCLXXI. Operarius quidam laborans in agro Heri sui, plures ibi reperit monetas aureas magni pretii. Num eas omnes retinere potest;

R. Suppositò quòd non sciatur dominus harum monetarum, quærendum est, utrum operarius has monetas detexerit casu fortuito, vel adhibitâ ad id industriâ. Si primum, dico, operarium non omnes has monetas retinere posse; quia Jus Civile partem earum dimidiam attribuit domino agri; & cum hæc lex pœnalis non sit, eaque universaliter sit recepta, obligat etiam in conscientia independentè à sententia Judicis. Si secundum, sciendum est, utrum operarius has monetas quæserit sine vel cum consensu Heri sui, & an consensus iste non fuerit per fraudem obtentus. Si consensus accessit legitimus, operarius omnes monetas retinere potest; quia dominus agri censetur renuntiâsse juri suo. Verum si non accessit consensus Heri, aut per dolum fuit obtentus, dico, quòd operarius post sententiam Judicis, non antea, quia

agitur de lege pœnali, teneatur omnes monetas repertas reddere domino agri. *Contin. Oper. Tourn. de Jur. cap. 3. art. 4. sect. 2. punct. 2.*

NOTA Operarius non tenetur restituere thesaurum inventum. Lex Civilis non obligat circa hanc rem in conscientia ante sententiam Judicis nec jure naturali, nec positivo; quia tale jus positivum nec probatur ex claro textu, nec ut tale agnoscitur à Doctoribus vel populis. Vide meam *Theol. Mor.*

CASUS CCLXXII. Titius certus de contracto olim debito, sed incertus, an jam satisfecerit creditori suo, qui actu obiit, putat se esse exemptum ab obligatione solutionem præstandi hæredibus defuncti.

R. Per tale dubium non eximitur ab obligatione solvendi: dum enim quis dubitat, utrum sit adhuc debitor, nec ne, credere debet, se adhuc oneratum esse obligatione solvendi; quia præsumptio stat penitus in favorem obligationis, quam quis certò scit se contraxisse, & quæ nec redditur dubia, nec tollitur per solutionem dubiam.

CASUS CCLXXIII. Titius certam quantitatem sceni abtulit; sed quia milites altera die violenter abstulerunt omne, quòd reliquum erat, putat, se non obligari ad restitutionem.

R. Tenetur ad restitutionem; res enim injustè accepta debet restitui, etiam postmodum ab alio fuisset ablata. *Ratio est; quia res à possessore illegitimo detenta clamat ad legitimum dominum suum tamdiu, quamdiu ipsi potest restitui. Bonac. de rest. in Gen. disp. 1. q. 3. punct. 10. n. 3. Girib. c. 2. n. 29.*

NOTA. Si certum sit, æquè perituum fuisse in domo veri Domini, non tenetur restituere, quia Dominus prudenter non est amplius invitus. Aliud dicendum, si hoc non est certum; aut si ablatum sit in rationes communes communitatis.

Vide *Advocatus. Commodatum. Compensatio. Contractus. Donatio. Emptio. Judex. Mutuum. Societas. Tutor. Venditio. Usura.*

RE-

RESTITUTIO IN INTEGRUM.

1. *Restitutio in integrum est terminus juridicus, & definitur, Prioris juris restitutio, & in pristinum statum restitutio.*

2. In Gallia solus Princeps habet potestatem concedendi restitutionem in integrum, idque per literas, quæ vocantur *Rescissoria*; & hujusmodi literæ necessariae sunt, etiam si Acta ipso ac pleno jure essent irrita; neque ulla attenditur nullitas, nisi ea expressè sit declarata per Edictum, vel consuetudinem.

3. Causæ, ex quibus ordinariè conceditur restitutio in integrum, sunt sequentes: 1. Violentia. 2. Metus gravis, & minæ intentatæ ab eo, qui habet potestatem exequendi. 3. Fraus seu personalis dolus illius, quocum contractus fuit initus. 4. Minorennitas, quando intervenit manifesta & notabilis læsio. 5. Absentia ex justa aliqua necessitate. 6. Error facti.

4. Ecclesia & Status regni publicus, seu bonum Reipublicæ commune semper habentur pro Minorennibus. Quando Minorennis obtinuit restitutionem in integrum, Fidejussores ipsius nihil exinde referunt commodi. Qui læsus est ultra dimidium in contractu venditionis, potest obtinere literas rescissorias, ac petere restitutionem in integrum; emptoris tamen arbitrio relinquitur vel rescindere contractum, vel suppellendò excessum pretii retinere rem emptam. Dum agitur de bonis mobilibus, aut juribus successivis, venditor non admittitur ad petendam restitutionem in integrum: neque locum habet hæc restitutio, quando res immobilis venditur vî Decreti judicialis.

5. In casu illatæ violentiæ, aut intervenientis fraudis pro petenda restitutione in integrum conceduntur decem anni, computatione facta à die, quo cessarunt violentia, & fraus, vî Edictorum de annis 1510. & 1539. Quoad Minorennem

hoc decennium primùm incipit currere à die adeptæ majorennitatis. In Provinciis Regno unitis post publicationem præfatorum Edictorum pro petenda restitutione in integrum tantum conceduntur quatuor anni, conformiter Juri Romano.

CASUS I. *Gorgias* minorennis Claudio vendidit domum; postquam autem adepta majorennitate agnoverat, se notabiliter fuisse læsum, petiit rescissionem contractûs, paratûs ad restituendum pretium acceptum. Estne hæc petitio justa, quocumque demum tempore illa fiat?

R. Quantumcumque *Gorgias* læsus fuerit in hac venditione, si jam decem annos adeptæ majorennitatis superavit, dum reclamat venditionem, non amplius auditur. Verum decimò annò adhuc currente potest petere restitutionem in integrum, eamque obtinebit, si sufficienter probaverit læsionem: imo si *Claudius* in hac emptione commisit aliquam injustitiam, tenetur *Gorgiæ* etiam ad reparandum damnum.

CASUS II. *Damianus* annos viginti natus, & consequenter adhuc minorennis renuntiavit cuidam hæreditati, quæ ipsi videbatur negotiis ac debitis nimium onerata. *Leander* post *Damianum* proximus hæres illam acceptavit, ac adhibito multo conatu, ac vendita quadam parte bonorum debita dissolvit, ac negotia perfecit. *Damianus* majorennis factus vult uti beneficiò restitutionis in integrum. Potestne *Leander* absque injustitia illi sese opponere?

R. Præsentio *Damiani* est injusta: debuisset enim petere restitutionem in integrum, dum res adhuc erat integra juxta legem *Minor. l. Cod. si ut omiff. hæred. lib. 2. tit. 39.* Hinc *Leander* tutâ conscientia se potest illi opponere. *Leg. Quod si minor. 24. §. 2. ff. de minor. 25. annis lib. 4. tit. 4.*

CASUS III. *Cestius* viginti & duos annos natus acceptavit hæreditatem valde proficuum, omniâque dissolvit debita, quibus onerata erat, partim ex bonis hære-

hæreditariis mobilibus, partim ex bonis propriis, ut bona immobilia in salvo consistenter. Annò elapsò, cùm pars bonorum immobilium casu fortuito periisset, vult Cestius susceptam acceptationis obligationem discutere, & à creditoribus repetere solutam ipsis summam. Potestne id fieri salvâ justitiâ.

R. Non potest fieri absque injustitia: creditores enim nihil perceperunt, nisi quod legitimè ipsis debebatur, & quod sibi comparare potuissent per venditionem bonorum mobilium & immobilium, antequam casu fortuito periissent. *Leg. verum 11. §. 5. ff. de min. 25. annis. lib. 4. tit. 4.*

CASUS IV. *Theodebertus* Minorennis 18. annorum commodatum à *Leandro* accepit equum 30. duplionibus constantem, eumque penitus inhabilem factum reddidit. *Leander* justam exigens indemnificationem obtinuit ab eo promissum scriptò datum, quo se obligabat ad restituendum alium equum 20. duplionibus constantem; sed *Majorennis* factus recusavit exequi promissum, facta insuper comminatione obtinendi literas rescissorias, si *Leander* ipsum vellet in judicio persequi. Potestne *Theodebertus* sic agere tutâ conscientia?

R. Non potest: neque enim fuit læsus, nec deceptus; in quibus solis casibus leges concedunt Minorennibus beneficium restitutionis in integrum. *Pontas.*

CASUS V. *Andreas* sedecim annos natus ex bonis maternis opulentissimus mandat *Claudio* consanguineo suo, ut quolibet mense suppeditet unum duplionem pro sustentatione patris sui nil bonorum possidentis; id, quod exequitur *Claudius*. Verùm *Andreas* minorennitatem egressus contra *Claudium* literas rescissionis petere cogitat, ne factos ab illo in sustentationem patris sumptus refundere deberet. Potestne id ab *Andrea* fieri salvâ conscientia?

R. Haud dubiè injustè ageret *Andreas* hòc modò; quia nulla omnino ipsi suppe-

tit ratio, ex qua possit petere literas rescissorias. *Pontas.*

CASUS VI. *Agapius* minorennis inito cum *Antonio* contractu sub cautione *Ludovici* circa negotium quoddam, quo ut se posset exonerare, obtinuit literas rescissorias, quibus mediantibus obtinuit sententiam restitutionis in integrum. An vñ hujus sententiæ etiam *Ludovicus* deobligatur à sua cautione?

R. Restitutio in integrum, quæ tollit obligationem *Agapii* minorennis, nequam deobligat *Ludovicum* fidejussorem ejus, nisi contracta ab *Agapio* obligatio fundetur in dolo aut violentiâ ab *Antonio* adhibitâ. *Pontas.*

CASUS VII. *Geduinus*, cùm minis & violentiâ cogere ad vendendam *Julio* Toparchæ villam, & *Julius* deinde illam dedisset *Gualtero* in solutionem summæ eidem debitæ, obtinuit post obitum *Julii* literas rescissionis, & petiit à *Gualtero* restitutionem villæ; quod cùm *Gualterus* recusaret, inquires, se villam non ab eo accepisse, *Geduinus* cogitat eum in jus vocare. Potestne judicialiter agere contra *Gualterum*, antequam egerit contra hæredes *Julii*?

R. Rescisio sortitur suum effectum non solum contra eos, qui modò injustò eidem ansam præbuerunt, aut qui eorum personam repræsentant; sed etiam contra tertium possessorem. Hinc *Geduinus* absque injustitia potest agere contra *Gualterum* ad recuperandam villam suam, restitutò tamen ipsi pretiò, quod expenderrat. *Pontas.*

CASUS VIII. *Fridericus* Tutor *Remigii* vendidit *Samsoni* domum sui pupilli ad dissolvenda ejusdem debita; *Remigius* autem majorennitatem ingressus turbat *Samsone* in possessione jam sexennali domus, & vult rescindere venditionem à Tutore factam. Potestne id fieri absque injustitia?

R. Leges prohibent alienationem bonorum immobilium ad pupillos pertinentium, nisi in judicio ea decreta fuerit. Ad con-

conciliandam in hoc casu factæ venditioni legitimitatem requiritur. 1. Ut hæc debita ita urgeantur, ut ex dilatione solutionis Minorennis notabile damnum pateretur; 2. Ut hæc debita aliò modò persolvi nequiverint; 3. Ut non adfuerint alia bona mobilia, nec debita activa &c. ex quibus potuisset satisfieri creditoribus solutionem petentibus; & 4. alienatio facta fuerit fundi minoris pretii & minùs utilis pupillo. Si igitur *Fridericus* vendidit domum propria sua autoritate, & neglectis requisitis formalitatibus, licet egerit bona fide, *Remigio* jus competit petendi literas rescissionis contra venditionem à suo Tutore factam, si ipsi magis proficua est possessio domus, quàm pretium. Potest insuper actionem instituere non solum contra Tutorem suum, sed etiam contra emptorem. Si tamen *Samsone* fecit reparaciones utiles aut necessarias in domo, *Remigius* tenetur ipsi has expensas compensare. *Pontas.*

RETRACTUS.

1. *Retractus* est jus, quo gaudet Dominus Feudalis, aut propinquus venditoris, retrahendi ex manibus emptoris fundum venditum solutò pretiò in contractu constitutò. Hinc duplex distinguitur species retractus, *Feudalis* nimirum & *Gentilitius*, seu, ut aliàs vocari solet *Redhibitio Gentilitia*. *Retractus* feudalis fundatur in quadam conventionione saltem tacita, quæ Dominum inter & Vasallum intercedit: *Gentilitius* autem consistit in Jure quodam per legem aut consuetudinem vim legis habentem introducto.

2. Dominus Feudalis vñ consuetudinis Parisiensis potest uti jure retractus intra quadraginta tantummodò dies, computandos à die, quo ei venditio primùm fuit significata. Juxta eandem consuetudinem hoc jure non gaudet censuum vectigalium Dominus, licet eo gaudeat in aliis locis. Domini Ecclesiastici juxta Jurisprudentiam Parlamenti Parisiensis possunt. *Diction. Cas. Conje.*

sunt uti jure retractus feudalis: plura autem alia Parlamenta sustinent, hoc jus nec ad Ecclesias transferri posse.

3. Jus retractus feudalis exerceri potest contra personas manus mortuæ, non obstante, quòd literas Amortizationis obtinuerint. Quoniam verò Jus feudale potest dividi inter plures condominos feudi, non datur alterutri eorum facultas retractus exercendi, nisi pro ratione portionis, quæ ei in bono feudali contingit, nisi ei à cæteris Dominis jus in integrum cedatur. Nullus Dominus Feudalis potest exercere jus retractus absque autoritate Judicis; & qui illud exercet, ultra pretium venditionis etiam tenetur solvere impensas contractus, & jura domini.

4. *Retractus* non censetur esse altera venditio. Communi Provinciarum Galliæ consuetudine retractus Gentilitius præfertur feudali: pro illo enim exercendo conceditur annus integer cum uno die, computatione facta quoad fundos vectigales aut plebei juris à die, quo contractus venditionis in tabulas relatus est; quoad bona feudalia à die infeudationis; quoad prædia beneficiaria, fundos ab omni onere immunes, aut etiam vectigales acquisitos à Domino in suo solo à die acquisitionis, ubi *Retractus* feudalis judicialiter publicatus est.

5. Vigent consuetudines quædam, quæ deficientibus propinquis ex eadem linea ad jus retractus exercendum alios admittunt. Cæterum cujuslibet loci consuetudini inhærendum est: quandoque enim præfertur magis propinquus, si duo jus retractus sibi vendicent; & quandoque magis industrius, qui nempe prior illud petiit; aut si actio ab utroque eodem tempore fuit intentata, ambo admittuntur ad redhibitionem: verùm si alteruter eorum desistat à prosecutione juris sui, alter obligatur ad retrahendum totum fundum, nisi fortè primus acquiritor aliter cum retrahente convenerit.

6. Maritus potest exercere jus retractus nomine uxoris suæ, qui indigeat

ejusdem procuratione sibi facta. Bona mobilia, officia, ususfructus non subjacent huic juri, sicut nec bona acquisita: potest tamen primus venditor ejusmodi bona acquisita retrahere, si ea titulo hæreditatis pervenissent ad aliquem consanguineum lineæ rectæ, qui postmodum ea vendidissent.

7. Prædium commutatum cum aliquo fundo proprio, retinet naturam ejusmodi fundi proprii, & consequenter redhibitioni obnoxius est. Propinquus non potest jus redhibitionis Gentilitiæ, quod sibi acquisitum est, in alios non propinquos transferre. Denique in redhibitione gentilitiæ strictè observandæ sunt omnes formalitates requisitæ per consuetudinem loci, ubi prædia sita sunt; quin ulla sit ratio habenda consuetudinis, quæ viget in loco, ubi quis actionem redhibitionis prosequitur.

8. Jurisconsulti adhuc aliàs distinguunt Retractus species, *Censualis* nimirum, & *Conventionalis*. Censualis permittit illi, qui dedit in Emphiteusim aliquem fundum, eundem retrahere ex possessione illius, qui eum postmodum emit, solutò tamen ipsi eodem pretiò, quod ipse persolverat venditori. Verùm Parlamenta quoad hoc eandem ubique sequuntur Juris regulam. Retractus Conventionalis propriè loquendò est facultas redimendi rem venditam, penitusque dependet à voluntate & conventionem contrahentium; ac durat per triginta annos, imò & quadraginta, si actionem hypothecariam habet annexam. Ut penitus extinguatur hæc retrahendi facultas, opus est sententiâ Judicis, qua declaretur venditor ista facultate excidisse.

NOTA. In hac re attendenda & sequenda sunt jura particularia cujuslibet Regni, Provinciæ Reipublicæ, vel Municipii, quibus deficientibus jus naturale dubium regulari potest directivè per consuetudinem potiorum aliarum gentium.

CASUS I. *Lucillus Mævio* vendidit domum ex hæreditate paterna obtentam. *Lysander* frater *Luculli*, aut quidam con-

sanguines habens jus retractus repetit à *Mævio* domum, oblatò eidem pretiò pro ea expensò, non animò eam retinendi, sed cedendi cuidam amico, qui eam affectat. Potestne id fieri tutâ conscientia?

R. Nec *Lysander*, nec alius consanguineus *Luculli* potest uti jure retractus in favorem alterius amici. *Cassut. lib. 6. c. 9. n. 11.*

CASUS II. *Aristippus* civis Parisiensis emit domum cum adjacentibus decem jugeris agri & vineæ; quia autem timuit, ne *Lucius* consanguineus venditoris utatur jure Retractus, neglexit reparationes ruinosa domus, & culturam agri & vineæ. *Lucius* re ipsa *Aristippo* offert pretium domus, quod expenderat, ac eodem tempore petit ab eo reparationem damni ob deteriorationem domus, agri & vineæ. Potestne *Aristippus* tutâ conscientia se defendere in judicio, si *Lucius* contra ipsum processum instituat?

R. *Aristippus* non tenetur ad ullam compensationem *Lucio*: sive enim damnum contingat in re empta ante retractum, sive post retractum, totum ferendum est retrahenti; si contingit ante retractum retrahens sibi ipsi imputet, quod retrahere velit rem adeò vitiatam; si contigit post retractum, illud imponendum non est primo emptori, cum ad eum non amplius pertineant fructus rei emptæ. Imò si emptor fecisset quasdam reparationes in fundo empto, retrahens teneretur ipsi compensare expensas. Nihilominus verum est, ab emptore fundum aut prædium non esse deteriorandum; id si factum est, tenetur restituere rem emptam in statum pristinum. *Pontas.*

NOTA. In hac re potest peccari graviter contra charitatem, si detinens vel retrahens causet grave damnum vel fastidium absque necessitate vel notabili suo emolumento. Manet immobile Constitutum Evangelii. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

CASUS III. *Scabinus* Toparcha Sciens Germanum Vasallam suam *Paulo* vendidisse sylvam cæduam, usus est jure retra-

ctus feudalís, & numeravit *Paulo* summam *Germano* solutam, animò hanc sylvam cedendi cuidam Nobili, cujus fundi adjacent huic sylvæ. Potuitne sic agere tutâ conscientia?

R. *Scabinus* nullam commisit injuriam: in hoc enim differt retractus feudalís à Gentilitio, quòd Dominus Feudi possit jus retractus exercere sive in suum, sive in cujuscumque alterius commodum. *Pontas.*

NOTA. Vide *Notam* præcedentem. Certè cum emptio & venditio sint contractus bonæ fidei, abesse debent omnia tacita gravamina reciproca, non annexa per claram pactionem vel legem.

CASUS IV. Petrus gaudens jure retractus commodat suum nomen cuidam tertio non habenti hoc jus pro obtinendo ipsi prædio.

R. Id non licet; tenetur hinc Petrus pro viribus adniti, ut alieno nomine retrahens restituat prædium; si nihil possit efficere, tenetur Petrus ipse parti læsæ reparare damnum juxta æstimationem viri prudentis. Si neuter horum reparet damnum, ad illud reparandum tenetur, qui alieno nomine retrahenti mutuas dedit pecunias ad sibi comparandum prædium. *Fromageau.*

NOTA. Vide *Notas* duas præcedentes.

CASUS V. Vir nobilis vult retrahere agrum venditum à suo consanguineo; cumque ipsi deesset numerata pecunia, eam ab alio mutuam accipit.

R. Non potest retrahere agrum venditum, si habuit animum immediatè post retractum eum vendendi illi, qui mutuam dedit pecuniam, & ad id promissione se obstrinxit; casu, quo hæc sola ratio fuisset mutuam dandi: ab ejusmodi enim contractibus fraus quàm longissimè abstinere debet. *Fromageau.*

NOTA. Vide *Notas* præcedentes.

ROGATIONES.

Hæc vox *Rogationes* terminus est Ecclesiasticus, ac tres dies precum publica-

rum immediatè præcedentes Festum Ascensionis Christi indicat. Initiò sæculi noni Triduum hoc erat festivum. Usus Processionum his tribus diebus est antiquissimus. Tempore S. Mamerti, qui has processiones instituit, servabatur jejunium per triduum isthoc: at sensim ab hoc fervore remissum est, & devotum ad solam abstinentiam à carnibus; adeò, ut obligatio jejunii nostris jam temporibus penitus cessaverit, nec quempiam obliget sub pœna peccati mortalis.

CASUS I. Sigonius à non nullis mensibus ex Italia redux in Galliam, comedit carnes tribus diebus Rogationum, quin crederet, se comisisse peccatum, maximè mortale; moventibus autem sibi scrupulum, & peccati mortalis incusantibus respondit, in ipsa urbe Romana carnes manducari hisce diebus; neque ab Ecclesiâ unquam legem latam fuisse abstinenti à carnibus; & consequenter consuetudinem abstinenti à carnibus vigentem in Gallia tanquam meram devotionem habendam esse. Suntne hæc rationes legitimæ?

R. Sigonius, utpote sufficienter instructus de generali consuetudine observata in Gallia diebus Rogationum abstinenti à carnibus, peccavit mortaliter agendò contra hanc consuetudinem, quæ originem suam ducit à lege Ecclesiastica imponente obligationem abstinenti in pluribus Diocesisibus. Imò etsi nulla ejusmodi lex subsisteret, sufficit ad inducendam obligationem juxta *Sidonium Apollinarem lib. 5. Ep. 14.* & *Concilium Aurelianense de anno 511.* consuetudo generalis totius Regni à pluribus jam sæculis observata. *Pontas.*

NOTA. Sicut festa consuetudinaria non obligent sub peccato nisi interveniente autoritate Episcopi, ita nec jejunia consuetudinaria in legem Ecclesiæ obligatoriam transire possunt sine assensione præceptiva Episcopi, quæ tamen non præsumenda, sed ex actis publicis legem uniformiter constituentibus vel supponentibus probanda est.

CASUS II. *Rudolphus* Episcopus jam ante aliquot annos statutum Synodale edidit, vñ cujus omnibus Diocœsanis jejuniū imponitur tribus diebus Rogationum; Monasterium autem quoddam situm in hac Diocœsi & exemptum à jurisdictione Episcopi non observat hoc statutum. Tenebaturne se conformare huic statuto? & num peccant Religiosi mortaliter illud non observantes, sicuti peccarent non observandò festa ordinata ab hoc Episcopo, aut violandò Interdictum latum ab Episcopo contra civitatem, in qua situm est Monasterium?

℞. Cùm Statuta Synodalia non censeantur esse facta, nisi dependenter à Jurisdictione Episcopi, Religiosi exempti ab hac jurisdictione non tenentur ad observacionem horum Statutorum; unde sequitur, memoratos Religiosos non peccare, si non jejunent diebus Rogationum: Interdicto autem se submittere, & observare festa tenentur vñ juris communis; sic enim vult Concilium Tridentinum *Seff. 26. de Regul. & Monialibus. c. 12.* Ubi tamen non fit mentio similis obligationis quoad jejunia particularia præscripta ab Episcopo; & consequenter ad ea non obligantur Religiosi exempti, nisi fundentur in consuetudine antiqua & Generali totius Provinciæ, quæ in hoc casu haberet vim legis juxta Sylvium *v. Rogationes. I. respons. ad quæsit. 5.* Nihilominus omne in tali casu scandalum abesse necesse est.

NOTA. Omnes Regulares, quamvis quoad pertinentiam ad disciplinam regularem per Summos Pontifices non raro eximi soleant à jurisdictione Episcoporum, circa pertinentiam verò ad disciplinam Clericalem vix unquam eximuntur ab Episcopo, cui in Ordinatione jurant obedientiam. Jejunia autem extraordinaria pertinent primariò ad disciplinam Clericalem exemplarem, quando indicuntur ob necessitatem publicam.

S.

SACELLUM.

CASUS. Presbyter quidam missam celebrat in sacello campestris, et si sciat, il-

lud non fuisse benedictum, ibique fuisse commissum homicidium.

℞. Presbyter iste transgressus est legem, quæ prohibet missam celebrari in Ecclesiis & Sacellis publicis, antequam per consecrationem aut benedictionem fuerint sanctificata. De cætero non videtur, cum peccasse contra aliam adhuc legem: per effusionem enim humani sanguinis tantum ideo polluitur locus sacer, quia ejusmodi effusio adversatur sanctitati legali, quam Ecclesiæ nostræ per consecrationem recipiant. Jam verò cum sacellum isthoc, de quo agitur, nec consecratum nec benedictum fuerit, dici non potest, illud per effusionem sanguinis pollutum fecisse. *Pasq. de sacr. Anach. de sacram.*

SACERDOS.

CASUS I. Vicario cujusdam parochiæ ignominiosissimè insultant complures parochiani, quas quidem injurias ex consilio sui parochi patienter ferre paratus est. At verò unus parochianorum hac ipsius patientia audacior factus modis omnibus indignissimè ipsum habet, fustibus cædit; in terram prostratum hinc inde trahit, pedibusque conculcat, nullâ ipsius culpâ & prorsus innocentem. Potestne & etiam debet in conscientia conqueri apud Judicem, ut sistantur hæ violentiæ? potestne petere, ut puniatur auctor tam horribilium excessuum in suam personam commissorum, conservando nihilominus sinceræ charitatis affectum, & animum ad amicabilem compositionem dispositum, mox ut fuerit rogatus? statuta in reum post auditam depositionem testium ex decreto Judicis corporali apprehensione poteritne Vicarius decreti hujus petere expeditionem, ut ei, à quo injuriam passus est, terrorem incutiat, & ad veniam exorandam compellat?

℞. Potest persequi reum, tenebaturque parochus suscipere defensionem sui Vicarii ad vindicandum honorem Sacerdotii,

tii, impediendoque impostero tam enormes excessus. Interim tamen ad conciliandam causæ huic majorem authoritatem, optimè fieret, si imploraretur Episcopus ut tanquam supremus negotii hujus moderator suo nomine castigationem delinquentis peteret. Ceterum nec parochus nec Vicarius debent curare quid homines ignorantes & malevoli siac occasione obmurmuraturi sint. Scandalum si quod oriretur, pharisaicum certe esset illud acceptantium malitiæ adscribendum, nec ullo modo his duobus Sacerdotibus imputandum.

CASUS II. Sacerdotes Ecclesiarum parochialium ministerio sponte mancipati, possuntne exigere cibaria & pecunias ab iis, qui in communitatem ipsorum recipi postulant?

℞. Nihil prorsus possunt exigere; ea, quæ hoc titulo exigentur, simoniam & injustitiam sapient, & jam aliunde prohibita ac damnata sunt à Canonibus. *Fromageau.*

SACERDOS CELEBRANS.

CASUS I. Sacerdos vix ullum Missæ sacrificio præparationem præmittens, vix non semper dum actu celebrat distractus est, & perraro actualem consecrandi habet intentionem; peccatne interdum etiam mortaliter?

℞. Sacerdos hic omittendo præparationem, si per hanc intelligantur preces juxta *Rubricas Missalis*, non peccat graviter, quia nullum exstat præceptum recitandi has preces, uti tenent *Girib & Tamburinus*. Interim verò, si sacerdos propter omissionem hujus vel alterius præparationis foret distractus durante Missæ Sacrificio, omissio posset esse grave peccatum, quando distractiones ex tali omissione secutæ, essent valde notabiles ac diuturnæ. Defectus intentionis actualis in consecratione æque parum est peccatum mortale, quia juxta sententiam communissimam ad validè & licitè consecran-

dum sufficit intentio purè virtualis consecrandi.

CASUS II. Sacerdos Latini Ritûs post consecratum Hostiæ & Calicis deprehendit panem esse corruptum; quid ergo agendum, si non amplius possit habere panem azymum?

℞. Tametsi ad valorem Sacramenti sufficiat adhibere panem triticeum, uti definitum fuit in Concilio Florentino, tenentur tamen ex præcepto Sacerdotes Græci Ritûs consecrare in pane fermentato, Latini e contra in azymo; & hæc obligatio usque adeo est stricta, ut nunquam liceat sequi alium ritum sive in ordine ad audiendum Sacrum diebus Festis, sive administrandi ægrotis Viatici causâ. *Gonet & Giribal.* Nihilominus excipiunt casum si sacerdos primùm post consecrationem Hostiæ & Calicis observaret panem esse corruptum; quia præceptum consummandi Sacrificium est divinum, atque adeo prævalere debet alteri præcepto quod tantum est Ecclesiasticum.

CASUS III. Mœvius & Theresia dispensati, ut possint conjungi in matrimonio, absque tamen cæremoniis, tempore quo ex lege Ecclesiæ nuptiarum solemniam interdicta sunt, solliciti jam elapso hoc tempore alium quemdam sacerdotem ut pro ipsis dicat *Missam pro Sponsis*, Nuptiisque pro more benedicat. Licetne hoc simplici Sacerdoti?

℞. Neutiquam hoc licet, cum enim per benedictionem Nuptiarum matrimonium reddatur solemne, omni jure hæc benedictio ad parochum pertinet, cui soli competit, præsidere celebrationi matrimonii. Quapropter nisi Sacerdos hic fuerit specialiter à sponso parochi deputatus, incurrit suspensionem *Conc. Tridentino* latam *Seff. 24. cap. 1.*

SACRAMENTA.

I. Vox hæc *Sacramentum* varias significationes recipit; hinc tamen solum agitur de Sacramentis novæ legis Evangelicæ,
Y Y Y Y Y ;

ca, quæ sunt septem, prout nos Fides docet, nimirum Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Ordo, Extrema Unctio, & Matrimonium. Omnium horum Sacramentorum Institutor est Christus. Definitor Sacramentum novæ legis, *Invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram sanctificationem divinitus institutum.*

2. Materia Sacramentorum consistit aut in rebus corporeis ac permanentibus, ut est aqua in Baptismo, panis & vinum in Eucharistia, oleum in extrema unctione; aut in actibus sensibilibus ad proprium effectum per formam determinatis, ut est contritio & satisfactio in Sacramento Pœnitentiæ.

3. *Forma* consistit in verbis à Ministro prolatis, aut in alio signo verbis æquivalente. In primis sex Sacramentis necessaria sunt verba expressa; in ultimo, nempe in matrimonio sufficit signum verbis æquivalens.

4. In quolibet Sacramento duplex distinguitur materia, *remota*, scilicet, quæ est v. g. in Baptismo aqua elementaris; & *proxima*, quæ est applicatio aquæ, seu ipsa ablutio. In Sacramento pœnitentiæ materia remota sunt peccata pœnitentis; & proxima actus contritionis, confessionis & satisfactio. In extrema unctione materia remota est oleum infirmorum; proxima, unctio facta à Presbytero in corpore infirmi.

5. Mutatio essentialis materiæ aut formæ reddit Sacramentum nullum; non item mutatio tantum accidentalis.

6. Materia & forma in Sacramentis moraliter loquendò eodem tempore debent applicari, exceptis Sacramentis Pœnitentiæ & Matrimonii, in quibus longior, quam in aliis, mora temporis potest intercedere.

7. Intentio Ministri absolutè necessaria est, vel *actualis*, vel saltem *virtualis* conferendi Sacramentum tale & taliter, quale & qualiter Christus instituit, & Ecclesia solet administrare.

8. Dividuntur Sacramenta ulterius in *Sacramenta mortuorum*, & *Sacramenta vivorum*. Sacramenta mortuorum sunt ea, quæ primam gratiam conferunt iis, qui eam nunquam habuerunt, ut Baptismus; aut quæ primam gratiam de novo conferunt illis, qui eam per peccatum exciderunt, ut Sacramentum Pœnitentiæ. Reliqua Sacramenta conferunt novam gratiam; in recipiente autem jam antea requiritur status gratiæ.

9. Theologi tria potissimum in quolibet Sacramento distinguunt, videlicet *Sacramentum tantum*, *Rem Sacramenti*, & *Sacramentum & rem*. Per *Sacramentum tantum* intelligunt Sacramentum, abstrahendò ab ejusdem effectu: Per *Rem Sacramenti* ipsum effectum Sacramenti indigitant: & per *Sacramentum & rem* intelligunt Sacramentum simul, & ejusdem effectum.

10. Sacramenta produunt gratiam ex opere operato, id est, *ex vi operis* sine respectu ad merita Ministri aut recipientis, dummodò dignè recipiatur. Sic enim v. g. ad baptismum ab adulto dignè suscipiendum requiritur actus fidei, spei, & dilectionis initialis, non per modum meriti, sed per modum dispositionis congruæ. Præter gratiam habitualement & sanctificantem conferunt etiam gratias particulares, actuales pro necessitate eorum, qui dignè ea recipiunt: & ultra has gratias Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis imprimunt in anima characterem indelebilem, quo ab aliis distinguuntur, qui hæc Sacramenta receperunt.

11. Omnes preces, omnesque ceremoniæ, ac ritus, quibus utuntur Ministri Sacramentorum, ab Ecclesia eo fine instituti sunt, ut indigentur tum eorum effectus, tum dispositiones, quibuscumque suscipienda sunt, ac obligationes, quas suscipientes contrahunt.

CASUS I. Reinaldus probè gnarus, Felicem Parochum suum cujusdam criminis esse reum, in eoque perseverare, querit, an possit absque peccato ab ipso recipere Sa-

Sacramentum Pœnitentiæ, vel Sacræ Communionis? & an possit etiam illum sollicitare pro illorum administratione?

R. Si Parochus declaratus non est suspensus, excommunicatus, aut degradatus, sed in suo toleratur ministerio, potest Reinaldus absque peccato ab ipso suscipere utrumque Sacramentum; quia communicat Ecclesiæ, dum communicat Ministro Ecclesiæ, quin partem habeat in peccato ipsius. Si autem Parochus esset degradatus, excommunicatus, aut suspensus, & sic non toleratus ab Ecclesia, peccaret Reinaldus ab eo recipiendo Sacramenta. *S. Thomas 3. part. q. 64. art. 6. ad 2.* Quod attinet secundum, Reinaldus in casu necessitatis absque peccato potest ad eum recurrere; sed extra casum necessitatis tutum non foret in conscientia eum sollicitare ad obeundas Ordinis sui functiones. Nihilominus Reinaldus posset eum sollicitare pro administratione Sacramentorum, si ipsum prius vidisset gementem, suspirantem, lacrymas fundentem, aut percutientem pectus, vel alia pœnitentiæ signa edentem; ex quibus legitime inferri posset, eum esse conversum. *Idem S. Thomas q. 5. ad 3.*

CASUS II. Si Felix non esset Parochus Reinaldi, sed solum Confessarius illius ordinarius; possetne Reinaldus ab eo recipere Sacramentum, non obstante, quòd certò sciat, eum constitutum esse in statu peccati mortalis?

R. Sylvius celebris D. Thomæ Interpres in *3. part. Sum. q. 64. art. 6. q. 3. conclus.* 2. Existimat, quòd, si hic Presbyter censurâ ligatus non sit, Reinaldus absque peccato ad illum accedere possit pro recipiendo Sacramento; dummodò 1. sit obligatus ad recipiendum Sacramentum, ut v. g. tempore Paschali, aut sinistra valetudinis; 2. si non potest ad alium Sacerdotem recurrere; & 3. Si Felix actu sedet pro sacro tribunali Pœnitentiæ.

Vide *Absolutio. Confessio. Parochus.*

SACRILEGIUM.

1. Per *Sacrilegium* intelligitur abusus rerum sacrarum ad usus ex sua natura criminosos: *Sacrilegium est violatio rei sacræ*, inquit *Polmanus*.

2. Tres potissimum enumerantur species rerum sacrarum. *Prima* comprehendit res ex sua natura sacræ, ut sunt Scriptura sacræ, & Sacramenta; aut quæ sunt consecratæ ac dedicatæ Deo ab Ecclesia in cultum ipsi ac Religioni debitum, ut sunt vasa sacræ, vestimenta ad ministerium Altaris destinata, aut quæcumque aliæ res, quæ ad decorem Ecclesiæ & exornationem templorum adhibentur. *Secunda* comprehendit Personas sacræ, quales sunt Sacris Ordinibus initiati, & Religiosi. *Tertia* demum species comprehendit loca sacræ, ut sunt Ecclesiæ, & Cœmeteria.

3. Sacrilegium committitur 1. per profanationem Scripturæ sacræ, & Sacramentorum. 2. Contumeliosè tractandò Crucem signum redemptionis nostræ, effigies B. Virginis, aut Sanctorum. 3. Indignè habendò sacræ Reliquias. 4. Ad usus profanos applicando sacræ vestes Ministrorum Altaris, aut ornamenta Altarium & Ecclesiarum, aut res specialiter ab Ecclesia consecratas ac dedicatas Deo in contestationem cultus supremi ipsi debiti. 5. Percutiendò aut injuriosè tractandò viâ facti Clericum; quo in casu iacurritur etiam excommunicatio ipso facto. 6. per indignum ac profanum usum Altarium, Ecclesiarum, Cœmeteriorum, aliorumque locorum sacrarum.

CASUS I. Vitellius in Ecclesia cuidam argenteum horologium furatus querit, an commiserit verum sacrilegium, & num teneatur in confessione declarare, hoc furtum in Ecclesia fuisse commissum?

R. Furtum potest fieri sacrilegum tribus modis; nimirum quando aufertur res sacræ in loco sacro; quando aufertur res profana in loco sacro; & quando res sacræ aufertur in loco profano. *Joan. VIII. in Can. Quisquis 21. l. 17. q. 4. Hinc Vitell.*

tellius commisit verum sacrilegium; teneturque id declarare in confessione. *Pontas.*

NOTA. Licet in tali furto concurrat irreverentia erga locum sacrum; quia tamen est clandestina, non videtur excedere culpam levem, licet in specie furti sit peccatum grave.

CASUS II. Polycarpus per testamentum summam 150. florenorum reliquit pro fabrica Ecclesie Parochialis. Hares autem ipsius interceptit testamentum, illudque combussit, ne teneretur solvere hoc legatum. Commisitne sacrilegium speciatim in confessione exponendum?

R. Generaliter loquendo, dum aliqua res legitime ad Ecclesiam pertinens subducitur, est sacrilegium. Jam vero Ecclesie Parochiali acquisitum est jus proprietatis in summam legatam; & hinc hares non potuit absque sacrilegio speciatim in confessione exponendo retinere hanc summam. *S. Thomas 2. 2. q. 99. art. 2. in Corp.*

CASUS III. Petrus in Ecclesia spoliavit Confessionale, abstulitque Breviarium ac alios libros, quos Confessarius ibi reclusos habebat. Petrus autem tenet sententiam eorum, qui negant, ad rationem sacrilegii sufficere, si precise auferatur in Ecclesia res quaecumque demum. An hoc non obstante Petrus per hoc furtum commisit sacrilegium?

R. Non commisit sacrilegium; quia in eorum sententia ad sacrilegium in furto ratione loci sacri committendum requiritur, ut res ablata directe pertineat ad Ecclesiam: per accidens autem est, quod Breviarium alique libri ablati in Ecclesia fuerint asservati. Hinc Petrus per hoc furtum non commisit sacrilegium.

CASUS IV. Confessarius quidam existimavit, poenitentem quempiam commisisse sacrilegium, eoquod in ipso accessu ad S. Communionem alicujus peccati mortalis in confessione ex oblivione omissi recordatus, Sacram Eucharistiam sumpserit, quin prius elicuisset actum contritionis.

R. Male sic judicavit Confessarius: si enim poenitens peccati ex oblivione omissi fuit recordatus eo tempore, quo non amplius poterat se subducere a Sacra mensa absque verecundia aut scandalo eorum, qui eum recedentem vidissent, non tenebatur elicere actum contritionis; eoquod a peccato ex oblivione omissio indirecte jam fuerat absolutus. Si vero poenitens potuisset recedere a Sacra Communionem absque ulla inconvenientia, ut potest contingere in multis circumstantiis, fuisset obligatus ad novam confessionem, solisque actus contritionis non fuisset sufficiens. Ex quo sequitur, opinionem hujus Confessarii nunquam approbari posse. *Girib. de Evcb. c. 4. n. 29. Suar. disput. 66. sect. 4. Bonac. disput. 4. q. 4. Tambur. lib. unic. c. 1. §. 8.*

CASUS V. Sacerdos quidam verba & sententias Sacrae Scripturae saepe adhibet in discursu familiari, imo ad lulum & indecentes facetias.

R. Committit sacrilegium, si sunt verba aut sententiae Sacrae scripturae formaliter tales, id est, quae a Spiritu Sancto dictatae sunt. *Gobat de plaph. c. 20. n. 720. Regin. Lib. 19. c. 4. v. 57.* Culpa tamen non esset adeo gravis, si ejusmodi verba aut sententiae contineantur quidem in Sacra Scriptura, sed a proferente ex alio auctore particulari, maxime profano, desumerentur.

NOTA. Licet unus vel alter actus sic jocularis non excedat culpam levem; habitus tamen sic jocandi non est excusandus a peccato gravi; actus enim frequentati in genere irreverentiae, v. g. erga Parentes, Magistros, Amicos, Superiores. &c. Coalescunt in obiectum displicentiae gravis, vel in contempum interpretativum.

SANCTIFICATIO FESTORUM.

CASUS I. Advocati & Procuratores pro clientibus suis quandoque plurimum occupantur diebus Dominicis & Festis. Num licite?

R. Occupatio eorum non censetur esse labor servilis, nec prohibita legibus divinis

vinis & Ecclesiasticis: accedit, quod labor talis sit probatus per consuetudinem universalem & publicam, cui Ecclesia se non opponit. Nihilominus debent sanctificare dies Dominicis & Festos, non solum audiendo Sacrum, id quod est strictae obligationis, sed etiam erogando in pauperes partem lucri hae diebus percepti. *De Lamet.*

NOTA. Author potius debuisset eos obligare ad audiendam concionem in parochia propria.

CASUS II. In quadam Communitate Religiosa, ubi esus carnum in perpetuum interdictus est, Religiosus quidam quotidie sub solis occasum, ne Dominicis quidem Festisque diebus exceptis, in praeterfluentem immittit retia pro capiendis piscibus, altero die mane extrahenda. Num id licet?

R. Piscatio diebus Festis & Dominicis est licita, dummodo non multum temporis aut laboris in ea collocetur. Nihilominus melius foret, si Religiosus iste a ponendis retibus abstineret diebus Dominicis & Festis; licet satis graves rationes non suppetant condemnandi hanc consuetudinem jam a longo tempore introductam, nec aliunde praebentem occasionem scandali. *Fromageau.*

Vide *Dominica & Festa. Labor servilis.*

SANCTIMONIALIS.

CASUS I. Quaedam Moniales volunt transire ex uno ad alium Ordinem: poteruntne hoc facere: habentne potestatem Episcopus talem illis concedendi licentiam?

R. Quando habent justas sui transitus causas, veluti si adsit probabilis spes fore, ut exactius possint observare regularitatem disciplinae in uno quam in alio ordine vel ut majore sibi cum charitate succurratur in infirmitatibus, vel ob alias bonas rationes, poterunt transire, & Episcopus hoc ipsis permittere consentiente communitate, e qua discessurae sunt, & an-

Diction. Cas. Conf.

nente etiam Episcopo Monasterii, ad quod transeunt. *De Lamet.*

CASUS II. Potestne Superior regularis prohibere monialibus jurisdictioni suae subditis, ne absque sua licentia ad personas extraneas scribant epistolas?

R. Jure hoc potest facere; caveat tamen, ne hoc prohibeat sub poena excommunicationis prohibere potest etiam, ne confiteantur Sacerdotibus saecularibus. Vi cujusdam Bullae Gregorae XV. Papae Episcopo in certis casibus conceditur potestas sese informandi & cognoscendi de regimine spirituali & temporali monasteriorum monialium caeteroquin a sua jurisdictione exemptorum. *Fromageau.*

CASUS III. Moniales Congregationis *De Infantia* quaerunt, an possit emitti votum de non petenda dispensatione super votis antehac emissis; item an liceat ipsis sorte eligere suas Superiorissas?

R. Responsum ipsis fuit quod possint emittere tale votum, sed quod electio per sortes sit prohibita. *De Lamet.*

CASUS IV. Monialis nuncupando vota sua solemniter cogitavit intra se; nolle se obligari hac sua professione nisi pro casu, quo postmodum evidenter cognosceret verum se ad hunc statum esse vocatam. Interim vero ab eo tempore & deinceps constanter in se experta est nimiam repugnantiam erga exercitia & praxes suae religionis. Estne habenda pro moniali verum professsa?

R. Non est Monialis professsa coram Deo, bene tamen quoad forum externum; teneturque observare regulam, ne scandalo, discordiis vel etiam tumultibus occasionem praebet. Non tamen statim est persuadenda ad renovanda sua vota, donec cessaverint ipsius repugnantiae, ne multo magis reddatur perplexa, & in majores animi perturbationes conjiciatur: est ergo cum multa mansuetudine tractanda, nihilque ab ea exigendum, quod tumultum vel scandalum curare possit. *Fromageau.*

Zzzzz

CA-

CASUS V. Puella penè semper infirma, ferendisq; oneribus vitæ regularis impar aspirat ad aliquod monasterium. poteritne admitti?

℞. Nullatenus est admittendâ; & si probabilis sit suspicio, Abbatissam inter & puellæ patrem tacitam obtinere conventionem, debet remitti & reddi parentibus. Sed nec Episcopus debet permittere, ut recipiatur; & potest hoc prohibere per Decretum, quod nullam redderet professionem, si admitteretur. *Fromageau.*

CASUS VI. Puella monasterio pro sua admissione offert triginta millia francorum ea tamen conditione, ut sit dispensata ab officio nocturno, à gestatione habitus, ex panno rudiore, qualis sororum esse solet, & à jejuniis regularibus. Potestne admitti?

℞. Conditiõ hæc foret simoniaca. Potestne tamen recipi tanquam sæcularis & benefatrix. *De Lamet.*

CASUS VII. Superiorissa vult abdicare suum officium, quod est electivum; poteritne votum suum dare nepti, quam secum habet in suo monasterio?

℞. Potest; quando scit & iudicat in conscientia, illam cæteris magis esse idoneam ut sibi succedat; suppositõ tamen, quod persona hujusmodi non excludatur per statuta. *Fromageau.*

CASUS VIII. Monialis Neoprofessa poteritne ferre suffragium suum in electione abbatissæ altero mox die à sua professione?

℞. Potest, quando monasterii constitutiones, statuta & consuetudines, quæ omnino observandæ sunt, hoc jus ipsi permittunt. *De Lamet.*

CASUS IX. In Monasterio Monialium dum agitur de electione Superiorissæ, volunt aliquæ, ut ea postuletur ex alio ordine, reliquæ verò ut sit ex proprio ordine. Quid ergo faciendum?

℞. Quando extranea non habet duas tertias omnium votorum, non poterit acceptari. Præferenda ergo eidem in tali

casu est una ex communitate, licet non exactè habeat dimidiam partem suffragiorum.

CASUS X. Possuntne emitti vota solemnia indiscriminatim in omnibus ordinibus Religiosis anno ætatis decimo sexto? In Ordine, cujus constitutiones præciperent, ne quispiam induatur habitus Religionis ante annum decimum nonum, & ad professionem admittatur ante vigesimum ætatis, foretne vi Concilii Tridentini valida professio nondum completa hac ætate emissa?

℞. Quando constitutiones talis Ordinis à Sede Apostolica sunt approbatæ, nulla certè foret professio antè annum ætatis vigesimum emissa. Si verò tantum essent approbatæ à Superioribus, non foret invalida. *De Lamet.*

CASUS XI. Novitia ob infirmitatem incurabilem nunquam potest observare regulam Ordinis quem amplexa est; poteritne recipi ad talem ordinem?

℞. Non est admittenda; & si verè est vocata ad statum religionis, debet ingredi ordinem mitiorem, infirmæ suæ completioni magis attemperatum. *Lamet.*

CASUS XII. Monialis vult transire ad Ordinem strictiorem; an licitè hoc facit?

℞. Potest transire, nec ad id opus habet licentia Papæ, cum sufficiat sola licentia Superioris, cui monasterium eius subiectum est. *De Lamet.*

CASUS XIII. Monialis quædam fuit electa Abbatissa certi monasterii, poteritne à Conventu, in quo religionem professæ est, exigere pensionem sibi promissam pro casu, quo transferretur ad aliud monasterium uti simplex monialis?

℞. Non potest exigere. *De Lamet.*

CASUS XIV. In quodam Conventu præcisè tot dantur moniales quot commodè possunt sustentari: poteruntne recipi plures?

℞. Non poterunt recipi plures, quòd si monasterium sit redactum ad incitas sublata omni spe restituendi res suas ad flo-

florem ac statum pristinum, debent de hoc moneri Candidatæ ad hujusmodi monasterium aspirantes. *Fromageau.*

CASUS XV. Moniales aliquot inter se habent familiaritates & amicitias particulares. Quidnam in hujusmodi casibus agendum Superiorissæ?

℞. Non debet tolerare tales amicitias privatas ac clandestinas, utpote ex gravissimis causis semper districtè prohibitas. *Fromageau.*

CASUS XVI. Agitur de receptione Novitiæ, & tractatur de admissione per pluralitatem votorum: rectè faciunt moniales aliquot, quæ perplexæ quænam pars in hoc negotio sit amplectenda, calculum album unâ cum nigro urnæ immittunt?

℞. Illicitè faciunt; quòd si etiam accedat, ut constitutiones præcipiant positivam in his deliberationibus declarationem suæ sententiæ, & insuper hujusmodi artes prohibeantur à Superioribus sub pœna admittendæ vocis in capitulis, gravis committitur inobediencia, quæ etiam potest fieri peccatum mortale. *Fromageau.*

CASUS XVII. In uno eodemque monasterio reperiuntur tres moniales sorores germanæ; habentne tria vota in congressibus capitularibus?

℞. Observanda, circa hoc est consuetudo cujuslibet communitatis, quæ non est abroganda in iis locis, quæ sunt in possessione talis consuetudinis. Interim tamen pro futuris temporibus posset conditi statutum tria hæc ad duo tantum vota reducens. *De Lamet.*

CASUS XVIII. Monialis professa est nulliter, nec tamen reclamavit intra quinquennium à Tridentino sibi concessum; estne habenda pro verè professa?

℞. Debet considerari tanquam professa, & temere odinem ac locum in die professionis ipsi designatum. *De Lamet.*

CASUS XIX. Obliganturne moniales ad observantiam Clausuræ?

℞. Obligantur; adeo ut Superiores nunquam iisdem debeant permittere egressum ex monasterio absque causis legi-

timis, quarum una esset morbus, qui intra claustrum curari non posset; pleræque verò reliquæ reprobantur à jure & statutis. Sæcularibus nunquam permittendus est ingressus intra domos monialium absque necessitate verè tali. Permittit nihilominus Ecclesia intro admitti fœminas ac puellas Deo ibidem servituras, vel quas alia motiva compellant illuc se recipere.

CASUS XX. Episcopus absque ulla necessitate impertitur consanguineis suis aliisque matronis nobilibus facultatem ingrediendi intra clausuras monialium; incurritne excommunicationem?

℞. Peccat; non tamen propterea incurrit excommunicationem; Superior talis monasterii deberet dehortari ipsum & suadere, ne adeo facilem se præbeat in hujusmodi licentiis concedendis.

CASUS XXI. 1^{mo}. Abbatissa monasterii reformati poteritne securâ conscientia, excepto solo die, quo in possessionem suæ Abbatissæ immissa fuit, passim admittere intra claustra sui monasterii famulos & famulas, rhedas & carpenta, instituendæ deambulationis, & recreandarum in hortis monasterii monialium & pensionariarum gratiâ. 2^{do} poteritne ad comprandum secum vel cum suis neptibus invitare personas utriusque sexûs, & alias quasvis in hortum vel triclinium quod *communitatem* vocant. 3^{to} obtenta ab Episcopo licentia, vi cujus intra claustra regularia potest admittere unam suam consanguineam, poteritne talis licentiæ extendi ad personas utriusque sexûs consanguineam, quoties invisionis officium exsolvit, comitantes. 4^{to}. ædificii vel construendi vel reparandi gratiâ poteritne ingressum permittere quibusvis, qui architecturæ & fabricæ ædificiorum peritiam jactant. 5^{to}. poteritne prætextu levioris momenti reparacionum in manibus personæ laicalis relinquere claves illius portæ à primis introductæ reformationis temporibus invehendis tantum ad culinam aliâque communitatis loca lignis destinata erat, clausa interim durante hæc

reparatione alia janua, quæ ad interiora claustrum decuit. *6to* Fratri laico, & qualem ipsemet se jactat, clerico, potestne permitti per interioram hanc januam ingressus ad obeunda ministeria sororibus conversis aliis propria, adeo ut hoc modo aditus ipsi pateat ingrediendi pro suo libitu etiam ad loca regularia. *7timò* potuitne Abbatisa prætextu quærendi & inspiciendi in Archivio chartas, membranas aliisque documenta, ante suum adventum immittere intra claustrum personas masculini sexus, & postea easdem etiam ad mensam suam convivis adhibere? moniales talia observantes tenenturne conqueri apud suum Episcopum? *8tavò* Hæ ipsæ moniales poteruntne denunciare Episcopo tales religiosæ disciplinæ relaxationes & irregularitates, simulque supplicare pro visitatore stabili & legitimo Superiore? *Novò* Potuitne Abbatisa hæc per solidum trimestre à die arreptæ possessionis Abbatia differre literas juramenti fidelitatis & subjectionis erga sedem Apostolicam testes? Notandum hic est, Bullam Pontificiam, qua Superiorissa constituitur, obligare ipsam ad reformandum suum conventum, & ad reformandum se ejusdem constitutionibus, ipsamque hæc tantum conditione obtinuisse regimen spirituale Abbatia. *Decimò*. Potuitne juxta consuetudinem suæ Abbatia conferre pleno jure Beneficium Subdiaconatus suæ communitatis, nondum obedientiam suam Sedi Apostolicæ exhibitam, nulloque consilio cum ulla ex communitate habitum usque ad momentum arreptæ possessionis hujus Beneficii, quod personæ prorsus inhabili contulit. *Undecimò*. Tenenturne in simili casu moniales reliquæ sub grandis peccati periculo opponere sese hujusmodi nominationibus & collationibus, deque iisdem monere Episcopum? *Duo-decimò*. Potuitne Abbatisa nulla adhuc clausulis Bullæ Pontificiæ obedientia exhibita, & absque expressa licentia Sedis Apostolicæ ac Episcopi Diocæsani introducere in suum monasterium reformatum

sex moniales non reformatas & ancillas sæculares? *Decimo tertio*. Moniales hæc non reformatæ poteruntne penes se asseruare & gestare vestitum more sæcularium compositum, concinnatumque, imo sic compositis vestibus frequentare Sacramenta in monasterio reformato, scientes hujusmodi vestitum præbiturum occasionem scandalis? *Decimo quarto*. Poteruntne moniales reformatæ in societatem suam admittere tales personas, dispensata ipsis obligatione subeundi Novitiatus & gestandi habitus reformationis. *Decimo quinto*. Moniales Ordinis S. Benedicti possuntne recipere puellas sæculares ad probationem & professionem tanquam benefactrices condonata ipsis obligatione assumendi habitum & observandi institutum? *Decimo sexto*. Potestne Abbatisa domus reformatæ gestare & dare veluti a habitum mitioris observantiæ monialibus non reformatis, etiam postquam satisfecit Bullæ Pontificiæ? hocque faciendo amitterentne jus suum in spiritualia Abbatia? *Decimo septimo*. An moniales Ordinis S. Benedicti reformatæ observantiæ possunt admittere ad professionem per viam scrutini vel alio quovismodo moniales reformatas Ordinis S. Dominici, quas bene sciunt non accomodaturas sese reformationi suæ communitatis, quæque toto Novitiatus tempore nullam exercuerunt functionem Novitiis propriam, nec constitutiones observarunt? *Decimo octavo*. Potuitne Abbatisa obedientiæ prætextu à suis monialibus per coactionem, metum, vel importunas preces exigere subscriptionem certarum scripturarum vel literarum veritati vel charitati evidenter contrariarum; moniales quæ iisdem commodassent suum chirographum, tenenturne ad revocationem? *Decimo nono*. Moniales reformatæ nonne tenentur opponere se & protestari contra professionem earum Novitiarum, in quarum favorem hujusmodi scripturæ vel literæ fuerunt confutæ? *Vigesimo*. Cum sola Priorissa sese oppoluerit tantis Abbatissæ ausis, licet nulla opposi-

tionis

tionis hujus fuerit habita ratio, poteritne hoc non obstante hæc ejus oppositio impedire professionem, in auctoritate actorum vel scripturarum fundatam?

R. Ad 1. Abbatisa, de qua loquitur præsens casus, non potest intra suum monasterium admittere rhedas & carpenta &c. Mensæ suæ intra claustrum adhibendo personas sæculares utiusque sexus abusa est potestate sua. Ad 2. Non potuit extendere licentiam Episcopi. Ad 3. Non potuit ratione structurarum vel reparationum ingressum permittere indiscriminatum omnibus illis personis, quarum in proposito casu fuit mentio. Ad 4. imprudenter fecit permittendo præfatam clavem in manibus laici. Ad 5. frater ille laicus vel præfensus Clericus non potuit salvâ conscientiam ingredi ad loca claustrum in casu indicata. Ad 6. Abbatisa prætextu inquirendarum scripturarum vel documentorum non potuit propria sua auctoritate permittere ingressum maribus ad loca claustrum. Ad 7. Moniales habent justas rationes deferendi querelas suas ad Episcopum, quando nullum aliud corrigendi tales abusus remedium superest. Ad 8. Abbatisa debuit obedire Bullæ Pontificiæ; secus enim haud potuit percipere fructus Abbatia. Ad 9. Non debuit alteri nisi subiecto capaci conferre Beneficium Subdiaconatus. Ad 10. Moniales possunt conqueri apud Episcopum de abulibus & pessima vivendi licentia, quæ in monasterio obtinet, si tamen aliunde ipsius jurisdictioni subsint. Si verò sint exemptæ, non possunt adire Episcopum, nisi in casu quo Abbatisa nihil omnino attenderet ad ipsarum querelas. Ad 11. Abbatissæ nunquam licuit introducere moniales non reformatas in suam communitatem. Ad 12. Cum moniales ubicunque locorum teneantur vivere juxta præscriptum suæ regulæ, nunquam etiam iisdem licebit uti ornato sæculari. Ad 13. Moniales reformatæ non possunt ad parthenonem suum recipere moniales non reformatas. Ad 14. Abbatisa monasterii reformati non po-

test conferre alium habitum regulæ quæ in tali monasterio observatur. Ad 15. Sub nullo prætextu potuit obligare suas moniales ad agendum quidpiam, quod est contra charitatem vel veritatem. Ad 16. Moniales totis viribus hujusmodi professionibus, quæ totæ fundantur, in auctoritate actorum vel literarum charitati contrariarum. De Lamet. & Fromageau.

CASUS XXII. Potestne Episcopus pro aliquo monasterio sibi subiecto concedere statutum privans voce activa & passiva unam vel duas moniales choro mancipatas, quando in hoc ipso monasterio jam adsunt duæ illarum sorores germanæ hoc jure gaudentes?

R. Potest hoc facere, & jure id facit. Parentes harum puellarum non possunt absque simoniæ crimine 20. francorum millia dare nec à monasterio acceptari talis summa, ad concedendum ipsis jus, ut ad Superioratus sint eligibiles, nec etiam salvâ conscientiam possunt implorare Judices laicos ad effectum cassandi statutum Episcopi, vel revocandi puellas ex monasterio. Fromageau.

Vide Caf. 56.

CASUS XXIII. Moniales primæ regulæ Sanctæ Claræ, de Ave Maria vulgò nuncupatæ, possuntne possidere bona immobilia; & acceptare fundationes cum vel sine onere?

R. Possunt possidere & acceptare juxta jus hodiernum à Concilio Tridentino sancitum. De Lamet.

CASUS XXIV. Extat monasterium in cujus constitutionibus quoad particularia ac singularia non omnia sunt satis ordinata vel explicata, quæ à quavis moniali observanda sunt in Officio horarum: possuntne supplementi in modum hæc addi constitutionibus?

R. Possunt omiffa hæc suppleri per novas explicationes scriptis exaratas & à Superiore approbandas. Verumtamen novæ hæc explanationes non sunt habendæ tanquam de præcepto sed merè de Consilio, nempe tanquam species, quædam directo-

rii quod non obligat sub peccato, nisi forte accedat contemptus formalis. *Fromageau.*

CASUS XXV. Priorissa, Officium hoc in titulum possidens, redacta est ad necessitatem resignandi, eoquod monialium suarum animi nimis contra ipsam sint præoccupati; potestne ex suo Beneficio constituere modicam aliquam pensionem, ut in aliud monasterium se possit recipere?

R. Jure hoc potest facere. Debet autem procurare, ut ipsius provisioni à Papa obtenta auctoritas etiam per literas patentes accederet, hoc enim si negligeret per privationem posset amittere suam pensionem. *De Lamet.*

CASUS XXVI. Monialis ut ad Superioratum perveniat, offert pensionem; potestne hoc facere?

R. Offerendo hoc sine pensionem simoniae ream se faceret, uti & eandem acceptantes. Episcopus nequit sola sua auctoritate facere Superiorissam ex perpetua triennale. *Lamet.*

CASUS XXVII. Sunt in aliquo monasterio monialium tres sorores Germanæ professæ, harum posterior privata est voce capitulari usque ad obitum alterutrius ex duabus prioribus. Estne justa ac legitima hujusmodi consuetudo.

R. Sapientissimè sic fuit provisum & ordinatum, talisque consuetudo est fideliter observanda. Si trium harum sororum natu maxima spurii esset natalibus orta, vitium hoc suorum natalium non auferret ipsi jus suffragii, nec enim, jus commune id ipsi auferret: illa verò quæ postrema venit ad monasterium, licet legitimo thoro nata non debet frui jure suffragii. *Fromageau.*

CASUS XXVIII. Monasterium aliquod est vel ab hostibus devastatum, vel alio quovis modo ad incitas redactum; & una monialium hujus domus ex beneficio regis obtinuit pensionem; recepit se postmodum cum venia sui Episcopi ad Conventum alterius Ordinis. Potestne pro suo arbitrio frui concessa sibi pensione?

R. Debet eadem uti juxta dispositionem annorum & regularum Ecclesiasticarum, eamque deponere Cellariæ vel alterius monialis ab Abbatissa deputandæ. Tridentinum quoad hoc punctum satis clarum est, ac proin observandum. *De Lamet.*

CASUS XXIX. Supplicat puella quædam recipi in monasterio virginum, sed non habens sufficientem dotem, ut posset admitti inter moniales ad chorum deputatas, sit soror conversa; poteritne postmodum adhuc recipi ad chorum?

R. Potest recipi, si communitas consenserit: bene fiet, sit obtineat rescriptum Pontificium tum ut mutationi huic auctoritas Papæ accedat, tum etiam ut à subeundi novi Novitiatus onere persona eximatur?

CASUS XXX. Puella post vitam aliquamdiu in sæculo libidinosè transactam religionem ingreditur. Contracta exinde publicæ infamiae nota redditne nullam ipsius professionem?

R. Non fit nulla ex hoc capite; imò monialis hæc habet jus interessendi capitulo, donec infamia ipsius publicè fuerit declarata à Superiorissa; quòd si contingat, per talem declarationem privabitur voce activa & passiva. *Fromageau.*

CASUS XXXI. Post transactum Novitium & receptionem capitularem ac Canonicam puella jam planè in articulo mortis, ut credebatur, constituta emitit professionem consentiente & approbante tota communitate; estne pro moniali verè professæ habenda?

R. Est vera monialis, nec publicè amplius tenetur revocare vota sua. Superiorissa quæ ad extorquendam pinguorem dotem juberet ipsam exui habitu professionis, foret excommunicata, unà cum iis qui vel quæ operam suam ad tantam violentiam perpetrandam eidem commoddassent; præterea esset recurrendum ad Episcopum ut ejus auctoritate revocaretur ad monasterium, illæque à quibus fuerat extrusa, condignis pœnis calligarentur. *Fromageau.*

CASUS XXXII. Monialis quædam migravit ex domo professionis suæ; potuirne monasterio noviter à se vel ex priorum largitionibus vel ex bonis paternis extructo, dare alium habitum, psallendi ritum, statuta & directiones diversas ab iis, quæ in suo primo monasterio perpetua observantia inoleverunt?

R. Non potest mutare has prioris sui monasterii observantias. Puellæ quæ ordinem professæ fuissent vel in hoc novo vel similibus monasteriis, deberent adire Episcopum, ut habitus, psallendi forma, & regula Ordinis à sua fundatrice relictae sibi redderentur. *De Lamet.*

CASUS XXXIII. Moniales cujusdam parthemonis passim & per frequenter ex lanitate aliquo abhinc tempore introducta agunt contra præcipua capita suæ regulæ; suntne securæ in conscientia?

R. Non sunt in statu salutis. Perdifficile est, ut relaxationi disciplinæ simul etiam non sit contemptus regulæ, licet hæc non obliget sub peccato, ac consequenter mortali. Confessarii qui easdem in tali statu relinqueret sive ex ignorantia sive ex ignavia, ceci forent, vel ignavi homines. Non possunt absolvi tales moniales, nisi seriam emendationem probaverint. Monendi sunt Superiores de hujusmodi relaxatione, ut opportunis remediis ab iisdem tollatur. *Fromageau.*

CASUS XXXIV. Moniales jurant de observando secreto capituli; tenenturne hoc suo juramentò?

R. Tenentur in conscientia, Violantes hoc juramentum perjuri & peccati mortalis juxta complures auctores reæ censentur. Potest verò Episcopus dispensare in hoc juramento, quando major pars communitatis illud non observat. *Fromageau.*

CASUS XXXV. Monialis quædam est pensionaria in alio ordine diverso ab eo, quem professæ est, potestne aspirare ad aliquod officium honorificum domus, in qua moratur?

R. Nullo modo tale quidpiam potest prætere, multò minus obire potest officia monialibus professis hujusmodi domus propria. Potest ipsi hoc permittere, si velit, communitas, atamen non tenetur. *Fromageau.*

CASUS XXXVI. Moniales tenent in titulum quædam sui Ordinis Beneficia. Possuntne eorum redditus administrare independenter à sua Abbatissa?

R. Modò eosdem ad honestos bonosque usus impendant, prout nempe Ecclesia per SS. Canones easdem obligat: nihil tamen ex iisdem possunt donare parentibus vel consanguineis, nisi sint pauperes. Præterea non obstantibus his Beneficiis tenentur vivere in Comuni unà cum Abbatissa & cæteris monialibus, nec quidpiam pro se possunt reservare. Moniales participant jura & commoda Communitatis, habentesque penes se pecunias, totum tenentur tradere Abbatissæ; sufficiat, quòd communitas provideat ipsarum necessitatibus. *De Lamet.*

CASUS XXXVII. Agitur de eligenda Superiorissa; discordant scrutinia; Commissarius Episcopi ejus nomine electioni præsidens, habetne jus sua auctoritate nominandi illam, quam cæteris digniorem judicat?

R. Habet hoc jus; potueruntne privatae moniales ipsi permittere potestatem de suis votis modo quocunque meliore disponendi; & modò in iis, quæ ab ipso acta gestaque fuere, nullus intervenerit defectus essentialis, reliqui defectus poterunt suppleri ab Episcopo, & sic electio reddi Canonica. *Fromageau.*

CASUS XXXVIII. Monialis fecit professionem cum hac restrictione mentali, quòd nolit se obligare ultra ea, quæ in suo monasterio practicata & observata fuerunt tempore ingressus sui. Tenenturne subicere sese reformationi postea introducendæ?

R. Tenetur; nisi bona fide ignoraverit disciplinam in hoc monasterio esse collapsam & relaxatam; adeoque si bona fide & ex

ex simplicitate esset in hac ignorantia, posset cum dispensatione Superiorum transire ad Ordinem mitiorem. *Fromageau.*

CASUS XXXIX. Moniales S. Claræ, quas *Urbanistas* (ab Urbano Papa sic appellatas) vocant, possuntne salvo paupertatis voto uti suis pensionibus ad convivia cum amicis habenda, & munera iisdem largienda?

R. Non licet, nec etiam possunt pro se habere quidpiam vasorum argenteorum vel suppellectilem aut mobilia particularia. Superiorissæ licentia neququam tutas easdem in conscientia reddit. Confessarii deberent negare absolutionem talibus monialibus, quæ adeo aperte violarent paupertatis votum. *De Lamet.*

Vide *Abbas. Abbatisa. Professio. Proprietas. Reclamatio vel impugnatio votorum. Vota.*

SARTOR.

In hoc titulo agetur, & discutietur, quid Sartoribus circa conficiendas virorum & mulierum vestes liceat vel non liceat.

CASUS I. *Hubertus*, sartor, jam ab anno confecit vestes muliebres in ea forma, ut pectus ad mamillas usque videri & per hoc viris ansa peccati dari possit: à suo Confessario admonebatur, ut à tali forma vestium abstinere, ille verò reposuit, se à confectioe vestium talis formæ abstinere non posse sine magno suæ sustentationis detrimento, cum ejusmodi forma vestium sit universalis. An tutâ conscientiâ potest pergere in confectioe talium vestium?

R. Dantur aliquæ artes, quæ absque peccato exerceri non possunt, cum directè ad peccatum occasionem præbent, dantur autem etiam aliæ, quæ de sua natura ad peccatum non inducunt juxta S. *Thomam* 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. Ars igitur *Huberti*, cum de se & ex sua natura non præbeat occasionem peccandi,

exerceri potest absque peccato. *Deo Ste Beuve tom. 3. casu 185.*

NOTA. Qui ejusmodi modos vestium, Christianam modestiam positivè deducens, vel respectu multorum in vitia ex fragilitate humanæ naturæ proclivium propinquum periculum gravium peccatorum absque necessitate creantes, inveniunt, vel inventas in morem introducunt, vel introductas sponte recipiunt, suoque exemplo confirmant; vel ubi prohibere possent, non prohibent, vel prohibitiones à Principe aut Episcopo factas non observant, sunt in statu peccati mortalis, &, nisi emendent, absolutionis incapaces.

CASUS II. *Sergius*, sartor, cuidam foemina nobili, ipsa petente, emit quindecim ulnas panni serici ad conficiendas vestes; in ipsa autem emptione advertit, unam ulnam non esse benè tinctam, hinc pro hac ulna mercatori detraxit à pretio totali unum imperialem, in confectioe verò vestium istam defectuosam panni ulnam intra plicas perbenè occultare scivit, ut nec minimum quid adverteretur. An iste sartor pro sua industria præfatam mercatorii detractum imperialem sibi reservare potest?

R. Non potest retinere nam 1. iste sartor est mandatarius; *Mandatum* verò est officium gratuitum ab eo, qui suscepit, exhibendum. 2. Si alicui quid committitur, consideranda est intentio committentis, in præsentem autem casu certum est, nobilem foeminam non habuisse talem intentionem, ut sartor in emptione secretò acquirat lucrum. *Pontas.*

CASUS III. *Arnaldus*, sartor, pro conficiendis *Hieronymo* vestibus emit sericum pannum subditum, globulos &c. pro 18. florenis, cum verò in horum emptione multum temporis impenderit, & ipsas etiam merces viliori, quàm aliàs, pretiò obtinuerit, exegit ab *Arnaldo* 20. florenos. An id licitè facere potuit?

R. *Arnaldus* videtur egisse injustè, nam 1. non est habenda ratio temporis; periti enim sartores in emptione talium mercium non indigent notabili temporis spatio. 2. Qui sartoribus utuntur, nullam habent

habent intentionem illis separatim solvendi impensum emendis necessariis mercibus tempus. *Theolog. moral. tom. 3. c. 7. q. 3.* Verum quidem est, quandoque cogi sartores notabile impendere tempus in emptione necessariarum mercium; in tali igitur casu possunt majus exigere pretium laboris, non tamen secretò aliquid retinere. Videtur etiam concedi posse, ut sartor, si quantitatem mercium, v. g. integra volumina panni emerit, possit in divisione panni particulari aliquid lucri recipere more aliorum mercatorum. *Pontas.*

CASUS IV. *Christina* cuidam sartori commisit, ut emat quindecim ulnas panni Attalici pro conficienda ab eo veste; cum ipsa mercatorem propterea adire nolit: sartor verò directè ad ipsam fabricam seu manufacturam, in qua ejusmodi conficiantur panni, perrexit, è qua alii mercatores unam ulnam pro 5. florenis emunt, & dein pro 6. florenis vendunt. An sartor lucrum unius floreni potuit sibi retinere, cum *Christina*, si mercatores adisset, pro una ulna 6. florenos dare debuisset.

R. Videtur, sartorem non egisse injustè, positò quòd crediderit, *Christinam* non fuisse accessuram ipsam fabricam. 2. Lucrum sartoris considerandum est tanquam fructus industrialis. 3. Forsan ad eundem ipsam fabricam, in suburbio sitam, plus temporis debuit impendere, ad quod vi commissionis non tenebatur. Interim tamen hoc lucrum recipere non potuit, nisi certus fuerit, eodem pretio 6. florenorum è fabrica aliis mercatoribus unam ulnam vendi. *Pontas.*

CASUS V. *Jovius*, sartor, solet lacinias ex panno residuas sibi retinere, & eas vendere aliis, qui illis uti possunt. An tenetur ad restitutionem, si tales lacinias retinet in compensationem temporis in emptione panni impensum?

R. Idem dicendum de *Jovio*, quod de iis, qui minuta committunt furta, & per ea ditiores fiunt. Hinc *Jovius* tales

Diction. Cas. Confe.

lacinias sibi retinere non potest nisi cum consensu illius, qui pretium panni solvit. *Conferentia Condom. tom. 1. c. 15. q. 3.*

NOTA. Resolutio dependet ab intentione rationaliter præsumpta conducentis operam *Sartoris*. Si conducent potest & solet asservere lacinias in fines utiles, non censetur, eas donare.

CASUS VI. *Sebastianus* rogavit *Matthiam* sartorem, ut secum adeat mercatorem pro emendo panno ad conficiendam vestem: *Matthias* illum duxit ad mercatorem, qui 40. crucigeris ulnam carius vendit quàm alii, & *Matthias* se non opponit, cujus tamen non alia est ratio, quàm quòd dictus mercator ipse amicis est, aut ipse illius debitor. An iste sartor *Matthias* tenetur restituere *Sebastianus*?

R. Tenetur unacum mercatore *Sebastiano* restituere in solidum; cum ipse damni *Sebastiano* illati causa existuerit; rogatus enim à *Sebastiano* adiens mercatorem, tenebatur impedire deceptionem, & fraudem mercatoris: *Dare alicui occasionem periculi, vel damni, semper est illicitum, S. Thomas* ait 2. 2. q. 77. art. 3. in corp.

Vide *Emptio*, casu 18.

SATISFACTIO SACRAMENTALIS.

CASUS I. Parochus quidam ruralis, ut Parochianos suos alliceret ad frequentem confessionem, ipsis pro peccatis etiam gravissimis tantum injungit opera aliunde præcepta; v. g. auditionem Sacri diebus Dominicis & Festis.

R. Malè agit iste Parochus: Ministris Sacramenti Pœnitentiæ juxta leges prudentiæ Christianæ semper debent injungere pœnitentiam proportionatam gravitati peccatorum & qualitati pœnitentis, ne, ut advertit Concilium Tridentinum, se reddant participes peccatorum alienorum, quibus sic connivere videntur. Quia autem hæc doctrina subverteretur, si

A 2 2 2 2 2

no-

motivum alliciendi populum ad frequentem confessionem praxin hujus Parochi redderet licitam, dicendum est, hunc modum agendi neutiquam probari posse. *De Lugo disput. 25. n. 67. Avers. q. 13. sect. 3. Girib. de pœnit. c. 12. n. 44. & 45.*

CASUS II. Confessarius quidam Petro pro pœnitentia injungit, ut singulis diebus Dominicis per mensem audiat duo Sacra; Petrus autem ex mera negligentia interest quidem duobus Sacris, sed simul ac eodem tempore ad duo altaria celebratis.

R. Petrus non satisfecit pœnitentiæ injunctæ: licet enim quis satisfacere possit eodem tempore ac per unicum actum duobus præceptis, quando aliunde non constat de alia intentione præcipientis; nihilominus, dum de hac intentione constat, non potest satisfieri, nisi per distinctos actus distincto tempore positos. Quia autem Confessarii ejusmodi pœnitentias imponendò ordinariè habent intentionem obligandi pœnitentem ad audiendas duas Missas distincto tempore, dicendum est, Petrum non satisfecisse duabus suis obligationibus, dum audit duas Missas simul ad duo altaria celebratas. *Joan. de Lugo de Sac. Euch. disput. 22. Turrian. disput. 16. Girib. de observ. Fest. c. 2.*

CASUS III. Franciscus matri suæ ad extremam miseriam redactæ dedit elemosynas, quas vi pœnitentiæ à Confessario injunctæ distribuere debuisset in pauperes.

R. Non satisfecit obligationi suæ; nam cum filius jure naturali teneatur necessariam sustentationem præbere matri suæ, summa eidem data non habet rationem elemosynæ, sed persoluti debiti. Jam autem, cum intentio Confessarii non fuerit obligandi pœnitentem ad aliquid, ad quod ex alio titulo tenebatur, certum est, Franciscum donandò matri suæ summam, quam in elemosynas pauperum distribuere debuisset, non satisfecisse pœnitentiæ injunctæ. *Cleric. de pœn. dec. 3. n. Sum.*

de alim. tit. 7. q. 37. Dian. part. 6. tr. 4. resol. 54.

CASUS IV. Cajus, qui commisit plurima peccata gravissima, recusat in hac vita alia opera satisfactoria exercere, quam quæ ipsi in confessione imponantur. Potestne excusari à peccato gravi?

R. Potest: licet enim sit utilissimum satisfacere Deo pro suis peccatis per pia opera gratuito assumpta, non tamen existat præceptum ad id obligans; prout expressè declaratum est à Concilio Tridentino *Sess. 14. c. 8.*

CASUS V. Sejus per notabile tempus differt impletionem injunctæ sibi pœnitentiæ; & eam tandem persolvit in statu peccati mortalis.

R. Peccat graviter sine rationabili causa, ut supponitur, differendò injunctam pœnitentiam: non tamen peccat eam persolvendò in statu peccati mortalis; sicut ille non peccat, qui in statu peccati mortalis recitat divinum Officium, aut jejunat, &c. *Maderus q. 5. de Lugo. Girib.*

NOTA. Peccator semper peccat ad minimum venialiter, quoties orat Deum pro remissione peccatorum sine attritione & proposito emendationis; ita tamen, ut non ipsa oratio, sed tantum omisso concomitans sit peccatum. Vide in mea *Theol. Tr. de peccatis.*

CASUS VI. Confessarius quidam Cajo pro pœnitentia injunxit, ut quotidie per annum reciter Psalmum *Miserere*. Cajus acceptat quidem pœnitentiam, sed eam non persolvit; putatque id fieri posse absque scrupulo, eoquod peccata illa emendaverit, pro quibus hæc pœnitentia fuit injuncta.

R. Non potest excusari Cajus; quia hæc pœnitentia est satisfactoria, utpote sola, quæ ipsi fuit imposita. Ex hoc autem titulo ea obligat semper: Sacramentum enim non debet frustrari unâ partium suarum essentialium. *Salmant. Gobat.*

NOTA. Ipsa actualis satisfactio est solum pars integralis Sacramenti; Satisfactio autem in voto, seu propositum implendi satisfactionem injunctam est pars essentialis.

CA-

CASUS VII. Livius libenter vellet liberari ab injuncta pœnitentia, quam acceptavit animò eam adimplendi. Potestne propria sua autoritate eam immutare? Num eam mutare potest alius confessarius, quin obliget pœnitentem ad repetendam, priorem confessionem?

R. Pœnitens ipse eam immutare non potest. *Laurea. Gobat. & alii.* Ratio est; quia commutatio pœnitentiæ est actus jurisdictionis, quæ certò convenire non potest pœnitenti, etiamsi talis commutatio fieret in melius. *Puteobon. quest. 4. art. 5.* Confessarius autem potest ex rationabili causa pœnitentiam ab alio Confessario injunctam commutare in æqualem, aut etiam leviolem, si gravis id petat ratio cognita prius Confessione facta priori confessario: neque per hoc talis Confessarius exercet suam autoritatem in primum Confessarium, sed solum in pœnitentem, qui se ipsi subiecit; ita, ut secundus Confessarius suam quidem proferat sententiam, quin tamen sententiam primi Confessarii revocet. *Suarez disput. 38. sect. 10. Quando disp. 9. sect. 7. de pœnit.*

NOTA. Cum pœnitentia debeat esse proportionata non solum cum persona & conditione pœnitentis, sed etiam cum gravitate, numero, & mensura peccatorum, impossibile est, à secundo confessario eam posterioreem conditionem sine nova confessione pœnitentis.

SCANDALUM.

1. Theologi *Scandalum* ita definiunt: *Offendiculum spirituale, quo quis offendit & in peccatum vult.* Duplex distinguitur scandalum, scilicet *activum & passivum*, id est, datum & acceptum. Scandalum activum juxta Tertullianum est *dictum vel factum minus rectum proximo præbens occasionem ruinæ spiritualis*; ad quam definitionem addendum adhuc est, *omissio dicti vel facti.* Scandalum passivum est, quod accipitur ex facto vel dicto alterius non recto, vel quandoque recto, vel saltem indifferente.

2. Supponendum est, quod dans scandalum aut habeat intentionem expressam, aut saltem interpretativam proximo præbendi occasionem peccati, etsi contingere possit, proximum non scandalizari. Si intentio tantum est interpretativa, etiam scandalum est tantum interpretativum.

3. Duplex porro datur species scandalum passivi; nimirum *acceptum & datum simul*, definiturque à Polmano, *proximi ruina spiritualis orta ex alterius dicto factove minus recto; & acceptum solum & non datum*, quod idem Theologus definit, *ruina spiritualis propriâ malitiâ vel infirmitate accepta, orta ex dicto factove alterius recto vel indifferenti.* Scandalum acceptum propriâ malitiâ simile est scandalo Pharisæorum. Si verò accipitur tantum ex infirmitate aut defectu judicii absque justa causa, dicitur *scandalum infirmorum acceptum tantum*, & distinguitur ab eo, quod Theologi vocant *acceptum & datum.*

4. Omne scandalum formale, aut interpretativum est ex sua natura peccaminosum; daturque stricta obligatio in confessione declarandi præter actionem ipsam etiam circumstantiam scandalum, utpote valdè notabilem, & notabiliter augmentem malitiam actionis.

CASUS I. Parochus quidam bonum opus inchoaverat, quod ipsi videbatur necessarium, aut saltem utile pro bono Parochiæ suæ; sed Parochiani exinde scandalizabantur, dictum vel factum in malam partem accipiendò; sicque, dum voluit procurare salutem Parochianorum suorum, ipsis præbuit occasionem peccandi per murmuraciones, injusta ac temeraria judicium. Teneatne Parochus in hoc casu abstinere à bono hoc opere, & illorum infirmitati cedere? atque si non abstineret, num reus foret dati scandalum?

R. Hæc quæstio unice respicit scandalum passivum: scandalum enim activum semper est peccatum. Si bonum opus, de

A a a a a a

quo

quo agitur, est de necessitate salutis, Parochus nec potest, nec debet ab eo abstinere sub prætextu scandali; quia peccaret mortaliter abstinendò, id quod nunquam licet, ex quacumque demum causa. Si autem hoc bonum opus non est de necessitate salutis, distinguendum est: vel enim scandalum procedit ex malitia, & tunc nulla ejusdem habenda ratio, sed continuandum est bonum opus: vel procedit ex infirmitate vel ignorantia, & tunc expedire videtur, ut differatur executio boni operis, si absque periculo peccandi differri possit, usque dum melius edoceantur infirmi ac ignorantes. Et hæc est doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 43. art. 7. in Corp. item q. 3. de virtutibus art. 1. ad 3. & in 4. dist. 38. q. 2. art. 4. q. 1. & 2.

CASUS II. *Leodegarius & Damasus* prætendunt simul jus legitimam ad quamdam Parochiam, ille ex resignatione sibi facta, hic ob gradum Doctoratûs. Uterque uno eodemque tempore possessionem capere volunt; verum omnes Parochiani *Damasum* Parochum habere volentes, cum tumultu & violentia sese opponunt *Leodegario*, indubitatum licet jus habenti. Teneturne *Leodegarius* in conscientia cedere jure suo, prævidens, scandalum aliàs non fore cessaturum?

R. Censeo; ad id eum teneri, juxta S. Basilium in *Regul. brevioribus interrogat. 64.* dicentem, quòd, quando agitur de re prorsus à nobis dependente, eidem teneamur renuntiare, si eam prosequi non possimus sine scandalo proximi nostri. Sic sentit etiam D. THOMAS 2. 2. q. 43. art. 4.

CASUS III. *Agobardus* Parochus raris certorum fructuum decimas colligebat vñ juris in consuetudine immemoriali, aut in titulis legitimis fundati. Omnes illius Parochiani vehementer exinde scandalizantur, & avaritiæ insimulatum cum indignatione ac contemptu eum ubique traducunt. Teneturne in conscientia renuntiare his decimis, si aliàs scandalum, quod jam per tres annos durat, tolli nequeat?

R. Nullo modo *Agobardus* tenetur cedere jure suo. RATIO est; quia non est dominus bonorum Ecclesiasticorum ex sua Parochia provenientium, sed solum depositarius; & ut talis tenetur suis successoribus conservare jus illa percipiendi. Imo licet *Agobardus* verus esset proprietarius horum bonorum; non tamen teneretur renuntiare juri suo: nemo enim tenetur bona temporalia, quorum habet dominium, cedere iis, qui scandalizantur ex eo, quod non cedantur, quando tale scandalum provenit ex malitia, ut in casu proposito. Nihilominus si scandalum oritur ex aliorum ignorantia vel infirmitate, quandoque dimittenda sunt bona temporalia, dum alio modo scandalum tolli non potest; vel saltem admonendi fumentes scandalum de injustitia, quam committunt summendò scandalum, & sic privandò alios bonis suis. Sic quoad omnia sentit D. THOMAS 2. 2. q. 43. art. 8. in Corp. Item in 4. dist. 38. q. 2. art. 4. q. 3. in Corp. & in Epist. ad Rom. c. 14. lect. 3.

CASUS IV. *Arnaldus* Episcopus videns, usuram in sua Diocesi consuetudine publica, antiqua & generali invaluisse, durante visitatione in pluribus locis vehementer ex cathedra contra hoc vitium invectus est: verum multi his concionibus scandalum passi ipsius doctrinam hac in materia respiciebant tanquam novitatem, famam illius miserè proscindebant, odia aliorum concitabant, & impediabant fructum, quem absque injusto hoc scandalo facere potuisset. Potestne ulterius contra hoc vitium detonare, non obstantibus malis eventibus exinde secuturis? Aut num ad evitandum majus malum ab eo cessare debet?

R. Cum hoc scandalum sit injustum, & pessimè fundatum, Episcopus non debet cessare ab inculcanda hac occasione suis Diocesanis veritate. S. Thomas in 4. dist. 38. q. 2. art. 4. & alibi.

CASUS V. *Apollonius* Judex Regius in difficili rerum articulo constitutus, ubi vñ officii sui animadvertere deberet in delin-

quentes propter seditionem popularem: cum autem id perficere non posset, quin grave nasceretur scandalum, melius ipsi visum est ab eo abstinere. Potuitne id facere securâ conscientia?

R. Si *Apollonius* prævidit, ex inflictâ in casu proposito delinquentibus pœna majorem orituram fore perturbationem, sine læsione conscientia suæ abstinere potuit à condemnatione reorum ad promeritam pœnam. S. Thomas 2. 2. q. 43. art. 7. ad 1.

CASUS VI. *Briandus* Ordinem Capucinorum ingredi cogitans, hoc suum propositum exequi non poterat, quin parentes ac propinqui vehementer scandalizarentur; quia erat filius unicus, nobili stemmate natus, ac ditissimo proximè ineundo matrimonio destinatus. Potestne in hoc casu Religionem ingredi, contempto omnis scandali eventu?

R. Scandalum, de quo hic agitur, considerandum est tanquam effectus modicæ religionis ac pietatis eorum, qui scandalizantur; & consequenter impedire non debet *Briandum*, quo minus exequatur propositum suum; maxime cum hoc scandalum sit tantum passivum. S. Thomas in 4. dist. 38. q. 2. art. 4. q. 2. ad 2. Ino si *Briandus* votum emisisset ingrediendi Religionem, juxta eundem S. Doctorem teneretur eam ingredi, non obstante quocumque scandalo.

CASUS VII. *Atbenobius Mariam* uxorem suam non solum osculatur, sed & eam in partibus pudibundis aliquando tangit, *Claudio & Antonio* modicæ virtutis viris præsentibus, ac etiam illam ipsius uxorem esse nescientibus: unde hi motibus concupiscentia aguntur, iisque assensum præbent. Peccatne lethaliter *Atbenobius* peccatò scandali, licet non intendat ad peccatum inducere *Claudium & Antonium*?

R. Certum est, *Atbenobium* peccare graviter, quamvis fortè sine culpa sic erga uxorem sese gerere posset, ubi nullus adesset testis, modò id fieret in ordine ad

actum conjugalem; at non potest id agere aliquo præsentente & attendente, sine peccato scandali: non enim solum peccatum, verum etiam, quod peccati similitudinem refert, inducit scandalum. Hinc graviter peccat *Atbenobius*, dum in casu proposito neglecta proximi salute ab actu alias licito non abstinet. S. Thomas 2. 2. q. 43. art. 1. ad 4. Et in 4. dist. 38. q. 2. art. 2. q. 3.

CASUS VIII. *Ludovica* puella miræ pulchritudinis ac prudentia novit impudicos erga se *Claudii* amores, eumque singulis ferè diebus accedere Ecclesiam, ubi ipsa solet Missam audire, & locum, ubi ea cum quadam consanguinea sua deambulare consuevit. Teneturne *Ludovica*, etsi nil mali intendat, manere domi ad tollendam *Claudio* scandali causam, quem certò scit lapsum esse in peccatum mortale, quoties sibi obviam factus fuisset?

R. Non videtur, *Ludovicam* in casu proposito in conscientia obligari ad intermittendam Ecclesie frequentationem, aut consuetam deambulationem; dummodò voluntariè *Claudio* non præbeat ullam occasionem scandali: sic enim censeretur esse causa illius. Pontas.

CASUS IX. Infallibiliter maximum evenire debet scandalum publicum ex actione quadam Titii toti jam viciniae nota. *Cajus* hoc scandalum facilè impedire posset *Titium* excusandò per mendacium officiosum. Potestne sic mentiri, ut tanto malo, & multis peccatis mortalibus inde consecuturis occurratur?

R. Tale mendacium foret peccaminosum, & consequenter nunquam permisum. *Cajus* igitur non potest per ejusmodi mendacium impedire scandalum, de quo agitur, & sequelas exinde orituras. Regula illa, *ex duobus malis minus est eligendum ad cavendum majus*, unice locum habet in casu, ubi quis in inevitabili agendi necessitate constituitur, in qua *Cajus* non est: potest enim silere, & nemo ipsum cogit ad mentiendum. *Sylvester V. Scandalum.*

*dalum. q. 3. §. quintum. & alii communi-
ter. Vide Mendacium.*

CASUS X. *Adelarus* natione Sinenfis, Regis Sinenfis domesticus vi muneris sui ordinariè sublevat hunc Principem coram suis Idolis prostratum, & in aliis occasionibus ad Religionem indifferentibus. Potèstne postmodum conversus ad fidem Catholicam absque peccato idem obire servitium?

℞. Hoc ministerium *Adelari* non est condemnandum tanquam actio verè peccaminosa in casu proposito; dummodo non præbeat occasionem scandali Christianis Sinenfibus, aut aliis videntibus atque scientibus. Ratio responsionis petitur ex S. Scriptura: Propheta enim *Eliſæus* non imputabat *Naamano* ad peccatum, quòd se inclinare deberet ad sustentandum Regem coram Idolo *Remmon* se prosternentem. Nihilominus omnem à ministerio *Adelari* occasionem scandali abesse necesse est; ex eo enim actio ipsius redderetur peccaminosa. *Pontas.*

CASUS XI. *Sarinus* Sacerdos in mari ab Algerianis captus, ac mancipatui addictus cogebatur à barbaris tempore quadragesimæ manducare carnes sale conditas, unicè in derisionem ac contemptum Religionis Catholicæ oblatas, n̄ fame perire mallet; quas cum primis diebus manducasset, quidam fideles vehementer fuerunt scandalizati. Debitne in hoc casu *Sarinus* absolutè his carnibus abstinere, licèt nec panem manducandum haberet, & potius fame perire, quàm manducare ejusmodi carnes?

℞. Solum exemplum *Eleazari* sufficit ad convincendum quemlibet Christianum de obligatione in simili casu potius sese morti exponendi, quàm ut causam præbeat talis scandali. Et hinc *Sarinus* tenebatur imitari exemplum hujus Judæi. *Pontas.*

NOTA. Est ingens discrimen inter Casum *Sarini* & *Eleazari*. *Sarinus* potest & tenetur dicere; Ecclesiam non obligare ad abstinendum à carnibus in casu necessitatis; ac proin tenebatur potius comedere carnes, quàm mori

CASUS XII. *Festus* Clericus commoratur cum quadam vidua consanguinea in domo procul distita à sacello, in quo Capellani munus obit; id quod multis præbet occasionem malè suspicandi de eo. Potèstne tutà conscientiâ diutiùs retinere idem domicilium?

℞. Tenetur relinquere domum illam, & alibi sibi quærere domicilium. Imo ipsa vidua tenetur dimittere Festum è domo sua, ut sic omnis tollatur occasio scandali. *De Lamet.*

CASUS XIII. Viduus quidam habuit prolem ex ancilla sua, nec tamen eam vult ejicere domo sua sub prætextu, quòd jam per decem annos non ampliùs peccaverit cum ea. Estne deferendus aut Officialis, aut ad Judicem laicum, ut sic compellatur ejicere ancillam?

℞. Neutrum est consulendum: Episcopus tamen, & Parochus constanter eum hortari debent, ut tollat scandalum. *De Lamet.*

CASUS XIV. Canonicus quidam secum in domo retinet consanguineam vitæ parùm ædificatoriæ; id quod toti urbi cedit in scandalum. Canonicus iste in morbum incidit, & petit sibi administrari Sacramenta. Num ea ipsi conferenda sunt?

℞. Nec absolutionem, nec S. Communionem potest recipere, nisi prius dome expelli jusserit hanc consanguineam. Si Capitulum ipsius habet jurisdictionem etiam pro foro interno in membra Capituli, nullus Parochus aut Vicarius potest validè confessionem ipsius excepere, nec debet illi S. Communionem præbere sine licentia eorum, qui exercent jurisdictionem Capituli. Imo Capitulum potest compellere hunc Canonicum ad ejiciendam consanguineam suam ratione scandali, quam præbet. Insuper Capitulum habet jus inquirendi contra talem Canonicum, eumque per sententiam suspendendi ab Ordinibus suis, & cuilibet Confessario inhibendi, ne ullum ipsi Sacramentum ad-

ministraret, antequam obedientiam præstet. *De Lamet.*

NOTA. De hoc jure Capitulorum in Germania non constat. Si Canonicus non consteatur pravam consuetudinem peccandi cum consanguinea, non potest à Confessario obligari ad eam statim ejiciendam, ne populus confirmetur in erronea persuasione. Multo minus potest ipsi à parochio denegari communicatio, nisi sit notorius impenitens concubiniarius, vel inobediens.

SCHOLASTICUS.

1. *Scholasticus* dicitur ille inter Canonicos, qui Doctor Theologiæ ad annuntiandum verbum Dei & prælegendam aliis Canonicis in ea nondum versatis Theologiam destinatus est.

2. Præbendæ destinatæ Scholasticis subjacent juribus Graduatorum. In Scholastico non solum requiritur scientia Theologiæ, maxime moralis; sed etiam aliæ qualitates ad hoc, ut cum fructu publicè annuntiet verbum Dei; omnem insuper respectum ad interesse proprium à præcellenti aded ac sancto ministerio abesse oportet. Doctor Juris Canonici non manuteneretur in possessione hujus Officii, si ad id obeundum Doctor Theologiæ, aut etiam Licentiatum se offerret.

CASUS I. *Uranus* Episcopus cum in sua Diocesi non reperiret idoneum Doctorem Theologiæ pro Officio Scholastici Ecclesiæ suæ Cathedralis, assumpsit Doctorem ex Jure Canonico, virum doctum ac pium. An id licuit?

℞. Censeo, *Uranium* in casu proposito non egisse contra leges, ac Constitutiones Ecclesiæ. *Pontas.*

CASUS II. *Fulgentius* Scholasticus in Ecclesia Metropolitana quotannis per quinque circiter menses abest à sua Ecclesia, se non esse obligatum ratus ad continuam residentiam ratione muneris sui. Estne securus in conscientia, maxime si absit tempore Adventûs & Quadragesimæ, ubi solent vocari Concionatores exteri?

℞. Scholastici æquè obligantur ad residentiam, ac alii Canonici. Hinc *Fulgen-*

tius non est securus in conscientia. *Pontas.*

CASUS III. *Felicianus* Scholasticus ordinariè negligit dimidium divini Officii sub prætextu, quòd ab eo eximatur ratione Beneficii sui, vi cujus obligaretur ad concionandum. Estne tutus in conscientia?

℞. Verum est, quòd Scholastici Officium sit concionari & docere, ita, ut ex hoc principio regulanda sit assistentia in choro, quantum nimirum habita ratione studiorum id fieri possit. Si itaque *Felicianus* tantum studiorum causâ abest à choro, tutus est in conscientia. *Pontas.*

CASUS IV. *Ferdinandus* Scholasticus, postquam insumperat ut alii Canonici permissum tempus absentia, ab Episcopo per duos menses fuit applicatus ad Missionem, quo tempore locò suū constituit alium Concionatorem. An licitè per tempus Missionis suæ recipit distributiones quotidianas?

℞. Et si *Ferdinandus* locò suū alium constituerit Concionatorem, non tamen lucratur distributiones quotidianas tempore absentia suæ; quia hoc directè adversaretur institutioni Ecclesiæ, quæ Scholasticos obligat ad residentiam, & ad personaliter obeunda munia Officii sui. *S. Beuve tom. 3. cas. 44.*

CASUS V. *Lucilius* Scholasticus cujusdam Ecclesiæ Metropolitanæ vult Beneficium suum resignare Nepoti suo, pio quidem, & requisitam ætatem habenti, sed sufficientibus ad docendum ac concionandum talentis non instructo. Potèstne tutà conscientiâ exequi hoc suum propositum, si certus sit, à suo Nepote constituendos alios pro functionibus hujus muneris dignissimos, ac summè idoneos?

℞. Absque gravi peccato non potest resignare Præbendam huic Nepoti suo, utpote incapaci, ut per semetipsum obeat functiones eidem annexas. *Cabassut. l. 2. c. 24. n. 19.*

CASUS VI. Scholasticus quidam, qui per se ipsam, aut per alium ordinariè con-

concionatur, pro consuetudine scilicet Ecclesiæ Cathedralis, & qui lectiones Theologicas instituit, & quidem sæpius, ac obligaretur, aut saltem ad eas instituendas se præparat, teneturne ratione Præbendæ suæ, quæ est simplex Canonicatus, diebûs Dominicis & Festis, quibûs concionem non habet, assistere Divino Officio vel ex integro, vel ex parte? Potestne tutâ conscientia dies vacationum impendere negotiis Dioceseos, quæ ipsi incumbunt, aut suis propriis; aut num omnia hæc tenetur prætermittere, ut possit esse præsens Divino Officio? Estne securus in conscientia, si ultra lectiones & conciones, quas habet, vel haberi curat, diebûs Dominicis & festis intersit Missæ Majori & Vesperis, quantum fieri potest, maximè si hisce diebûs ob prædicta negotia impeditus à præsentia, habeat animum id suppleendi aliis per septimanam diebûs?

R. Scholasticus iste est exemptus ab assistentia Divini officii. Tempus vacationem potest impendere, ut ipsi bonum videbitur; & ut tutâ conscientia omnes fructus possit percipere, sufficit, si sit occupatus docendô aut studendô, satisfaciendô simul obligationi concionandi per semetipsum, aut per alium. *Fromageau.*

CASUS VII. Teneturne Scholasticus ad residentiam?

R. Tenetur; sed, dum studiis occupatur ad dignè obeundum munus suum, dispensatur à Choro. Potest insuper frui permisso tempore vacationum simul & interrupta vice, vel distinctis vicibus. *De Lamet.*

CASUS VIII. Scholasticus quidam fuit provisus à Rege, etsi non habuerit qualitates requisitas.

R. Cum Regem deceperit, dicendô se esse Doctorem, etsi tantum fuerit Baccalaureus, Beneficium ipsius juri devolutionis potest subijci: ut enim legitimè Scholasticus possideat Præbendam suam, necesse est, ut per decem annos studiis vacaverit in Universitate quadam privilegiata. Scholasticus lectiones potest institue-

re in domo sua, si locus specialis ad id non est assignatus à Capitulo. Episcopus non habet immediatum jus circa lectiones Scholasticas; sed Capitulum. *De Lamet.*

CASUS IX. Quænam sunt obligationes Scholastici?

R. In Gallia juxta leges tam Ecclesiasticas quàm politicas tenetur concionari singulis diebûs Dominicis, & Festis solemnioribus, ac unam vel duas per hebdomadam lectiones instituere. Episcopus & Capitulum possunt diminuere numerum concionum & lectionum, quando populus non est frequens, & pauci tantum Clerici in Ecclesia, ubi residet Scholasticus. *Fromageau.*

CASUS X. In quadam Ecclesia Scholasticus non concionatur. Potestne Episcopus ipsi injungere, ut singulis diebûs Dominicis concionem habeat;

R. Potest non solum id ipsi injungere, sed etiam determinare horam concionis, quam pro Clero & populo magis opportunam judicaverit. Si Scholasticus ipse conciones non habeat, tenetur eas per alium habendas curare, etiam tempore absentia suæ. *De Lamet.*

Vide *Canonici. Distributiones Quotidiana.*

SCRUPULUS.

Scrupulus est perplexitas ac inquietudo animi absque ullo fundamento rationabili. Ad formandum scrupulum tria concurrunt; nempe *defectus fundamenti solidi*, quod ab eo distingui non potest, quod est legitimum; *malè fundata formido*, ne quis peccet, aut desit obligationi suæ; & *agitatio, perturbatio, ac stimulus conscientia.* Scrupulus potest præcedere, vel subsequi vel etiam comitari actionem, circa quam versatur. Morbus hic animi est molestissimus, ad eumque evitandum vix ulla sollicitudo superflua est.

CASUS I. Basolina scemina pientissima à tribus mensibus sæpius turbatur ac exagitur pravis cogitationibus, maxi-

mè contra fidem ac Religionem. Estne rea peccati, quando horribiles hujus generis cogitationes ipsius phantasiam obsident? An prudenter abstinere à sacra Communionem propter internam suam persuasionem graviter peccandi, si accederet sine prævia confessione? Potestne S. Communionem absque peccato omittere, licet eam demandaverit Confessarius?

R. Antequam respondeatur, sciendum est, quid sit *opinio, dubium, & scrupulus* & in quonam differant. OPINIO est acceptio unius partis cum formidine alterius; ita tamen, ut hæc formido tantum oriatur ex debilitate rationis illius partis, de qua quis opinatur. DUBIUM est cognitio duarum rerum contrariarum, neutram earum judicandô magis veram. SCRUPULUS in eo sensu, quo sumunt Theologi, nimirum pro anxietate conscientia, est dubium habens annexam formidinem imprudentem, ac ex levibus conjecturis, ac incertis indiciis provenientes, quæ agitat animum, ingeritque apprehensionem peccati, ubi non est.

Scrupuli ex tribus diversis causis possunt provenire. *Prima* causa est homo ipse, qui, quin cogitet, illis locum præbet suo temperamento, aut constitutione. *Secunda* causa quandoque Deus est; & *tertia* subinde etiam Damon.

DIXI, primam causam scrupulorum quandoque esse *ipsum hominem*, scilicet per temperamentum suum melancholicum, & complexionem frigidam; quæ complexio naturaliter disponit ad timorem, ac dubietatem ob malam dispositionem cerebri. Aliquando etiam scrupulositas oritur ex modo vivendi inordinato, ac ex regiminis corporalis negligentia. Et demum potest hoc malum alicui evenire 1. quando quis parùm doctus, & multum timidus incumbit lectioni librorum certas materias tractantium, quæ aut ipsius captum excedunt, aut attonitum reddunt. 2. Quando quis in fervore inordinatæ devotionis proprio motu, & absque consilio assumit exercitia spiritalia, vel opera poenitentia, sine quibus suam salutem securam non fore sibi imaginatur. 3. Quando quis nimium humanam & nimium mechanicam operam impendit sese considerationi rerum sacrarum sub imaginibus corporalibus exhibitarum. 4. Quando quis nimium occupatur in examinanda conscientia absque necessitate, & frequenter etiam contra consilium Confessarii. *Secunda* scrupulorum causa quandoque *Deus* est, qui certas quasdam animas electas vult humiliare, ac per ejusmodi anxietates animi ad majorem perfectionem adducere, tepidasque non nunquam excitare ad fervorem, ac amorem sibi debitum. *Tertia* denique scrupulorum causa sæpius *Damon* est, qui semper omnes nervos intendit, ut timoratos ad peccatum inducat, vel saltem conscientia pacem disturbet, & bona eorum opera reddat imperfecta, aut denique, ut ad suæ salutis desperationem eos adigat. Hinc sapienti directori conscientiarum diligenter examinanda est causa scrupulositatis in poenitente: & ad hoc necesse est 1. ut cognoscat temperamentum, genium, ac inclinationes naturales poenitentis. 2. Qualis fuerit præteritæ vitæ ratio ac conditio, an ordinata, vel inordinata? His prænotatis respondetur ad casum propositum; quod nimirum *Basolina* non sit rea horribilium cogitationum, quibus invita suam imaginationem obsessam cernit, dummodò eas detestetur. Imprudenter autem agit, dum propria autoritate à sacra Communionem abstinere: exponendæ potius essent anxietates Confessario, illique hoc in articulo perfecta præstanda foret obedientia. Denique peccat *Basolina* contra obedientiam, & præsumptionis se ream constituit, dum S. Communionem se privat contra præscriptum sui Directoris. *Pontas.*

CASUS II. *Synestus* vir pius, sed excessivè scrupulosus, valde dubitat, utrum in confessione ante duos annos exposuerit aliquod peccatum, quod credit esse mortale. Teneturne absolute ad illud confessari.

ten-

tendum, quamprimùm Sacramentum Pœnitentiæ accesserit; ita, ut id non faciendò novum peccatum mortale committeret, suamque confessionem nullam redderet?

R. Si Synesius omnem possibilem diligentiam adhibuit in sua, de qua agitur, confessione, credere debet, se jam fuisse confessum illud peccatum, quod ipsi moveret scrupulum; & consequenter non tenetur illud de novo declarare in proxima confessione. *Cajetan. in Sum. v. eod. n. 3.*

CASUS III. *Haimonius* Sacerdos plurimæ virtutis comperit, se fore ab Episcopo constituendum Confessarium in quadam Communitate Monialium, ubi novit, plures earum longo jam tempore gravissimis torqueri scrupulis. Hinc veritus, ne ad hoc munus sit idoneus, ante illius acceptionem quærit, quibus qualitatibus & talentis instructus esse debeat Confessarius in ordine ad ejusmodi personas; & quænam talibus præscribenda sint remedia?

R. Censeo, primam qualitatem ejusmodi Confessarii esse, ut teneram erga tales personas foveat charitatem, ita, ut illas semper tractet summa cum patientia ac lenitate, juxta *S. Antoninum 1. part. Sum. tom. 3. c. 10. §. 10.* Quod attinet remedia illis applicanda; *primum* est, idque tutissimum ac omnium excellentissimum, ut Confessarius talibus personis persuadeat absolutam necessitatem perfectæ obedientiæ in omnibus, quæ certè & manifestè divinæ legi non repugnant. *Secundum* est, ut pœnitentem eò adducat, ut ipse credat, se esse scrupulosum. Poterit autem talis pœnitens ex hisce de sua scrupulositate convinci, si nimirum scrupulositatem asserat Confessarius, quem ipse pœnitens pro docto habet; si infestatur à cogitationibus variis, quas tamen abhorret; si facilè dubitat se peccasse in rebus levioribus, ubi homines pii nullum inveniunt peccatum; si consul-

tò virò doctò ac expertò, ut antea sustinet inquietudinem suam; si pergit confiteri simplices imperfectiones aut leviuscula peccata tanquam peccata mortalia; si alii sanæ rationis ac boni animi homines nullam prorsus sentiunt difficultatem in dubiis, quæ talis sibi format; si, dum viveret in pietate & desiderio perfectionis, pro indifferentibus habuit, quæ nunc timet totidem esse peccata. *Tertium* remedium est magna in Deum confidentia. *Quartum*, ut animum non statim abiciat ob relapsum in peccata tantùm venialia. *Quintum* contemptus scrupulorum, & maximè pravæ cogitationum, ac sollicita abjectio omnium idearum ex animo, ex quibus nasci possunt ejusmodi cogitationes. *Sextum* fuga familiaritatis cum scrupulosis. *Septimum* Frequens Communio etiam sine prævia confessione, dummodò id fiat cum consilio Confessarii. *Octavum* denique est frequens lectio Sacræ Scripturæ. *Pontas.*

CASUS IV. *Acharius* Sacerdos piissimus, sed scrupulis maximè obnoxius confitetur *Ferdinando*, seque de plurimis accusat, quæ à se peccaminosè patrata dubitabat, & asseverare non poterat, utrum ante actionem conscientiæ dictamen sibi formaverit; modò malè se egisse sibi persuadebat, modò ingruentem cogitationem se excussisse putabat. Quid faciendum Confessario? & quomodò tractandus est *Acharius*?

R. Ingens fiat discrimen rationem inter, & imaginationem necesse est: nam potest contingere, ut ratio certa sit, nihil timendum esse; nihilominus tamen imaginatio turbata sit ac formidolosa. Hoc ergo discrimen *Ferdinandus* faciat intuitu *Acharii*. *Pontas.*

CASUS V. *Lomerius* Presbyter valde scrupulosus conceptò deponendæ Confessionis generalis proposito sæpè interruptit recitationem Breviarii, & peccata tunc in memoriam recurrentia scriptò annotat, doctus ab experientia, quòd si id non face-

faceret, postea haud ampliùs peccatorum posset meminisse. An in hoc dignus est reprehensione; præsertim si sibi persuadeat, negligentiam illa scribendi, esse voluntatem obliviscendi?

R. Observandum est, quòd omnes scrupulosi generalem Confessionem tutissimum scrupulis suis remedium esse existiment. Hòc supposito, probari non potest, quòd *Lomerius* aut quivis alius ad recitationem Divini Officii obligatus illam interrumpat ad scribenda peccata tunc occurrentia: imo censeo, id sine peccato fieri non posse. Falsum insuper est, negligentiam in his circumstantiis peccatum annotandi esse voluntatem obliterandi. Denique si tolleretur ejusmodi libertas sub recitatione Breviarii peccata annotandi, janua panderetur voluntariis distractionibus. *Pontas.*

CASUS VI. *Ifambergæ* multæ virtutis fœmina singulis ferè octiduis frequentat Sacramenta; sed, cum esset valde scrupulosa, vix unquam Confessiones peragit, quin non secundà aut etiam tertià vià redeat ad Confessarium, de quodam peccato omisso sese accusatura, aut clariùs explicatura circumstantias peccatorum, quorum absolutionem jam perceperat. Peccatne Confessarius contra charitatem secundum illi reditum prohibens, & redeuntem non audiens, maximè diebùs, ubi illi accedenda est S. Communio?

R. Confessarius ante omnia, si id nondum factum sit, debet 1. eam edocere differentiam inter peccatum mortale & veniale, ut in hoc nequeat suam prætere ignorantiã. 2. Non dari obligationem sese singillatim accusandi de peccatis venialibus, ut datur de peccatis mortalibus, aut iis, quæ creduntur esse mortalia. 3. Non dari obligationem exponendi circumstantias peccati mortalis, quæ non sunt aggravantes. 4. Non per solam peccatorum suorum specificationem impetrari veniam & absolutionem, sed etiam per veram contritionem & sincerum propositum non ampliùs relabendi. 5. Denique debet illam

eò inducere, ut peracta sincera confessione, & præmissò exactò conscientiæ examine, ex Pœnitentiæ Tribunali egressa, unicè occupetur in salutaribus monitis à Confessario obtentis, ac in debita præparatione ad dignè obeundam S. Communionem. Si his non obstantibus tamen pergat redire post primam peractam confessionem, absolutè non est audienda. *Pontas.*

NOTA. Scrupulosis etiam inculcanda est illa generalis regula, quòd ne quidem detur obligatio confitendi circumstantias speciem mutantés, si in illa alia specie non superaddunt malitiam gravem. Monendi etiam sunt, peccata per oblivionem non voluntariam omissa jam fuisse per absolutionem remissa indirectè, ut proin non sit periculum sacrilegæ communionis. *V. in mea Theol. de Scrupulis.*

CASUS VII. *Lucia* puella tantis agitatur scrupulis ratione confessionum præteritarum, ac etiam ultimæ generalis, quam summa cum diligentia, omnique meliori, quâ potuit, dispositione peregit, ut ultra sex menses nulla conscientiæ quiete perfruatur, nec eam recuperandam speret, nisi novam deponat confessionem generalem; id quod jam per tres menses instanter petit à Confessario suo. Debètne Confessarius ex charitate id ipsi indulgere?

R. *Pontasium* quinquaginta octo annorum experientia docuit, Confessarium *Luciæ* debere esse inexorabilem in deneganda licentiam novam confessionem generalem obeundi; cum certissimum sit, hac ratione non eximendos animò *Luciæ* scrupulos, sed potiùs augendos. Optimum, ne dicam unicum, remedium in hoc casu est, proprio judicio renuntiare, & perfectè obedire Confessario suo. Observandum tamen est, quòd, si *Lucia* habuisset consuetudinem sæpè committendi peccata mortalia, in eaque perseverasset post ultimam confessionem generalem, in hoc casu videatur illi à Confessario concedi posse licentiam novam repetendi confessionem in supplementum præcedentis, si judicaret, illam ex defectu boni propositi fortasse

fuisse nullam; sed id concedi non debet, antequam correctionem præ se tulisset, & sinceram facere poenitentiam saltem inchoasset. *Pontas.*

CASUS VIII. *Demetriades* Monialis, cum in libro quodam legisset, qua attentione ac devotione recitandum sit divinum Officium, ad tantam redigebatur scrupulositatem, ut sæpissimè eadem verba, eosdem verius, & quandoque easdem horas repeteret, se requisitam in recitatione attentionem non habuisse rata; id, quod ipsam non rarò impediit à præstandis cæteris Religionis exercitiis.

Armandus Presbyter eadem torquetur poenâ, & sæpè quinque aut sex horas insumit in recitatione Breviarii, identidem repetendò verba, versiculos, ac integras frequenter horas; non obstante omni Confessarii sui dehortatione. Hac carnificinâ detentus non solum aliis suis deest obligationibus, sed etiam sæpè nocturna quiete destituitur. An tam iste quàm illa per dispensationem eximendi sunt ab obligatione recitandi Breviarium?

R. Quoad primum casum Superiorissa absolutè Moniali prohibere debet omnem repetitionem, ut tunc tacitissimam, dum Breviarium suum cum Choro recitat. Quod si illa Chorum sequi prorsus nequeat, Superiorissa permittere potest, ut Breviarium suum recitet privatim prohibita tamen constanter omni repetitione. Si etiam id sperato careat successu, Superiorissa cum consilio & consensu Superioris omnino eam eximere potest ab obligatione recitandi divinum Officium. *S. Beuve tom. 2. cas. 151.*

Quod attinet *Armandum*, si alia remedia adhibita nihil proficiant, censeo, non abs re fore, in Curia Romana petere dispensationem ab obligatione recitandi Breviarium, statum ipsius à Confessario ejusdem fideliter exposito. *Pontas.*

NOTA. Circa ejusmodi objecta, circa quæ concurrat declaratio deobligatoria cum dispensatione, possunt dispensare Episcopi potestate ordinaria eo ipso, quod reservatio sit dubia, aut

omnino nulla & Superiores Regularium privilegiati.

CASUS IX. Non nemo ex mero studio complacendi Patri suo contra propriam inclinationem ingressus est Communitatem quamdam, ubi tantum emittuntur vota simplicia. Nihilominus religiosè admodum ibi vivit, & vocationem suam ratam habens, omnes obligationes suas exactè adimplet. Estne, cur eapropter scrupulis angatur?

R. Non est, cur ullum sibi formet scrupulum: Deus enim, ut ad suum nos trahat servitium, sæpè utitur motivis humanis, quæ per charitatem postmodum depurantur. *Fromageau.*

NOTA. Quod si etiam propterea peccasset, aut professionem emisisset nullam, ratihabitione, quamvis occulta, sanantur præterita; quia professio externa habitualiter ac moraliter perseverat.

SECRETARIUS.

Nomen Secretarii tribuitur variis diversis ordinis personis.

1. Quatuor illi in Regno Galliarum Ministri, qui gratiosa Regia diplomata expediunt, ac per quorum manus transeunt, quæcunque vel à Rege scribuntur, vel ipsi inscribuntur, literæ, vocantur *Secretarii Status*.

2. Secretarii Cubicularii, & Secretarii de secretioribus Consiliis dicuntur illi Ministri, qui Regem in scribendis literis adjuvant.

3. Secretarii Regis vocantur, qui Actis Regiis sigillò Regiò notatis suum chirographum subscribunt.

4. Secretarii hodie dicuntur scribæ Consiliariorum aut aliorum insignioris conditionis Officialium, & horum officium est causarum in judicio discutiendarum summarium conficere.

5. Episcopi quoque quosdam suorum Officialium Secretarios vocant, quique vel Clerici sunt vel Laici, & his ex Officio incumbit acta publica jurisdictionem Episcopalem concernentia conficere, expedire

dire & sigillò chirographoque Episcopi munitis subscribere. De his igitur posterioribus hic solum agatur, ac discutietur, quale salarium illis juxta Concilium Tridentinum, & Edicta Regia debeatur persolvi.

CASUS I. *Dominicus*, Secretarius cujusdam Episcopi, valde magnum exigit pretium, & salarium pro expeditione litterarum Provisionum Beneficiorum, dimissorialium, & aliarum ejusmodi, sicut etiam pro jure sigilli Episcopalis, quo ut conductor gaudet. Peccatne? num etiam Episcopus, hujus conscius, reum se facit injustæ exactionis sui Secretarii?

R. Ambo coram Deo sunt valde culpabiles: Concilium Tridentinum *sess. 21. c. 1. de reform.* prohibet quidquam accipere pro ejusmodi expeditionibus, etiamsi spontè quid offeratur: Notariis tamen dictum Concilium permittit in iis locis tantum, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, *decimam* duntaxat *partem aurei*, si nullum illis salarium sit constitutum pro suo officio exercendo, nec etiam Episcopis directè vel indirectè ex Notariis commodis aliquod emolumentum proveniat. *Henricus III.* annò 1579. publicò Decretò confirmavit dictam consilii Constitutionem de puncto ad punctum: Ex his igitur patet, exactiones *Dominici* in proposito Casu esse pariter condemnandas, ac conniventiam ipsius Episcopi, utpote interessatam. *Pontas.*

NOTA. Decima pars aurei tempore Concilii Tridentini valore suo extrinseco ferme idem valuit, quod nunc valet dimidium aurei. Id patet ex foundationibus Missarum & ex pretio mercium. Imò sæculo decimo quinto decima pars aurei idem valuit, quod nunc valet integer aureus.

CASUS II. Cuidam Episcopo particolare provenit emolumentum à suo Secretario, ac Sigilli impressione.

R. Episcopus nec à suo Secretario nec ab impressione Sigilli quidquam emolumenti licitè percipere potest: Secretarius Episcopi modicum quidquam accipere po-

test ob laborem, quem in scribendis literis, ac imprimendo sigillo habet, interim tamen Episcopo non licet elocare officium Secretarii, aut ipsius salarium, quod utique moderatum esse decet. *De Lamet.*

CASUS III. Secretarius cujusdam Episcopi plus exigit pro *Visa* & aliarum litterarum expeditione, quàm per Concilium Tridentinum licet.

R. Absque Simonia non potest plus exigere quàm dictum Concilium permittit. Episcopus suo Secretario salarium ex propriis suis redditibus persolvere debet, si jura officii Secretarii non sufficiant ad sustentationem Secretarii. *Fromageau.*

CASUS IV. Si verò Secretarius Episcopi plus exigat, aut accipiat, quàm Concilium Tridentinum permittit, quia talis consuetudo in tota viget Diocesi? An ob hanc rationem securus est in conscientia?

R. Hæc ratio illum non constituit securum in conscientia, imò ipsi deneganda est à suo Confessario absolutio, si admonitus talem consuetudinem sequi cogitet deinceps quoque. *Fromageau.*

NOTA. Vide Notam ad *Casum 1. de mutatione valoris extrinseco monetarum.*

SECRETUM.

Nomine *Secreti* hic venit id, quod regulariter loquendò celari, ac occultum servari debet, quin vel ulli hominum ejusdem notitia communicetur. Obligatio servandi Secretum est juris naturalis; hinc inviolabiliter id servandum est, ut docet S. Thomas. Nihilominus dantur duo casus, in quibus exceptioni locus. 1. Quando quis scit sub ratione Secreti, à quopiam crimen agitari contra Principem, aut bonum publicum, aut etiam ad totalem perniciem cujusdam hominis privati. 2. Dum agitur de impedimento dirimente matrimonii, cujus quis habet notitiam per solam viam Secreti. Confessio autem Sacramentalis nullam omnino admittit exceptionem; nec ullus reperitur casus,

B b b b b 3 quo

quo unquam liceat revelare Secretum Confessionis.

CASUS I. *Geminus* scit, à *Mevio* crimen aliquod secretò fuisse perpetratum; ex quo tamen nec bonum publicum, nec privati cujusdam quidpiam patitur. Ipsi Superior vel Judex rem subodoratus, sed tamen dubius adhuc, potèstne in conscientia extra juris ordinem, omisissisque consuetis formalitatibus illi præcipere Secreti revelationem? & teneaturne *Geminus* mandatis obtemperare?

R. Superior iste aut Judex nequit in casu proposito præcipere revelationem delicti; nec, si id præciperet, *Geminus* tenetur obedire. *S. Thomas in 4. dist. 19. q. 2. art. 3. quest. 1. ad 5.*

NOTA. Excipe, nisi crimen sit adeo tenax & habituum aut contagiosum, ut raro habeat constantem emendationem, ac proin relinquat periculum probabile boni publici vel animarum.

CASUS II. *Corfinianus* cælebs ætatis 35. annorum, ac bonis valens 20000. florenorum, nullòque oneratus debità passivò, tribùs jam annis turpiter abutebatur *Leodegundâ* ancillâ suâ, ex eaque prolem susceperat, quin flagitiosa vitæ licentia publico innotuerit, licet multi sinistra suspicarentur. Nonnullis abhinc annis *Leodegunda* ab eo recessit, & satis opulentum contraxit matrimonium cum *Claudio*, usque nunc eorum, quæ contigerant, ignaro, eique per sex annos plures peperit liberos. *Corfinianus* morti proximus deposuit in manus Parochi sui crumenam obsignatam, ac continentem 40. aureos, quorum quisque 15. florenos valebat; idque in præsentia *Petri*, *Joannis*, & *Jacobi* amicorum suorum, quos Secreti fide obligavit, quam ii sponderrunt etiam: dein rogavit Parochum, ut de hac pecuniæ summa disponderet juxta intentionem suam in Confessione declaratam. Defunctò *Corfinianò* hæredes hanc crumenam duobùs ante mortem diebùs conspicati, & non ignari, multos ejusmodi aureos ibi esse repositos, undique

disquirebant; nec crumenâ autem, nec talibus aureis repertis suspitioni involvabant *Guillelmum*, bonum defuncti amicum, & ultimis morbi diebùs ad illum sæpius invisentem, eumque de commissio pecuniæ furto insimulabant; obtinuerunt etiam, & publicari fecerunt monitorium; duo quoque falsi testes deposuerunt contra *Guillelmum*, ita, ut hic in periculo versaretur condemnationis, ac amissionis bonorum, honoris, ac reputationis. Ex altera parte spargitur rumor inter plures loci incolas, hanc summam *Leodegundæ* fuisse destinatam, illique à Parocho traditam: cujus rei certitudo tamen haberi non potuit; quia *Petrus*, *Joannes*, & *Jacobus* huic traditioni non interfuerunt, & Parochus interea etiam è vita discessit, nulla facta hujus traditionis declaratione. Hinc quæritur, an *Petrus*, *Joannes*, & *Jacobus* crumenæ depositæ testes teneantur in conscientia servare promissam *Corfiniano* fidem, quantumcumque etiam damnum possit accidere *Guillelmo*? an tenentur declarare veritatem cum periculo, ne damnum recidat in *Leodegundam*, de qua fortis jam est suspicio acceptæ 40. aureorum summæ, sicque ipsa publicè, & maximè apud maritum suum diffametur, ac utraque pars injustè condemnetur ad restitutionem? Aut denique num tenentur fateri rem, non obstante dispendio, quod hæredibus defuncti Parochi immineret ab hæredibus *Corfiniani*, qui possent actionem instituere ad repetendam crumenam, & quadraginta aureos, vel ad declarandum usum illorum à Parocho factum, & ad dicendum, an sciant, depositum à Parocho fuisse traditum *Leodegundæ*, infamiam incurfuræ ob malam famam de præterita suæ vitæ libidine circumvolantem?

R. *Petrus*, *Joannes*, & *Jacobus* non possunt in hoc casu servare promissum *Corfiniano* Secretum, quin *Guillelmus* injustè patiatur ingens detrimentum in bonis fortunæ & famæ. Hinc ipsorum silentium foret peccaminosum, & graviter delin-

linquerent contra justitiam & charitatem, expositum relinquendò tantis innocentem calumniis, cujus famam suò plenè salvare possunt testimoniò, declarandò, crumenam & aurum inclusum à *Corfiniano* in manus Parochi fuisse depositum cum mandato de illo disponendi juxta intentionem in confessione indicatam. Quantum ad id, quod spectat *Leodegundam*, dicendum ipsis, se nihil habere addendum suæ declarationi in favorem *Guillelmi* factæ, nisi quòd semper Parochum habuerint pro viro honesto; hinc sibi plenè persuasum esse, eum suo non defuisse officio in exequenda *Corfiniani* voluntate. Si Judex ulterius interroget illos super id, quod innotuit ex sparso rumore, *Corfinianum* nimirum hos aureos apud Parochum deposuisse, *Leodegundæ* numerandos; respondendum ipsis, quòd hanc pecuniam eidem numerari non viderint; quòd Parochus non dixerit, quem in finem pecunia expendenda, & cum tanquam defuncti Confessarius hoc depositum receperit, etiam id dicere nec debuerit, nec potuerit; rumorem autem levè negotiò maliciosè ac temerariè contra *Leodegundam* spargi potuisse: & sic hi tres testes & suæ satisfaciunt conscientiæ, nec ullam *Leodegundæ* inferunt injuriam. Denique nihil sinistri timendum hæredibus defuncti Parochi; satisfaciunt enim respondendò, se nullam rei quæsitæ habere notitiam, atque si Parochus recepisset à defuncto *Corfiniano* depositum, se existimare, quòd, cum sit res confessionis, non defuerit suæ obligationi illius intentionem exequendi; hujus autem probationem sibi non incumbere. *Pontas.*

CASUS III. *Edmundus* sub fide Secreti cognovit, à *Diodoro* ignem horreo sui vicini fore injiciendum. Teneturne promissum servare secretum? vel potèstne absque peccato indicare iis, qui hoc incendium possunt impedire?

R. Tenetur in casu proposito revelare Secretum, quod tendit ad ruinam proximi. *Conf. de Cond. tom. 1. Conf. 4. Sect. 3.*

CASUS IV. *Gentianus* juratus *Gabrielis* inimicus cum primo *Martii* exteram petere regionem statuisset, dixit sub Secretò ad *PAULUM* amicum suum; se noctu ante abitum *Gabrielis* fore oblaturum summam ducentorum Duplionum aureorum, quos in cubiculo *Gabrielis* asservari novisset. Potèstne *Paulus* monere *Gabrielem* de furto committendo, ac nominare furem?

R. Potest, imo debet *Gabrielem* monere de damno inferendo; sed nequit sine gravi peccato nominare furem: sufficit enim ad præcavendum furtum, scire, illud fore committendum, quin opus sit scire auctorem furti, cujus famæ, quamdiu potest, debet consuli. *Reginald. l. 24. c. 6. n. 113.*

CASUS V. *Paschalis*, cum *Renato* declarasset sub fide Secreti, à se perendie seditionem in plebe civitatis esse excitandam contra Ministros & Commissarios ad Regionum tributorum exactionem præpositos, propositumque suum executioni dederit, carceri mancipatus fuit. Instituto contra ipsum processu plures in judicium vocati sunt, ut de veritate facti testarentur, inter quos erat etiam *Renatus*. Teneturne hic in conscientia manifestare judici, quod ex *Renato* perceperat sub promissa servandi Secreti fide?

R. Tenetur in conscientia id declarare Judici juridicè interroganti: hujusmodi enim crimen non solum damnosissimum est multis personis privatis, sed etiam Publico, & injuriosum authoritati Principis. *S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.*

CASUS VI. *Mutius* offert se ad manifestandum *Cæsario* Secretum summi momenti, ea tamen conditione, ut illud servet, ac si in confessione cognovisset. *Cæsarius* fidem suam promittenti declarat Secretum suum *Mutius*. Teneturne *Cæsarius* eadem fidelitate illud servare, ac si per solam confessionem illud comperisset?

R. Non de facili recipiendum est aliud quod Secretum sub hac conditione. *Cæsarius*

serius tamen tenetur illud servare eadem fidelitate, exceptis casibus supra memoratis, in quibus hujusmodi Secretum revelari potest. *S. Thomas in 4. dist. 21. q. 3. art. 2. quæst. 2. ad 2.*

CASUS VII. *Vincentius* Canonicus cujusdam Ecclesiæ Cathedralis præfens in Capitulo, ubi agebatur de electione Decani, atque videns, nonnullos Canonico- rum cum magno contemptu loqui de aliquo ad hanc dignitatem proposito, huic, utpote amico suo, totam rei seriem declaravit. Violavitne Secretum Capitulare?

℞. Hæc revelatio *Vincentium* perjurii reum constituit: quilibet enim Canonicus præstat juramentum servandi Secretum de omnibus in Capitulo pertractatis, ubi plena cuilibet libertas loquendi sub bona fide servandi Secreti. *S. Beuve Tom. 3. cas. 51.*

CASUS VIII. *Basilius* magni momenti Secretum commisit Melchiori Ordinis cujusdam reformati Religioso, cui Superior Regularis Secreti revelationem præcipit. Peccatne Melchior non obediendò?

℞. *S. Thomas quodlib. 1. art. 15. in corp.* resolvit hanc quæstionem duplex distinguendò Secretum: primum est, quod vergit in præjudicium proximi, & absque peccato celari non potest: alterum, quod celari potest sine peccato; & quantum ad hoc, cum Religiosus in rigore loquendò non teneatur obedire Superiori suo nisi in iis, quæ directè aut saltem indirectè regulam sui Ordinis concernunt, tale Secretum Religiosus nullo modo Superiori præcipienti manifestare debet: violaret enim absque ulla ratione fidelitatem, quam se servaturum promiserat. *Pontas.*

CASUS XI. *Hieronymus* cujusdam Seminarii Janitor, qui omnes literas ad degentes ibi alumnos datas recipit, nonnullas ex mera curiositate infringit, & perlectas tam accuratè denuò obsignat, ut nullum fracti Sigilli vestigium deprehendi possit. Peccatne contra fidem Secreti?

℞. Literæ eum in finem muniuntur sigillò, ut illarum tenor occultetur aliis. Hinc Glossa in Decretalem quamdam *Innocentii III.* eos, qui literas infringunt, pœnæ falsariorum subjicit; & juxta *D. Thomam 2. 2. q. 59. art. 4. in corp. Facere injustum in genere suo est peccatum mortale.* Cum itaque Hieronymus committat injustitiam non solum adversus scribentem, sed etiam adversus illum, ad quem scribitur, peccat mortaliter. Nihilominus hæc responsio locum non habet intuitu Superiorum in pluribus Communitatibus, ubi consuetudo viget, ut Superior aperiat literas ad suos subditos scriptas. Imo etiam homo privatus potest quandòque alterius aperire literas, ex consensu nimirum expresso aut justè præsumpto ejus, qui scribit, aut illius, ad quem scribitur. *Pontas.*

CASUS X. Petro creditum est aliquod Secretum, quod vergit in præjudicium salutis, reputationis aut bonorum *Antonii.* Teneturne illud servare?

℞. Non tenetur. *De Lamet.*

CASUS XI. Adolescens quidam in Seminario ab alio una & altera vice fuit sollicitatus ad turpia, qui tamen tentationi semper restitit. Paulò post sollicitans adolescenti illi indicaverat, se perverisionis suæ pœnitentiã ductum esse, eumque rogat, ne quid Superiori palam faceret. Hic nihilominus rem narrat suo Confessario, à quo fuit obligatus, ut seductorem deferat ad Superiorem; ad quod tamen adduci non potuit. Teneturne in conscientia seductorem indicare Superiori?

℞. Videtur, eum teneri; quia fraterna correctio ceteri non debet in his circumstantiis sufficiens, ratione sequelarum, quæ oriri possent intuitu sollicitantis ad malum. Nihilominus, antequam res deferatur ad Superiorem, monendus foret sollicitans, ut à Communitate recedat. *Fromageau.*

Vide *Correctio fraterna. Impedimenta matrimonii in genere, Cas. 8. Monitorium, Sigillum Sacramentale.*

SE

SEDES EPISCOPALIS.

CASUS. Quidam Episcopus quodam morbo incurabili mentis impos, & ideo ad gubernandam Diocesim ineptus factus est. An sedes Episcopalis pro vacante habenda?

℞. Potest declarari pro tali, & Capitulum gaudet jure nominandi Officiales, qui Diocesim gubernent; **BONIFACIUS VIII.** jus nominandi tales Officiales voluit reservare S. Sedi, verùm ipsius Decretales, non fuerunt receptæ in Gallia. *Fromageau.*

SEPULTURA.

1. Sepultura quatuor diversas habet significationes. 1. Indicat locum sepulturæ. 2. Significat tumulum, seu monumentum super sepultum erectum. 3. Jus sepulturæ in certa quadam Ecclesia denotat. 4. Significat officium seu ministerium, quod fidelibus exhibetur eorum corpora sepulchrò donandò. Sepultura omni tempore etiam apud Paganos magna habita est. Ecclesia Sepulturam denegat iis, qui excommunicati, aut nominatim interdicti obierunt, hinc etiam loca sacra, in quibus talis inhumatus fuerit, pro profanis habentur.

2. Parochi possunt absque simoniæ labe quidquam exigere pro sepeliendis corporibus defunctorum in subsidium suæ sustentationis. Quisquis testamentum conficere potest, potest etiam eligere locum sepulturæ, & si in testamento de hoc nil ordinavit, debet sepeliri in Parochia loci, ubi mortuus est. Juxta antiquos Canones nemo sepeliendus est in Ecclesia, sed solum in porticu Ecclesiæ, in propylæo, vel in cœmeterio: Verùm hæc prohibitio non fuit generaliter observata.

NOTA. In hac re vetus disciplina reducenda esset.

CASUS I. *Landericus* jam per aliquot annos ob suas blasphemias, concubinatum, & consuetudinem se inebriandi publice notus subitanea obiit morte in actuali *Distion. Cas. Consc.*

ebrietate absque ullo pœnitentiæ signo edito. Potestne Parochus *Landericum* sepelire more aliorum Christianorum pie defunctorum?

℞. Propria privata autoritate non potest *Landerico* denegari sepultura Ecclesiastica, sed debet propterea consuli à Parocho Episcopus, & ipsius observari mandatum, si verò responsum Episcopi tam mature obtineri non possit, inhumandum est defuncti cadaver adhibitis consuetis ceremoniis. In Gallia nullus pro publico peccatore habetur nisi talis declaratus fuerit per sententiam in eum latam. *Pontas.*

CASUS II. *Turibium*, in quodam viculo ad Parochiam S. Galli spectante, & ab Ecclesia Parochiali integro milliari distante mortuum Vicarius Parochi inhumavit in loco autoritate Episcopi non benedicto, in quo tamen jam plures alii dicti Viculi incolæ sepulti fuerunt ob nimiam distantiam ab Ecclesia, & viam, præsertim tempore hyemis, propemodum inviam. An id absque peccato fieri potuit?

℞. Vicarius graviter peccavit, nec excusatur à peccato Parochus jam sæpius in loco non benedicto sepeliri defunctos tolerans, observanda est enim voluntas Ecclesiæ, quæ est, ut absque licentia Episcopi corpora defunctorum non inhumantur in loco non sacro. *Pontas.*

NOTA. Procuranda proin est benedictio cœmeterii quam Episcopus, si personaliter sine magnis sumptibus accedere non possit, tenetur pro Ecclesiis pauperibus simplici Sacerdoti.

CASUS III. *Petronius*, Parochus, jus, quod habet sepeliendi corpora defunctorum suorum Parochianorum in cœmeterio vicinæ Parochiæ, vendidit suo Confratri pro 60. florenis cum consensu Præfectorum Ecclesiæ. An ista venditio licita est?

℞. Cum jus *Petronii* sit purè spirituale ac Ecclesiasticum, vendendò hoc jus valde graviter peccavit, utpote vendendò quidquam ad Ecclesiam & non ad ipsum pertinens. Confrater *Petronii* verò licite non potuit dictum jus emere. *Pontas.*

C c c c c

Vide

Vide *Parochus. Excommunicatio. Simonia.*

CASUS IV. Quædam obstetrix infan-
tem ex utero materno pedem emitten-
tem baptizavit in dicto pede sub condi-
tione, cum dubitet, an adhuc vivat in-
fans: Infans verò demum in lucem edi-
tus nullum vitæ signum dedit.

℞. Talls infans in loco sacro sepeliendus
est (*Homob. Possév. Gobat. La Croix*)
in dubio enim, an baptismus fuerit vali-
dus, præsumptio stat in favorem infantis.

CASUS V. Quidam Presbyter jamjam
moriturus petiit, ut sepeliatur in habitu
confraternitatis, cujus membrum erat.

℞. Ultimo dicti Presbyteri voluntas
non est observanda, *Rituale enim Roma-
num* præcipit, ut Presbyteri & clerici se-
peliantur vestiti habitu, qui eorum Or-
dini convenit.

CASUS VI. Quidam valde dives an-
tequam ex hac vita migrabat, jussit, ut
corpus suum terræ mandetur absque ali-
qua *funebri pompa*: Parochus autem se
opposuit huic defuncti ultimæ dispositioni.

℞. Si sub isto termino, *pompa funebris*,
intelligatur funebris conductus ad sepul-
turam hominum alicujus distinctionis fieri
solutus, laudanda est voluntas ultima di-
cti hominis valde divitis, non item oppo-
sitio Parochi. Si autem sub pompa fune-
bri intelligantur cæremoniæ ab Ecclesia
ad exemplum Apostolorum ac sanctorum
Patrum in obsequiis defunctorum fidelium
constitutæ, laude dignus est Parochus, ut-
pote conformiter ad *Rituale Romanum*
agens (tit. de obseq.) quod præcipit, ut
Parochi omni cura invigilent, ut ritus
ab Ecclesia in ultimis obsequiis suorum
filiorum præscripti observentur.

CASUS VII. Quidam Religiosus, A-
postata, qui contra suum Ordinem libel-
lum diffamatorium scripsit, & retractare
recusavit, in quemdam incidit morbum,
& moritur.

℞. Dicto Religioso deneganda fuerunt
Sacramenta, & post ejus obitum etiam
sepultura Ecclesiastica. *Fromageau.*

SERVITUS.

1. Hæc vox *Servitus* in triplici diverso
sensu sumi potest. 1. Ad significandam
subjectionem Famuli erga Herum suum.
2. Ad indicandam subjectionem necessa-
riam seu coactam Mancipiorum. 3. Ad
designandum onus alicui fundo, heredi-
tati &c. inhærens in favorem ejus, qui
non habet dominium proprium, & in hoc
sensu sumitur hic *Servitus*.

2. Hæc servitus aut est activa, aut
passiva: prior est *jus, quo res immediatè
habet aliam rem sibi obnoxiam*. Juriscon-
sulti distinguunt alias duas Servitutis spe-
cies, quarum una vocatur *Servitus Ur-
bana*, & altera *Servitus rustica*. Juxta
POLMANUM *Servitus Urbana est jus,
quo prædium urbanum habet aliud sibi ob-
noxium, & Servitus rustica est jus, quo
prædium rusticum habet aliud obnoxium*.

3. Jus Servitutis cum sit odiosum quid,
debet aliquo niti titulo, & juxta consue-
tudinem Parisiensem jus Servitutis non po-
test acquiri ullo temporis lapsu, ne qui-
dem centum annorum.

CASUS I. *Dionysius* Dominus territorialis
Parochiæ *S. Severini* gaudens jure trahendi
plaustra per fundum Petri, cogitat Pe-
trum cogere ad reparationem viæ; Petrus
verò hoc onus in se suscipere recusat. In
cujus favorem sententia ferenda?

℞. Si *Petrus* titulò Servitutis ad repa-
rationem viæ non tenetur, *Dionysio* in-
cumbit reparare viam, nisi jam sit in pos-
sessione juris obligandi *Petrum* ad repa-
rationem viæ. *Lege. Et si fortè. 6. §. 2.
ff. Si servitus vindicetur l. 8. tit. 5.*

CASUS II. *Nicasius*, cujus domus pars
incumbit muro domus sui vicini jam rui-
noso, vicinum suum ad reparationem di-
cti muri, & ad expensas solcrosam neces-
sariarum ad faciendum propriæ suæ do-
mus rectum faciendas vult obligare jure
servitutis: Vicinus verò contendit, se
jure servitutis solum teneri ad dimidium
taliū expensarum. Cui jus favet?

℞. Vicinus *Nicasii* tenetur ad inte-
gram reparationem muri molem domus
Nicasii sustentantis. *Lege. Si fortè jam ci-
tat.* Si verò picturæ fuerint in isto muro,
quæ *Nicasius* fieri curavit, aut aliquid re-
parandum sit in ipsa domo *Nicasii* versùs
præfatum murum, *Nicasio* incumbit ta-
lium reparatio. *Lege. Quidam 13. §. 1. ff.
de servitut. urban. prædior.*

CASUS III. *Marcellinus* quamdam ha-
bet domum, cujus murus ædificium sui
vicini sustentat; cum verò dictus murus
minaretur ruinam, vicinus instat pro re-
fectione aut reparatione muri, *Marcel-
linus* verò, requisitas pro reparatione
pecunias non habens, statuit, libentiùs
cedere fundum, cui murus inextructus
est. An per hoc liber est à servitute re-
parationis muri?

℞. Servitus inhæret fundo, non per-
sonæ *Marcellini*, hinc per cessionem fundi
Marcellinus liberatur à servitute repa-
rationis. *Lege. Si fortè. jam citat.*

CASUS IV. *Durandus* gaudet jure
aquæ ductûs in fundo *Carolo*, & hoc jus
cessit *Paulo* vicino suo pro 20. imperiali-
bus. An *Carolus* se huic cessionem potest
opponere, & aqueductum aliò vertere,
ne *Paulus* aquam haurire possit?

℞. *Carolus* jure se opponere potest tali
cessionem; jus enim aqueductûs non po-
test alii communicari nec per venditionem
nec per permutationem nec etiam per
cessionem gratuitam; hinc quamprimum
Durandus cessat uti jure suo; cessat etiam
obligatio *Caroli*, qua tenebatur erga *Du-
randum*. *Lege. Cum essent. 33. §. 1. ff. de
servitut. l. 8. t. 3.*

NOTA. Aliud dicendum foret, si *Durandus* *Paulo*
cessisset fundum vel domum, cui est annexum
jus activum talis servitutis.

CASUS V. Domui *Pampbili* duplex
onus seu Servitus inhæret, 1. ut non al-
tius ædificetur. 2. Ut stillicidia excipiat
ex vicini domo: *Baldwinus* verò, qui vi-
cinus est, renuntiavit primæ servituti pro
accepta summa 150. florenorum, quin

tamen mentionem fecerit secundæ servi-
tutis: cum verò *Pampbilus* postea domum
suam altius ædificare cœperit, ita ut al-
tior domo *Baldolini* fuerit, se opposuit
Baldwinus contendens, domum *Pampbili*
tali modo stillicidia suæ domus non am-
plius excipere posse uti priùs, *Pampbilus*
autem præterdit, sublata servitute prima
cessare etiam secundam. An hæc ratio
valet?

℞. Juxta Leges Romanas, quæ obser-
vari debent, si eis contraria Principis
constitutio, aut consuetudo non derogâ-
rit, sublata una servitute non cessat etiam
altera, nisi ejus facta fuerit mentio. Hinc
Pampbilus non potuit altius ædificare do-
mum suam in præjudicium secundæ servi-
tutis, quæ est, receptio stillicidiorum sui
vicini. *Lege. Si domus. 21. ff. de servitut.
Urban. præd. l. 7. tit. 2.*

CASUS VI. *Blasius* gaudet jure agendi
equos suos sagmarios per pratum *Renati*;
hoc autem jure jam per decennium non
amplius est usus; nunc jure suo uti cogi-
tat; *Renatus* verò se opponit contendens,
Blasium jure suo fuisse privatum ob præ-
scriptionem. An justa est hæc præscri-
ptio?

℞. *Blasius* amisit revera jus suum ob
præscriptionem *Renati* juxta Legem. *Si-
cut 13. cod. de servitut. & Legem. Cum
talis fin. cod. tit. l. 3. t. 34.* Hinc *Renatus*
absque injustitia potest resistere *Blasio*. Al-
t in aliis servitutibus, in quibus datur obli-
gatio nihil innovandi v. g. ædificium non
altius extollendi, locum non habere po-
test præscriptio, nisi per actualem loco-
rum mutationem. *Lege. Hæc autem ff. de
servitut. urban. præd.*

Vide *Dos*, casu 15.

SIGILLUM SACRAMENTALE.

1. Agitur in hoc Titulo de secreto,
quod inviolabiliter servare tenetur Con-
fessarius quoad ea omnia, quæ poenitens
declaravit in Tribunali Poenitentia.

Ccccc 2

2. Re-

2. Regula hæc generalis est, nullamque patitur exceptionem. Etiam si poenitens sua exponeret peccata absque ulla intentione absolutionem recipiendi, obligatio tamen secreti servandi est eadem; quia est *Sacrilegium*, ut ait D. Thomas.

3. Verum quidem est, quod, si poenitens concedat Confessario facultatem aliquem confessionis articulum alicui declarandi, hic absque peccato uti possit hac facultate; Verum prudentia exigit, ut non utatur ejusmodi facultate sine causa urgentissima ac necessaria, idque adhibita omni possibili præcautione, ne cuiquam præbeatur occasio suspicandi, violari sigillum Confessionis.

CASUS I. *Cyrillus* excepit confessionem Odeberti, qui se accusavit de commisso assassinio. Paulo post comperit Cyrillus, promulgatam esse sententiam excommunicationis in eos, qui habent notitiam authoris hujus homicidii, nec eum denuntiant; imo ipsemet personaliter est citatus ad manifestandam rei veritatem, additis minis, eum nominatim pro excommunicato declarandi, si id recusaret.

R. Non potest revelare crimen Odeberti ex sola confessione cognitum, quin se *Sacrilegii* reum constituat. *Pontas.*

CASUS II. Si *Odebertus* Cyrillo, qui antea erat Confessarius ipse, in Confessionali declarasset crimen suum, non animo confitendi, sed ex motivo aliquo particulari, nullatenus ad confessionem spectante; quid tunc dicendum?

R. Cyrillus non teneretur ad sigillum Sacramentale; posset tamen teneri ad Secretum naturale, si Odebertus peccatum suum manifestasset ad petendum aliquod Consilium. *Pontas.*

CASUS III. *Julius* Confessarius quaerit; an non possit absque peccato mortali saltem tacite ac indirecte violare sigillum confessionis, quando alio modo non potest salvare sua bona, honorem & vitam.

R. Nec sic quidem potest violare Sigillum confessionis absque peccato enormi ac gravissimo; cum ad illud teneatur jure

naturali, Divino ac Ecclesiastico. *Pontas.*

CASUS IV. *Dydimus* excepit confessionem Pauli, ipsique denegavit absolutionem; eoquod nollet relinquere occasionem proximam peccandi. Irritatus per hoc Paulus in ipso Confessionali ausus est procacibus verbis insultare Dydimus. Post aliquot menses instituta de pravis moribus Pauli juridica inquisitione, etiam Dydimus citatur ad Judicem ad deponendum testimonium circa præfatum articulum.

R. Dydimus absolute tenetur servare Sigillum. *Pontas.*

CASUS V. *Leufridus* Diaconus scire cupiens peccata cujusdam personæ, accessit confessionale, seque simulavit Confessarium, ac quasdam confessiones excepit, non tamen collata absolutione Sacramentali.

R. Aequè tenetur ad Sigillum, ac verus Confessarius. *Pontas.*

CASUS VI. *Anselmus* excepit confessionem Jolandæ, quæ se accusavit de peccato cum adolescente quodam commisso. Poenitente jam exeunte ex Confessionali Anselmus recordatur, se eam non interrogasse, an adolescens commoraretur in eadem secum domo; hinc surrexit ex Confessionali, ut de hoc illam interroget, & si ita foret, eam jubeat à domo discedere.

R. Non potuit hoc fieri sine fractione Sigilli. Anselmus debuisset revocare poenitentem ad Confessionale, dicendo, se habere, quod illi loquatur, & ibi interrogare. *Pontas.*

CASUS VII. *Jodocus* Parochus ex sola Benedicti confessione scit, quod sit hæreticus, jam plures seduxerit, & etiamnum seducere pergat, sine proposito se convertendi.

R. Jodocus non potest Episcopo denuntiare personam confitentem; sed tantum monere illum, plurimum interesse, ut invigilet gregi suo, ne quis illum seducat; ubi tamen omnis adhibenda præcautio, ne sic se explicet, ut persona, quæ

illi confessa est, agnoscat, aut in suspicionem trahatur. Dein excipiendò aliorum confessiones, eos conetur confortare in fide, convenientia eisdem consilia suppeditando, sub terminis tamen generalibus. *Pontas.*

CASUS VIII. *Damasus* excepta confessione cujusdam blasphemi publici, in aliquo conventu amicorum mores ejusdem ore omnium traduci audivit; hinc eum defensurus dixerat, ipsum jam sincere ac serio conversum, ex quo illum à blasphemis suis absolvisset.

R. Peccavit Damasus contra sigillum confessionis. *Pontas.*

CASUS IX. *Jodanus* & *Chryfogonus* Confessarii in aliquo monasterio Monialium, cum ambo sæpius alternatim excepissent confessionem alicujus Monialis, interdum colloquuntur de illius defectibus, ac præsertim de difficultate ejusdem circa obedientiam erga Superiores; idque eo solum fine, ut facilius ipsi consulant, & uniformiter in ejusdem directione spiritali operentur.

R. Si defectus hujus Monialis sciunt independentè à confessione, possunt de illis conferre, animò, ut iis medeantur; sed semper summopere cavendum, ne aliquid proferant, quod sciunt ex sola confessione. Si autem hos defectus sciunt solum ex confessione, non possunt de illis colloqui absque fractione Sigilli. *Pontas.*

CASUS X. Catharina puella omnium existimatione pientissima, graviter ægotans vocat Confessarium suum, eique declarat, se jam ab octo mensibus cum dimidio esse gravidam, factumque adhuc vivere. Confessarius eam exhortatur, ut statum suum alteri personæ declaret; quod cum illa recusaret, Confessarius absque absolutione eam dimisit. Altera die ingravescente morbo puella denuò vocat Confessarium, qui eam jam in agonia deprehendit, nihilominus tamen absolvit.

R. Perbene quoad omnia egit Confessarius. Notandum autem, Confessarium hunc non potuisse manifestare, puellam

esse gravidam, etiam si certò præviderit, foetum sine baptismo moriturum. *Pontas.*

NOTA. Vide & sequere *Notam* infra ad *Casum* 12. Cum enim puella, in priori Confessione de sua obligatione monita, de novo vocet Confessarium, eo ipso præsumitur dare licentiam ad usum notitiæ sacramentalis, quam per se tenetur dare. Vide in mea *Theologia de Sigillo Confess.*

CASUS XI. *Adrianus* Episcopus, & *Placidus* Abbas Regularis, sciunt ex sola confessione, duos subditorum suorum exercentes curam animarum, aut habentes aliquod officium vitam ducere admodum depravatam occasione Beneficii, aut Officii.

R. Non possunt hos suos subditos absque violatione Sigilli Sacramentalis amovere à Beneficio vel officio. *Pontas.*

CASUS XII. *Ferdinandus* Episcopus statuit Parochiam quamdam conferre Medardo, quem Sacerdotem singulari virtute præditum existimabat. Cum verò aliquando haberet occasionem excipiendi confessionem ejus, utpote apoplexiâ tacti, reperit, eum esse merum hypocritam, imo ne quidem Presbyterum, sed tantum Diaconum, quamvis publicè haberetur pro Presbytero, & functiones Sacerdotales exerceret.

R. Episcopus non obligatur in conscientia insistere suo priori proposito conferendi Medardo Parochiam: imo tenetur potius sub peccato mortali mutare suum propositum. *Pontas.*

NOTA. Ex ficta confessione non nascitur obligatio Sigilli Sacramentalis, sed tantum Secreti naturalis, cujus obligatio cedit obligationi altioris Ordinis. Si autem non sit ficta, sed seria animo obtinendi absolutionem, poenitens præsumitur dare licentiam ad usum notitiæ Sacramentalis, quem poenitens ex ipsa natura actus poenitentialis tenetur per se dare, dummodo fiat sine revelatione confessionis, & rationabili gravamine poenitentis.

CASUS XIII. *Licinius* Visitator Generalis in quodam Ordine Religioso, reperit, Superiorem cujusdam Monasterii actu complèsse annos sui regiminis per Constitutiones Ordinis designatos. Audita se-

cretò confessione illius, ob sua eum peccata prorsus indignum reperit Officiò Superioris. Post aliquot dies proceditur ad novam electionem; vota sunt divisa in hunc ipsum Superiorem, & alium quemdam, ita, ut Licinio decedenda res.

℞. *Licinius* absque ulla injuria potest huic Religioso votum suum denegare.

NOTA. Vide superius *Notam* ad *Casum* 10. & 12.

Aliud enim est *revelatio* confessionis, aliud *usus notitiæ sacramentalis* sine revelatione.

CASUS XIV. *Matthæus* usurarius ex professo, tempore Paschali, confitetur suo Parocho, à quo tamen non absolvitur. Hinc petit, & obtinet ab eo licentiam confitendi *Theophilo* vicino Parocho, promittens, se allaturum testimonium de sua confessione: verum nec ab isto absolvitur.

℞. *Theophilus* non potest absque fractione Sigilli *Matthæo* denegare testimonium depositæ confessionis, in quo simpliciter testetur, eum fuisse confessum. Sic & Parochus, qui ex Confessione sui vicarii scit, eum vivere luxuriosè, non potest ipsi denegare testimonium vitæ & morum, quando hoc petit in præsentia cujusdam, qui scit, hunc vicarium confessum fuisse Parocho. Idem dicendum in pari casu de Rectore Seminarii, ac de Episcopo; prout & de Parocho ex sola confessione sciente impedimentum dirimens matrimonium, cui assistere tenetur. *Pontas.*

NOTA. Ex istis terminis; in *præsentia cujusdam* &c. colligere licet; à *Pontasio* distingui revelationem confessionis ab usu notitiæ sacramentalis. Vide *Notam* ad *Cas.* 10. 12. 13.

CASUS XV. *Philemon* in confessione se accusans de furto, ex imprudentia, ac sine ulla necessitate detegit complicem suum.

℞. Confessarius tenetur ad Sigillum non solum respectu pœnitentis, sed etiam respectu complicitis. *Pontas.*

NOTA. Dependet ab intentione pœnitentis necessaria vel præsumpta, an, & quousque debeat aut velit concedere licentiam pro usu hujus notitiæ sacramentalis, attamen absque revelatione confessionis & absque præjudicio, seu iusto gravamine pœnitentis.

CASUS XVI. *Isaacus* Parochus ex confessione cujusdam Parochianæ suæ deprehendit, non solum eam furto & luxuriæ esse deditam, sed etiam plures Parochianorum suorum utriusque criminis esse complices.

℞. Si Parochus absque manifestatione peccatorum hujus feminae per notitiam complicitum possit malis hisce mederi, ipsaque pœnitens liberè ad id concedat facultatem, eâ uti potest. *Pontas.*

NOTA. Vide *Notam* ad *Cas.* 15.

CASUS XVII. *Hector* excipiens confessionem *Juditæ*, ex ea percipit, quod in Confessionali fuerit sollicitata à priori suo Confessario, & sciat insuper, plures alias personas ab eo sollicitari.

℞. *Hector* absque violatione Sigilli sacramentalis potest cum consensu *Juditæ* confessarium illum denunciare Episcopo, si ipsa adduci non possit, ut id in se suscipiat. Verum si alicubi, certè in similibus casibus plusquam necessaria est prudentia ob sequelas, quæ facilè exinde oriri possunt. *Pontas.*

NOTA. Per Constitutionem BENEDICTI XIV. *Sacramentum pœnitentiæ*, editam 1741. tenetur ipsa persona sollicitata suo nomine denunciare sollicitantem. Quomodo id faciendum. Vide in mea *Theol.*

CASUS XVIII. *Franciscus Gualteri* famulus confessus est, se cum duobus aliis famulis abstulisse Hero suo pecuniam. Ut verò obtineret ablati condonationem, tum etiam, ut præcaveret ulteriora furta à reliquis duobus famulis committenda, dedit Confessario licentiam id manifestandi *Gualterio*; qua licentia Confessarius etiam usus est.

℞. *Gualterus* obligatur ad non manifestandum peccatum *Francisci*. *Pontas.*

CASUS XIX. *Liebertus* mercator Lubecensis, nec sciens linguam Gallicam nec latinam, confessus est in Gallia per interpretem.

℞. Interpretes tenentur ad strictissimum Secretum. *Pontas.*

CASUS XX. *Liminius* Confessarius alioquin exactus in observatione Sigilli, so-

let

let tamen nonnunquam manifestare peccatum veniale, quamvis expressè non dicat, se hoc audivisse in confessione.

℞. Talis manifestatio est tantum peccatum veniale, si fiat solum ex indeliberatione, inadvertentia. *Pontas.*

NOTA. Usus proin notitiæ solum sacramentalis pœnitente præsumptivè invito, etiam si duntaxat cedat in levissimum ejus rationabile gravamen, vel præjudicium, est peccatum mortale, nisi indeliberatio, vel inadvertentia à mortali excuset.

CASUS XXI. *Amadeus* Confessarius *Bertrandi* diligenter quidem cavet, ut loquendò de *Bertrando* non revelet aliquid illius peccatum, ne quidem veniale; nullum tamen sibi movet scrupulum manifestandi alias res, quas ex eo in confessione percipit.

℞. Violat Sigillum Confessionis, si talia narret, ex quibus agnosci posset aliquid peccatum *Bertrandi*. *Pontas.*

CASUS XXII. *Ennius* excepit confessionem *Jodoci*, qui se accusabat de peccatis quibusdam publicis ac valde scandalosis. Itaque existimat, illi juxta consilium sui Episcopi imponendam esse pœnitentiam publicam; sed timet, ne per hoc indirectè manifestentur peccata pœnitentis.

℞. Timor iste est irrationabilis: non enim violatur sigillum Confessionis per injunctionem pœnitentiæ publicæ pro peccatis publicis. *Pontas.*

CASUS XXIII. *Hilarius* Parochus advertenter ac deliberatè revelavit confessionem cujusdam suorum Parochianorum.

℞. Non est suspensus *ipso jure*; meretur autem deponi per sententiam juridicam Episcopi sui. *Pontas.*

CASUS XXIV. *Maceus* Confessarius in Parochia quadam, nesciens, quomodo se gerere debeat erga aliquem Sacerdotem consuetudinarium, qui sibi confiteri consueverat, consulit proprium præfati consuetudinarii Parochum, virum omnium opinione doctissimum, sic tamen, ut modo aliquo imperfecto detexerit ipsum pœnitentem.

℞. Confessarius iste malè egit consulendò proprium pœnitentis parochum, & adhuc peius consulendò illum insinuatione obscurè proprio pœnitentis nomine. Videtur tamen, *Maceum* non peccasse mortaliter; quia personam pœnitentis tantum detexit modò confusò & imperfectò, idque solum ex scrupulositate & anxietate mentis. *Pontas.*

CASUS XXV. *Nicomedes*, Advocatus, advertens in Parocho suo ingens desiderium sciendi aliquod secretum, quod etiam ei detegit; ea tamen conditione, ut illud recipiat sub Sigillo confessionis; quamvis id actum fuerit extra confessionale, & aliàs Advocatus iste Parocho suo nunquam confessus fuerit.

℞. Parochus tenetur servare Secretum, ac si ipsi innotuisset in Confessione. Nihilominus illud revelandò non peccaret contra Sigillum confessionis. Notandum autem, non de facili aliquid esse recipiendum sub hac conditione. *Pontas.*

NOTA. Cum hic modus loquendi non contrahat obligationem Secreti sacramentalis, patitur suarum exceptiones, quales Vide *Casu* 3. 5. 6.

CASUS XXVI. *Cosmas* laicus proximè assistens Confessionali intellexit quædam peccata personæ confitentis, eaque declaravit cuidam amico, cui nota erat persona confitentis.

℞. Tam *Cosmas* quàm amicus ejus tenentur ad strictissimè servandum Secretum. *Pontas.*

CASUS XXVII. Quæritur 1. Num Confessarius proprio motu possit revelare peccata sui pœnitentis, sub prætextu promovendi bonum ipsius spirituale?

2. Potèstne Confessarius petere licentiam à pœnitente revelandi confessionem ipsius, ratione utilitatis exinde in pœnitentem redundaturæ?

3. Potèstne Confessarius hac licentiâ à pœnitente obtentâ, de rebus in confessione declaratis conferre cum Superioribus pœnitentis?

4. Teneturne persona pœnitens, quæ habuit turpe commercium cum Clerico, eum

eum nominare, Confessario id postulante?

5. Potestne Confessarius, qui simul est Judex Ecclesiasticus, excipiens confessionem cujusdam poenitentis, quæ se accusat de turpi peccato cum Clerico commisso, eam obligare, ut veniat in domum suam, & extrasacramentaliter deponat contra hunc Clericum; aut ei, si id facere renuerit, denegare absolutionem? Potestne eam obligare, ut talem Clericum deferat ad Judicem?

6. Potestne aut debet Confessarius talem poenitentem obligare ad concedendam licentiam ejusmodi Clericum deferendi ad Judicem, aut ad Superiores; ipsique denegare absolutionem, nî ipsa deferat, aut eum deferendi licentiam Confessario concedat?

7. Quomodo utendum Confessario tali licentiâ?

8. Possuntne Superiores uti tali notitiâ ad exprobandum suis subditis crimen?

9. Possuntne Superiores firmiter insistere rei, quam tantum sciunt ex eo, quod poenitens eam declaraverit in confessione, eamque revelandi Confessario facultatem dederit?

10. Licetne hoc mediò uti ad deferendam Superioribus pessimam vitæ rationem Parochi aut aliorum, qui absque hoc reprehendi aut convinci non possunt?

11. Potestne Parochus hac ratione Parochianorum suorum vitia detegere, ea ex Cathedra arguere, iisque mederi? possuntne id ipsum Missionarii durante sua Missionem?

¶. Inprimis in genere. 1. Confessarius tenetur servare Sigillum jure divino, & ex institutione Sacramenti. 2. Omnis notitia in confessione ex poenitente hausta in foro interno suis tanquam limitibus restringi debet. 3. Confessario neque cum ipso poenitente de peccatis suis loquendum extra Confessionale. 4. Confessarius potius debet subire mortem, quam uti notitiâ in confessione hausta, ac prodere Secretum. 5. Confessarius non debet à poe-

nitente licentiam petere personam quampiam deferendi ad Superiorem. Vide exceptionem & *Notam* ad *Respons.* 2. His suppositis, in particulari.

¶. *Ad 1.* Confessarius, qui proprio motu, sub quocumque prætextu Secretum Confessionis violat, meretur deponi, ac perpetuis carceribus mancipari.

Ad 2. Confessarius potest petere à poenitente licentiam utendi notitiâ in confessione hausta ex gravi necessitate, aut utilitate pro bono spirituali poenitentis, eaque uti, si liberè ac expressè eam concedat poenitens. Cavendum autem summo opere, ne limites factæ sibi concessionis transgrediatur, & ultra intentionem poenitentis eâ utatur, ac ne scandalum vel minimum exinde oriatur.

Ad 3. Per licentiam hanc à poenitente Confessario factam non censetur concessum, ut de re in confessione percepta nominatim conferat cum Superiore poenitentis.

Ad 4. Poenitens non debet in confessione nominare suum complicem, si absque eo potest explicare peccatum suum: imo confessarius ipse tenetur personam poenitentem impedire, ne nominet complicem, si advertat eam ad hoc dispositam ac paratam.

NOTA. Vide in Supplem. meæ *Theologie* duas Constitutiones BENEDICTI XIV. per quas Confessariis prohibet, passim à poenitentibus exquirere nomina complicum.

Ad 5. Poenitens non potest obligari ad deponendum contra suum complicem, et si Confessarius simul sit Officialis aut Promotor.

NOTA. Potest tamen, & debet Confessarius poenitenti declarare ipsius obligationem, denuntiandi Superiori perniciosos dono publico v. g. Seductores juventutis ad magiam, Sodomiam &c. & si hoc recusent, deneganda est ipsis absolutio.

Ad 6. Etiam si persona poenitens foret obligata ad deferendum complicem, ad quod tamen non obligatur, nihilominus Confessarius ordinariè non debet in se suscipere facultatem deferendi.

NOTA.

NOTA. Quando agitur de damno gravissimo boni publico. quod quis tenetur præferre vitæ aut famæ propriæ, complex tenetur denunciare reum cum proprio præjudicio, postulatâ tamen sibi impunitate.

Ad 7. Confessarius non debet acceptare hujusmodi facultatem, multò minus eâ uti.

NOTA. Quando poenitens non potest personaliter denunciare complicem perniciosum bono publico, Confessarius tenetur acceptare facultatem monendi Superiorem de capiendâ informatione, quatenus opus, ex ipso poenitente.

Ad 8. & 9. Superiores non possunt uti notitiâ per licentiam à poenitente Confessario factam hausta ad reprehendendos aut puniendos subditos delatos.

NOTA. Cum BENEDICTUS XIV. in sua *Constitutione* de obligatione denunciandi Confessarios sollicitantes ad turpia permittat procedi ad reprehensionem & punitionem denunciati, idem observandum circa alia crimina nociva bono publico, si poenitens ea denuntiet personaliter per seipsum, si vero suo rogatu per Confessarium, dummodo Superior per te, vel delegatum excipiat attestationem poenitentis fide digni &c.

Ad 10. Si nulla alia ratio præsto est convincendi hujusmodi Parochos criminosos, omnino abstinendum est interea ab eorum correptione.

NOTA. Unius quidem denuntiantis testimonium non sufficit ad puniendum denuntiatum. Si tam ex qualitate & numero plurium denuntiantium habeatur moralis certitudo de delicto, juxta BENEDICTUM XIV. potest procedi ad poenam ordinariam, ubi id exigit bonum publicum.

Ad 11. Parochus non potest uti notitiâ ex sola confessione Parochianorum suorum hausta ad hoc, ut medelam ferat vitiis in Parochia grassantibus. Idem dicendum de Missionariis, etiam concessâ ad id à poenitentibus licentiâ. *Fromageau.*

NOTA. Hoc intelligendum in eo sensu, ut parochus vel Missionarius non loquatur de vitiis parochiæ propriæ vel alterius determinatæ, *Diction. Cas. Conf.*

præsertim exiguæ. Ut enim Concionator prædicet contra vitia grassantia abstrahendo à circumstantia locorum, personarum, & temporum, ex qua poenitentium quis coram aliis posset suffundi rubore, nullus contentium potest esse prudenter invitus.

CASUS XXVIII. Confessarius quidam in conversatione cum Episcopo suo ex inconsideratione dicit; plures personas sibi confessas se accusasse, quod emerint venena à Pharmacopola quopiam in quadam Urbe Diocesana degente.

¶. Episcopus nullatenus potest uti hac notitia ex imprudentia Confessarii hausta, etiam ad bonum spirituale Pharmacopolæ. *Fromageau.*

NOTA. Si ea venditio possit tribui imprudentiæ pharmacopolæ nimis creduli de usu licito venenorum, non foret illicita illius admonitio pro majori in posterum cautela, abstrahendo tamen à circumstantiis relativis ad præteritum.

CASUS XXIX. Confessarius quidam interrogatur à Judice. Quid illi respondendum?

¶. Respondere debet, se Confessarium esse, & nihil habere, quod dicat. Neutiquam autem ei licet effugium quærere per mendacium, dicendò; se non excessisse confessionem criminosis. *Fromageau.*

CASUS XXX. Parochus ex confessione sciens, plura jam à famulo domestico sibi furtò ablata fuisse, plures aditus, qui prius patuerant, obductis seris occludit; nec eo amplius utitur ad numerandas pecunias, prout antea consueverat. Violatne Secretum confessionis?

¶. Violat; quia ob scientiam haustam in confessione facit & omittit aliquid, quod nec fecisset, nec omisisset, si confessionem non excessisset, id quod palam fieri non potest absque violatione Secreti confessionalis. *De Lugo Diana.*

NOTA. Non est fractio Sigilli, nec usus illicitus notitiæ Sacramentalis, si absque infamatione vel notâ suspectationis apud alios homines Confessarius famulo vel subdito subtrahat occasionem peccandi, quam poenitens per se tenetur vitare aut optare, ut sibi præcindatur.

D d d d d

CA.

CASUS XXXI. Confessarius quidam dicit amicis suis, in certo pago gravissima committi crimina. Potestne sic loqui absque violatione Sigilli?

R. Non potest: etsi enim Confessarius non violaret Sigillum sic loquendo de magna urbe; quia autem hic agitur tantum de quodam pago, in quo plebs degit non numerosa, certum est, à Parocho per ejusmodi locutionem ansam præberi variis suspicionibus de personis particularibus, quod sufficit ad violationem Sigilli. *Leand. de penit.*

CASUS XXXII. Confessarius quidam ruralis rogat quempiam ex amicis suis in Urbem Episcopalem abeuntem, ut sibi petat licentiam pœnitentem aliquem ab incestu absolvendi.

R. Si ejusmodi declaratio potest occasionem præbere detegendi quodam modo illum, qui hoc crimen commisit, Confessarius violat Secretum. Si autem nec à longè timenda sit ejusdem manifestatio, non violatur Sigillum. Confessarius tamen prudentius ageret, si hanc licentiam petat per obsignatas literas. *Leander disp. 10. de penit. q. 39. Bonac. sect. 5. punct. 4. n. 1. Girib. c. 18. n. 25. & 26.*

NOTA. In Gallia, & aliis locis ubi hodieum juxta veterem disciplinam confessio paschalis soli parocho deponenda est, ea retractio pœnitentis merito timenda foret.

CASUS XXXIII. Presbyter quidam audita confessione Petri, quæ erat satis proluxa, alta voce dicit, eum non fuisse absolutum, eoquod confessionem suam nondum finiisset. Num violavit Sigillum sic loquendo?

R. Violavit: nam, cum ex confessione proluxiori, maximè si non sit confessio generalis, homines ordinariè inferant aut ingentem peccatorum numerum, aut defectum notabilem ex parte pœnitentis, certum est, Confessarium sic loquendo saltem indirectè declarasse, Petrum aut reum esse plurium peccatorum, aut eum non esse benè dispositum. Cum autem in casu non dicatur, confessionem Petri fuisse

generalem, omnes insuper adstantes sciant, eam fuisse admodum proluxam, dubitari non potest, quin Presbyter iste Sigillum confessionis violaverit. *Grano de Sacr. Tambur. de penit.*

CASUS XXXIV. Sacerdos quidam, Confessarius Ordinarius Titii, in præsentia plurium personarum dicit eum esse scrupulosum. Num violat Secretum confessionis?

R. Violat; saltem nisi jam antea notorium fuerit, eum esse scrupulosum. Ratio est; quia sub sigillum cadunt non solum peccata pœnitentis, sed etiam defectus occulti sive physici, sive morales, quorum manifestatio pœnitenti posset pudorem injicere & confusionem, eoque reddere confessionem onerosam, ac odiosam. *Girib. Tambur. Homob.*

CASUS XXXV. Confessarius quidam reprehenditur, quod absolverit Arsenium ab excommunicatione, quam publicè incurrerat; ille autem respondet: Absolvi illum, & quidem justè potui ipsum absolvere. Num violat sigillum Sacramentale?

R. Violat; quia declarat peccatum in confessione perceptum: licet enim hæc manifestatio non sit odiosa pœnitenti, nihilominus ea opponitur virtuti Religionis, quæ nunquam permittit revelari peccata in confessione declarata. *Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. Vasquez. Diana. & alii.*

Vide *Approbatio. Absolutio. Confessarius. Confessio. Contritio. Secretum.*

SIMONIA.

1. S. Thomas definit Simoniam, quod sit *Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale vel spirituale annexum pro re temporali* & S. Doctor per hoc intelligit omnem conventionem seu contractum non gratuitum. Hinc se quis reum facit Simonie, si quid temporale offerat tanquam pretium Beneficii, aut solum ut illud eò certius obtineat. Dux dantur species Simonie, una est prohibita jure

Divino, altera jure Ecclesiastico; prior est, si quis offerat quidquam temporale, ut obtineat aliquid ex sua natura spirituale, uti sunt sacramenta, vel ut obtineat spirituali annexum, uti sunt Beneficia, & sacra vasa: posterior est, quæ solum per Canones prohibetur; talis est permutatio Beneficii propria autoritate facta cum alio Beneficio; vel si quis emat officium, seu munus, eui annexum est jus exercendi jurisdictionem Ecclesiasticam.

2. Simonia subdividitur in *mentalem, conventionalem, & realem*: MENTALIS est sola mala seu perversa voluntas absque ullo contractu seu pacto expresso vel tacito: CONVENTIONALIS est ea, in qua præter malam voluntatem accedit conventio peccaminosa expressa, aut mala intentione facta, & hic observandum ob talem Simoniam non incurri censuras, si merè conventionalis ac absque effectu sit. REALIS demum in eo consistit, si facta conventio simoniaca actu ab utraque convenientium parte executioni sit data.

3. Explicabuntur postea alii tres modi, quæ Simonia committi potest, nimirum *à manu, ab obsequio, & à lingua.*

4. Datur insuper alia Simonie species, quæ dicitur *confidentialis*, & hanc *Pii IV. & V.* damnarunt; hujus Simonie reos privandos esse Beneficiis, & officiis Ecclesiasticis, quibus gaudet, ac etiam in futurum esse inhabiles ad ea aquirenda, nisi legitimam obtinuerint dispensationem. Hæc verò Simonia in eo consistit, ut quis expressè vel tacitè eum obtenti alio convenerit, quod partem reddituum Beneficii, obtenti seu ejus fructuum partem cedere velit, qui Beneficium contulit, aut ut illud obtinuerit, contulit quidquam.

5. Conventus Cleri Gallicani censurâ notavit anno 1700. sequentes Propositiones:

Propositio LXIX. Non est contra justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interve-

niente, non exigit illam procollatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod conferre non tenebatur.

Propositio LXX. Dare temporale pro spirituali, non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale est solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

Propositio LXXI. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiam finis ipsius rei spiritualis, sicut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

CENSURA: Hæ Propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, erroneæ, hæresim Simoniacam mutato nomine introducentes per falsam mentis & intentionis directionem, & jam ab Ecclesia hæresis damnatæ per Canones, & Constitutiones Papales.

CASUS 1. *Potamion* Suffraganeus Parisiensis collaturus Beneficium, cui cura plurimarum animarum annexa est, solum digniori id conferre cogitabat; hinc sex eligebat Presbyteros, quibus dixit eum, qui in concursu seu examine dignior inventus fuerit, beneficium obtenturum. *Sedulius* unus ex prædictis, sciens, *Sylvianum* scientiâ se superiorem suum pro Beneficio esse æmulum, promisit illi centum aureos hac conditione, ut in examine seu concursu pro Beneficio sese non sistat, & per hoc *Sedulius* Beneficium obtinuit. An in hoc casu propter factam conventionem, & illius subsequutum effectum Simonia intercedit? Num etiam talis intercederet, si *Sedulius* Directori cursûs publici pecunias dedisset hac conditione, ut equitem Sylviano denegat, qui provisionem Romæ ante concursum ad Beneficium referret Sylviano?

R. In primo casu datur realis Simonia; *Sedulius* enim non obtinisset Beneficium, nisi propterea dedisset dictam summam *Sylviano*, qui ob sua merita certè obtinisset Beneficium. Idem etiam dicen-

dum in secundo casu, quia *Sedulius* per datam directori cursûs publici pecuniam impedivit provisionem Beneficii à *Sylvano* ad determinatum tempus Româ expectatam: in utroque igitur casu *Sedulius* reus est Simonia, cum intentio ipsius fuerit per datas pecunias obtinere Beneficium. *Pontas.*

CASUS II. *Theopompo* noviter electo Archiepiscopo Diarbecken si à Vezirio Turcico interdictum fuit exercitium omnium sui Officii functionum, nisi prius 5000. florenos ipsi solvat. An licitè possessionem sui Archiepiscopatus adire potest solutâ hac pecuniâ summâ?

R. Aut *Theopompos* legitimè fuit electus, vel non? si primum, jam acquisivit jus in re ad suam dignitatem, hinc cum à Vezirio Turcico impeditus fuerit, & quidem injustissimè, ne consecraretur, potest absque simonia petitos 5000. florenos Vezirio dare. Verùm si non fuisset canonicè electus, & dictam summam daret ideo, ut dignitatem hanc obtineret, sine dubio reum se faceret simoniae realis. *Pontas.*

CASUS III. *Pontianus*, Presbyter, Doctor & Professor Theologiae, vir pietate & sapientia conspicuus, praesentatus ad quamdam Parochiam, cujus Ecclesiae Patronus Irenæus praesandi jure gaudet, ab Episcopo *Visam* seu vidimationem approbativam ac institutionalem ad capiendam possessionem obtinere haud potuit, eoque suspectus, licet sine fundamento, in sua doctrina esset: *Pontianus* hanc denegationem *Visae* injustè sibi factam judicans dedit Secretario Episcopi viginti aureos, ut per hoc *Visam* obtineat, & etiam obtinuit. An intercessit Simonia?

R. Jus nominationis ad Beneficium, quod dicitur *jus ad rem* non sufficit, ut quis se redimere possit ab injusta vexatione, sed requiritur *jus in re*, quod tamen *Pontianus* per solam praesentationem nondum habet, hinc etiam denegatio *Visae* non potest dici injusta vexatio: *Pontianus* ergo revera simoniae reus est, si ob

datam Secretario Episcopi pecuniam Parochiam obtinuerit. *Pontas.*

NOTA. Injustitia vexae non solum consistit in exclusione injusta à jure certo, sed etiam à jure spei, v. g. à concursu, à communi examine, à defensione. Hinc si *Pontianus* scit, se esse certò innocentem, non est reus Simonia.

CASUS IV. *Judas* ad Parochiam quamdam aspirans *Juvenali*, qui ad eam praesentandi jus habet, quemque pecuniâ ad prosequendam aliquam litem indignum sciebat, donavit triginta aureos, ut per hoc ipsius lucretur animum, eumque ad sui praesentationem ad Parochiam permoveat; quin tamen illam postulavit. *Juvenalis* in recognitionem praesentavit *Judam* ad Parochiam, qui etiam obtenta institutione canonica sumpsit Possessionem Parochiae. An *Judas* Simonia reus est?

R. Essentia simoniae consistit in voluntate obtinendi quidquam spirituale pro temporali tanquam motivo, seu temporale pro spirituali juxta *S. Bonaventuram art. 4. dist. 25. art. 1.* Et juxta *S. Thomam in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. quest. 1. in corp.* ad committendam simoniam jam sufficit, dare quidquam spirituale non gratuito, aut non dare spirituale nisi pro temporali tanquam fine principali. Ex hoc sequitur, *Judam* esse simoniae realis reum, & incurrisse poenas in simoniae latas, si dictos triginta aureos eo fine donavit *Juvenali*, ut obtineat Parochiam.

CASUS V. *Antonius* jure praesentandi ad quamdam Parochiam gaudens, pecuniâ nimium cupidus Parochiam hanc offert *Leandro* pro quinquaginta aureis: *Leander* hanc ipsi promittit summam additò juramentò sine animo tamen complendi promissum. *Antonius* igitur ratione promissi si praesentat *Leandrum*, qui etiam post obtentam institutionem canonicam adit Parochiam, & cum ab *Antonio* dicta summa postularetur, respondit, se sine simoniae labe promisso stare non posse. An *Leander* ob solam fictam promissionem simoniae reus est?

R. Est

3 Est simoniae reus sive solum fictè promiserit, sive etiam promisso steterit. Juxta *S. Thomam 2. 2. totâ quest. 100.* simoniae reus est, sive quis quidquam dederit, sive promiserit temporale pro spirituali, semper enim verum est, dicere, rem spiritualem obtineri pro temporali, quando obtinetur vî talis promissi, sine quo promisso non fuisset obtenta ut in praesenti casu. *Pontas.*

CASUS VI. *Albertus*, titulum habens ad quamdam Capellaniam, cum se ad statum Clericalem haud vocatum sentiat, declarat *Titiae* sorori Patris sui; se simpliciter velle resignare titulum ad dictam capellam *Bremondo* ipsius cognato sine ullo motivo temporali commodi. Interea elapsò octiduo petit à *Titia*, ut sibi commodet 100. imperiales; *Titia* etiam hanc summam cum consensu sui confessarii commodavit *Alberto* & quidem adhuc illo tempore, quo *Albertus* factam resignationem potuisset revocare. An *Titia* rea est simoniae?

R. Si *Titia* nullum omnino inierit pactum expressum, vel tacitum, & commodando dictam summam non intenderit, *Albertum* permovere, ne revocet factam resignationem, nec simoniae, nec ullius peccati rea est. *Ste Beuve tom. 2. cas. 41.*

CASUS VII. *Attilius*, Presbyter, in se suscepit munus Eleemosynarii apud quemdam Ministrum regium ea principali intentione, ut autoritate hujus Ministri aliquam Abbatiam obtineret; hinc etiam per decennium strenuè suo functus est munere; interea tamen praeter 200. florenos, quod annuum salarium erat, expendit de proprio peculio 500. florenos in sumptus pro conservando suo charactere necessarios. Tandem obtinuit Abbatiam, cujus annui redditus sunt 2000. floreni. An Simoniae se reum fecit *Attilius*?

R. Si intentio principalis *Attilii* fuerit in acceptatione muneris eleemosynarii, curare spiritualia in domo dicti Ministri, & solum secundaria ipsius intentio fuerit per suam bonam conversationem mereri ali-

quod Beneficium, potest excusari à Simonia. Verùm cum in proposito casu fuerit intentio ipsius principalis, ut suis servitiis obtineret Abbatiam, haud dubiè simoniae reus est: ita in eodem casu *S. Gregorius in cap. Sunt non nulli 124. q. 1. munus à lingua, murus à manu, munus ab obsequio.* Ob has igitur tres res temporales pro spirituali oblatas simoniae committitur. Verùm quidem est, in casu simoniae à lingua vel ab obsequio non incurri censuras; interim tamen notandum, quòd ille, qui obtinuit Beneficium per simoniam à lingua vel ab obsequio, non sit legitimus titularis in foro interno, ideòque non possit resignare aut retinere illud, nisi ex permissione Confessarii ob aliquam justam rationem ipsi data, Confessarius enim jus habet discutiendi, ac judicandi actiones internas poenitentis. *Pontas.*

CASUS VIII. *Lucillus*, Presbyter & Doctor Theologiae, suscepit munus vicarii generalis, aut Missionarii apud quemdam Episcopum ex hac principali intentione, ut per hoc, quòd se impendat functionibus purè spiritualibus, obtinere possit dignitatem aut praebendam in Ecclesia Cathedrali. An ipsius intentio simonica est?

R. Intentio *Lucilli* certè vitiosa est, quia juxta *S. Bernardum de vita & moribus Clericorum c. 15.* invertit ordinem naturalem utendò rebûs spiritualibus tanquam motivo aquirendae rei temporali, quo fit, ut finem ordinet ad media, cum tamen media ordinanda essent ad finem. Vide *Casus XI.*

CASUS IX. *Sidonius*, Episcopus, unam praebendam dedit suo nepoti, & alteram suo cognato hac intentione, ut suas partes in capitulo, cujus aliqua membra se ipsi opposuerunt, redderet fortiores, & etiam ut sua familia fieret illustrior. An reum se fecit simoniae mentalis?

R. Juxta *S. Thomam in 4. q. 25. lib. 3. art. 3. ad 7.* ejusmodi intentiones sunt simonicae.

CASUS X. *Didacus*, Decanus Ecclesiae cathedralis, exhibuit aliqua beneficia tem-

poralia Jacobo & aliis suis Concanonicis ea de causa, ut eos sibi reddat faventes non ex motivo proprii commodi, sed procurandæ Dei gloriæ, boni Ecclesiæ, & salutis proximi causâ in deliberationibus capitularibus, in quibus sæpè contrarios sentit. An simoniacum quid intercessit?

R. *S. Thomas quodlibet. 4. art. 43. in corp. item opusc. 17. c. 13.* non agnoscit simoniam in hoc casu, si nulla alia pactio & conventio intervenerit inter *Didacum* & suos Concanonicos, quibus temporalia contulit beneficia, ut eos in suas partes traheret. *Pontas.*

CASUS XI. Quidam Episcopus jam per plures annos secum habet Clericum, qui munus Eleemosynarii obibat, & huic Clerico ratione præstitorum servitiorum cogitat conferre Beneficium. An id fieri potest absque simonia?

R. *S. Thomas* distinguit inter duas servitiorum species 2. 2. *quæst. 100. art. 5. ad 1.* Una species servitiorum Eleemosynarii Episcopi respicit spiritualia, nimirum gloriam Divinam, aut utilitatem Ecclesiæ, & ejus Ministrorum: altera servitiorum species tantum concernit temporalia, scilicet cura & administratio bonorum patrimonialium, aut ejus propinquorum, aut causarum forensium: prima species servitiorum præfatum Clericum, si ea fideliter exequatur, reddit dignum Beneficiò, non verò altera; hinc Episcopus illum Eleemosynarium, qui solum sibi inservit in temporalibus, Beneficiò absque simonia donare non potest, si id fiat solum in recognitionem præstitorum servitiorum in temporalibus. *Pontas.*

Vide *Casum IV.*

CASUS XII. *Alexander* Abbas pauperes habens consanguineos, quibus tamen omnibus succurrere non potest, contulit *Joanni* Cognato suo, quem generosi animi esse sciebat, Prioratum, cujus annui redditus roco. imperiales sunt, hac intentione, ut suis succurreret consanguineis, aliàs certè istum Prioratum collatu-

rus alii. An ista intentio *Alexandrum* immunem reddit simoniæ?

R. Talis collatio Beneficii non est quidem simoniaca, si illud conferatur consanguineo gratis ex solo affectionis erga illum motivo, est tamen illicita & carnalis. Verum simoniaca etiam esset, si Beneficium conferatur hoc pacto, & hac intentione, ut provifus de Beneficio succurrat consanguineis Collatoris Beneficii, ut in præfenti casu. *S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 5. ad 2.*

CASUS XIII. *Archenbaldus*, jure præfentandi ad quamdam Parochiam gaudens, præfentavit quemdam Presbyterum ex hac unica ratione, quia à suo amico literas recomendatitias attulerit, quin tamen aliundè ipsius merita nôrit. An reus est simoniæ, præcipuè si sibi commendatus indignus est Beneficiò?

R. Juxta *S. Thomam locò citatò ad 3.* in proposito casu intervenit simonia, si ille, qui *Archenbaldo* commendatus est, indignus ad beneficium præfentatus est; si verò dignus est, *Archenbaldus* immunis est à Simonia, cum motivum conferendi beneficium fuerint merita: Si tamen non respectu meritorum sed solum ex mero respectu humano præfentatus fuisset, certè simonia fuisset commissa ob intentionem vitiosam. *Pontas.*

CASUS XIV. *Jeremias* jus habens præfentandi præfentavit ad quoddam beneficium *Leonfredum*, subjectum maximè dignum, ex hac principali intentione, ut præfentando tale subjectum sibi aquirat æstimationem, approbationem, & laudes aliorum hominum. An ob talem intentionem simoniæ reum se fecit?

R. Reus est simoniæ mentalis, quia ipsius præfentatio non fuit gratuita. *S. Thomas in 4. dist. 23. q. 3. art. 3. ad 4.* Idem dicendum de collatione Beneficiorum.

NOTA. Cum intentio obtinendi laudem non fundat pactioem ullam aut obligationem, non est Simoniaca, licet sit venialiter deordinata. Vide *Casum 15.*

CA-

CASUS XV. *Junianus* Capellaniam sui Patru, qui sibi resignationis ejus spem fecerat, obtenturus sacros ordines recepit eo maximè fine, ut obtentâ Capellaniâ commodius vivere posset. An hic finis & hæc intentio simoniâ caret?

R. Juxta *Concilium Tolosanum 1056. celebratum* Clericus adipiscendæ Abbatialis dignitatis causâ Monachus effectus, nullatenus admittendus est. Hinc videtur concludi posse à pari, Clericum non posse admitti ad Presbyteratum, si solum ipsius intentio sit acquisitio Beneficii: Ex hoc igitur sequitur, *Junianum* absque peccato non potuisse recipere Presbyteratum, si solum intenderit per hoc acquirere Capellaniam sui Patru. *Fagnan. in 1. lib. Decret. part. 2. in cap. Cum ad nostram, de elect. n. 19.* Interim tamen *Junianus* non tenetur quidem ad resignationem, sed tamen ad pœnitentiam de peccato commisso. *Pontas.*

CASUS XVI. *Palladius*, Parochus, offert resignationem Beneficii sui in favorem *Lucii*, hac conditione, ut sibi *Lucius* restituat 10. florenos pro provisione sui Beneficii à se expensos, & alios 50. florenos in litem causâ sui Beneficii motam expensos. An *Palladius* hanc summam à *Lucio* accipere potest absque simonia, si consenserit *Lucius* in hanc summam, quamprimùm *Palladius* subscripserit procuracionem resignationis in sui favorem.

R. *Palladius* non potest recipere dictam summam absque simonia reali; resignationis enim motivum est pecunia, qua non accepta *Palladius Lucio* non resignaret Beneficium. *S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.*

NOTA. Cum hæc simonia sit tantum juris Ecclesiastici, & parvitas Summæ non sit præsumenda, fuisse à Papa comprehensa in reservationibus facultatum Episcopaliū ultra montes, censet, Episcopos ultramontanos in hoc genere Simoniæ dispentare posse.

CASUS XVII. *Rutilius*, Parochus, in sua parochiali dōmo nova duo construi curavit cubilia, & adiacentem, emit hor-

tum: resignaturus jam suum Beneficium Cæsari hanc addit conditionem, ut compenset expensas in constructionem duorum cubilium, & emptionem horti factas, nimirum 350. florenos. An ista resignatio simoniaca est?

R. Certè simoniaca est; duo enim ista cubilia & hortus sunt pars Beneficii, hinc illa emere est emere ipsum Beneficium: deinde si ista cubilia & hortus non fuerint necessaria, sed tantum ad commoditatem servirent, non potest compensationem expensarum exigere, si verò fuerint necessaria, Parochianorum expensis paranda fuissent. *Pontas.*

NOTA. Vide *Cas. 17.*

CASUS XVIII. *Statilius* acceptavit resignationem Parochiæ à suo Nepote hac conditione oblatam, ut 50. florenos elargiatur pauperibus parochianis, & hanc conditionem implevit. An ista conditio simoniaca est?

R. Omnes conventiones, quæcunque sint, exceptis illis, quæ per se Beneficio annexæ sunt, faciunt resignationes, permutationes, & dimissiones Beneficiorum illicitas & simonicas; Papa tamen solus potest absolvere à tali simonia: hinc *Statilius* sub dicta conditione non potuit acceptare resignationem Beneficii à suo nepote. *Pontas.*

NOTA. Vide dicta *Cas. 17.*

CASUS XIX. *Telemachus* & *Saturninus* jam ultra annum litigabant ratione cujusdam Parochiæ, ad quam uterque jus liquidum habere se contendebat; tandem ab alio quodam Parocho reconciliati sunt suggerendo illis hanc conventionem, nimirum ut *Telemachus* cedat jus suum pro Capellania simplici, quam illi *Saturninus* procurabit, ac etiam viginti aureos offerret pro compensatione expensarum in litem hucusque factarum. An hæc conventio simoniaca est? An non potest dici, *Saturninum* hanc summam dare ad redimendam injustam vexam? Supposito quòd per hoc ista conventio non excusetur à simonia, an saltem bona fides non potest pro-

prodesse *Saturnino*, ne pœnas in simonia eos latas incurrat, & ad restitutionem fructuum teneatur, cum ista conventio pacis & ulteriorem litem præcavendi causâ facta sit?

1. Hæc pactio seu conventio non est Canonica; in omni enim permutatione canonica requiritur, ut permutantes actu sint provisi de beneficiis permutandis; *Saturninus* verò non habet actu aliquam capellaniam, quam tamen procurare promissit *Telemacho*, hinc *Saturninus* Parochiam non nisi ratione promissi procurandæ Capellanæ & oblatae sibi pecuniæ, aquirens reus est Simonia realis.

2. Neque à Simonia excusat prætextus injustæ vexæ; nam utraque pars juxta propositum casum jus liquidum ad Parochiam se habere contendit, hoc igitur jus uterque sine injustitia prosequi potest.

3. Bona fides nec *Saturninum* nec *Telemachum* excusat à labe simoniæ, & consequenter nec à censuris in simoniacos latis, nec etiam à restitutione fructuum Beneficii; eorum enim bona fides fundatur in ignorantia crassa & culpabili, quæ à simonia non potest excusare. *Pontas*.

NOTA. Sicut vota dubii valoris non sunt reservati Papæ, ita nec casus Simonia dubia, vel certè malitiæ quoad gravitatem dubia, poterit proin circa ejusmodi Casus dispensare Episcopus. Vide *Cas. 40*.

CASUS XX. *Bertinus* & *Albertus* jam per sex menses litigant inter se ratione ejusdam Parochiæ, cujus annui redditus efficiunt summam 600. florenorum: tres celebres Advocati afferunt valdè justam habere causam *Bertinum*, & alii tres Advocati idem judicant de causa *Alberti*. Verùm cum *Alberto* pecunia ad prosequendam litem deficiat, *Bertino* cessionem sui juris offert pro 100. aureis, & *Bertinus* consensit. An hæc pactio simoniaca? num etiam idem dicendum, si *Bertinus* cederet jus suum *Alberto* hac conditione, ut sibi solvat centum aureos pro fructibus grossis, quos intra sex menses suæ provisionis parochialis percipere debuisset, & tamen non percepit?

1. Conditio, qua *Albertus* cessit jus suum *Bertino*, certè simoniaca est, jus enim ad Beneficium, utpote quidquam spirituale, pretiò æstimari, & pecuniâ aquiri non potest. Aliud tamen dicendum quoad cessionem *Bertini* *Alberto* oblatam; *Bertinus* enim potuit exigere pro legitima compensatione sibi pro fructibus suæ semestris provisionis beneficii percipiendis & non perceptis debita centum aureos; justum & æquum enim est, ut si nihil de istis fructibus perceperit, saltem juxta proportionem temporis spatii, quo beneficium providit, fructus percipiat. *Pontas*.

CASUS XXI. *Jacobus* resignans *Joanni* suam Parochiam reservavit sibi pensionem 200. florenorum, post tres verò menses hanc ipsam Parochiam *Joannes* permutavit cum Parochia *Petri*: verùm *Petrus* ne mortuo *Joanne* teneretur superstiti *Jacobo* solvere pensionem 200. florenorum, reservavit sibi ex redditibus prioris Parochiæ suæ 150. florenos singulis annis sibi à *Joanne* solvendos, & insuper in particulari scheda propria manu subscripta, ac in Doctoris, qui hoc ipsi consuluit, manu deposita declaravit, dictos 150. florenos se soluturum *Jacobo* pro *Joanne*, ac etiam sese obligare ad solutionem 50. florenorum *Jacobo* præstandam singulis annis, tanquam complementum, pensionis à *Joanne* *Jacobo* debita: denique in eadem scheda declaravit; pensionem suam 150. florenorum solum tandiu esse solvendam, quamdiu solvenda esset *Jacobo* pensio 200. florenorum.

Jam quæritur 1. an hic contractus sit simoniacus? & supposito quòd talis sit, an *Joannes* & *Petrus* debeant Româ obtinere Breve absolutionis, & condonationis perceptorum fructuum, & an non interea, usquedum Breve Româ adveniat, Episcopus eos possit rehabilitare ad exercendas suas functiones, ut hoc modo evitentur scandala?

2. Supposito, quòd dictus contractus non sit simoniacus, an *Petrus* teneatur solvere 200. florenos *Jacobo* ante sententiam

tiam judicis, non quidem vi contractus ac privatae syngraphæ sed vi Tituli ad Parochiam à *Jacobo* resignatam, quo *Petrus* facta permutatione gaudet, quamvis vi contractus solum ad quartam partem teneatur?

3. Utrum, positò quòd *Petrus* teneatur ad solutionem 200. florenorum, non possit exigere pensionem 150. florenorum à *Joanne*, quamvis illam sibi non reservavit nisi ea conditione, ut hi 150. floreni pro se & *Joanne* *Jacobo* solvantur, qui *Jacobus* unâ cum *Joanne* initum inter se contractum crediderunt esse legitimum.

4. Si *Jacobus*, qui vi contractus à *Joanne* solutionem 150. & à *Petro* 50. florenorum recepit, & hanc summam 200. florenorum se recepisse à *Joanne* scriptò testatus est, si, inquam, *Jacobus* de annua pensione condonet *Joanni* 50. florenos, deinceps contentus pensione 150. florenorum? Cui hanc condonationem factam esse censendum sit *Joanni* aut *Petro*, quorum pactio simoniaca est?

5. Positò, quòd *Petrus* totam summam 200. florenorum *Jacobo* solvere debuerit, & *Joannes* tutâ conscientia summam 150. florenos solvere non potuerit, uti tamen de hac summa convenit cum *Petro*, & conventio executioni data fuit. An quid restituendum? Cui? quomodo, & à quo?

6. Si *Petrus* Parochiam suam permutare vellet cum *Titio*, *Titius* verò in eam consentire nolle, nisi ea conditione, ut sibi à *Jacobo* pariter 50 floreni condonarentur, ut *Joanni*; an *Petrus* ante executionem permutationis cum *Titio* *Jacobum* convenire possit, ut condonationem 50. florenorum in favorem *Titii* continet, & in scriptis illius continuandæ cautionem tradat?

7. Si contractus inter *Joannem* & *Petrum* initus simoniacus est, & *Petrus* de hoc anxius pro majori securitate obtinuit Româ Breve absolutionis, an teneatur monere *Joannem*, qui hucusque bona fide egit?

Diction. Cas. Consc.

8. Positò, quòd *Petrus* teneatur, aut melius esse judicet, *Joannem* commonere de simonia, & ideo etiam ipsi declarat, se tutâ conscientia ab ipso exigere dictos 150. florenos *Jacobo* solvendos haud posse, uti in contractu conventum est: an *Petrus* nihilominus à *Joanne* accipere potest pensionem sibi reservatam, aut permittere, quòd eam solvat *Joannes* *Jacobo*, uti antea, & quidem in casu, quo *Joannes* aut ex ignorantia, aut ex liberalitate aut ex amicitia erga *Petrum* vellet continuare solutionem pensionis?

9. Contractus in præsentis casu positus est simoniacus: hoc supposito RESPONDETUR 1. *Petrus* & *Joannes* indigent absolutione Papali, condonatione fructuum perceptorum, & rehabilitatione: interea tamen, usquedum Româ ea adveniat, poterunt à suo Episcopo petere facultatem exercendi suas functiones, hanc enim in casu præsentis illis concedendi jus habet.

2. *Petrus* tenetur solvere *Jacobo* pensionem 200. florenorum non obstante conventionione inter ipsum & *Joannem* factam, tantùm quartam dictæ pensionis partem solvendi; *Jacobus* enim resignavit Parochiam suam ea conditione, ut sibi reddatur pensio ex redditibus resignatæ Parochiæ.

3. Contractus inter *Petrum* & *Joannem*, quo *Joannes* *Petro* tenetur solvere pensionem annuam 150. florenorum, est simoniacus & ideo *Petrus* non potest à *Joanne* exigere istam summam.

4. Condonatio voluntaria 50. florenorum à *Jacobo* facta, soli *Petro* cedit in commodum.

5. *Petrus* Titularis Ecclesiæ *Jacobi* resignantis cum ad pensionem 200. florenorum *Jacobo* præstandam solus teneatur, & tamen à *Joanne* singulis annis exegerit 150. florenos tenetur ad restitutionem; titulus enim, vi cujus hanc à *Joanne* exegit summam nullus est, interim tamen restitutio non *Joanni*, sed pauperibus, aut Ecclesiæ facienda est.

Eeeee

6. Pe-

6. *Petrus* quidem potest petere continuationem condonationis 50. florenorum in favorem *Titii*, & hujus continuationis cautionem scriptam; hæc enim gratia est ex parte *Jacobi* prorsus gratuita, & cedit in commodum titularis Parochiæ. At si *Petrus* hanc condonationem tantum ex motivo & ratione permutationis cum *Titio* faciendæ obtineret, pactio esset simoniaca.

7. *Petrus* tenetur in conscientia admonere *Joannem* de simonia, quam suo contractu inter se inito commiserunt, si *Joannes* eam ignoret.

8. Si *Petrus* *Joanni* sufficienter declaravit, se licitè non posse ab ipso exigere pensionem annuam 150. florenorum, nec se etiam permittere posse, ut ab ipso ista summa solvatur pro se *Jacobo* vi privati contractus, & *Joannes* nihilominus continuaret solutionem, posset *Petrus* eam recipere, dummodo solutio non ex redditibus Beneficii, sed ex bonis propriis *Joannis* fiat. *Pontas*.

NOTA. Vide dicta ad *Casum* 17. & 19.

CASUS XXII. *Trodulfus*, titulo gaudens cujusdam Capellaniæ, cujus redditus sunt 100. floreni, suo Abbati cessit hanc Capellaniam pro Prioratu, cujus redditus sunt 400. flor. *Gilbertus* ejusdem Monasterii Religiosus obtulit *Trodulfo* alium Prioratum, cujus Titularis est, & cujus redditus sunt 750. flor. in extera Provincia tamen situm, ea conditione: 1. ut sibi procuret Prioratum præfatum 400. flor. 2. ut pensionem 150. florenorum annuatim promittat, ut commodius vivere possit. *Trodulfus* hæc proposuit Abbati suo, qui etiam consensit in hanc pactionem ea conditione, ut pensio à *Gilberto* exacta non solvatur ex redditibus Prioratus, sed ex annua pensione, quam *Trodulfo* sua Mater moriens constituit in certis quibusdam prædiis, quæ propterea *Gilberto* oppignerata, & hypothecata erunt. Hanc conditionem acceptavit *Trodulfus*, & mox cum *Gilberto* forma-

lem iniit contractum, quem uterque unacum Notariis, qui eum examinârunt, sua subscriptione confirmârunt: sic inter se confirmatum *Trodulfus* & *Gilbertus* suo Abbati obtulerunt, qui *Gilberto* contulit Prioratum, cujus redditus sunt 400. floreni, & *Trodulfo* Prioratum, cujus redditus sunt 750. floreni, quem *Gilbertus* possidebat. An in isto casu ob datum Abbatis consensum non datur simonia?

R. Ille contractus certè simoniacus est. 1. Quia resignatio *Trodulfi*, quæ videtur pura & simplex, non est gratuita, sed sub conditione, ut ab Abbate ei conferatur Prioratus, cujus redditus sunt 750. floreni, & quem *Gilbertus* cedit hoc pacto, ut Prioratum alium, cujus redditus sunt 400. floreni, unâ cum pensione mere laica 150. florenorum obtineat, ex quo sequitur *Trodulfum* & *Gilbertum* incurrisse pœnas in simoniacos latas.

2. Contractus iste inter dictos Religiosos vitiosus etiam ratione pensionis 150. florenorum *Gilberto*, ut commodius vivere possit, solvendæ; talis contractus repugnat paupertatis voto: dein consensus Abbatis non tollit simoniam, Abbas enim in hoc puncto cum suis Religiosis dispensare non potest.

3. Contractus denique in casu propositus peccaminosus est ex eo, quod *Trodulfus* propria autoritate & sine consensu communitatis Religiosæ disponat de redditibus prædiorum, quæ utique non ipsi sed Monasterio propria sunt. *de Ste Beuve tom. 3. casu 91.*

CASUS XXIII. *Aufonius* suam Parochiam resignavit *Simeoni* reservata sibi pensione 200. florenorum, in cujus assurationem *Simeon* ipsi cautionem civilem dedit: an in hac pactione cum permissu Papæ facta simonia latet?

R. Si in hoc casu simonia intervenit, ea est tantum juris Ecclesiastici, circ aquam Papa dispensare potest. *Idem tom. 2. casu 122.*

CASUS XXIV. *Manfredus*, Clericus tonsuratus, fundavit in quadam Ecclesia collegiata Canonicatum ea intentione, ut capi-

capitulum dictum canonicatum ipsi conferat, & ita factum est. An datur simonia?

R. Haud dubiè *Manfredus* commisit Simoniam, utpote temporale quid offerens pro acquirenda dignitate Ecclesiastica, & si Capitulum *Manfredo* canonicatum contulit ratione oblatæ rei temporalis, pariter simoniæ reum est. *Fagnan. in cap. tua nos. 34. de Simonia. n. 3. & 4.*

Vide casum sequentem.

CASUS XXV. *Polydorus* aspirans ad Canonicatum in quadam Ecclesia cathedrali, & sciens *Patritium*, Canonicum hujus Ecclesiæ, permutare velle suam præbendam cum Beneficio simplici, ut suum intentum assequeretur, fundavit Capellaniam eamque dotavit 300. florenis pro annuis redditibus: hæc capellania *Polydoro* collata est; postea verò eam obtulit *Patritio*, qui etiam suam præbendam cum dicta Capellania permutavit. An *Polydorus* Simoniam reum se fecit?

R. Certè hæc permutatio simoniaca est; *Polydorus* enim non potuit absque simonia Capellaniam fundare eo fine, ut sibi conferatur, hinc cum Capellaniam non solum ob dictum finem sed etiam ea intentione fundarit, ut Capellaniam provifus eam permutare possit cum præbenda *Patritii*, incurrit excommunicationem. *Caussut. lib. 5. c. 4. n. 4.*

NOTA. Fundator potest ponere legem foundationi de se justam assentiente Episcopo. Hinc cum intentio fundatoris non sit certè simoniaca, casus non est reservatus Papæ. Vide dicta ad *Casum* 19. & 17.

CASUS XXVI. *Sempronius*, Titularis cujusdam Capellaniæ in Ecclesia Cathedrali, vult permutare cum *Theodati* Capellania, cujus redditus longè minores sunt: Capitulum verò, quod jure collationis gaudet, respuit hanc permutationem quia *Sempronius* Sub-Diaconus fuit ordinatus ad Titulum dictæ suæ Capellaniæ. Verùm ad tollendam hanc difficultatem Pater *Theodati* se obtulit ad constituendum Titulum in suis propriis

bonis in favorem *Sempronii*, ut tali modo Capellania *Sempronii* reddatur libera; rogat itaque Capitulum, ut in hoc consentiat. An hoc offertum simoniacum est?

R. Haud approbari potest istud offertum ut Canonicum, quamvis enim Theodatus nec dedit neque etiam promisit quidquam temporale *Sempronio*, sufficit tamen, quod *Theodati* Pater, tanquam tertius, per dictum offertum filio suo obtinere intendit Beneficium pinguius. *Pontas*.

NOTA. Vide dicta ad *Cas.* 19. 17. 25.

CASUS XXVII. Prioratus *S. Amabilis*, cujus annui redditus sunt 1500. floreni, pertinens ad Abbatiam *S. Cyrilli* Ordinis Cisterciensis tam conducibilis videbatur Religiosis cujusdam Monasterii alterius Ordinis, ut dictum Prioratum suo Monasterio unire cogitarent: Abbas & Capitulum *S. Cyrilli* in hanc unionem consentiebant ea conditione, ut Monasterium pensionem annuam 150. florenorum in perpetuum Abbatia *S. Cyrilli* solvat. An iste contractus non est vitiosus? An etiam Abbatia *S. Cyrilli* hanc constitutam pensionem legitime recipere potest?

R. Ille contractus simoniacus est; hinc licitè executioni non potest dari, jus enim, quod Abbatia *S. Cyrilli* in suum Prioratum habet, res est purè spiritualis. *de Ste Beuve tom. 3. casu 18.*

NOTA. Vide dicta ad *Cas.* 19. & 17. Certum non est, contractum de sola permutatione reddituum itabili esse simoniacum jure divino aut reservatum Papæ.

CASUS XXVIII. *Cajetanus*, provifus præbendâ in Ecclesia Cathedrali, illius possessionem sumpturus præsentavit se Capitulo, à quo autem admissus non est nisi solutis prius 100. florenis pro jure *Cappæ*, & hæc summa ab omnibus Canonicis ante aditam possessionem solvi consuevit. *Cajetanus* timens, ne simoniam commiserit, quærit, an non reapse commiserit simoniam?

R. Concilium Tridentinum *sess. 4. de reform. cap. 14.* damnat istam praxin, nisi id, quod exigi solet, impendatur ad causas pias, aut in utilitatem Ecclesiæ: & si Canonici istos 100. florenos inter se dividerunt, simoniæ rei sunt. *Pontas.*

NOTA. Si prima divisio bonorum Communium Capitularium fuit iusta, etiam reservatio aliquotæ ex qualibet præbenda erit iusta.

CASUS XXIX. *Ovidius* aspirans ad Prioratum, quem conferendi jure *Diodorus* gaudet, scit; *Lucillum*, intimum *Diodori* amicum, suis obviare votis; hinc *Lucillum* lucraturus obtulit illi horologium aureum, quo mediò *Ovidius* Prioratum obtinuit. An commisit *Ovidius* Simoniam?

R. Si donum, quod *Ovidius* obtulit *Lucillo*, motivum fuerit, ut Prioratum, ad quem nullum jus habebat, obtinuerit, certè collatio Prioratûs simoniaca fuit. *Theol. Mor. tom. 2. tract. 2. c. 1. demonstr. 4. & 5.*

NOTA. Vide dicta ad *Cas. 17. & 19.* Hæc enim Simonia est tantum mentalis, aut dubiæ malitiæ gravis. Vide dicta ad *Casum 43. 44.*

CASUS XXX. Licet *Bartholomæus* canonicè in Episcopum fuerit electus, quinque tamen Canonici absque omni legitima ratione obstiterunt illi, dum possessionem capere volebat, quapropter illis 100. aureos secretò dari curavit, ut resistere desisterent. An commisit simoniam, si dicti Canonici ratione doni quietam possessionem illum sumere permiserunt?

R. Non commisit simoniam; nam per canonicam electionem *Bartholomæus* jam acquisivit jus in Episcopatu. *S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. Item in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 1. ad 7.*

CASUS XXXI. *Christianus* quadam Parochiâ proviso *Cecilius* intendebat litem prætendendo jus ad ipsius Parochiam; dein & aliam ipsi movebat litem *Epignonus*, adjutore *Cecilio* quoque, facta accusatione de falso crimine; *Christianus* ut se redimeret de his vexationibus unicui-

que donavit 20. aureos. An simoniæ reus est?

R. Juxta *S. Thomam loco citato*, & *S. Antoninum 2. part. tom. 5. tit. 1. r. 4. §. 2.* absque peccato potuit se redimere à duplici ista vexatione, cum jus legitimum habuerit in Parochia: Hoc principio supposito plures ejusmodi casus resolvi possunt; consultius tamen est, inconsulto Episcopo tale remedium non adhibere; quia in talibus casibus ob ignorantiam aut aliquam passionem facillè simoniacum quid intervenire potest. Observandum etiam, quòd, si Beneficiario lis intendatur per accusationem criminalem eo fine, ut Beneficiò privetur, interim tamen de vero crimine accusetur, quod illum beneficiò indignum reddit, tunc non liceat se redimere pecuniâ. *Pontas.*

CASUS XXXII. *Narcisso* præbendâ ab Episcopo proviso *Palæmon*, vir magna autoritate pollens, litem intendebat, quam *Narcissus* prosequi non valebat; hinc Episcopus, qui *Narcissum* præbendâ donatum volebat, *Palæmonem*, cujus ipsi intereat, rogabat, ut lite desisteret, cum ipsi promittat, si aquiesceret, munus Vicarii Generalis, & sui Officialis: hanc acceptavit conditionem *Palæmon*, & tali modo *Narcissus* obtinuit præbendam, & *Palæmon* Vicariatum. An ista compositio iusta est?

R. Cum dignitas Vicarii generalis sit res purè spiritualis, Episcopus hanc dignitatem absque simonia non potuit promittere *Palæmoni*, eumque illa donare; sed potius debuisset eum admonere, ut à lite *Narcisso* intentata desisteret. Ex hoc sequitur; *Narcissum* posse tutâ conscientiam pacificè possidere Præbendam. *Theol. Mor. tom. 2. tit. 2. c. 1. de 8.*

CASUS XXXIII. Cum *Melchior*, Clericus tonsuratus, nollet restituere depositum quinquaginta aureorum, quod ipsi à *Titio*, Abbate, creditum erat; Abbas *Melchiori*, ut eum ad restitutionem depositi moveret, contulit Prioratum, cu-

jus annui redditus 250. floreni sunt. An id agere potuit absque simonia?

R. *S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 2.* resolvit hunc casum contra Titium, utpote reum simoniæ.

CASUS XXXIV. *Vincentius* jam ab aliquot annis Titulum habens ad quemdam Prioratum, cujus redditus sunt 2000. floreni, statui Clericali vult renuntiare, & *Mariam* neptem *Pauli* Presbyteri, Hæredem ditissimam, ducere in conjugem, ut autem facilius *Pauli*, utpote tutoris *Mariæ*, consensum obtineret, declaravit illi; se ipsi resignaturum suum Prioratum, *Paulus* igitur, ut obtineret Prioratum, consentit in isthoc matrimonium. An ambo simoniam commiserunt?

R. Hic casus nostris temporibus valdè frequens est præsertim apud homines altioris conditionis; hujus autem solutio facilis est. Omnis conventio sive expressa, sive tacita resignandi Beneficium ex motivo principali consequendi commodum temporale pretio æstimabile reddit resignantem, & resignatarium simoniæ reum vel realis vel conventionalis; hinc in proposito casu *Paulus* & *Vincentius* simoniæ rei sunt: At, si *Paulus* consensisset ex alio fine in dictum matrimonium, etiamsi *Vincentius* Prioratûs resignator non obtulisset, aut promissò non stetit, tunc non censendus esset reus simoniæ, cum resignationem Prioratûs solum ex hoc motivo acceptarit, quia *gratis potest recipi, quod gratis offertur*. Verum cum homines in hoc puncto nimis sibimet ipsis blandiri soleant, regulariter loquendo tales resignationes non sunt consulendæ, nec approbandæ. *Pontas.*

NOTA. Vide dicta ad *Cas. 19.*

CASUS XXXV. *Tichonius* Canonicatûs, quo provifus erat, possessionem sumens cuilibet Canonico duas chirothecas distribuit vi consuetudinis immemorialis. An simonia in hoc casu intervenit?

R. Sacra Congregatio Concilii Tridentini censet; hoc Concilium prohibuiff, talem consuetudinem continuare; talia enim

munuscula, licet exigua, non ex sola liberalitate fiunt, aut sine pactione, quæ forsitan nomine & prætextu consuetudinis latet. *Fagnan. in c. Tua nos. de simonia. n. 38.*

NOTA. Vide dicta ad *Cas. 19. & 28.* Certè, cum quilibet in Capitulum receptus debeat hæc solvere, videtur ea lex fundari in natura originalis reservati.

CASUS XXXVI. *Sylvianus*, Episcopus, alteri Episcopo litem movit de jure collationis, & visitationis Ecclesiæ Parochialis in confinibus suarum Diocesium sitæ; tandem transactionem & conventionem inserunt, ita, ut uni sit jus visitationis, & alteri jus collationis. Num simonia intervenit?

R. Ut conventio inita sit immunis à simonia, requiritur, ut sit approbata à legitimo Superiore, & nunquam detur res temporalis pro spirituali; hoc supposito, evidens est, conventionem, de qua hic agitur, non esse simoniacam, nam 1. ipsimet Superiores transactionem fecerunt. 2. Utrumque jus tam collationis quam visitationis est res spiritualis, hinc nullus alteri dat temporale pro spirituali. *Pontas.*

CASUS XXXVII. *Joannes* obtinuit Beneficium mediante solutione præstita 100. Imperialium; id ipsum confessus est; & etiam à censuris absolutus, an igitur tutâ conscientiam retinere potest Beneficium, & si illud retinet, an facit fructus suos?

R. Quamvis *Joannes* in Confessionali absolutus fuerit à censuris, nihilominus tenetur tamen absolutè sub mortali renuntiare Beneficio, utpotè simoniacè obtento, nisi à Superiore novam obtinuerit collationem Beneficii; tenetur itaque etiam ad restitutionem fructuum, quos suos facere non potuit. *S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.*

CASUS XXXVIII. *Victorius*, Pater *Petri* obtenturus filio Beneficium, in scio filio, obtulit pecuniam collatori Beneficii: elapsò annò rescivit *Petrus* hanc simoniam. An tenetur dimittere Beneficium, & non

vam provisionem Romam obtinere? an etiam censuras incurrit?

R. Si *Petrus* commissæ à suo Patre simoniæ non fuerit particeps, non incurrit censuras, ipsius tamen provisio ad dictum Beneficium nulla est, & tenetur dimittere Beneficium, non quia eo indignus est, sed quia titulus, quem ad illud habet, nullus est. *S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.* Interim non opus est, ut pro rehabilitatione Romam recurrat, hanc enim obtinere potest ab Episcopo, cum ipsemet non ut simoniæ reus. *Pontas.*

CASUS XXXIX. *Urbanus* simoniacè Presbyter ordinatus, simoniam autem ejus Pater *Urbano* incio commisit, lapsu temporis hujus rescisus potestne exercere functiones ordinum?

R. *S. Thomas loco citatò* censet; Urbanum non posse exercere functiones Ordinum; ratio est, quia non potest licite retineri id, quod contra voluntatem Domini acquisitum est; sed si aliquis Ordo mediante data pecunia aquiritur, contra voluntatem Christi Domini aquiritur, qui ordinavit, ut à suis Ministris, qui sunt Episcopi spiritualia gratis darentur.

CASUS XL. *Claudius* legitimo ad quemdam Prioratum titulo jam per decennium gaudens alium Prioratum obtinuit simoniacè. An ideo ipso jure utroque Beneficio privatur.

R. Aliqui Doctores tenent quidem affirmativam; censetur tamen defendi posse negativam juxta *Navarrum lib. 5. Concil. de simonia concil. 92.* quia *Bulla Pii V.* in hac materia non facit expressam mentionem de hoc; dein cum privatio sit lex pœnalis, restringenda est ad proprium suum sensum. 2. Inhabilitas, & irregularitas post legitime obtentum Beneficium incurra non inducit vocationem illius ante sententiam judicis. 3. Non est recedendum à jure antiquo, nisi novum jus statuerit quidquam contrarium. 4. Constitutio *Pii V.* non obligat in foro interno nisi post sententiam judicis. 5. Cum agitur de lege pœnali, & lex non satis se

explicat, benignius interpretanda est, & in sensu minus rigoroso accipienda, hinc in dubio pœna in jure statuta non est censenda, ipso jure imposita ante sententiam judicis.

CASUS XLI. Gerundius jamjam eligendus ad quoddam Beneficium erat, cum *Joannes*, ipsius inimicus, ex malitia daret aut promittit pecunias conferenti Beneficium pro *Gerundio*, hujus incio, ut tali modo ejus electio sciat simoniaca, & eo ipso reddatur indignus Beneficiò. An tenetur renuntiare Beneficio? Item positò, quòd Gerundius sciat simoniam *Joannis*, attamen se illi opponat, & nullo modo in eam consentiat, an tenetur dimittere Beneficium tali modò collatum?

R. Juxta *S. Thomam loco jam citatò* non tenetur. *Pontas.*

CASUS XLII. *Rollandus* pacificus possessor est jam per triennium Beneficii occultà simonià obtenti: potestne uti privilegio *triennalis possessionis*, & si illo uti non possit, & etiam dimittere teneatur Beneficium, an tenetur etiam ad restitutionem perceptorum fructuum Beneficii, cui per totum triennium sedulo inservit?

R. Quamvis *possessio triennalis* sub titulo colarato tollat omnes defectus, titulum reddentes illegitimum, juxta regulam *de triennali possessione*, excipitur tamen juxta eandem regulam casus Simonie, utpote criminis nimium detestabilis, quàm ut excusari aut tolerari possit. *Rollandus* igitur tenetur dimittere Beneficium, etiam si per plures annos illud possedisset, & insuper restituere perceptos fructus. *Pontas.*

CASUS XLIII. Si Episcopus sit simoniæ occultæ reus, eoquòd cuidam Parochiam contulerit pro summa 500. florenorum, debetne recurrere Romam, aut ad Metropolitanum pro absolutione à censuris, & dispensatione ab irregularitate vel potest absolvi & rehabilitari à suo Confessario?

R. Potest absolvi & rehabilitari à quocunque Confessario, quem ipsemet in hunc

hunc finem elegerit. *Gregorius IX. in cap. Ne pro dilatione. su. de penit. & remiss. lib. 5. tit. 38.* & juxta *Concilium Tridentinum sess. 2. c. 6. de reform.* Idem jus etiam habet absolvendi, & rehabilitandi suos Dicocefanos in tali casu, sive in propria persona, sive per alium Presbyterum, cui id commiserit.

CASUS XLIV. *Hubertus*, Diaconus, commisit simoniam, utpote intentionem habens 100. imperiales donandi pro obtinendo Beneficio: Verùm hæc simonia tantum est mentalis, & executioni non fuit data: an nihilominus subjacet pœnis in simoniacos latis?

R. Per simoniam purè mentalem non incurruntur pœnæ in simoniacos latae, reus tamen est coram Deo, in foro externo igitur *Hubertus* non subjacet pœnis, quæ incurrerentur, si ipsius crimen Ecclesiæ esset notum. *S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 6.* sufficit ergo si *Hubertus* coram Deo pœnitentiam agat de suo crimine.

CASUS XLV. *Evandrus* dedit 20. aureos *Bonaventurae* pro Capellania simplici: ast peractà pœnitentià de hoc crimine Romam obtinuit novam provisionem, & à censuris absolutus est. *Bonaventura* pari modo absolutionem obtinuit, & etiam *Evandro* dictos 20. aureos restituit. An uterque securus est in sua conscientia?

R. Censetur uterque non posse esse securus; restitutio enim viginti aureorum non defuisset fieri *Evandro*, sed Ecclesiæ, huic enim tales restitutiones fieri oportet, hinc si *Evandrus* negligat restituere hanc summam Ecclesiæ, *Bonaventura* eandem summam etiam Ecclesiæ restituere tenetur. *Pontas.*

NOTA. Vide dicta ad *Cas. 17.*

CASUS XLVI. *Bercorius*, Religiosus, oblatà suis Confratribus pecunià, emit eorum vota, ut Provincialis eligatur sui ordinis, quo etiam finem suum obtinuit; an igitur propterea ipso facto Excommunicationem incurrit, cum tamen Provincialatus non sit Beneficium?

R. Haud dubiè eam incurrit juxta *Constitutionem Pauli II. 1464.* Illius igitur electio ipso jure est nulla, & tenetur renuntiare suo officio.

CASUS XLVII. *Valerius*, Clericus tonsuratus annos 25. natus, sciens Regem in collatione Beneficiorum illos aliis præferre, qui ipsi à servitiis sunt, emit munus Eleemosynarii, aut primarii Capellani Regii hoc fine, ut successu temporis obtineat aliquam Abbatiam. An non duplicem commisit simoniam, nimirum *realem*, emendò munus Clericale, & etiam *mentalem*, dictum munus emendò hac intentione, ut suo tempore obtineat Beneficium?

R. Si munus Eleemosynarii consideretur secundum se abstrahendò ab intentione illud impetrantis, videtur, dici posse, illud emi posse, supposito quòd nihil spirituale annexum habeat: Verùm hoc ipsum suppositum difficultatibus obnoxium est. Eleemosynarii Regii prætendunt, se esse vicarios Eleemosynarii primarii. Quod autem attinet emptionem hujus muneris respectu *Valerii*, distinguendum est cum *S. Thoma quodlib. 8. q. 6. art. 11.* inter duas intentionum species, *principalem* nimirum, & *secundariam*; illi enim, qui emptione talis muneris principaliter intendunt suis servitiis obtinere Beneficium, sunt æquè simoniaci, ac Canonicus, qui solum ideo se Officio præsentem sistit, ut distributiones aquirat, & talis simonia à *S. Gregorio* & *S. Thoma* vocatur *munus ab obsequio*. Verùm si tali emptione principaliter intendatur, dignè exequi suum Officium, non fiunt rei emptione talis muneris, quamvis secundariò etiam intendant obtinere Beneficium. *Glossa in Can. Hoc ad nos dist. 57. in can. Consuluit &c.* His suppositis *Valerius* suam mentem examinet coram Deo 1. an emendò munus Eleemosynarii sciverit, se vi hujus muneris aquiraturum jus exercendi functiones spirituales, aut Ecclesiasticas? 2. an ipsius intentio principalis fuerit, tali ratione obtinere Beneficium. *Sainte Beuve tom. 2. casu 59.*

NOTA. Circa ejusmodi intentiones potest una esse primaria ordine appetitionis practica, altera affectionis solum speculativa.

CASUS XLVIII. *Theotimo* munus Capellani Regiæ empturo dicebatur; id sine simonia fieri non posse; *Theotimus* verò reponebat quærendo, an consuetudo antiqua & generalis talia officia emendi, quæ etiam ab aliis sine scrupulo practica-tur, non excuset à Simonia?

R. Capellani Regii tenentur Missam celebrare coram Rege & hoc vi sui officii, quod utique ex hoc ipsa causa munus Clericale dicendum est; & ideo à *Theotimo* pecuniâ emi absque simonia non potest. Idem dicendum de Clerico Capellani, qui debet esse Clericus tonsuratus, hinc etiam hujus munus Clericale dicendum. *Pontas.*

CASUS XLIX. *Theotimus* confitetur, se commississe simoniam emptione muneris Capellani Regii, & Confessarius ipsi dicit, eum incurrisse ipso jure Excommunicationem majorem, & propterea eum remittit pro absolutione obtinenda ad Episcopum. An Confessarius benè respondit?

R. Juxta *Sainte Beuve tom. 2. casu 53.* Excommunicatio ipso jure est solum de jure novo statuta tanquam poena pro Simonia comissa in ordine aut in Beneficio, non verò pro simonia alio modo comissa, ut in præsentis casu; hinc *Theotimus* non incurrit excommunicationem majorem ipso jure, nec ideo opus habet recursum ad Episcopum. Dein neque inhabilis propterea est ad hoc munus, quamvis simoniace obtentum, qualis tamen esset ad Beneficium, & exercitium ordinis, si illud vel illum simoniace acquisivisset, jus enim in tali casu, uti præsens est, nihil de inhabilitate dicit. Sufficit ergo si suo ordinario Confessario confiteatur peccatum emptione dicti muneris commissum, & de eo poenitentiam agat. Per hanc responsionem non intenditur exclusio censuræ ab *Urbano IV.* lata, quam reperire est in corpore juris in cap. *Lanc. 1. de simonia. lib. 5. extravag. comm.*

CASUS L. *Sylvester* recepit Presbyteratum oblatâ in hunc finem pecuniæ summâ, & hoc crimen confessus est, ac ab eo absolutus: potestne celebrare Missam?

R. Ut licitè possit Missam celebrare, haud sufficit confessio; per simoniam enim incurrit excommunicationem majorem, suspensionem & interdictum, ita declaravit *Paulus II. in Extravag. Cum detestabile 2. de simonia. l. 3. Extravag. tit. 12. Sylvester* igitur opus habet absolutione à censuris *Lib. 5. Decret. tit. 27.*

CASUS LI. Preses Conferentiarum Ecclesiasticarum Diocesis Rupellensis in prima conferentia proposuit hanc quæstionem: an Papa plenitudine suæ potestatis possit tollere omnem simoniam, ita ut licitum reddatur ipsius autoritate & dispensatione, quod aliàs fieri non posset absque simonia? Quid respondendum?

R. Omnes Theologi in eo conveniunt, Papam non posse omni suæ potestatis plenitudine tollere omnem simoniam, quia id, quod jure naturali & divino in puncto simoniæ illicitum est, licitum reddere non valet: hoc tamen jure gaudet circa simoniam, quæ est juris Ecclesiastici. Jus naturale & Divinum fundatur in justitia naturali, & voluntate Divina à nullo hominum mutanda, jus verò humanum Ecclesiasticum, aut civile solum fundatur in voluntate hominis legem ferentis, quæ utique mutationi obnoxia est. *S. Thomas 1. 2. q. 97. art. 3. in corp. & alibi.*

CASUS LII. *Nicasius*, & *Aegidius*, uterque Sacerdos, ambiunt officium Sacristiæ ejusdem Ecclesiæ Parochialis, cui tamen officio annexa est obligatio curæ infirmorum: tandem *Aegidius* cum *Nicasio* convenit hoc modo, quod ipsi vellet procurare hoc officium hac conditione, ut sibi modicam pensionis, aut reddituum portionem relinquat. Quæritur 1. an peccarint per ambitionem, & 2. an simoniæ sint rei?

R. Non potest licitè ambi Officeium, cui annexa est administratio Sacramentorum. Hinc *Nicasius* & *Aegidius* à peccato

to non sunt immunes. 2. Ipsorum conventio est simoniaca juxta *S. Thomam 2. 2. q. 100. art. 6. in corp.* 3. Propterea tamen non incurserunt ullam poenam Canonicam. *Pontas.*

CASUS LIII. *Sabinianus*, Parochus à *Sylvio* petenti, ut in Vicarium reciperetur, exegit 30. aureos. Numquid uterque simoniæ reus est?

R. Certè uterque simoniæ reus est. *Pontas.*

CASUS LIV. Capitulum quoddam suscepit & suo aggregavit collegio duos Clericos supernumerarios contractu publico, nimirum, ut quam primùm vacaverit locus in Capitulo, isti suo ordine succederent in præbendam vacantem, & de redditibus, emolumentis, & officiis participarent, hac tamen conditione; ut uterque in die suæ receptionis Canonicis solvat summam 100. flor. Quæritur jam 1. an iste contractus sit simoniacus? 2. an etiam simoniacus sit, si dicti 100. floreni pro augmento reddituum Ecclesiæ fuerint exacti? An Canonici dictos Clericos possint excludere à participatione omnium emolumentorum, reddituum, & officiorum suæ Ecclesiæ ratione conditionis ipsis propositæ, & ab illis acceptatæ? 4. Positò quod dictus contractus sit simoniacus, an ideo præbendæ Canonicorum sint subjectæ devolutioni? 5. An etiam Beneficia, quæ isti Canonici postea consequerentur, subjaceant præfatæ devolutioni? 6. An sæpius memorati Clerici à Capitulo expellendi sint, & eorum locus in Capitulo pro loco vacante habendus sit?

R. 1. Contractus, de quo in præsentis casu agitur, est simoniacus 2. Simoniacus etiam est, licet exacta pecunia data sit pro augmento reddituum Ecclesiæ; non enim licet vendere quid spirituale pro temporali sub quocunque prætextu. 3. Canonici dictos Clericos excludere possunt ab omnibus redditibus Ecclesiæ, cum non nisi supernumerarii sint. 4. Præbendæ Canonicorum non subjacent devolutioni, cum simonia non fuerit comissa in Beneficio. 5. Ob san-

Distion. Cas. Conf.

dem rationem, Beneficia, quæ Canonici postea consequerentur, non devolverentur ad Superiorem. 6. Duo Clerici expellendi sunt à Capitulo tanquam indigni, utpote recepti modò illegitimò, & contractu ipso jure nullo, propterea tamen non sunt inhabiles ad Beneficia postmodum obtinenda. *S. Beuve tom. 3. Casu 83.*

CASUS LV. *Fabianus*, Parochus, recipit pro administratione Sacramentorum pecunias. Peccatne, ut simoniæ sit reus? Peccatne etiam dantes pecuniam?

R. Juxta *S. Thomam in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 1. in corp.* absque simonia non potest accipi pecunia pro administratione Sacramentorum; administrator enim Sacramentorum non est dominus, sed minister, & gratia non est pretiò æstimabilis; hinc contra rationem gratiæ facit, qui Sacramenta gratiæ quasi venalia tractat. Verùm simoniæ reus non est, qui Sacramenta administrans pro sui sustentatione quidquam accipit, dummodo id, quod ex indultu Ecclesiæ & consuetudine introducta permillum est, non excedatur, ut idem *S. Doctor 2. 2. q. 100. art. 2. in corp.* docet. Hinc si *Fabianus* pro administratione Sacramentorum honorarium quoddam accipiat, non se reum facit simoniæ: Idem dicendum de honorario, quod pro Missis, offertur, ut idem docet *Angelicus Doctor in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. in quest. 1. ad 4. & 2. 2. q. 100. art. 2. ad 6.* Ex eadem ratione Parochus pro administrato Matrimonio potest licitè exigere quidquam à consuetudine introductum vel ab Episcopo præscriptum. *Pontas.*

CASUS LVI. *Jacobus* Parochus, rogatus, ut quemdam infantem baptizaret, renuit baptizare illum, nisi totidem pecuniæ sibi daretur, quot aliàs pro administrato baptismo exigit. An absque simonia dari potest, quod petit? & si hoc non licet, an in tali casu infans baptizari potest à quocunque Laico in præsentia Parochi?

FFFFF

R.

R. S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad 1. dieit; cum non liceat dare pecuniam pro administrando baptismo, in presenti casu idem agendum esse, ac si Parochus praesens non esset: hinc si baptizandus infans in periculo mortis versaretur, baptizandus esset à quocunque in praesentia Parochi: si verò dicto infanti non timeretur periculum mortis, recurrendum esset ad Superiorem.

NOTA. Parochi tenentur promptè administrare Sacramenta, quin anticipatò possint exigere consueta, primùm subsequenter pro eorum sustentatione contribui solita.

CASUS LVII. Riberius Presbyter, cui à Diocesano Episcopo commissum erat absolvere Fabium à censuris, ante absolutionem à Fabio exegit quamdam pecuniam summam. Esne simoniae reus?

R. Haud dubiè simoniae reus est, si hanc summam exegerit pro gratia absolutionis; si verò eam exegerit tanquam multam pecuniariam, ad quam Fabius tenetur ob suum peccatum, non commisit simoniam. *S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad 2.* Interim S. Doctor hanc praxin non esse approbandam docet.

CASUS LVIII. Polichronius Episcopus, à suis Diocesanis pro qualibet dispensatione, quam eis concedit, exigit imperialem, quandoque etiam plus. Potèstne id facere absque simonia?

R. Absque simonia non potest pro concessione dispensationis aliquid exigere *Cassut. l. 5. c. 6. n. 6.* Concilium Tridentinum prohibet Episcopis aliquid recipere pro dispensationibus. Interim dictum Concilium non prohibet quidquam exigere pro dispensationibus, si id applicetur in utilitatem Ecclesiae, vel erogetur pauperibus. *Concilium Tridentinum sess. 25. c. 18.*

NOTA. Hic modus loquendi: exigi aliquid pro dispensationibus, est scandalosus: dicendum potius, exigi solutionem Taxae pro sustentatione Ministrorum & tribunalium. Ponere autem Taxam invitis pro subsidio pauperum vel Ecclesiae nec decet nec licet. Mos iste, ubicunque viget, est prorsus abolendus. Neque enim actus ordi-

nis, vel jurisdictionis Ecclesiasticae ultra sustentationis congruae subsidia sub tributo poni decet:

CASUS LIX. Sanctius, Doctor Theologiae ab Episcopo ad examinandos Clericos ad Parochias aspirantes constitutus, saepè recepit ab examinatis imperialem in compensationem temporis & laboris à se impensam. An reus est simoniae?

R. Absque simonia nec ante neque etiam post examen istam pecuniam recipere potuit: & juxta Concilium Tridentinum commisit simoniam realem. *Pontas.*

NOTA. Episcopus habens pingues redditus tenetur ex suis redditibus constituere sufficientis numeri idoneos ministros. Vae illis in iudicio Dei, qui redditus Episcopales in usus profanos influunt, & Ministris congrua Salaria non praebent, sicque eos ad quaerendas ejusmodi sortidas sportulas cogunt.

CASUS LX. Eustratius, Presbyter, calicem habens, cujus pretium est 105. florenis, & hunc vendidit Hieronymo pro 115. florenis, quia consecratus est, & si consecratus non esset, Hieronymus iter decem leucarum suscipere deberet, ut consecrationem ejus procuraret. Daturne simonia?

R. *Eustratius* commisit simoniam realem jure divino prohibitam. *S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 3. ad 1.*

CASUS LXI. Calippus obtenturus Reliquarium argenteum Sanctorum reliquis refertum, quod Nutellus possidet, dedit ei pro illo duos aureos. An haec venditio simoniaca est?

R. De hac venditione idem dicendum, quod prius dictum est de venditione sacrorum vasorum: absque simonia pro talibus rebus non potest recipi aut donari nisi justum pretium ipsius materiae. Interim tamen doctores in eo generaliter conveniunt, quòd nimirum liceat emere reliquias ab haeticis vel Ethnicis, ut eorum manibus infidelium eripiantur. *Pontas.*

CASUS LXII. Germana recepta in Monasterium valde opulentum debuit pro expensis in Novitiatu factis solvere dicto

Monasterio 115. florenos. An non intervenit simonia?

R. Non intervenit simonia; Novitius enim aut Novitia non habet jus exigendi sustentationem suam expensis Monasterii, etiamsi divitis, praestandam. Concilium Tridentinum dum prohibet ante Professionem aliquid recipere, excipit expensas pro Novitiatu factas. *sess. 25. de Regular. & Monial. c. 18.*

CASUS LXIII. Auberga susceptionem in Monasterium Ordinis S. Bernardini petens recepta est à Superiorissa & tota Communitate, quae tamen cum ipsius Patre istum inière contractum: 1. Ut ultra pensionem 150. florenorum pro Novitiatu teneatur Pater etiam solvere Medicum, & medicamenta, si forsan durante Novitiatu ægrotaret filia. 2. Si tempore Novitiatus ipsius filia moreretur, alios 150. florenos solvat Pater pro expensis in infirmitate filiae factis, & pro funeralibus. An hic contractus simoniacus est?

R. Iste contractus absolutè immunis est à Simonia, cum in nullo puncto respiciat receptionem *Aubergae* ad professionem solennem in Religione. *De Ste Beuve T. 1. C. 50.*

CASUS LXIV. Petronilla aspirans ad Monasterium valde opulentum obtulit Superiorissae omnia sua bona, nimirum fundum, cujus annui redditus sunt 500. floreni, & consensu unanimi recepta est in Monasterium, & finito Novitiatu admissa est ad Professionem solennem. An intervenit in hoc casu simonia?

R. Si intentio *Petronillae*, & eam recipientium pura, justa & recta sit, non intervenit simonia; Ecclesia enim nunquam prohibuit Monasteriis accipere quidquam voluntariè oblatum ab iis, qui Monasteria ingredi cogitant. *Idem ibidem casu 53.* Verum personae, qui tales donationes faciunt, non possunt stipulari, ut oblationes à se factae sequantur professionem in alium forsan conventum post Professionem mittendam. *Pontas.*

CASUS LXV. Euprepia, Novitia, ad Professionem non est admissa, nisi pro-

missa summam 100. imperialium, quam etiam solvit. An commisit simoniam?

R. Juxta *S. Thomam in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 2. ad 7.* si Monasterium non habeat sufficientes opes ad sustentandas plures professas, tunc potest exigi ab eis aliqua pecunia, non ratione professionis, sed ut habeat Monasterium, unde eas sustentare possit. Hoc supposito *Euprepia* simonia rea erit, si Monasterium aliunde sufficientia bona possideat ad sustentandas plures professas, & tamen exactos à se 500. florenos solverit. *Concil. Lat. sub Innocent. III. c. 64. in cap. Quoniam de simonia &c.* Observandum etiam in hac materia; quòd omnes Superiorissae Monasteriorum Monialium exemptorum five non exemptorum teneantur determinare numerum Monialium juxta proportionem reddituum, & eleemosynarum, ita constituit Concilium *Arelatense* anno 813. & alia Concilia. 2. Ut tutius judicari possit, an Monasterium sit pauper vel dives, deducendae sunt expensae superfluae in aedificia commoditatis gratia exstructa, in esculenta, & dapibus nimis delicatas, in ornamenta domus, & Ecclesiae nimis sumptuosa factae; & si his deductis expensis sufficientes adessent opes ad sustentandas novas professas, certè Monasterium satis dives dici posset; & propterea puella ad Professionem esset admittenda, quamvis nec aliquam dotem aut pensionem offerret. Verum si etiam deductis dictis expensis non adsint sufficientes opes ad sustentandam novam professam, ac etiam determinatus numerus Monialium sit completus, tunc Superiorissa minimè tenetur recipere Supernumerariam, sed potest illi etiam inconsulta Communitate dare repulsam, nisi afferat sufficientem pensionem vitalitiam, ne Monasterio sit oneri: *Dicitur pensionem vitalitiam*, nam si exigeretur pensio perpetua, aut nimis magna, tunc interveniret Simonia. *S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4.* Ut verò tutà conscientia quantitas pensionis determinetur, inspiciendae sunt rationes praeteritorum an-

norum, id est, expensæ annis præteritis in quamlibet Monialium decenter sustentandam factæ. *Pontas.*

CASUS LXVI. *Dionysius* dedit 1000. imperiales, qui ab eo exigebantur, ut ad Professionem admitteretur in quodam Monasterio sufficientibus redditibus vti foundationis prædito, cuius tamen varia ædificia valdè reparatione indigebant, ad quam faciendam dicta summa destinata erat: *Dionysius* igitur bona fide agens ab omni peccato se immunem esse credidit, præsertim cum sciret, neminem in dictum Monasterium admitti, nisi secum dotem aliquam afferret, & etiam in aliis Monasteriis talem esse praxin. An simoniæ reus est non obstante etiam bona ipsius fide?

R. *Dionysium* sua bona fides, quæ in consuetudine hujus & aliorum Monasteriorum, & necessitate faciendæ ædificiorum reparationis nitetur, excusat à peccato mortali, consequenter etiam ab Excommunicatione majori. *Concilium Meldense annò 845. in Can. Nemo 42. tit. ii q. 3. Vide Casum Theotimus.*

NOTA. Ingens discrimen faciendum est inter monasteria Ordinum Clericalium pro directione animarum in parochiis, Seminariis, Cathedralis, Professoris, Missionibus Confessionalibus &c. fundatorum, & inter monasteria religiosorum maxima parte sibi solis & Deo vacantium. Peccant mortaliter, qui in Monasterio, vel Ordine Clericali intuitu emolumentis temporalis dant votum Novitio ad functiones Clericales parum habili præeminenter aptiore.

CASUS LXVII. *Domitilla*, Novitia, ante Professionem, rogabat Patrem, ut de sua dote cum Monialibus tractet: Pater aliquam pecuniæ summam obtulit Monialibus, quæ tamen cum illum opulentum esse virum nõssent, & eum maximè desiderare, ut filia Monialis fiat, scirent, non solum oblatam summam non acceptarunt, sed etiam duplo majorem, quam alias exigi solebat, exigunt dotem. Pater *Domitillæ* perbenè scit dictas Moniales incursum simoniam, si, quod exigunt, illis daret, an igitur ipsemet sese reum face-

ret simoniæ, si nihilominus exactam daret summam?

R. Sacri Canones simoniæ in Religionem ingressum prohibentes tam dantes quam accipientes pecuniam simoniæ reos declarant, cuius etiam ambo coram Deo rei sunt. Hinc patet, Patrem unum cum Monialibus, si dictam summam daret, fore simoniæ reum. *Ste Beuve tom. 1. casu 50. & 205.*

CASUS LXVIII. *Ambrosius* plurimum valens apud *Gustavum* primum Aulæ Ministrum, magna apud Regem auctoritate pollentem, rogat eum, ut suæ filię receptionem in Monasterium, aut filio suo Abbatiam, ad quam nominandi jure Rex gaudet, procurare vellet, ipsique simul indirectè innuit, se ipsi donaturum quamdam imaginem 200. aureis æstimatam, quam cupidè appetit. *Gustavus* votis *Ambrosii* satisfecit, & dictam obtinuit imaginem. An tutà conscientia imaginem acceptare potuit *Gustavus*? & si non potuit, teneturne eam restituere *Ambrosio*?

R. Censetur utrumque tali agendi ratione commississe simoniam; videtur enim intervenisse inter illos aliquod saltem tacitum pactum. Hinc *Gustavus* tenetur restituere imaginem, vel justum illius pretium non *Ambrosio*, qui ob simoniam eo indignus est, sed Ecclesiæ vel pauperibus juxta *S. Thomam 2. 2. q. 100. art. 6. ad 1.* Observandum, quatuor committi posse modis simoniam. 1. A Collatore Beneficii, & illo cui illud confertur, si nimirum collatori dat pecuniam aut aliud æquivalens, ut per hoc ab eo obtineat Beneficium. 2. Quando collator recipit pecuniam aut aliud tempore pro Beneficio non quidem ab eo, cui confert Beneficium, sed ab aliquo tertio, & quidem inscio illo, cui contulit Beneficium. 3. Simoniam committit solus impetrans Beneficium, si inscio collatore dedit alicui tertio pecuniam aut aliam rem, qui tertius Beneficium à Collatore procuravit alteri. 4. Quando amicus aut cognatus impetrantis Beneficium dedit

didit pecuniam aut aliud donum amico collatoris. *Pontas.*

NOTA. Cum intercessio Ministri ad Regem se habeat per modum preceationis pauperum ad Deum, non videtur, Ambrosium esse Simoniarum reum. Vide Casum sequentem 69.

CASUS LXIX. *Justina* habens actionem in judicio, cum tempus ferendæ sententiæ instaret, quibusdam pauperibus, in quorum pietate confidebat, erogavit elemosynas hac conditione, ut Deum quotidie pro felici successu suæ actionis precetur. An in hoc casu aliqua datur species simoniæ?

R. Certum est juxta *S. Thomam in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. q. 2. ad 9.* Cum oratio sit quidquam spirituale, eam pretio pecuniæ nec emi nec vendi posse: nihilominus tamen potest aliquis elargiri elemosynam alicui alteri, ut ejus particeps fiat orationis; elemosyna enim, quæ datur pauperibus, non ideo datur, ut oratio quasi ematur, sed ut animus pauperum provocetur, ut gratis, & libentius orent pro elargiente elemosynam. *Pontas.*

CASUS LXX. *Baldwinus*, judex Regius, convenit de quadam pecuniæ summa, eamque recipit pro ferenda sententiæ: An reus est Simoniarum? An etiam idem dicendum de teste, qui pro suo deponendo testimonio pecuniam recipit, aut de Advocato pro defensione causæ, & dato consilio pecuniam exigente?

R. Judex tenetur ex Officio iudicium ferre, & reddere justitiam, cui illa debetur; hinc *Baldwinus*, si judex est in spiritualibus, absque simonia non potuit vendere suum iudicium. 2. Testis tenetur in conscientia deponere testimonium, si ad id judicialiter est requisitus, quapropter simoniæ reus est, si in spiritualibus testimonium suum vendat: 3. Advocatus non tenetur gratis patrocinium suum causæ præstare, aut dare consilium. *S. Thomas in 4. dist. 25. q. 3. a. 2. q. 2. ad 9.* juxta eundem S. Doctorem potest tamen testis justè aliquid exigere non quasi pre-

tium testimonii, sed quasi stipendium laboris &c. 2. 2. q. 72. art. 4. ad 3.

CASUS LXXI. Quidam Nobilis rusticum quemdam urgebat, ut fundum suum conduceret, additò promissò, filium ipsius spem habiturum obtinendi Beneficii, si pretium conductionis, quod petit, solvat.

R. Uterque simoniæ reus est. *Fromageau.*

CASUS LXXII. Canonicatus vacans in quadam Cathedrali Ecclesia promissus est cuidam hac conditione; ut duas Capellanas, quas habet, resignaret alii, qui, cum sit graduatus, jus haberet ad dictum Canonicatum.

R. Ista conditio simoniaca est; interim nominatus ad hunc Canonicatum potest eum retinere, si, dum ejus possessionem sumpsit, conditionem præfatam ignoravit; duas tamen suas Capellanas non debet dimittere, hoc enim idem esset, ac factam conventionem approbare. *Fromageau.*

CASUS LXXIII. Capitulum ejusdem Cathedralis Ecclesiæ è triginta Canonicis constans gaudet jure præsentandi ad totidem Parochias, quot sunt Canonici, ita, ut quælibet præbenda annexam habeat Parochiam, quæ, si vacans fuerit, erit Canonici, cuius præbendæ annexa fuit, & si eam resignare voluerit, poterit sibi, tanquam titularis, quamdam pensionem reservare: Durante hac consuetudine factum est, ut moreretur quidam possessor ejusdem harum Parochiarum absque prævia resignatione; hinc quædam privata persona vacantem Parochiam pro suo filio expetebat à Canonico, cuius præbendæ dicta Parochia annexa erat; Canonicus etiam illam ipsi daturum se promissit, postquam tamen ipsemet eam per unum annum possederit: elapsò itaque annò Canonicus pro suæ Parochiæ resignatione petit, sibi procurari Beneficium, cuius redditus sint 60. imperiales ab omni onere liberi, & insuper exigit pensionem annuam 150. florenorum ex resignata Pa-

rochia, cujus redditus aestimabat pro 600. florenis, cum tamen 375. florenorum summam haud excederent. Cum vero filius praefatae personae privatae Beneficium simplex non haberet, Pater ipse ex propriis bonis Praestimonium fundare cogitabat, & jus praesentandi ad illud relinquere Capitulo ita tamen, ut illud conferatur illi, cui conferetur praedicta vacans Parochia, sicque permutatio fieri possit. Ast cum praememoratus filius aetatem requisitam ad Presbyteratum non habeat, ipsius Pater dispensationem procurare promisit, Canonicus vero timens, eam ante finem anni obtineri posse, in hoc consensum non dedit. Interim tamen Pater & filius & ipsorum consanguinei declararunt, se nec simoniam Confidentialem, nec contractum illicitum intendere, & sic totum negotium ob defectum aetatis abruptum est. Haec cum se ita haberent, quidam Parochus Urbis, licet nec cognatus, neque etiam amicus praedictae privatae personae esset, dolebat tamen sortem Juvenis ejus filii; hinc statuit suam Parochiam permutare cum dicto praestimonio,posito quod Capitulum id sibi conferat, a quo etiam illud obtinuit. Verum ante permutationem incolae vacantis Parochiae litterem tenderunt Canonico ratione sylvae ad Parochiam pertinentis, & a dicto Canonico deterioratae, qui tamen sua auctoritate cessationem litis se effecturum promisit, & claris verbis declaravit, se non nisi sub hac conditione contractum hunc initurum. Cum igitur Parochus urbis titularis ad vacantem Parochiam esset, filius privatae personae interea recepit ordines Sub-Diaconatus, & Diaconatus, Canonicus vero prorsus de nullo amplius curavit, contentus, quod vocantem Parochiam suam ille, cui eam resignavit, pro se retineat, aut noviter ordinato juveni cedat. Antequam autem haec fierent, Pater dicti juvenis famulis domesticis Canonici promisit pecuniam ob ipsorum laborem, & hanc eis dedit, postquam suus filius factus est pacificus

possessor Parochiae. Postquam igitur dictus juvenis Presbyteratum recepit, quaesitum est ex eo, qui Parochiam a Canonico accepit, an non vellet resignare, & mox resignavit eam sub iisdem conditionibus, sub quibus ipse illam obtinuit, absque tamen alia privata stipulatione: notandum vero, quod Pater dicti juvenis omnes in hoc negotium factas expensas in se susceperit. Elapsò quinquenniò juvenis Parochus scrupulis agitatus quemdam consuluit virum de hoc negotio, a quo etiam responsum est. 1. Parochum Urbis commississe simoniam confidentialem reservatam Episcopo; & ipsius Patrem pariter simoniae reum esse,posito quod sciverit, contractum ante requisitam ad Presbyteratum aetatem filii ininitum esse illicitum. 2. Nec ipsum neque illius Patrem teneri ad restitutionem. 3. Canonicum incurrisse simoniam, quia separavit Beneficium a Parochia, ad quam jus praesentandi habebat, & quam ipse providere nunquam in animo habebat, cum ipse jam sit provisor Beneficio curato. Post intervallum octo annorum cum juvenis Parochus in periculo mortis constitueretur, resignavit Parochiam suam fratri suo sine omni reservatione, cum in animo haberet, eam, si sanitati restitueretur, iterum repetendi, & hoc etiam factam post novem circiter annos, quo tempore pensio semper soluta est: juvenis Parochus igitur illam mox reluit, quin tamen propterea Romam recurreret, utpote ignorans, se ad talem recursum teneri.

R. Contractus ininitus inter Canonicum, Patrem juvenis Parochi, & Parochum Urbis simoniacus est, & Canonicus & Parochus urbis incurrerunt poenas in simoniae confidentialis reos latas: Pater vero dicti juvenis Parochi haud immunis ab Excommunicatione censendus est. 2. Titulus juvenis Parochi nullus est; cum tamen Parochiam bona fide possederit, non tenetur ad restitutionem fructuum Parochiae perceptorum, nisi quoad eos, equibus ditior factus est; tenebatur attamen recur-

recurrere Romam, & factò sincerè expostò petere novam provisionem, & licentiam percipiendi fructus Beneficii. *De Lamet.*

CASUS LXXIV. Possuntne fieri fundationes conditionatae?

R. Ecclesiastico jure rejiciuntur tanquam simoniaca, hinc etiam licitae non sunt. *De Lamet.*

NOTA. Si in conditionem veniat pactio Curae animarum Episcopalis, vel parochialis, vel pastoralis, rectè rejicitur tanquam Simoniaca jure divino. Si autem pactio versetur circa beneficium simplex, Simonia est tantum Juris Ecclesiastici, dispensabilis ab Episcopis ultramontanis. Vide *Casum 25.*

CASUS LXXV. Quidam Praelatus provisor est Abbatia, in qua Ecclesia, clausura, & dormitorium erat, potestne hanc Abbatiam commutare in Monasterium Monialium sub hac conditione, ut dent decimas fructuum fundi, & cum consensu Regis contractum ineant, quo se obligent, quod fundum, quem possident, velint permutare pro 500. florenorum centu?

R. Haec conditiones contractum reddunt illicitum. *De Lamet.*

CASUS LXXVI. Parochus sciebat, Collatorem, a quo Beneficium obtinuit, habuisse intensionem, conferendò ipsi Beneficium obtinendi aliquod donum: an dictus Parochus absque simonia Collatori indirectè innuere potuit, id se facturum?

R. Non potuit id facere, &, si intentio haec collatoris primùm post collatum Beneficium ipsi innotuit, nec tunc aliquod, etiam minimum, donum ipsi offerre potuit, nisi particeps fieri voluerit simoniae? *Fromageau.*

CASUS LXXVII. Quidam fundavit Capellaniam, aut saltem ad ipsius fundationem aliquid contribuit hac conditione, ut omnium primus titularis sit ad eam. Estne simoniae reus?

R. Est Simoniae reus, & poenas incurrit in simoniacos latas. *Fromageau.*

NOTA. Vide *Casum 74.*

CASUS LXXVIII. Potestne tutà conscientia ambiri dignitas Ecclesiastica, cui annexa est aliqua potestas temporalis Autocratica?

R. Non potest ambiri talis Dignitas, licet dundaxat ambiatur respectu Dignitatis temporalis Autocraticae: simoniae esset emere vota electorum paratà pecunià, aut illis promittere pensiones, Beneficia, aut aliud quoddam commodum temporale. *Fromageau.*

CASUS LXXIX. Petrus, Religiosus cujusdam Monasterii, cui plura annexa sunt Beneficia, quae Religiosis Presbyteratùs conferri solebant, promisit, se soluturum debita, quae quoddam horum Beneficiorum premebatur, hac conditione, ut sibi illud conferatur.

R. Haec promissio simoniaca est. *De Lamet.*

CASUS LXXX. Quoddam Capitulum verbis expressis promisit, se inter Ecclesiae suae Habitatos seu Privilegiatos recepturum eos, qui 100. imperiales ad Ecclesiam restaurandam contribuerint.

R. Haec promissio simoniaca est, hinc etiam illi, qui petitam summam, ut Habitati fierent, dederunt, simoniae rei sunt. *De Lamet.*

CASUS LXXXI. Quidam Parochus, permutaturus suum Beneficium cum alterius Parochi Beneficio, suspicionem quamdam habet, an dictus Parochus non emerit Beneficium, de quo convictus tamen non est. An tutà conscientia permutare potest?

R. Jussu Episcopi haec permutatio fieri potest, instituenda tamen est in Curia Romana cum declaratione (uspicionis de simonia, & insuper obtinenda est provisio, cui inserta est haec clausula: Quovis modo vacet. *Fromageau.*

CASUS LXXXII. Seminarium quoddam cum Ecclesiam non haberet, a Capitulo ejusdem loci aliquam Ecclesiam, qua illud Capitulum opus haud habet, cogitat

gitat emere. An talis emptio fieri potest?

R. Licita est talis emptio, & venditio, si finis emptionis est cultus Divinus, & celebratio sacrorum Mysteriorum in tali Ecclesia, & insuper auctoritas Superioris intervenit. Cavendum tamen, ne pretium Ecclesie majus statuatur, quam ejus valor est. *Fromageau.*

NOTA. Valorem Ecclesia non habet nisi quoad materialia applicabilia & vendibilia in commercio humano ad usus profanos. Cum ergo materialia Ecclesie veteris à Benefactoribus structæ ante eorum execrationem eam venalitate in commercio humano non habeant, vendi non possunt absque turpitudine reducibili ad quandam speciem Simonie.

CASUS LXXXIII. Confanguineus Fundatoris cujusdam Capellanie cogitat augere redditus hujus Capellanie hac conditione, ut illi, qui ad eam nominandi jus habent, Patronatum Capellanie sibi cedant.

R. Conventio isthæc simoniaca est. Episcopus tamen ipsi concedere potest id, quod petit; pro majori vero securitate recursus ad summum Pontificem suadetur, cui exactè explicandæ erunt omnes circumstantiæ. *Fromageau.*

CASUS LXXXIV. Resignatur Beneficium, cum reservatione pensionis, quæ tamen ex resignato Beneficio non percipitur.

R. Isthæc resignatio simoniaca est. *De Lamet.*

CASUS LXXXV. Quidam resignavit simoniacè; conditiones resignationis vero Romæ non fuerunt acceptatæ.

R. Resignans non incurrit excommunicationem. *Fromageau.*

CASUS LXXXVI. Quoddam Capitulum retinet partem reddituum Beneficiorum, ad quæ jus nominandi habet.

R. Tutâ conscientiam non potest id facere, nec etiam potest obligare Parochus ad canendas Canonieorum locò horas Canonicas, hinc qui sub tali conditione conferunt, vel acceptant Beneficia, incurrunt

pœnas contra simoniacos in jure latas. *Fromageau.*

NOTA. Si talia beneficia fuerunt olim incorporata Capitulo jam ante leges de Simonia juris Ecclesiastici, cum assensu Episcopi possunt pensiones ab immemoriali tempore consuetæ continuari titulo reservationis. Vide *Casum* 28.

CASUS LXXXVII. Quidam Clericus per sex annos Instructorem egit filiorum cujusdam nobilis eo animo, ut in recompensationem Beneficium obtineat.

R. Coram Deo simonie reus est, & tenetur aut dimittere Beneficium, aut procurare novam provisionem, & absolutionem à censuris, quas incurrit. *Fromageau.*

NOTA. Hoc verum est, si competens Salarium non accepit. Si autem hoc accepit, non est reus Simonie ob concomitantem spem beneficii ex proprio notitia Patroni de suis talentis.

CASUS LXXXVIII. Quidam resignavit suum Beneficium hac conditione, ut resignatarius possessionem Beneficii non capiat, nisi ad certum tempus, dum interea ipse redditibus resignati Beneficii frui cogitat.

R. Hæc conditio simoniaca est. *Fromageau.*

CASUS LXXXIX. Quidam Abbas reditus suæ Abbatiæ locavit suo Patri. An id licet?

R. Si finis locationis fuerit, ut Pater exinde lucrum percipiat, locatio isthæc simoniaca erit; Abbas enim nec partem reddituum sui Beneficii donare potest alicui confanguineorum suorum, nec etiam pensionem ad dies vitæ statuere. Verum si Pater dudum factam locationem solvere nolit, reverentiæ filialis gratiâ Abbas potest se non opponere; interim tamen locationem renovare ipsi haud licet. *Fromageau.*

CASUS XC. Quidam resignatarius à resignante obtinuit mediante quadam pecuniæ summâ licentiam capiendi possessionem Beneficii.

R. Simonie reus est. Solus Papa resignationem cum clausula, retentis fructibus,

bus, factam confirmare potest. *Fromageau.*

CASUS XCI. In permutatione cujusdam Beneficii sub prætextu reparationis factæ stipulatio cujusdam pecuniæ summæ facta est.

R. Talis permutatio est simoniaca; simoniaca pariter est permutatio, si compermutanti promittitur Beneficium aliud nondum vacans: Item simoniaca est permutatio, si promittitur pecunia, & hæc ab eo, qui eam accepit, restitui debet. Denique Abbas, qui prædecessorem suum neglexit monere, ut reparationes necessarias pro ratu temporis possessionis suæ faciendas faciat, ipse è propriis eas facere tenetur. *De Lamet.*

NOTA. Hæc Simonia tantum est juris Ecclesiastici, & ideo dispensabilis per Episcopos Italis Ultramontanos. Vide *Casum* 16.

CASUS XCII. Facta est resignatio Beneficii cum reservatione pensionis addito pacto expresso, aut tacito, ut hæc pensio ante aditionem Beneficii redimi possit.

R. Isthæc resignatio simoniaca est: illi, qui vi talis pacti obtinuerunt Canonatum, notabili tamen autoritate nitantur, qua nixi, id absque simonia fieri posse, credunt, tenentur restituere fructus nondum consumptos, & pro nova provisione ad Episcopum recurrere. Ast si eorum ignorantia voluntaria fuerit, agendum est cum eis tanquam cum veris simoniacis. *De Lamet.*

CASUS XCIII. Quidam Parochus ob temporale fratris sui bonum revocavit resignationem Parochie factam à se in favorem cujusdam suorum nepotum.

R. Non potuit revocare, nec nepos, ut resignatum sibi Beneficium certius obtineret, quidquam pecuniæ promittere potuit absque simonia. Quicumque talis transactionis participes fuerunt, pœnarum in simoniacos latorum rei sunt. Denique ille, qui nepotem ad talem promissionem adegit, injustitiæ & criminose vexationis reus est. *De Lamet.*

Distion. Cas. Conf.

CASUS XCIV. Parochus quidam cum quodam Laico convenit de resignatione suæ Parochie in favorem filii dicti laici, sub hac conditione, ut solvat 50. florenos pro ædificio in domo Parochiali exstructo.

R. Parochus simonie reus est, & etiam laicus, si dictam persolvat summam, nec eum ignorantia excusat: filius, si conditionis hujus conscius visam ab Episcopo petiit, pariter simonie reus est. Resignans & resignatarius in præsentem casum incapaces sunt Beneficiorum, nisi rehabilitari se procurent Romæ. *De Lamet.*

NOTA. Hæc Simonia est juris Ecclesiastici, & dispensari potest per Episcopos Ultramontanos. Vide *Casum* 16. & 91.

CASUS XCV. Quidam Beneficii titulo gaudens in articulo mortis constitutus ab alio sollicitatur pro Beneficio ipsius obtinendo.

R. Hoc non licet, multò minus licet promittere quidquam illi, qui Beneficium procurabit alii, quem quis proponit, etiamsi sit subjectum idoneum. Beneficio, quod tantum requirit, ille potissimum dignus censendus est, qui ob perfectam tantum scientiam majorem utilitatem conferet Ecclesie, in qua tale Beneficium vacat.

CASUS XCVI. Quidam Clericus provisus est Beneficio per resignationem alterius, qui ad illud jus non habebat, cum id per fraudem & simoniacè obtinuerit. An iste Clericus titularis est?

R. Non est titularis, nisi provisioni Romæ obtentæ clausula, *quovis modo vacet*, inserta sit. Restituendum est Beneficium illi, qui ad illud à Collatore nominatus fuit, dummodo pravis artibus non fuerit obtentum. Si nemo ad illud jus habet, tunc actualis ejus possessor potest illud resignare subjecto digno. *De Lamet.*

CASUS XCVII. Quidam Parochus vendit Sacramenta, & sepulturam.

R. Reus est simonie, contentus sit eo, quod constitutionibus diocesanis taxatum est. 2. Peccat avaritiæ crimine, si primum post ultimam Missam corpora defun-

G g g g g

torum

atorum efferat ideo, ne luminaria tam longo tempore accensa maneant aut si pro Attestato exigat 30. crucigeros, cum aliis in locis solum 15. aut 20. exigantur. Confessarius dicti Parochi debet ipsi denegare absolutionem, nisi ejusmodi injustas exactiones restituat. *De Lamet.*

NOTA. Hæc dependent à consuetudine locorum, quæ circa ejusmodi minutias in genere morum adiphoras sub gravi per se non obligat.

CASUS XCVIII. Quidam Clericus, ut possidere possit quoddam Beneficium regulare, ingreditur ordinem Benedictinorum, & promisit Monasterio, se nihil omnino unquam pro sua sustentatione petiturum.

R. Reus est simoniæ. *Fromageau.*

CASUS XCIX. In quadam permutatione beneficii agebatur de certis quibusdam conditionibus.

R. Quælibet permutatio, quæ aliquam conditionem adjunctam habet, simoniam continet vel juris Ecclesiastici, vel juris Divini, & juris quidem Divini, cum in permutatione exigitur aliquod commodum temporale, ita, ut sine illo permutatio haud fieret. *De Lamet.*

CASUS C. Quidam Presbyter jam à duobus Con-Patronis promissum præsentationis suæ ad Parochiam oretenus obtinuit, verum ut & tertium lucraretur pro sui præsentatione, & tali modo sui nominatio ad Beneficium famosior fieret, donis egit. An tali modò Votum tertii Con-Patroni licitè acquirere potuit.

R. Non potuit, quia de ipso dici potest, eum dedisse quidquam temporale pro re purè spirituali, quod semper simoniacum est. Motivum, quod habuit, certè illum non excusat; nam licet duo Con-Patroni ipsi sua vota promiserint, posset tamen fieri, ut unus horum animus mutet; hinc dum tertii votum donis acquirere studet, sui nominationem ad Parochiam certam reddidit, quod absque simonia fieri minimè potest. *Suarez. Bonacina.*

CASUS CI. Durante vacatione Beneficii cujusdam quidam Presbyter amicum suum, qui jus Patronatus ad dictum Beneficium habet, multis, mirisque modis sibi devincire studuit, ut se tali modo magis habilem exhibeat. Estne simoniæ reus?

R. Aut precisè intendit laudem suæ habilitatis, aut per hanc laudem intendit sui nominationem ad Beneficium? Si primum, juxta Doctorum sententiam non est simoniæ reus, quia talis laus de se est res temporalis. Ast si secundum; tunc juxta eorundem Doctorum opinionem simoniæ reus se fecit, quia laudem querere ea intentione, ut nominetur ad Beneficium, non amplius res est precisè temporalis, sed potius spiritualis. *Annuletus lib. 5. Decret. tit. 3. §. 7.*

NOTA. In dubio præsumendum, quod peccato caret, videlicet intentio ingenerandi clariorem notitiam de suo talento.

CASUS CII. Quidam Parochus, qui pingue Beneficium possidet, doctrinam Catechetica solum eos infantes imbuere solet, à quorum parentibus singulis mensibus munuscula offeruntur. Estne simoniæ reus?

R. Si aliqua conventio intervenit inter Parochum & Parentes, simoniæ reus est, quia munuscula tanquam pretium rei spiritualis accipit: si verò nullum adest pactum, tunc nec datur simonia.

SIMONIA CONFIDENTIALIS.

1. *Simonia Confidentialis* in eo sensu, quo hic sumitur, est Conventio expressa aut tacita inter duos Clericos inita, vi cujus unus Beneficii titulum recipit, ut in alium, de quo pacti sunt, transferat, vel illi, aut sibi met ipsi fructus Beneficii vel in totum, vel ex parte reservat.

2. Qui sic recipit Beneficium, *ipso facto* est excommunicatus, & collatio ei facta nulla est *ipso jure*. Tenetur insuper restituere omnes fructus perceptos, quando talis conventio est *ex utraque parte* completa;

pleta; & quamvis non sit completa ex utraque parte, provisio tamen nulla est, & collatio pertinet ad Papam, exceptò Gallia Regnò, in quo Confidentialarii possunt renunciare Beneficio in manus Ordinarii, qui illud postmodum confert, cui libuisset; modò renunciatio fiat, antequam quis privetur Beneficiò per sententiam Judicis.

3. Qui acceptat Beneficium per Simoniam Confidentialem, etiam privatur aliis Beneficiis, quæ possidebat antea in iis Regionibus, in quibus recepta est Bulla Pii V. Pariter & Mediatores ejusmodi conventionis Simoniacæ excommunicationem incurunt. Juxta Extravag. *Cum detestabile*.

4. Non potest præscribi contra Simoniam confidentialem per triennem possessionem Beneficii: si tamen ea fuisset commissà per tertium insciò Titulari, is potest post triennium pacificæ possessionis retinere Beneficium, si primum post lapsum triennii in ejusdem notitiam devenit. Plura hac de re vide in Titulo *Simonia*.

CASUS I. *Euremundus*, Nobilis, volens suo filio Titio procurare Præbendam in Ecclesia Cathedrali, eam ab Episcopo petit pro Manlio; huic tamen insinuat, sibi gratum fore, si eam post sex menses resignaret suo filio, tunc habituro ætatem per Sacros Canones ad talia Beneficia requisitam: aut saltem ipsi daret pensionem annuam 75. florenorum ad prosequenda studia. Pactio acceptata, impetrata est Manlio Præbenda, quam & resignavit post sex menses Titio.

R. Certum est, in hoc casu intervenire Simoniam Confidentialem. Nihilominus dici non potest, Manlium ex eo esse privatum aliis Beneficiis, quæ possedit antea, legitimè obtenta, sed solum, eum posse privari illis Beneficiis per sententiam Judicis. Observandum hic est, Confidentialiam posse committi non solum in præsentatione, & collatione; sed etiam in resignatione & electione, quando similis conventio initur cum Patronis. Collato-

ribus, Resignantibus, aut Electoribus. *Pontas.*

CASUS II. *Tribonianus* volens filio suo procurare Capellaniam simplicem, quam ipsi offert Paulus Patronus Ecclesiasticus, impetravit, ut ea conferretur Petro amico suo, ea tamen conditione ac promissione, ut eam resignaret suo filio, quamprimum accepisset primam tonsuram. Petrus id se facturum promittit, ac filio Triboniani acceptà tonsurâ resignat in Curia Romana Beneficium, qui illud pluribus jam annis possidet, in hodiernum usque diem ignarus, quomodo hæc sibi Beneficium procuratum fuerit.

R. In hoc casu vera intervenit confidentialia; & hinc Filius Triboniani non est canonicè institutus in Beneficio, teneturque in conscientia Capellaniam dimittere. Si Paulus Patronus Capellaniam est complex hujus Confidentialitatis, non solum incurrit excommunicationem *ipso facto*, prout & Tribonianus ac Petrus, sed etiam *ipso jure* privatus est pro prima vice jure præsentandi ad hanc Capellaniam proximè vacaturam; & hinc tenetur in conscientia prætermittere terminum nominationis suæ, quin aliquem præsentet, ac interim monere dignum aliquem Clericum, ut procuret sibi provisionem Romæ, vel ab Ordinario *jure devoluto*. Filius Triboniani tenetur restituere non solum fructus perceptos post acquisitam commissæ Simoniam notitiam; sed etiam bona fide perceptos, in quantum adhuc extant, aut in quantum factus est ditior, si ante lapsum triennii commissæ confidentialitatis notitiam habuit. Si tamen bona fide ac pacificè per triennium possedit Capellaniam, & primum post triennium obtinuit notitiam commissæ Simoniam confidentialis, tutà conscientia eos retinere potest. *Pontas.*

CASUS III. Parochia ad *S. Gordianum* vacabat mense Aprili, in favorem Graduatorum destinato: Ennodius Collator eam contulit Fabio, vi Gradus sui eam petenti, hac tamen conditione, ut eam sibi resignaret pro alia Parochia, quam

quam ipsi se collaturum spondebat. Utrumque bona fide ex utraque parte executioni datum est.

℞. Uterque, *Ennodius & fabius*, commisit Simoniam realem duplicem, & incurrit pœnas à Canonibus statutas. *Pontas.*

CASUS IV. *Quiraudus* Parochus ad S. Odomarum permutavit suam Parochiam cum Parocho ad S. Crispinum Luciano, ea tamen conditione, ut Lucianus resignet Parochiam ad S. Odomarum Francisco. Lucianus ex parte sua implet pactum data Francisco procuratione ad resignandum, quæ fuit Romam directa. Verùm cum adverteret, pactiōnem fuisse Simoniacam, & *Quiraudum* jam esse in possessione Parochiæ ad S. Crispinum, statuit sibi reservare Parochiam ad S. Odomarum, ac revocare suam resignationem, antequam esset admissa Romæ.

℞. Cum Simonia in hoc casu commissa ex una parte sit realis, & ex altera conventionalis, revocatio procurationis ad resignandum facta Francisco non purgat pactiōnem illicitam, neque impedit, quo minus etiam Lucianus excommunicationem incurrit. *Pontas.*

CASUS V. *Rutilius* volens Protogeni suo nepoti procurare Capellaniam, resignat Marcello suam Præbendam, ea conditione, ut Protogeni suam Marcellus Capellaniam resignet, cujus redditus sunt 100. floreni. Conventio hæc ex utraque parte adimpleta est.

℞. Etiam si hæc conventio *Rutilium* inter & *Marcellum* non contineret Simoniam juris Divini, quam tamen continet; nihilominus semper foret illicita, & contineret Simoniam juris Ecclesiastici. *Pontas.*

CASUS VI. *Mamilius* Parochus ad S. Jobum volens procurare Joanni nepoti suo Capellaniam *Antonii Vicarii* sui, suam huic resignat parochiam, addita conditione, ut suam *Antonius* Capellaniam resignet Joanni; hoc nō fieret, neque se habere animum resignandi. *Antonius* resignationem Parochiæ sibi factam quidam acceptat; sed

nec directè nec indirectè acceptat conditionem appositam resignationi; imo obfirmatum gerit animum retinendi suam Capellaniam, quam etiam actu retinet post jam adeptam Parochiam.

℞. Censeo, *Vicarium* incurrisse censuras; quia per suum silentium sufficienter consensisse videtur in pactum Simoniacum. *Pontas.*

CASUS VII. *Crispinianus* habens Præbendam valde modicam & tenuem, petit à Capitulo aliam pinguiorem actu vacantem. Capitulū hanc illi annuit, ea tamen conditione, ut adepta illius possessione priorem purè ac simpliciter in manus Capituli dimittat. Utrumque adimpletur.

℞. In hac conventionē nulla intervenit Simonia confidentialis. *Pontas.*

CASUS VIII. *Blandinus* *Ægidio* nepoti suo vacantem in Ecclesia Cathedrali dignitatem procurare volens, eam pro se petit ab Episcopo Collatore ejusdem, qui etiam eam ipsi confert, etsi sciverit, *Blandinum* hanc dignitatem resignaturum *Ægidio*. *Blandinus* capit possessionem, & post paucos dies eam resignat *Ægidio* nepoti suo.

℞. Non videtur intervenisse Confidentialiam realem; & hinc nec *Blandinus* incurrit pœnas Ecclesiasticas. Nihilominus graviter peccavit *Blandinus* acceptandò Beneficium absque intentione retinendi illud, aut in eo deserviendi. *Pontas.*

CASUS IX. *Ivo* Parochus ad S. Albini, quæ Parochia est Patronatus laici, cum ab Episcopo suo obtinuisset aliam Parochiam, primam dimittit Patrono, eum rogans, ut ad illam præsentare vellet Fratrem suum, id, quod etiam obtinet.

℞. In hoc casu nulla intervenit Confidentialia, si renunciatio ab *Ivone* fuit facta purè ac simpliciter, sine ullo pacto cum Patrono inito. *Pontas.*

CASUS X. *Petrus, Paulus & Joannes* Canonici conspirarunt, se curaturos, ut *Titius* eligeretur in Cantorem à Capitulo. Itaque eum adeunt, promittentes, se illi

daturus votum suum, ac reliquos Canonicos sollicitaturos, hac tamen conditione, ut dignitatem Cantoris postea permutet cum *Petro* pro simplici Prioratu. Id *Titius* se facturum spondit; & Capitulum pactiōni huic, de qua habeat notitiam, favens, elegit *Titium* in Cantorem. Nihilominus Episcopus, qui prætendebat jus conferendi hanc dignitatem, eam contulit *Mævio*. Tres dein Canonici agnoscentes, suam pactiōnem fuisse Simoniacam, renuntiârunt expressè pacto, declarantes *Titio*, quòd possit retinere suum Cantoris Beneficium, nec illud amplius exigì à *Petro*.

℞. *Titius*, cum non sit canonicè electus, & Simoniam incurrit, ut tres Canonici, non potest tutâ conscientiam se defendere contra *Mævium*, qui ipsi litem intentavit, ut se retineret in in possessione Dignitatis ab Episcopo sibi collatæ; jus enim *Titii* absolutè nullum est, ut proin non solum non possit agere contra *Mævium*, sed neque ullam pro cessione Beneficii compositionem inire. *Pontas.*

CASUS XI. *Abbas* quidam recipit Beneficium, sciens, intentionem Collatoris esse, ut illud resignet alteri, pensione sibi retenta.

℞. Intervent in hoc casu confidentialia tacita. *Fromageau.*

CASUS XII. *Clericus* quidam obtinuit Româ dispensationem, ut possit retinere Beneficium per Simoniam Confidentialem obtentum. Licetne huic præter istud Beneficium etiam aliud possidere?

℞. Non potest possidere aliud Beneficium, nisi id expressis terminis in dispensatione contineatur. *Fromageau.*

CASUS XIII. *Resignatarius* quidam per concordatum cedit suo Resignanti Decimas quasdam B. . . . pertinentes ad Prioratum curatum B. V. de . . . Decimæ autem istæ una cum 10. florenis, quos per modum supplementi ipsi se daturum obligat, non excedunt pensionem Romæ impositam Beneficio. Interventne in

Concordato isto Simonia?

℞. Etsi nulla interveniat Simonia; videtur tamen concordatum istud esse contrarium menti ac constitutionibus Ecclesiæ, & propinquum saltem Simonia Confidentiali. *Fromageau.*

CASUS XIV. *Devolutarius* quidam suum interponit nomen ad obtinendum Beneficium pro alia persona.

℞. Habetur pro Confidentialiario. *De Lamet.*

CASUS XV. Quidam Beneficii resignationem obtinet, sciens, Resignantem eodem tempore eam revocare, ut Beneficium sibi reservet, casu quo Resignatario defuncto ipse adhuc in vivis sit.

℞. Committit Simoniam Confidentialem, quæ omnes provisiones Romanas reddit invalidas. Nihilominus juvenilis ætas, & ignorantia talem eximere posset à pœnis in Confidentialarios lais, ita, ut posset retinere Beneficium. *De Lamet.*

CASUS XVI. Parochus quidam petit Capellaniam, & promittit, se redditus exinde perceptos daturum Matronæ cuidam, ut possit Presbytero suo domestico Missam celebranti stipendium persolvere.

℞. Tutâ conscientiam non potest petere hanc Capellaniam. *Fromageau.*

CASUS XVII. *Gallus* rogat Episcopum, ut Beneficium quoddam conferat uni ex Fratribus suis. Erat in hujus Episcopi potestate Beneficium, quod ex sua natura Regulare erat, sed in Commendam semper collatum fuerat. Non poterit hinc illud Galli Fratri conferri, quia prius collatum fuisset Regulari. Episcopus ea de re agit cum Fratre cujusdam Religiosi, qui promittit, si Beneficium hoc conferretur Fratri suo Religioso, se curaturum, ut hic illud resignet Fratri Galli. Id omne fuit executioni datum.

℞. Omnia hoc in negotio præfacta Confidentialiam continent. *De Lamet.*

Vide Beneficium. Collatio. Permutatio. Provisio. Patronus. Resignatio. Simonia.

SIMULATIO SEXUS.

CASUS. Licetne viro induere vestes muliebres, & vicissim, ad simulandum sexum?

R. Talis mutatio vestium non est ex natura sua mala; & in casu necessitatis licet sic sexum dissimulare. Nihilominus ex suo genere involvit quamdam indecentiam & deordinationem; & licet hæc deordinatio non semper constituat peccatum mortale, semper tamen annexum habet periculum, dum fit solum animo capiendi exinde voluptatem ac delectationem. Peccat quis mortaliter, si sexum tali modo simulet ex intentione prava, aut se exponat periculo incidendi in peccatum impudicitiae, aut sic peccandi proximo ansam præbeat. Ordinariè nunquam permittenda est hujusmodi simulatio sexus. *Fromageau.*

SINUS.

Sinus in sensu figurato à Theologis sumitur pro loco, in quo animæ corpore solutæ quiescunt, & in hoc sensu dicitur Sinus Abrahæ. Verùm in præsentī titulo per istud verbum *Sinus* significare volumus exteriorem partem pectoris, cui affixæ sunt *mamillæ*, quas pudor præsertim in fœminis velari præcipit: Hinc pro castis fœminis habendæ non sunt, qui pectora nudata gerunt.

CASUS I. *Agapia*, cujusdam Aulici uxor, pectore, incedit nudato juxta consuetudinem aliarum illustrium fœminarum. An ob hanc rationem excusatur à peccato, si aliam intentionem non habeat, quàm ut placeat suo Marito, & in vestitu alias suæ conditionis fœminas imitetur?

R. I. Consuetudo ordinariè prætextus est, quo se Libertini excusare solent. 2. Quidquid prohibitum est jure naturali & divino, consuetudine contraria licitum fieri non potest, sed solum quandoque justis ex causis derogari potest juri humano positivo, quo nova quædam obligatio nobis imposita est. His prænotatis patet,

Agapiam, & omnes fœminas denudato pectore in publico apparentes non excusari à peccato ratione consuetudinis. *Genetus Theol. Moral. tom. 3. tract. 1. c. 17. dem. 4. & 7.*

NOTA. An talis consuetudo ex apprehensione personarum cujusvis regionis, conditionis, loci, vel status contineat periculum causandi obscenas imaginationes vel tentationes in personis non omnino paucissimis, dependet à prudenti judicio Confessarii.

CASUS II. *Leocadia*, nobili fœminæ ad sacram Synaxin denudato pectore, vultu fucato, & muscis ornato, accedenti Parochus denegavit sacram Communionem; *Leocadia* publicè se esse prostitutam quæstata est. An dictus Parochus coram Deo reus est scandali à se dati?

R. Parochus non se reum fecit scandali, cum egerit, quod debuit agere, *Leocadia* verò sola scandali rea est. *S. Carolus Borromeus. Act. Eccles. Medial. part. 4. instruct. de Sacra. Eucharist.*

SOCIETAS.

1. *Societas* est conventio circa res honestas & licitas à duobus vel pluribus inter se inita, qui pecuniæ summam, aut aliud pretiò æstimabile in communem massam congerunt, ut exinde commodius & facilius majus percipiant lucrum. Hoc suppositò principiò contractus inter duos fures initus, quo aliis furto ablata inter se dividere invicem spondent, Societas dici haud potest.

2. Finis Societatis est eam inter se constituentibus communis; nimirum ut quisquam eorum particeps sit lucri, & jacturæ.

3. Duæ dantur species Societatis: una, quæ consistit in commercio pecorum, altera, quæ consistit in pecunia vel alia re pretiò æstimabili Mercatori credita.

4. Societas ut sit legitima, tres requiruntur conditiones. 1. Ut ille, qui pecuniam, aut aliud quid ad Societatem confert, periculum sortis subeat; hinc nec fieri potest pactum affecurationis sortis pri-

principalis, nec etiam peti census annuus pro ea. 2. Ut quilibet Sociorum conferat aliquid pretio æstimabile, sive dein sit pecunia, sive merx sive opera, labor, industria, aut quid aliud. 3. Ut fervetur æqualitas in lucro, jactura, expensis, damno &c. juxta proportionem sortis, quam quilibet Sociorum contulit.

5. *Propositio LIV.* Damnata à Conventu Cleri Gallicani anno 1700. sic sonat:

Contractus, qui vocatur *Mohatra*, id est, Contractus, quo à Mercatore res majori pretiò venditæ ab eodem minori pretio, stante eodem contractu, paratâ pecuniâ redimuntur, est licitus, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito cum intentione lucri.

CENSURA: Hæc *Propositio* continet doctrinam falsam, scandalosam, perniciosam in praxi, palliativam usurarum, verbo Divino scripto, & non scripto contrariam, reprobam à Clero Gallicano, & sæpius jam Conciliorum ac summorum Pontificum Decretis damnatam.

6. Denique observandum; in contractu Societatis nullum illius membrum absque usura posse à consortibus exigere affecurationem suæ sortis principalis à se in Societatem collatæ.

CASUS I. *Reynerius*, gemmarius in sua arte perquam peritus, inuit cum *Raymundo* ad quatuor annos societatem: *Raymundo* contulit summam 10000. florenorum, *Reynerius* verò solam suam industriam: *Reynerius* cum consensu *Raymundi* dictam summam impendit in emendas gemmas, è quibus elapso quadriennio lucrum 5000. florenorum acquiserunt, quod lucrum juxta conventionem inter se factam æqualiter dividerunt: An hæc societas legitima est? an *Reynerius* dividendò dictum lucrum cum *Raymundo* justè egit?

R. Hæc societas licita est, & *Reynerius* absque injustitia potuit dividere acquisitum lucrum cum *Raymundo*; industria enim

& labor locò pecuniæ sunt. *Conferentia Condom. tom. 1. Conf. 10. sectione 1.*

CASUS II. *Raymundus*, paratâ pecuniâ opulentus, sed commercii ignarum ad quadriennium societatem inuit cum *Reynerio*, ita, ut *Raymundus* contulerit 1000. florenos, *Reynerius* verò solam suam industriam & laborem; quadrienniò igitur elapso nullum omninò remansit lucrum: *Reynerius* nihilominus petit dimidiam summam distorum 1000. florenorum in recompensationem suæ industriæ & laboris; *Raymundus* verò contendit, nimium peti à *Reynerio*, imo strictè loquendo se nihil debere *Reynerio*. Quid agendum?

R. Societas, ut justa dici possit, quatuor requiruntur conditiones. 1. Ut in commune deponant socii, quod in societatem conferunt. 2. Ut lucrum & jactura sint communia sociis. 3. Ut quilibet sociorum de lucro aquirat juxta proportionem ejus, quod contulit. 4. Ut quilibet eorum etiam subeat periculum sortis suæ, deductis tamen expensis pro communi societatis bono factis. His præsuppositis, cum industria *Reynerii* locò pecuniæ fuerit, & quilibet jacturam in societatem collati sufferre debeat; sequitur; jacturam industriæ, cum illa sortis locò fuerit, soli *Reynerio* esse ferendam, *Raymundo* verò suam, quam contulit, deberi summam, quin eam cum *Reynerio* dividere teneatur. *Cabassutius l. 6. c. 23. n. 3.* Observandum nihilominus 1. Restituendas esse illi, qui industriam suam locò pecuniæ contulit, expensas pro bono societatis factas. 2. Si socii convenerint, ut conferens industriam etiam recipiat dimidium summæ pecuniæ ab altero collatæ, aut si id de consuetudine sit, tunc conformiter ad conventionem aut consuetudinem agendum esse *Pontas*.

CASUS III. *Athenodorus* & *Landericus* inierunt inter se societatem ratione alicujus manufacturæ; prior cum sit peritus artifex suum laborem & industriam, alter verò 6000. florenos contulit; & quia intimi amici erant, ac bona fide agebant, de

de divisione lucri non sunt pacti, nec etiam de jactura forsan futura. Triennio elapso facta computatione remansit lucrum 5000. florenorum, de cujus lucri divisione valde dispenferunt; *Landericus* enim contendebat, sibi deberi summam 3750. florenorum ob collatam à se summam 6000. flor. *Athenodorus* verò præ tendit dimidium lucri, cum sine sua industria pecunia *Landerici* non fructificasset. Quid juris?

R. Quia in contractu societatis inter hos duos de divisione non fuit conventum, in æquales partes divisio facienda est. *Lege. Si non fuerint. 29. ff. pro socio.* Hinc divisio debet esse æqualis inter eos, utpote quorum conditio æquari potest paritate commodorum à diversis collationibus emergentium. *Lege Societates. 5. §. 1. ff. pro socio.*

CASUS IV. *Geranus* confert *Licinio* in societatem 1000. imperiales, pro quibus exiguum exigit lucrum; cum *Licinio* cautionem fortis præstaret, & ipsius omnem in se recipiat jacturam. Confessarius suadet *Gerano*, ut dissolvat contractum, *Geranus* verò in sui defensionem duas objicit rationes. 1. Idem fieri posse in contractu, qui dicitur *Commodatum*. 2. Contractum cum *Licinio* initum non posse dici *Mutuum*.

R. Dantur quidam Authores etiam insignes, qui docent; hanc societatem esse licitam, & etiam aliqui moderni censent, contractui societatis posse addi alium contractum, nimirum cautionis & assurance fortis principalis hac conditione, ut minus lucrum exigatur juxta proportionem periculi, quod alter in se suscipit. Ast hæc opinio haud tenenda: hinc Confessarius *Gerani* benè suavit solutionem hujus societatis, quæ juxta *S. Antoninum 2. part. sumæ Theol. tit. 1. c. 7. §. 37.* usuraria est. Idem dicit *glossa in Can. Plerique 3. 14. q. 3.* Quamvis essentia contractus commodati, locati, & depositi videatur exigere, ut periculum libri commodati, equi locati & pecuniæ

depositæ sufferendum sit domino harum rerum, ex hoc tamen non sequitur, commodantem, locantem, & deponentem rem quamdam, necessariò semper debere subire periculum rei commodatæ, locatæ, & depositæ; *commodatum* enim de se gratis debet concedi ad usum rei commodatæ, quin tamen concedatur dominium illius: *Locatione* conceditur usus rei locatæ pro certa pecuniæ summa: *Depositum* datur depositario in custodiam. Ast, ut contractus societatis sit legitimus, requiritur æquale sociorum fortis principalis periculum. Hinc in casu præsentis *Licinio*, qui à *Gerano* 1000. imperiales recepit, & hujus summæ cautione præstitit periculum fortis in se solum suscepit, ejusdem etiam summæ dominium accepit, ita, ut eam, quomodocunque ipsi libuerit, expendere possit, solum tenetur dictam summam restituere *Gerano*. Verùm hic contractus societatis est verus contractus *Mutui* palliatus consequenter *Geranus*, cui *Licinio* cautionem præstitit pro 1000. imperialibus, absque usura non potest aliquod lucrum percipere. *St. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5.*

CASUS V. *Lazarus* cum *Lysimacho* societatem iniit, illique 1000. imperiales dedit, ut cum illis negotiaretur: huic summæ *Lysimachus* pariter 1000. imperiales addidit, quo facto convenerunt inter se, ut ambo periculum fortis suæ subeant, & tam lucrum quam etiam damnum forsan emersurum utrique sit commune. *Lazarus* verò *Balduino*, amico suo, declaravit quòd ipsi, si summæ in societatem cum *Lysimacho* initam à se collatæ cautionem præstet, & aliquod modicum lucrum certò sibi relinquat, cedere velit lucrum è societate, licet incertum, probabiliter tamen omninò notabile percipiendum: *Balduinus* hanc conditionem accepit. An hæc conventio licita est?

R. Censetur, *Lazarus*, sicut à *Lysimacho* cautionem suæ summæ exigere nequit, ita nec posse eandem exigere à *Balduino*, cum absque injustitia nec ullum è socie-

tate possit percipere lucrum, nisi periculum fortis subeat. Interim tamen posset *Balduino* jus suum, quod vi societatis habet, cedere. Positò verò, *Lazarus* licere talem inire conventionem cum *Balduino*, non tamen licet taliter convenire cum *Lysimacho*; talis enim conventio esset verus contractus. *Mutui. Theol. mor. tom. 1. tract. 4. c. 14. dem. 3.*

NOTA. Author supponit; à *Lazarus* ob lucrum cessans, vel damnum emergens potuisse ex mutuo hoc palliato *Balduinum* obligare ad sibi solvendum modicum Lucrum. Hæc responsio potest admitti, si quantitas hujus modici lucri non excedit censum licitum ex mutuo; alioquin foret usuraria.

CASUS VI. *Maximianus* & *Bertrandus* societatem inter se inierunt, & uterque æqualem summam 5000. florenorum ad illam contulit: *Bertrandus* negotiationis *Maximiani* imperitus convenit cum eo, ut quolibet anno recipiat quamdam pecuniæ summam, etiam si sua negotiatione nihil lucratus fuisset, & hoc ob periculum fortis, quod in se suscipere debet. An dictam recipere summam licitè potest?

R. Non potest eam licitè recipere, conditio enim adjecta conventioni destruit essentiam contractus societatis, quæ subsistere non potest, nisi uterque socius æqualiter tam de lucro quam de damno participet. *Bertrandus* igitur de determinata summa certus, sive dein *Maximianus* sua negotiatione lucretur, sive quidquam perdat, non potest dici socius *Maximiani*, quia deest æqualitas periculi fortis inter eos.

In hoc præsentis casu si intendit habere lucrum & non damnum, usura est. *S. Bernardin. serm. 39. in feria VI. post Dom. IV. Quadragesimæ. c. 3.*

NOTA. In casu præcedente ostensum est; hunc palliatum Societatis contractum habere reipsa rationem mutui. Cum ergo etiam ratione periculi census juxta me & communem doctrinam exigi possit, non debuit ab authore hic contractus absolute condemnari tanquam usurarius. Vide Tit. *Mutuum*.

CASUS VII. *Nicander* iniit societatem cum *Pampbilo*, qui tantum suum la-

borem & industriam, *Nicander* verò 4000. florenos contulit ea lege, ut *Pampbilo* certa quædam summa pro parte lucri è societate emerfuri affecretur. An id licet?

R. In præsentis casu, cum non adsit æqualitas lucri vel damni, non datur vera societas, sed potius contractus locationis, nimirum *locatio operarum*, qua *Pampbilo* suam operam locat *Nicandro*, quod utique nec injustum nec illicitum est, dummodo omne periculum fortis & depositæ pecuniæ in se suscipiat *Nicander*. *Confessentia condom. tom. 1. Conf. 10. sect. 1.*

CASUS VIII. *Emanuel*, Præfectus cujusdam novæ manufacturæ; à *Margaretha* 5000. florenos mutuos accepit pro suo commercio; cum verò *Margaretha* adverteret, nullum è sua pecunia redundare fructum, *Emanuelem* rogat, ut aut restituat summam, aut in societatem se recipiat: *Emanuel* illam admittit in societatem hac lege, ut periculum fortis subeat juxta proportionem summæ 5000. florenorum. *Margaretha* acceptata hac conditione se verum societatis membrum esse credit, interim tamen aliquo angitur scrupulo ex eo, quod *Emanuel* cum suis sociis determinavit certam summam 600. florenorum, quam ipsa singulis annis lucri locò evitandæ computationis gratiâ recipiat. Potestne *Margaretha* recipere istam summam tutâ conscientiâ vi factæ conventionis?

R. Si *Margaretha* debet omne, quæcunque demum sit, periculum fortis subire juxta proportionem collatæ summæ, societas legitima est, & potest recipere dictam 600. florenorum summam. Ast si teneatur solum periculum particulare determinatum fortis subire, tunc societas injusta & illegitima est. Ex hoc igitur sequitur, *Margaretham*, si legitima societas est, posse licitè recipere determinatam summam ad evitandam computationem, cujus scientiam non habet; lucrum enim notabile, sed incertum absque injustitia reduci potest ad minus, sed certum lucrum. *S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5.*

Hhhhhh CA-

CASUS IX. *Goffelinus & Andreas* inierunt in commercio frumenti, & vini societatem collatâ utrinque æquali pecuniæ summâ hac lege, ut *Goffelinus* duas tertias lucri ex frumento facti referret, & *Andreas* solum unam tertiam damni ex commercio vini emergentis ferret. An iste contractus iustus est? An *Goffelinus* non tenetur restituere *Andreas*?

℞. Licitus est hic contractus; liberum est enim membris societatis convenire de hoc, ut unus eorum majus lucrum & minus damnum quam alter referat, quod tamen ita intelligi debet, ut *Goffelinus* sibi dictum majus lucrum attribuere non possit, nisi ex eo, quod deducto damno ex utroque commercio emergente supererit. *Justinianus* §. de illa. 2. instit. l. 3. tit. 26. de societate.

CASUS X. *Oldradus, Antonius, Gabriel & Bernardus* societatem inter se inierunt, cujus finis est exsiccatio cujusdam paludis. Verum *Oldradus* ad instantiam suorum sociorum ultra portionem jam cum reliquis in societatem æqualiter collatam anticipato obtulit summam 7500. florenorum hac conditione, ut intra annum sibi hæc summa restituatur. Ast cum *Antonius* finito anno solvendo non esset, *Oldradus* solutionem ex fundo communi petit, reliqui vero se opponunt. Quid juris?

℞. Petitio *Oldradi* iusta est, nam, cum pro bono communi societatis præfatam summam anticipato obtulerit, quilibet sociorum tenetur juxta suam portionem indemnem reddere *Oldradum*, & si, dum usus eorum solvendo non est, totalem summam recipere non possit, id, quod deest, ex ipso fundo societatis jure exigere potest. Hinc priusquam *Gabriel & Bernardus* lucrum ex societate percipiant, *Oldrado* solvenda est summam 7500. florenorum, & postea quod superest, dividendum inter ipsam, & duos reliquos. *Leges. Si unus* 67. ff. pro socio.

CASUS XI. *Florus*, gemmarius, societatem iniiit cum aliis quatuor ejusdem pro-

fessionis viris collatis utriusque gemmarum pro 5000. florenis æstimatis: Eidem *Floro* à suis sociis commissum est, ut in Hispaniam proficiscatur, & ibidem cum dictis gemmis negotiaretur, ut ipsi visum & societati proficuum fuerit: *Florus* in Hispania duobus mercatoribus hispanis vendidit aliquas gemmas pro 12500. florenis, verum loco solutionis accepit scheidam Cambialem, pro qua intra quatuor menses ipsam pecuniam sit recepturus. Ast elapsis duobus mensibus dicti mercatores non amplius fuerunt solvendo. An hanc jacturam *Florus* sufferre debet?

℞. Si duo mercatores Hispani noti fuerunt sociis *Flori*, aut aliis ejusdem professionis mercatoribus hispanis, & etiam *Florus* de eorum bona fide dubium non habuit, ac eos solvendo esse credidit, jactura 12500. florenorum non ab ipso solo, sed ab omnibus suis sociis juxta singulorum in societatem collatam summam. *Leges. Item* 14. ff. de pactis lib. 2. tit. 14.

CASUS XII. *Lombardus* cum *Jacobo* iniiit societatem negotiationis, & *Jacobus* consentiente *Lombardo* profectus est in Galliam pro communi societatis bono, in ipso autem itinere spoliatus, & etiam una cum suo famulo vulneratus est. Potestne compensationem damni à suo socio ex ipsa in societatem collata summa exigere?

℞. Jure potest exigere indemnificationem, cum pro bono & negotiis societatis damnum isthoc acciderit. *Leges. Sugariam & Lege. Cum duobus.* 52. §. 4. ff. pro socio. Id tamen intelligendum in casu, quo pecunia, quam secum detulit *Jacobus*, fuit de fundo societatis, aut expensas fecerit pro ea: si vero *Jacobus* pro suis privatis commodis pecunias secum tulerit, earum jactura ipsi soli ferenda esset. *Pontas.*

CASUS XIII. *Quarinus & Ægidius* ad quatuor annos in commercio vini inierunt societatem; cum vero *Quarinus* pro bono communi societatis in varias Provincias ad emendum vinum profectus esset, du-

rante

durante ipsius absentia domi in rebus familiaræ suæ privatis passus est damnum 600. florenorum. An hoc damnum ipsi refarciendum ex fundo societatis?

℞. Negativè; talis enim casus non in societatem, sed in solius *Quarini* liberam ac voluntariam absentiam cadit. *Leges. Socium.* 60. ff. pro socio.

CASUS XIV. *Fabricius* cum aliis quinque societatem iniiit; cum vero navis mercibus onerata exoneranda esset in aliam noviculam, ut eò facilius portum attingeret, merces *Fabricii* huic naviculæ impositæ casu fortuito, & improvise periêre. An *Fabricius* solus hanc jacturam subeat?

℞. Cum exoneratio facta sit in commune bonum societatis, jure exigere potest, ut ab omnibus sociis ferenda sit jactura suarum mercium. *Leges. Navis. iniiit.* ff. de lege Rhodia de jactur.

CASUS XV. *Radulphus Samsoni*, quocum societatem iniiit, per imprudentiam, ex levi tamen ipsius culpa, notabile intulit damnum. An *Samson* tenetur participare de damno?

℞. In contractu societatis inferens damnum ex lata aut levi culpa solus tenetur refarcire damnum; hinc *Radulphus* à *Samsoni* exigere non potest, ut damno illi illato participet. *Cabassutius* l. 6. §. 13. n. 4.

NOTA. Theologicè non est idem culpa lata, & levis. Socius ex levi culpa non tenetur in foro interno ferre totum damnum. Vide Notam in Casu sequente.

CASUS XVI. *Paulus* socius *Andreae* in quodam commercio suâ negligentia societati intulit damnum 150. florenorum, quapropter *Andreas* ab illo petit, ut refarciat damnum; *Paulus* vero contendit, se societati suâ industriâ lucratum fuisse aliàs 1000. florenos, quorum dimidia pars cedit *Andreae*. An *Andreas* jure à *Paulo* exigat, ut solus damnum 150. flor. ferat?

℞. Jure potest id exigere à *Paulo* etiam non obstante lucro 1000 florenorum; quilibet enim sociorum tenetur in tantum promovere bonum societatis, in quantum

potest, & ideo non potest exigere indemnificationem damni suâ culpâ illati. *Leges. Non ob eam* 25. & *Leges. Et ideo* 26. ff. pro socio.

NOTA. In foro interno non datur obligatio ferendi totum damnum illatum ex culpa levi. Neque enim Sociorum quis se ad hoc ultro adstringeret. *Leges Romanae*, præsertim digesta, nec viguerunt in Germania ante annum 1500. nec vix ullibi amplius videntur: & ubi pro foro externo videntur, in similibus casibus disponunt solum ex præsumptione gravioris culpæ, vel pœnaliter ad aliorum cautelam in futurum.

CASUS XVII. Tres *Mercatores*, quos inter societas est, emerunt bona mobilia cujusdam defuncti, ac horum partem privatim variis vendiderunt personis; *Medericus* vero, unus sociorum, advertens talem venditionem istorum bonorum non fore valde proficuum societati, magis conveniens esse credidit, si à Magistratu licentiam dicta bona publicè vendendi, ac per modum inventarii publicandi obtineret, & id etiam factum est videntibus & scientibus suis sociis. Verum venditione peracta emerit damnum societati, & hoc à solo *Medericò* ferendum esse contendunt ipsius socii, cum istius venditionis author fuerit. An jure id exigunt?

℞. Membrum societatis in rebus societatem attingentibus nihil potest agere, nisi in illud consenserint etiam reliqua membra. In præsentem igitur casum cum venditionem publicam, cujus author *Medericus* erat, reliqui socii, dictæ venditionis perfectam notitiam habentes, non inhibuerint, damnum, quod emerit, ab omnibus ferendum est, *Regula enim juris* est: *Qui tacet, consentire videtur.* Socii ergo *Medericum* absque injustitia non possunt in solam *Medericum* transferre damnum ex venditione publica ortum. *Pontas.*

CASUS XVIII. *Lambertus* villam suam, in qua quatuor equos, sex boves, decem vaccas, & 400. oves habet, locare aut in societatem conferre cogitat; *Henricus* igitur, ut villam recipiat, convenit cum *Lamberto*, se solam villam conducturum, & annuatim pro ea 400. libras pro annuo

Hhhhhh 2 censu

cenſu ſoluturum hac conditione, ut ad certum quoddam tempus cuncta pecora in villa relinquuntur, quo temporis termino elapſo iterum *Lamberto* reſtituantur in eodem valore, quo nunc æſtimata ſunt. An *Lambertus* adjectam conditionem acceptare poteſt abſque uſura?

℞. Non poteſt acceptare abſque uſura; nam talis conventio haberet rationem *mutui*, & *Lamberto* permaneret dominium pecorum, quin ſubire vellet periculum ſortis, quod tamen ſubeundum eſt, ſi vera datur ſocietas. Datur diſcrimen inter equum locatum, & pecus alteri ad æſtimationem conſeſſum, pro equo enim locato, qui per uſum deterioratur, poteſt exigi aliquis cenſus, pecus verò ad æſtimationem conſeſſus nunquam perit concedenti. *Theol. moralis. tom. 1. tit. 4. c. 13. d. 4. 5. & 6.*

NOTA. Hic contractus, niſi excedatur in annuo cenſu juxta prudentum æſtimationem, non eſt uſurarius. Genettus, author *Theologiæ* illius moralis, inter juſtos titulos pro cenſu non admittit *periculum Sortis*, quod tamen *Lambertus* ſubit, ſi *Henricus* ex infortuniis, vel negligentis redigeretur ad impotentiam reſtituendi prædium in ſtatu priſtino. Vide in mea *Theol. Mor. De SOCIDA.*

CASUS XIX. *Lentulus* ad tres annos conſeſſit cuidam conductori 500. oves & 20. vaccas hac conditione, ut elapſis tribus annis hæc pecora reſtituantur juxta æſtimationem prius factam, aut eorum loco ſolvat pretium, interea autem ſingulis menſibus pendat certam quantitatem lactis, caſei, & lanæ. An hic contractus licitus eſt?

℞. Certum eſt, contractum ſocietatis, qui dicitur *redditio beſtiæ* eſſe injuſtum, ſi taliter concedens pecora nullum ſortis periculum in ſe recipiat. Hinc *Lentulus* non poteſt licite exigere quidquam de lacte, caſeo, & lana, neque aliud quidquam, niſi præberet paſtum pro dictis pecoribus; tunc enim pro præſtito paſtu juſtum pretium poſſet recipere ab alio. *Idem ibidem. Dem. 2. & 3.*

NOTA. Vide *Notam* in Caſu præcedente.

CASUS XX. *Genucius* conſeſſit *Thiberto* ſex boves, duodecim vaccas, & triginta porcos pro colendis ſuis agris, hæc addita conditione, ut iſta animalia alar, curet, & ſub teſto conſervet, ac inſuper dimidiam partem partuum reſtituat. An hæc ſocietas uſuraria eſt?

℞. Ut hic contractus non ſit uſurarius, requiritur, ut *Genucius* in ſe ſuſcipiat periculum pecorum, per hoc enim verus eſt contractus ſocietatis. *S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5.*

NOTA. Vide *Notam* in Caſu 18.

CASUS XXI. *Appius* dedit *Benedicto*, agricolæ, titulo ſocietatis duodecim vaccas, ſex equos & 400. oves hac conditione, ut *Benedictus* in ſe ſolum recipiat horum periculum, & tempore ſocietatis elapſo reſtituat eundem numerum, aut pretium pecorum juxta æſtimationem; *Appius* verò promiſit, ſe illi majus lucrum ceſſurum quàm aliàs ipſi vi ſocietatis compereret. An iſte contractus licitus eſt?

℞. Etiam iſte contractus uſurarius eſt, uſuram enim palliatam continet ſub prætextu indemnificationis: hinc *Appius* tantæ conſcientiæ non poteſt tali modo contrahere cum *Benedicto*. *Theol. moral. t. 1. t. 4. c. 14. d. 13.*

NOTA. Vide *Notam* in Caſu 18.

CASUS XXII. *Deſiderius* dedit *Philiberto* ſex boves ſub his conditionibus. 1. Ut *Deſiderius* in ſe recipiat horum periculum, quod aut ex incurſione hoſtis, aut à fulmine, aut morbis iſtis animalibus propriis evenire poſſet. 2. Ut *Philibertus* alios eventus in ſe ſuſcipiat, & teneatur alere, curare, & cuſtodire boves, acſi ipſus eſſent. 3. Ut peracta meſſe tot tradat modios tritici, quot ſunt boves, quorum modiorum quilibet pretio 6. florenorum æſtimabilis ſit. 4. Ut elapſo quinquennio dicti ſex boves vendantur, & eorum pretium in duas æquales partes inter ſe dividatur. Quid de hac ſocietate dicendum?

℞. Prima & ſecunda conditio hunc contractum reddunt illicitum, nam locans tene-

tenetur ſubire quodcunque periculum boum ſine notabili culpa conductoris emerſurum. Concilium *Mediolan. I. part. 2. tit. 68. de uſur.* Verum ut utriusque, *Deſiderii*, & *Philiberti* obligatio magis perſpiciatur, notandum. 1. Quod in præſenti caſu duo contineantur contractus, nimirum venditionis & locationis, in contractu venditionis emptor aqutit quovis anno quintam partem pretii boum, & in contractu locationis locans locatario locat totum pretium boum uſque ad finem primi anni, quo finito locatarius ſit dominus quintæ partis pretii boum, & ſic annuatim juxta proportionem. 2. Quod dominium rei venditione transferatur ad emptorem, quod tamen in locatione non fit: *Deſiderius* igitur ut locans teneatur ſubire omne periculum boum, quod abſque fraude aut dolo evenit, excepto tamen eo, quod *Philibertus* aqutivit, nimirum quintam partem pretii boum finito primo anno, & etiam deinceps juxta proportionem. Denique contractus, de quo hic agitur etiam ex eo injuſtus eſt, quod *Deſiderius* nimium recipiat lucrum. Verum ut æquum de tali lucro ferri poſſit judicium, conſulendi ſunt illi, qui in hac materia experientiam majorem habent. *Ste Beuve tom. 3. caſu 253.*

NOTA. Vide *Notam* ad Caſum 18.

CASUS XXIII. *Ladislauſ*, vir opulentus, inſit ſocietatem animalium, intra tres menſes inchoandam, cum *Servatio*, agricola, ad quinquennium, & inter ſe convenerunt, ut quilibet in ſocietatem ceſſeret decem boves aut vaccas & 500. oves. Verum conſtituto tempore *Servatio* ſuam partem conferre non potuit; hinc *Ladislauſ* ſolus contulit 1000. oves & 20. boves aut vaccas hac tamen conditione, ut dimidia pars pecorum, quæ mutuò dedit *Servatio*, & ipſa etiam pecora, quæ ipſus in ſocietatem contulit ab expertis æſtimentur: *Servatio* acceptavit hanc conditionem, ac inſuper cum *Ladislauſ* in hoc convenit. 1. Ut ipſus nutriat, & curet pecora, ac ipſus de teſto

provideat. 2. Ut in hujus compenſationem recipiat omne lac, & ex eo factum butyrum, uti & ſimum. 3. Ut partus animalium ad finem ſocietatis æqualiter dividantur. 4. Ut damna ex neutrius culpa evenientia ab utroque æqualiter ferantur. 5. Ut ante diſiſionem partuum *Servatio* reſtituat 500. oves & decem boves aut vaccas juxta æſtimationem ab initio ſocietatis factam, ac dein lucrum, quod ſupererit, æqualiter dividatur. An hic contractus uſurarius?

℞. Eſt legitimus, & ab omni uſura immunis, poſito quod mutuuum *Ladislai* bona fide ſit factum, lucrum enim quod *Ladislauſ* recipit, non eſt præciſe ex mutuo, ſed ex propriis ſuis pecoribus: hinc *Ladislauſ* uſuram haud commiſit. *Conſeſſionis do Luçon tom. 2. conſ. 40. q. 1.*

CASUS XXIV. *Paternus* locat *Clementi* ſex vaccas & ſex equos ad triennium hac conditione. 1. Ut primò anno *Paternus* omne periculum aut damnum abſque culpa *Clementis* eventurum in ſe recipiat. 2. Ut reliquis duobus annis *Clemens* ferret omne damnum etiam abſque ſua culpa eventurum. 3. Ut *Clemens* in compenſationem ſuæ obligationis iisdem duobus poſterioribus annis recipiat duas tertias lucri. An hic contractus eſt licitus, ſi conſuetudo generalis alicujus Provinciæ ipſi patrocinetur, ac etiam in tribunalibus approbatur?

℞. Certum eſt, hunc contractum eſſe uſurarium, cum *Paternus* omne per duos poſteriores annos eventurum damnum in *Clementem* transferat. *Paternus* enim, penes quem dominium remanet, ſufferre debet etiam omne damnum ſolus: *Paternus* quoque neque ceſſio lucri excuſat ab uſura, neque etiam immunem reddit conſuetudo Provinciæ, aut Authoritas tribunalium. *Pontas.*

NOTA. Vide *Notam* ad Caſ. 18. Sciendum enim, etiam *Pontasium* inter titulos in mutuo excuſantes ab uſura non admiſſe periculum ſortis.

CASUS XXV. *Valerianus* dedit *Paulo* titulo ſocietatis quædam pecora ad ſexennium

H h h h h h 3

nium hac conditione. 1. Ut Paulus ea nutriat, & de eis necessariam curam habeat. 2. Ut det singulis annis quatuor modios tritici pro quovis pecore. 3. Ut Paulus recipiat duodecimam partem gregis per sex annos, & denique finito sexennio pecora, & eorum partus æqualiter dividantur. An hæc societas licita?

R. Hic contractus, qui in quibusdam Provinciis dicitur *Gazailles d'Arregues* est societas mixta, conjuncta nimirum cum venditione, & est licitus, si has tres condiciones habeat. 1. Damnum absque culpa socii eveniens ferendum est domino pecorum. 2. Socius in eurandis ac conservandis pecoribus, ac computatione lucri fidelem se exhibeat. 3. In divisione lucri servetur justitia. *De Ste Beuve tom. 7. casu 120. 127. 141. 142. & 144.*

CASUS XXVI. *Sylvanus* contulit 400. oves in societatem, quam cum *Roberto*, agricola, observatis omnibus ad veram societatem conditionibus iniit: *Robertus* verò ad finem societatis dixit *Sylvano* 20. oves periisse quodam morbo, & *Sylvanus* contendit è contrario, eas periisse ex culpa *Roberti*. Quomodo hæc contentio componenda?

R. *Roberto* incumbit probare, quòd oves ex sua culpa non perierint, & si hoc probare nequit, *Sylvanus* tutà conscientia illum adstringere potest ad solvendum pretium ovium, quæ periêre. *Idem tom. 1. casu 149.*

NOTA. Author supponit, in contractu Societatis dominium pecorum, & eorum periculum transiisse ad Sociatum. Sed hoc dependet a particulari intentione contrahentium.

CASUS XXVII. *Barnabas* cum tribus opificibus iniit societatem, horum verò unus mortuus est: an per hoc solvitur societas?

R. Solvitur morte socii societas, nisi superstites socii societatem continuare vellent. *Lege Actione 65. §. 9. ff. pro socio. lib. 17. tit. 2.* Idem dicendum de morte socii Civili. Ast aliud dicendum

de conductore, vel locante mortuo. *Pontas.*

CASUS XXVIII. *Patritius & Romanus* in societatem, quam inter se inierunt, uterque 1000. imperiales contulerunt: *Patritius* verò anno ante finitam societatem mortuus est, hinc *Romanus*, advertens negotium societatis non ut prius succedere, prætendit hæredem *Patritii* debere in societate succedere, quod tamen ipse recusat. Quid juris?

R. Hæres *Patritii* non tenetur continuare societatem utpote morte *Patritii* solutam: Ast excipiendus est casus, quod duo contraxissent de perceptione tributorum cum Principe, in hoc enim casu hæres defuncti socii teneretur continuare societatem. *Pontas.*

CASUS XXIX. *Galerius & Sylvius* inter se inierunt societatem in commercio lanæ, atque convenerunt, ut societas etiam uno ex ipsis mortuo continuetur: *Galerius* post sex menses mortuus est; an igitur ipsius hæredes, etiam invitati, ad continuandam societatem tenentur? aut si isti vellent continuare societatem, an etiam *Sylvius* eam continuare tenetur, cum & ipse invitatus sit?

R. 1. Contractus societatis non potest subsistere, nisi adsit consensus contrahentium, qui se ipsos mutuo eligere, ac gratos invicem habere debent. 2. Hæredes socii defuncti non succedunt in societate. 3. Etiam si inter socios conventum fuerit expressè, ut uno eorum mortuo continuetur societas ab hærede, hæc conventio tamen non obligat neque socios superstites, nec hæredes defuncti socii ad continuationem societatis: His ex principiis patet resolutio hujus præsentis Casus. *Pontas.*

CASUS XXX. *Eutropius & Valerianus* inierunt contractum societatis hac conditione. 1. Ut *Eutropius* in eam conferat 5000. florenos, *Valerianus* verò suum duntaxat industriam, curam & laborem. 2. Ut periculum & expensæ necessariæ utrique sint communia, & æqua-

lem uterque recipiat lucrum, feratque æqualem damnum. Verum *Eutropius* negotiationis *Valeriani* penitus ignarus ferebatur, ne sibi damnum eveniat; hinc petit ab eo affecurationem suorum, quos contulit, 5000. florenorum, & promittit, se ipsi in compensationem periculi, quod in se solum recipiat, tres partes lucri cessurum: brevi post idem *Eutropius* totum lucrum, quod decem pro centum fore sperat, incertum tamen, vendit *Valeriano*, dummodo solvat quinque pro centum sed certò, quin deinde *Valerianus* rationem reddendam habeat computationis, expensarum, & lucri: *Valerianus* acceptavit, quidquid *Eutropius* proposuerat, & sic *Eutropius* singulis annis lucri loco recipit 250. florenos, ac insuper affecuratam habet suam partem sortis, quomodocunque demum successu societas continuetur: *Valerianus* autem, qui nullam pecuniam in societatem contulit, habebit lucrum valde probabiliter 15. aut 20. florenorum pro centum. An in hoc contractu non datur usura?

R. Hæc ipsa societas est trium contractuum, ut vocant, in unum redactorum, ejus injustitia *Sixtus V.* condemnavit in sua *Bulla 1586.* ubi generaliter sine exceptione aut distinctione declarat usurarias omnes conventiones, pactiones & contractus, vi quorum præstatur cautio summæ capitalis iis, qui pecunias suas, aut alias res sub prætextu societatis tradunt. Consequenter *Sixtus V.* etiam omnes eos condemnat, qui secundo aliquo contractu cautionem sortis principalis præstant iis, qui societatem secum inierunt, & reverà in præsentem casu secundus & tertius contractus pœnitens primum contractum societatis destruunt, cum societas non possit dari, si socii non participant de lucro simul & damno. Ex his igitur sequitur, *Eutropium* affecurationem summæ à se collatæ habent, ac lucrum 5. florenorum pro centum percipientem, quodcunque demum damnum *Valeriano* obveniat, non titulò societatis utpote per secundum & tertium

contractum destructæ, sed titulò mutui specioso societatis nomine palliati hoc lucrum percipere. *Sylvius 2. 2. q. 78. art. 2. conclus. 3.*

CASUS XXXI. Quidam in societatem, confert pecora. An cautionem sortis suæ exigere potest?

R. Absque usura non potest: nec etiam aliud lucrum ultra id quod sibi competit, vi societatis exigere potest absque usura. Illi qui ejusmodi lucrum perceperunt bona fide, ignorantes, id non licere, tenentur restituere, si per hoc ditiores evaserunt; non tenentur autem restituere, si perceptum lucrum bona fide consumpserint. *De Lamet.*

Vide *Mutuum. Usura.*

SOLVENDI IMPOTENTIA.

CASUS. Mercator solvendi impotens præfert suum consanguineum, qui è Creditorum numero est. An licet?

R. Creditor, consanguineus illius, qui impotentia solvendi laborat, potest retinere valorem *Crediti*, si reliqui Creditores convenerint cum Debitore, & iis, quæ solvit, contenti sint, nam tunc Creditores censentur remisisse Debitori quidquid bonorum superest, & per ea lucrari poterit, ac cum istis disponere poterit in favorem sui consanguinei, ipsi solvendò omne debitum. *Fromageau.*

NOTA. Si Summa Consanguineo debita ascenderet ad notabilem debitorum partem, ex cujus subtractione singuli vel aliqui creditorum patenteret respectivè magnam jacturam, intentio condonantium creditorum se eousque non extenderet. Hinc ejusmodi Casus perito Confessario relinquendi, & juxta præsumptam singulorum creditorum intentionem ex æquo resolvendi sunt.

SOLVERE.

1. *Solvere* in sensu suo naturali & obvio nihil aliud est, quàm dare alteri quod ipsi quomodocunque debetur.

2. De-

2. Debita sunt varii generis ac naturæ; quædam enim sunt *privilegiata*; alia verò cum *hypotheca*, & hæc vel *simplicia* vel *chirographaria*; pro omnibus his debitis expungendis & solvendis extant certæ regulæ, tum ut securè solvantur, tum ut nemo cogatur bis idem debitum solvere. Vide *Debita. Juramentum. Promissum.*

CASUS I. *Landradus Gratiano* cum debitis formalitatibus commisit procuracionem pro urgenda solutione complurium summarum pecuniarum, sed post mensem revocavit hanc suam procuracionem. Interim verò Gratianus accepit 300. Francos sibi à Joanne per solutos. Estne Joannes hic jam planè liber à debito suo quo Landrado obstringitur, & quidem pro foro etiam interno?

R. Posito quod *Joannes* habuerit notitiam revocatae procuracionis Gratiani; malè solvit, nec est liberatus à suo debito. Quòd si verò fuerit penitus ignarus hujus revocationis, bonæque fide solverit debitum, ab eo ultra solvendo liberatus est tam pro foro externo quàm interno. *Leg. vero 12. §. de Solut. & liberat. lib. 46. tit. 3.*

CASUS II. *Andreas* pluribus debitis obligatur *Titio*, quorum tota summa ascendit ad 1000. Francos. Ex tota hac massa quadringentos habet francos cum onere annui interesse ex decreto Judicis solvendi, pro quingentis specialius cavit *Titio*, domum suam titulò hypothecæ eidem obligando. Solvit interim 900. francos ex tota debitorum massa deducendos, nulla tamen speciali designatione facta, qualem nam præ cæteris summam ex totali debito expunctam vellet. Exigit post hæc usuras *Titius* pro quadringentis francis sibi solvendas quas negat *Titius*, dicens se solvisse 900. in paratis ex toto debito deducendos, de cætero liberum sibi esse hîs nongentis solvere qualemcunque summam quam debebat.

R. *Petitio Titii* non est æqua: Debitor, qui Creditori suo debet plures sum-

mas, optionem habet solvendi, quas voluerit, postquam expunctis usuris, æris alieni reliquiis, solutio ex toto fuerit completa. *Leg. quoties 1. ff. de solut. & liberat. & aliis.*

SOMNIUM.

Somnium est motus imaginationis, qui sensibus dormientis repræsentat objectum rei imaginatæ simile, & aliquam impressionem relinquens, & hæc impressio quandoque tam vehemens est, ut homo, licèt penitus somno obrutus, obstupescat, ac exhorrescat. Somniorum causa quandoque alia non est, nisi temperamentum; quandoque etiam somnia oriuntur ab objectis, quibus imaginatio hominis in die vehementer affecta est: somnia ortum suum habere quoque possunt à malitia dæmonis malos per ea sibi proponentis fines. Aliquorum somniorum etiam Deus auctor fuit, uti somnii *Jacob, Joseph* &c. Pleraque somnia, exceptis iis, quorum Deus auctor est, sunt vanæ & inanes idæ, quibus nulla adstruenda fides est.

CASUS I. *Marsilius* cum sæpius expertus esset, ea, quæ ipsi in somniis repræsentabantur, postea evenisse, incipit somniis fidem adstruere, & ea diligentius observare, ac interpretari, ut tali modo eventus, quos timet, aut desiderat, prævidere possit. An talis divinatio peccaminosa est?

R. Dantur quatuor diversæ somniorum species, quorum aliqua bona, & aliqua mala sunt. 1. Aliqua somnia proveniunt à Deo, ministerio angelorum utente, juxta *S. Thomam 2. 2. q. 95. art. 6. in corp.* de quibus & in sacra Scriptura mentio fit. 2. Dantur somnia orta à temperamento, & sunt purè naturalia, & hæc somnia, juxta *S. Thomam*, observantur à mediis ad formandam conjecturam interioris dispositionis somniantis. 3. Quædam somnia oriuntur ex inclinationibus, cogitationibus & studiis, quibus homo per diem sæpius & intensius addictus erat: *Multas curas sequuntur som-*

somnia ait *Eccl. 57. 4.* Quædam somnia malitia & fraude dæmonis ingeruntur. *S. Augustinus Epist. 9. aliis 125. n. 3.* Ex his patet somnia oriri posse ex diversis causis, & cum tam facilè cognosci haud possit, ex qua proveniant, nullam eis adstruendam esse fidem. Hinc si *Marsilius* seriò existimat, per somnia posse prævideri futuros eventus bonos & malos, reus est divinationis superstitiosæ à sacra Scriptura, Conciliis & SS. Patribus condemnatæ. *Conferentia de Luçon tom. 1. c. 5. q. 2. & Conferent. de Perig. tom. 4. conf. 3. q. 1.*

NOTA. Quando somnia, nec postulata, nec expectata à Deo, consistunt in repræsentatione Symbolica ac consolatorica eorum, quæ homini in bivio salutis constituto imminent, cum clara Symbolisationis explicatione manifestè ad bonum dirigunt, ea à Deo veniunt.

CASUS II. *Lactantius*, homo aliàs castissimus, frequenter habet somnia prorsus castitati contraria, & videtur ipsi etiam in altissimo somno, se committere actiones turpissimas. An non saltem venialiter peccat?

R. Dæmon multorum malorum somniorum auctor est, interim tamen eorum effectus in imaginatione producti de se non sunt peccaminosæ, nisi eis consentiatur. *S. Aug. in Genes. ad lit. lib. 12. n. 30.*

Vide *Superstitio.*

NOTA. Possunt etiam esse peccaminosa in causa, si quis de die per obscænos sermones, aspectus, lectiones, cogitationes &c. causam culpabilem præbuit; vel si quis post evigilacionem se in iis cum morosa delectatione detineat.

SPICILEGIUM.

CASUS. Habentne pauperes jus spicas colligendi post messem?

R. Lex Levitici, quæ Judæis præcipiebat, ut, quæ superessent in agris post messem, spicas relinquerent in bonum pauperum, spectabat ad legem judiciale, quæ Christianos non obligat quidem; iis tamen ob oculos ponit, misericordiam exhibendam esse pauperibus. *Si Diction. Cus. Conf.*

consuetudo, aut lex aliqua particularis in Regno quodam aut provincia idem statueret, pauperes citra injustitiam impediri non possent à colligendis spicis. Posset Episcopus in ejusmodi Regno aut provincia edita constitutione hujus injustitiæ authores ad compensationem adigere, ac, si fortè reluctarentur, prohibere, ne à Confessariis absolvantur. Pauperi quidem, si strictè loquamur, ad segetum reliquias post messem colligendas accedenti, nullum veri nominis jus in eisdem competit; sed eo tamen jure gaudet, ne vel metu, vel vi, vel fraude eas colligere prohibeatur. *Fromageau.*

SPONSALIA.

1. *Sponsalia* de futuro sunt promissio inter duas personas habiles ad contrahendum de futuro Matrimonio. Dicitur inter personas habiles ad contrahendum, nam requiritur. 1. Ætas competens (scilicet ætas ad minimum septem annorum) 2. Præter hanc ætatem usus rationis sufficiens. 3. Ut non adsit ullum impedimentum dirimens, aut aliud absque dispensatione non cessans; aliàs non possunt validè fieri *Sponsalia*.

2. *Sponsalia* celebrari possunt inter personas puberes, aut impuberes, absolute; Item sub certis conditionibus, dummodo sint *possibiles, licitæ, & honestæ.*

3. Uti Matrimonium debet esse absolute liberum, ita etiam non est permisum desponsatis; convenire de pœna pecuniaria solvenda à parte resiliente. Tales conventiones pariter condemnatæ sunt à Legibus Canonicis ac civilibus.

4. Impuberes à suis parentibus desponsati jus habent reclamandi contra facta *Sponsalia*, si attigerint annos pubertatis, nimirum annum duodecimum completum respectu puellarum, & decimum quartum respectu puerorum. Si verò alteruter hanc nondum attigerit ætatem, alteri expectandum erit, donec eam impubes

fuerit consecutus, antequam factis sponsalibus desistere possit: si autem uterque sit impubes, unus eorum altero etiam invito Sponsalibus renuntiare poterit. Quando puber & impuber, aut uterque impuber contrahunt verbis de præsentis, & congregandi potentia in eis non supplet ætatem, horum præsumptum matrimonium vim habet verorum Sponsalium, & producit impedimentum dirimens publicæ honestatis; ast juxta Concilium Tridentinum id locum non habet respectu matrimonii clandestini, nec etiam respectu matrimonii contracti cum consensu ficto, cum Sponsalia esse non possint sine vero consensu.

5. Sponsalia etiam juramento confirmata dissolvuntur: 1. Consensu mutuo desponsatorum. 2. Nimium diuturnâ unius eorum absentia, qualis est trium annorum. 3. Ingressu alterutrius in Religionem. 4. Receptione Ordinis sacri. 5. Matrimonio postea validè, quamvis illicitè contracto cum alia persona. 6. Fornicatione alterutrius, in quo casu solum pars innocens potest renuntiare promissioni Matrimonii. 7. Impedimento dirimente superveniente. 8. Deformitate aut infirmitati notabili, & perseverante, idem dicendum, si superveniat magna Religionis, honoris, aut bonorum mutatio. 9. Inimicitia capitali superveniente inter desponsatos.

CASUS I. *Eligius* filiam suam anno ætatis sexto cum dimidio desponsavit *Josepbo*, qui ejusdem est ætatis. An sponsalia sunt valida? & potestne peccari mortaliter contrahendo sponsalia ante hanc ætatem?

℞. Ista Sponsalia sunt nulla ipso jure regulariter loquendo, cum desponsati nondum compleverint annum ætatis septimum, saltem si ambo non habeant sufficientem rationis usum agnoscendi, ad quid se obligent. Ad secundum censemus; peccari mortaliter contrahendō Sponsalia ante annum ætatis septimum completum tam à contrahentibus suffi-

cientem prohibitionis Ecclesiæ notitiam habentibus, quàm etiam à Parentibus filios suos taliter desponsantibus: Attamen cum rarissimè infantes ante hanc ætatem notitiam talem habeant, & ipsorum Parentes aliunde ex urgenti sæpè necessitate tempus à Legibus præscriptum præveniant, dici potest, in tali casu non peccare eos mortaliter. *Pontas.*

CASUS II. *Briandus*, & ipsius uxor *Gabriella* desponsarunt filium suum sex annos & quatuor menses natum *Ludovicæ*: si iste usum rationis fuerit affectus, tenentur rata habere Sponsalia à suis Parentibus in suo nomine facta, aut potestne sine ullo peccato reclamare contra illa?

℞. Non tenetur ratihabere Sponsalia usum rationis affectus; & si ea nec expressè nec tacitè rata habuit, absque ullo peccato potest ea non exequi. *Pontas.*

CASUS III. *Joannes & Maria* septennium excedentes, sufficientem tamen rationis usum non habentes à suis utrinque parentibus desponsati sunt.

℞. Ista Sponsalia non sunt valida. *Pontas.*

CASUS IV. *Vitellius & Fulvia* desponsati sunt intra decimum & undecimum ætatis annum: Fulvia verò pubertatem adeptam vult revocare suum promissum, quin ullam hujus det rationem.

℞. Fulvia potest absque peccato petere & obtinere dissolutionem Sponsalium ab Ecclesiastico iudice. *Pontas.*

CASUS V. *Angelica Bernardo* desponsata anno ætatis suæ octavo revocavit suum promissum anno ætatis undecimo, pubertatem verò adeptam suam revocationem non amplius confirmavit.

℞. Ista revocatio est nulla, & post annos pubertatis non potest habere ullum effectum, nisi confirmata fuisset ab *Angelica* pubertatem adeptam; nam ut revocatio post adeptam pubertatem subsistat, requiritur, ut renovetur saltem tacitè, ita tamen ut alteri parti manifestetur mutatio voluntatis. *Pontas.*

CASUS VI. *Marcellus & Cecilia*, ambo undecim annos nati desponsati sunt à suis Parentibus, & juramento promissum suum futuri Matrimonii confirmarunt.

℞. Talis promissio non potest revocari absque crimine. *Pontas.*

NOTA. Hoc juramentum ob imperfectionem iudicii, ac proin ob dubietatem de valore potest à Confessariis privilegiatis commutari.

CASUS VII. *Pascchalis & Agatha*, ambo intra decimum octavam aut vigesimum ætatis annum desponsati sunt, tenentur sub mortali mutuum suum promissum implere contrahendo matrimonium, si nullam legitimam habeant excusationem?

℞. Ut promissum in sponsalibus factum obliget, requiritur regulariter loquendo, ut sit voluntarium, reciprocum, acceptatum, & quibusdam signis externis declaratum. Si igitur Sponsalia Pascchalis & Agathæ fuerint valida, & bona fide facta ab utroque, tenentur sub peccato mortali exequi suum promissum contrahendo matrimonium. *Pontas.*

CASUS VIII. *Hieronymus Justina* desponsatus est metu gravi & in virum Constantem cadente; coactus etiam est juramentò confirmare promissionem Matrimonii. An ista Sponsalia valida sunt in foro interno conscientia?

℞. Non est conveniens sententia in hoc puncto illorum, qui censent, Sponsalia esse valida, quia juramentum quodlibet servandum est, si absque peccato servari possit. Jam, *Hieronymus* potest absque peccato & offensa Dei implere suum juramentum, ergo tenetur ducere *Justinam*. Alii verò contrarium censent, & melius quidem; dicunt nimirum nulla esse Sponsalia, & etiam nullum esse juramentum, quo Sponsalia fuere confirmata. Nos autem credimus, pro majori securitate consultius esse, si ab Episcopo petatur dispensatio à juramento. *Pontas.*

CASUS IX. *Titia* à suo Patre desponsata est *Camillo*; ast solum ex metu reverentia erga Patrem consensum dedit,

ipsius severitatem sciens. Postea promissum suum implere renuit.

℞. Potest dici, illam excusari à peccato saltem in foro interno, si non impleat promissum ex solo timore severitatis paternæ factum. *Pontas.*

CASUS X. *Ambrosius* desponsatus fuit *Paulæ* in præsentia Parochi & utriusque Parentum, verum *Paula* non nisi externè dedit consensum; ideo recusavit postmodum implere istam fictam promissionem. Dein hoc confessario constitetur.

℞. *Paula* vi Sponsalium non tenetur exequi promissum, ad cuius impletionem nunquam intentionem habuit, tenetur tamen in conscientia ratione injuriæ & fraudis *Ambrosio* illatæ, aut scandali, quod ex ipsius recusatione oriretur, & si ad implendum promissum se non possit resolvere, tenetur cum eo convenire de justa compensatione, quam illi debet, & quam ille exigere potest. Confessarius *Paulam* ad hoc vel illud obligare debet. *Pontas.*

CASUS XI. *Victorius & Maria*, quorum conditio & bona æqualia ferme sunt, desponsati sunt; promissio tamen *Victorii* fuit ficta, & eo fine facta, ut liberius cum ea peccaret, quin ullam habeat voluntatem promissionem exequendi.

℞. Si *Victorius* *Mariam* destorârît, & ea propterea infamata est, & aliam compensationem non acceptet, *Victorius* absolute tenetur eam ducere, licet Sponsalia ex defectu veri consensûs sint nulla, & censemus, illum ab hac obligatione eximi non posse. *Pontas.*

CASUS XII. *Attilius* factò votò perpetuæ castitatis contraxit Sponsalia cum *Julitta*, & insuper juramentò confirmavit promissionem Matrimonii.

℞. Votum ab *Attilio* emissum reddit Sponsalia illicita & invalida, ideoque non potest exequi promissum, sed strictè tenetur fideliter servare suum votum, & agere pœnitentiam ob juramentum tam temerarium & tam injustum. *Pontas.*

Vide *Fornicatio. Casu Callistrates.*

CASUS XIII. *Julianus* desponsatus *Ursula* potestne licite emittere votum castitatis perpetuæ, & sic se eximere ab obligatione implendæ promissionis?

R. Sunt Authores, qui tenent negativam, & dantur, qui stant pro affirmativa: promissio Matrimonii censetur semper esse facta sub ista conditione tacita, nisi Deus me ad sanctiorem vitæ statum vocaverit, nos verò tenemus affirmativam. Si votum antecesserit Sponsalia, hæc nulla erunt; votum verò post Sponsalia emissum sufficiens est causa ex parte non ventis illa dissolvendi. *Pontas.*

CASUS XIV. *Rutilius* desponsatus *Paulina* peccavit cum consanguinea *Paulina* in tertio gradu.

R. Affinitas hoc peccato contracta non reddit Sponsalia invalida; Concilium enim Tridentinum impedimenta dirimentia criminis reduxit ad secundum gradum. *Pontas.*

CASUS XV. *Hugo* desponsatus *Theresia*, ut eam ducere non debeat, deliberatè ac ex mera malitia contraxit impedimentum dirimens peccando cum Matre aut sorore *Theresia*.

R. Coram Deo tenetur suo promissio, & tenetur etiam ad resarciendum damnum à se factum, in quantum potest, petendo dispensationem ab impedimento, & ad ducendam *Theresiam*, aut si dispensationem obtinere non possit, ad compensationem congruam alia ratione *Theresia* faciendam iudicio viri prudentis. *Pontas.*

CASUS XVI. *Lucianus Marcellina* desponsatus est; *Marcellina* verò rumore publico & commune percipit, *Lucianum* peccasse cum sua sorore.

R. *Marcellina* tutâ conscientiam potest recusare impletionem promissionis Matrimonii; & si in hoc casu & circumstantia nuberet *Luciano*, se voluntariè exponeret periculo contrahendi Matrimonium nullum, quod fieri non posset absque gravi peccato. *Pontas.*

CASUS XVII. *Optatus* desponsatus *Rosa* postea duxit *Isabellam*.

R. Peccavit mortaliter; matrimonium tamen est validum, licet non habuerit justam causam reclamandi contra Sponsalia. *Pontas.*

CASUS XVIII. *Theophrastus* desponsatus *Catbarina* contra datam ipsi fidem duxit *Antoniam*: hæc mortua post mensem teneturne *Theophrastus* viduus ducere *Catbarinam* adhuc virginem?

R. Non tenetur ad hoc vi Sponsalium, quæ ipso jure contracto cum *Antonia* Matrimonio facta sunt nulla; tenetur tamen vi obligationis naturalis ortæ ex promisso, quod reviviscit, utpote tantum suspensum per contractum matrimonium, usquedum hoc impedimentum tollatur. *Pontas.*

CASUS XIX. *Sponsalia Theophrastum* inter & *Catbarinam* fuerunt clandestina; an eandem etiam producant obligationem, de qua in præcedenti casu egimus, & Generaliter loquendo, obligantne etiam ista sub mortali, uti Sponsalia publica & solemnia, ad contrahendum matrimonium, si nulla detur causa legitima se ab hac obligatione eximendi?

R. *Sponsalia* clandestina æquè sunt valida, ac publica, & eandem producant obligationem: clandestina tamen non sunt consulenda, neque in praxin deducenda. *Pontas.*

CASUS XX. *Cajetanus & Magdalena* fuerunt desponsati, *Cajetanus* verò ex mera inconstantia contra datum promissum ducit *Bertam*, & *Magdalena* postea nupsit *Joanni*: elapsis aliquot mensibus *Joannes & Berta* moriuntur, & sic *Cajetanus & Magdalena* sunt vidui. *Anne Cajetanus*, qui prior fidem datam violavit, tenetur in conscientia ducere *Magdalenam*?

R. Aliqui Authores affirmativam tenent, nos verò censemus negativam esse magis veram. *Pontas.*

CASUS XXI. *Vincentius*, septendecim annos natus, & *Sebastiana* quatuordecim

decim nata, ambo ejusdem conditionis, sibi invicem promittunt matrimonium præsentè Parocho sine consensu tamen suorum Parentum. Tenenturne in conscientia ad implendum suum promissum, præcipuè secuta fornicatione?

R. Si ipsorum Parentes factò promisso se non opponunt; tenentur in conscientia illud implere; si verò se opponunt, promissum est nullum, cum non fuerint sui juris, licet factò promissò commiserint fornicationem, ita quidem ut *Vincentius* non possit ullo modo exequi promissionem *Sebastianæ* factam, quamdiu sub alterius est potestate. Nos tamen censemus eum teneri ex justitia & ratione scandali implere suum promissum, quamprimum atigerit ætatem à Lege requisitam, si illi, sub quorum potestate est, denegent ante hoc tempus dare consensum. *Pontas.*

NOTA. Extra Galliam, ubi reperitur lex irritans talia sponsalia, ea non sunt invalida.

CASUS XXII. *Protasius Lucia* desponsatus contra datam fidem contraxit nova sponsalia cum *Elisabetha*, eaque juramento confirmavit.

R. Tenetur ducere *Luciam* non obstante promissione *Elisabethæ* facta & juramento confirmata utpotè promissione & juramento nullis. *Pontas.*

Vide *Casum sequentem.*

CASUS XXIII. *Eduardus* annos triginta natus, & consequenter sui, suarumque actionum dominus contractis cum *Euphemia* sponsalibus promissit *Fara* matrimonium cum juramento, & sub hujus promissionis prætextu peccavit cum illa.

R. Tenetur ducere *Euphemia*, injuria enim *Fara* illata non potest privare *Euphemia* suo jure per præcedentia sponsalia acquisito, quæ sponsalia ex utraque parte bona fide fuerunt contracta. *Pontas.*

CASUS XXIV. *Sylvester* Mariæ se nullam aliam quam ipsam ducturum promissit.

R. Si *Sylvester* vult permanere cælebs, censemus illum non teneri ad implendum promissum, utpote conceptum terminis negativis non affirmativis relatè ad deter-

minatam personam resolutione absolutâ. *Pontas.*

CASUS XXV. *Alboinus*, trium filiarum Pater, unam in conjugem se daturum promittit *Barnabæ*; hic cum una earum peccat; *Alboinus* hujus peccati conscius deliberat, qualem illarum illi in matrimonium tradat.

R. Non tenetur illi aliquam earum tradere; liber enim est à suo promisso factò *Barnabæ*, qui jure suo privatus est per peccatum suum. Consultius tamen est; si *Alboinus* *Barnabæ* offerret, illam, cum qua peccavit, cum hæc tamen facile non repertura sit maritum, verum dispensatio legitima esset petenda. *Pontas.*

NOTA. Censeo, non esse opus dispensatione. Cùm enim cum neutra trium filiarum contracta fuerint sponsalia, non habet locum impedimentum publicæ honestatis. Accedit, quod non voluntas patris, sed assensus filiaë sanciat sponsalia.

CASUS XXVI. *Gabinus & Sylvia* fuerunt desponsati hac expressa conditione; si *Gabinus* reciperetur in Consiliarium in Parlamento Parisiensi; *Gabinus* quidem procuravit, ut fuerit receptus in consiliarium sed in Parlamento Rothomagensi.

R. *Sylvia* tutâ conscientiam potest recusare nubere *Gabinio*, utpote posita conditione non adimpletâ. *Pontas.*

CASUS XXVII. *Palladius* desponsatus est *Dianæ* hac conditione, ut illa se efficiat sterilem hausto potu, in quod illa consentit.

R. Ista sponsalia sunt absolute nulla, & nec ullam producant obligationem contrahendi matrimonium. *Pontas.*

CASUS XXVIII. *Theodebertus* promissit matrimonium *Paulinæ* in præsentia Parocho, & suorum utrinque Parentum, in particulari tamen declaravit *Paulinæ*, se non intendere, se obligare ad eam ducendam nisi hac conditione, ut se adjuvet ad exercendam usuram aut rapinam.

R. Conditiones bonis moribus contrariæ, etiamsi non adversentur tribus bonis matrimoniis, sunt ipso jure nullæ, & respiciendæ sunt ut impossibiles; sponsalia

igitur sub tali conditione facta sunt valida, quia considerantur sine conditione & absolute facta esse, dummodo non fuerit intentio expressa suspendendi consensum usque ad impletionem conditionis, si igitur talem intentionem Theodebertus non habuit, tenetur ducere Palinam, quamvis illa recuset consentire in commercium usufructuarium aut in suas rapinas. *Pontas.*

NOTA. Author cum suis authoribus loquitur inconsequenter. Si enim in priori Casu sunt invalida sponsalia, idem dicendum in presenti; cum non solum generatio prolis, sed etiam Societas perfecta subordinabilis ad finem naturæ humanæ ad substantiam matrimonii pertineat.

CASUS XXIX. *Gilberta* quando *Petro* fuit desponsata, erat facie & statura elegantis; accidentaliter autem fuit postea deformis facta, utpote amisto utroque aut saltem uno oculo.

R. Petrus absque peccato potest recusare, illam ducere; si deformitas esset valde notabilis, & magnam crearet animi aversionem à *Gilberta*. *Pontas.*

CASUS XXX. *Claudius* solenniter fuit desponsatus *Franciscæ*, vi Contractus sponsalitii illa tenebatur in dotem asserre 10000. Imperiales, in vigilia præcedente nuptias domus *Franciscæ*, quæ maximam bonorum suorum partem constituebat incendiò perit, ideo *Claudius* sub prætextu tenuitatis bonorum superstitum, renuit *Franciscam* ducere.

R. Censem *Claudius* absque peccato posse persistere in sua recusatone: nisi dos ad levanda matrimonii onera sufficiens remaneat. *Pontas.*

CASUS XXXI. *Polybius* & *Eleonora* fuerunt desponsati. *Eleonora* vi Contractus tenetur asserre in dotem 2000. Imperiales, paulò post illa hæreditate obtinet 45000. libras & ideo cum nunc dives sit ultra 50000., ac magis proficuum sibi matrimonium cum alio ditiori ineundum offerretur, recusat nubere *Polybio*.

R. Non censem, illam tutâ conscientia posse recusare matrimonium contrahere cum *Polybio*, quia non potest quærere de ulla mutatione reali suæ fortunæ. At-

tamen si *Confessarius Eleonoræ* deprehendat, eam se adeò opponere huic matrimonio, ut meritò timere possit, ne exinde malæ sequerentur sequelæ, non poterit eam ad hoc cum *Polybio* matrimonium ineundum obligare recusandò illi abolitionem. *Pontas.*

NOTA. *Confessarius* rem relinquit iudicio *Judicis* Ecclesiastici, aut pro more regionis politici, cujus est determinare indeterminata circa conditiones tacitas contractuum neque à lege neque à contrahentibus determinatas.

CASUS XXXII. *Praxedis Blasio* desponsata percipit; illum factum esse hæreticum; verum paulò post pœnitentiã ductus redit in sinum Ecclesiæ, & publicam hæresis abjurationem facit.

R. Censem, *Praxedem* non teneri in conscientia *Blasio* nubere. *Pontas.*

CASUS XXXIII. *Daniella* desponsata *Damalo* tantam animi aversionem adversus illum concepit, ut se non possit resolvere illi nubere. Potestne illa tutâ conscientia persistere in suo proposito permittendi cœlebs aut alteri nubendi?

R. 1. *Daniella* non potest propria auctoritate dissolvere sponsalia. 2. Quando hæc mutatio est effectus ipsius inconstantiæ, non est justa causa retractandi suum promissum, verum, si ista mutatio degeneraret in talem aversionem, è qua tristes quondam sequelæ timerentur, à *Judice* Ecclesiastico poterit peti dissolutio Sponsalium. *Pontas.*

CASUS XXXIV. *Lambertus* & *Henrica* fuerunt desponsati; *Henrica* verò post octo dies ingreditur Religionem.

R. Multi Authores censent; sponsalia resolveri ipso jure; nos verò cum plurimis aliis censem id solum intelligendum esse de *Lamberto*, qui remanet in sæculo; non autem de *Henrica* Religionem ingressa; nam hæc non censetur esse libera à sua obligatione nisi actuali sua professione secuta solemniter. *Pontas.*

NOTA. Spectato jure naturali, aut etiam divino, hæc conditio non est imbibita in contractu sponsalitio. Dispositio autem juris positivi hu-

mani ignorari potest. Supposita autem ignorantia dependet à *Judicio* Ecclesiæ, an dissolutionem petens verè ducatur motivò altiori, ut mereatur hunc favorem legis.

CASUS XXXV. *Alexander* desponsatus *Florentiæ* contra datam fidem, quia illa ullam dedisset causam, recipit Subdiaconatum.

R. Certum est, sponsalia facta esse nulla ipso jure. *Pontas.*

NOTA. Peccavit tamen sic ordinatus graviter, & Papa haberet potestatem, eum restituendi Sponsæ, nisi sponsalia fuerint aliis ex causis meritò irritabilia.

CASUS XXXVI. *Germana* desponsata *Paulino* credit, illum esse virum virtute & modestia præditum, ast post aliquot dies comperit contrarium.

R. Censem, causam hanc esse sufficientem, ut illi nubere recusare possit. *Pontas.*

NOTA. Dependet à *Judicio* *Judicis*, an censendum; intentionem puellæ fuisse tacite alligatam tali qualitati.

CASUS XXXVII. *Cassiodorus* *Columbæ* desponsatus est; illa ab *Athanasio* vim passa est; quin ullum dederit consensum in crimen, *Cassiodorus* hujus conscius potestne sub hoc prætextu recusare illam ducere?

R. Censem, si hoc soli sponso sit notorium, & nulla exinde infamia timenda sit sponso, illum non posse ob hunc casum injustè recusare sponsam ducere, si verò vi sibi illatâ *Columba* fuisset gravida effecta, *Cassiodorus* non tenetur illam ducere, quantumvis occultum foret stuprum. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. Si *Columba* voluntariam commisit fornicationem ante sponsalia, & *Cassiodorus* suus sponso hoc sciret, potestne tutâ conscientia recusare, illam ducere, cum ipso tale non patrasset peccatum?

R. Si *Cassiodorus* peccati notitiam habuit tempore, quo cum illa contraxit sponsalia, non potest sub hoc prætextu recusare illam ducere, si verò non nisi post sponsa-

lia facta id rescivit, non tenetur contrahere matrimonium cum illa. *Pontas.*

CASUS XXXIX. *Victoria* percepit sponsum suum Romanum commisisse fornicationem post facta sponsalia.

R. Videtur, non eandem libertatem Sponsæ æquè faciliè ac Sponso esse concedendam, attamen si benè perpensis variis circumstantiis temporis, loci & personarum probabile sit periculum, ne sponso recidat in idem flagitium post nuptias, sponsa poterit recusare; illi nubere, hinc priusquam retractet sponsalia *Victoria*, benè examinet, utrum Romanus in talibus sit constitutus circumstantiis. *Pontas.*

CASUS XL. *Tullia* scivit *Rusticum* sponsum suum fornicationem commisisse post contracta sponsalia.

R. Omnino non tenetur illi nubere; cum certum sit, contractui sponsalitio inesse hanc tacitam conditionem: modò continentiam servaveris. *Pontas.*

CASUS XLI. *Sylveria* sponsa *Emanuelis* permisit *Luciano* libertatem peccaminosè secum agendi.

R. Ista causa sufficiens est *Emmanueli*, ut possit urgere dissolutionem sponsalium. *Pontas.*

CASUS XLII. *Isidorus* desponsatus *Apolloniæ* juramento illi promisit, eam ducere; sed cum ea fornicatione commissa timet, ne & ab aliis faciliè seduci se permittat, ideoque nec post nuptias eam sibi fore fidelem, vult fieri Religiosus, & hoc suum propositum indicat *Confessario*.

R. *Confessarius* nec debet, nec potest approbare propositum *Isidori*, cum illud non posset exequi sine consensu expresso & libero *Apolloniæ*, & *Isidorus* sit indispensabiliter obligatus, suum promissum implere, & juramentò stare. *Pontas.*

NOTA. Nec juramentum, nec fragilitas, nec motivum *Isidori* est signum vocationis ad statum religiosum.

CASUS XLIII. Quid si *Isidorus* qui peccavit cum *Apollonia* sponsa sua, scivisset illam jam peccasse antea cum *Jacobo* post con-

contracta sponsalia, an non haberet libertatem intrandi in Ordinem ?

R. Peccatum Apolloniæ præcedens non est in isto casu causa sufficiens, ut Isidorus possit intrare Religionem, quia peccando cum ea renovavit, & confirmavit sponsalium contractum. *Pontas.*

CASUS XLIV. *Publius* sponsus *Justinæ* lapsus est in hæresin.

R. *Justina* jure potest petere dissolutionem sponsalium, ut alii possit nubere. *Pontas.*

CASUS XLV. *Raynaldus* sponsus *Michellinæ* peccavit cum *Nicolaide*, & *Michelina* cum *Gervasio*, utrumque peccatum utrique notum est.

R. Neutra pars potest recusare alteri nubere. *Pontas.*

NOTA. Censeo, quod utraque pars possit resilire; nam pars, quæ prior peccavit, amisit suum jus; & si pars innocens hoc illi jus per condonationem restituit, redit in jus pristinum inviolabile ab altero.

CASUS XLVI. *Gennadius* contractis cum *Carolina* sponsalibus seeretò peccavit cum *Johanna*; *Carolina* igitur si id sciret, posset recusare, illi nubere. Jam quantumvis reus sit *Gennadius*, potestne *Carolinam* obligare ad matrimonium secum ineundum, si illa id renuat, quin tamen legitimam quamdam causam alleget ?

R. Potest eam obligare; si aliandè legitimam pro se causam *Carolina* non habeat, qua eximatur ab obligatione sponsæ. *Pontas.*

CASUS XLVII. *Hermogenes* legitimè desponsatus *Ameliæ*, cum illa post sponsalia peccasset, recusavit ea ducere & quin sponsalium dissolutionem à judice Ecclesiastico declarari procuraverit, contrahit matrimonium cum alia.

R. Non Censemus *Hermogenem* reum esse peccati mortalis, saltem si agendo contra regulas ordinarias Ecclesiæ notabile scandalum non dederit: hoc de sponsalibus publicis intelligi debet; nam sponsalia clandestina & occulta propria auctoritate dissolvere quis potest. *Pontas.*

CASUS XLVIII. *Medardus*, sponsus *Julittæ*, legitimam habet causam illam non ducendi. Teneturne, si causa est publicè nota, recurrere ad judicem Ecclesiasticum pro dissolutione sponsalium? & hoc omittendo peccatne ?

R. Quidam Authores tenent, non opus esse auctoritate judicis Ecclesiastici, si causa adsit justa, certa & notoria, & scandalum non sit timendum. Alii, quorum sententia præferendam esse censemus, docent, sponsalia validè contracta absque peccato dissolvi non posse nisi auctoritate judicis Ecclesiastici. Excipiendi sunt casus sequentes: 1. Si unus desponsatorum suscipit statum Religiosum. 2. Si unus eorum contraxit matrimonium cum alia persona. 3. Si detur fornicatio notoria. 4. Si detegitur Impedimentum dirimens consanguinitatis, & affinitatis. 5. Denique si sponsus recepit sacros Ordines. Si sponsalia non sunt contracta in præsentia Parochi, non opus est, ut illorum dissolutio fiat à Judice Ecclesiastico, nisi exinde oriatur scandalum. *Pontas.*

CASUS XLIX. *Adriana* sponsa *Eduardi* paulò post facta sponsalia peccavit cum *Arnaldo*: *Eduardus* igitur *Adrianae* in præsentia Parochi declaravit; se de ipsius infidelitate certum illam non esse ducturum.

R. Ista declaratio non est sufficiens ad dissolutionem sponsalium; Parochus enim non est legitimus Superior in hoc puncto. *Pontas.*

CASUS L. *Philigonius* & *Livia* sibi invicem coram SS. Sacramento promissum firmarunt reciproco juramento, in cujus testem advocarunt *Jesum Christum* in illo præsentem. Dum verò postea sæpiùs inter se peccarunt, Consanguinei *Philigonii* hujus nefandi commercii rescii, illum *Moguntiis* avocarunt *Taurinum*: ante suum abitum renovavit suum promissum *Liviæ*, quæ pariter suo in promisso fidelem perstituram se affirmavit. *Philigonius Taurini* adveniens per duos annos

annos *Liviæ* sæpiùs misit literas fidelitatis suæ testes. Ast jam à sex annis *Livia* literas ab illo nec ullas accipit.

R. *Livia* sine peccato potest cum alio contrahere, quin teneatur *Philigonio* de hoc nuntium dare, nec etiam opus habet dispensatione à juramento. *Pontas.*

CASUS LI. *Ludovicus* & *Lydia* sibi invicem promiserunt matrimonium intra sex menses ad summum: *Ludovicus* verò vix non per integrum annum non amplius invisit *Lydiam*, nec illi judicavit, utrum velit stare promisso. *Lydia* propterea indignata cum alio contrahit. *Ludovicus* hujus notitiam accipiens se opponit matrimonio.

R. *Lydia* non tenetur attendere ad oppositionem istam. *Pontas.*

CASUS LII. *Sebastianus* *Monicæ* desponsatus profectus est in Regionem valde distantem, quin suæ sponsæ id priùs indicavit, & ibi moratur notabili temporis spatio.

R. *Monica* certè potest petere dissolutionem sponsalium. *Pontas.*

CASUS LIII. Si *Sebastianus* abiisset in Regionem non admodum distantem à loco, ubi *Monica* moratur, videtur in hoc casu illam ex justitia debere expectare reditum sponsi, aut saltem illi claris verbis innuere, quòd, si certo tempore non sit redditurus, sibi de alio matrimonio sit provisura: hoc tempore elapso nunquid libera est, aliàque nubere poterit ?

R. Si in his duobus casibus sponsus absens effet cum consensu sponsæ, illa teneretur sequi, juxta quosdam authores, dispositionem Legum Romanarum: alii verò censent, quorum sententia justitiæ & rationi conformior est, illam rigorosè non teneri se conformare his legibus; sed judicis Ecclesiastici arbitrio relinquendum esse: & ita usà receptum est in Gallia.

CASUS LIV. *Sempronius* & *Simonida* desponsati sunt à septem vel octo mensibus, & *Sempronius* diverso sub prætextu semper differt eam ducere. Quid *Simonidæ* agendum?

Diction. Cnf. Consc.

R. *Simonida* procuret sponsum suum citari à judice Ecclesiastico, & hujus latæ sententiæ se conformet. *Pontas.*

CASUS LV. *Florinus* peccavit cum *Constantia*, hujus Pater eam gravidam sciens omnia impendit, ut obtineat à *Florino*, ut filiam duceret, sed *Florinus*, cum eam hac conditione non imprægnaverit, & illa longè inferioris conditionis sit quàm ipse, objicit; suos parentes non esse consensuros in matrimonium. Pater igitur *Constantiæ* offert tantam summam in dotem, ut *Florinus* promiserit absolutè & sine adjecta conditione, eam ducere, & hoc quidem in præsentia Parochi cum juramento Deum in testem advocans. Postmodum *Florinus* per plures menses instabat apud Patrem *Constantiæ*, ut promissam tradat dotem, sed frustra.

R. Censemus, *Florinum* non teneri in conscientia ducere *constantiam*. Juramentum enim, quo promissum firmabat, conditionatum erat ad reciprocam promissionem Patris. *Pontas.*

CASUS LVI. *Antonius* & *Reynalda* desponsati erant, ast refrigerante mutua charitate remiserunt sibi invicem obligationem sponsalium.

R. Potuerunt id facere absque peccato, etiamsi sua mutua promissa firmassent juramentò. *Pontas.*

NOTA. Si Sponsalia fuerunt contracta coram parochio & testibus, etiam dissolvenda sunt coram parochio & testibus.

CASUS LVII. *Hubertus* contraxit sponsalia cum *Andreide*, cum etiam sequenti mox die munusculum misit, *Andreis* verò paulò post recusat illi nubere; *Hubertus* igitur repetit datum illi munusculum: teneturne illa restituere illud, aut tenereturne, si illi vellet nubere, *Hubertus* verò eam nollet postea ducere ex mera inconstantia :

R. Ad primam quæstionem dicimus, *Andreidem* teneri in conscientia ad restitutionem munusculi, quòd per modum arrhæ ab *Huberto* accepit, nisi illa justam & legitimam sponsalia retractandi causam habeat

Kkkkkk

habeat

habeat. Quoad secundam quæstionem certum est, Hubertum amittere jus ad datum Andreidi munusculum. *Pontas.*

CASUS LVIII. *Martinus & Anna* sponsalia contrahentes statuerunt certam pœnam, solvendam à resiliante.

℞. Martino resiliante Anna non habet jus exigendi ab eo pœnam conventionalem, quia omnis hujusmodi stipulatio in promissione fidei matrimonialis nulla est. *Pontas.*

CASUS LIX. *Dionysius* homo mediocris fortunæ, contracturus cum Natalia, puella ditissima, paciscitur, ut, si ipsa resiliet absque sua, Dionysii, culpa, ipsa teneretur ad sufficientem recompensationem ob lucrum cessans, id est, ob illud lucrum, quod ex hoc matrimonio obtinisset, si illa non resiliisset.

℞. Ista stipulatio non est justa, ideo Natalia non tenetur ad refarciendum tali modo Dionysio damnum. *Pontas.*

Vide *Caf. 58.*

CASUS LX. *Julia* desponsata Thomæ potestne absque iniustitia ab illo accipere quamdam pecuniæ summam titulò compensationis à Thoma injustè resiliante illi oblatam?

℞. Potest eam accipere, si reverà quoddam passa est damnum, si autem nullum pertulit damnum, nec exigere, nec accipere quidquam potest. *Pontas.*

Vide *Donatio, Impedimenta Matrimonii in genere, Dispensatio, Fornicatio.*

CASUS LXI. Sponsalia absque testibus, & assistentia Parochi facta suntne valida? possuntne etiam Matrimonio inducere impedimentum publicæ honestatis?

℞. In hoc casu attendendum ad consuetudinem Diocesis, & ad id, quod in Rituali præscribitur. *Fromageau.*

NOTA. Impedimentum publicæ honestatis inducitur etiam per Sponsalia clandestina; quia inhonestum est; conjunctionem animorum sponsalitiâ habere pluribus propinquis in primo gradu.

CASUS LXII. *Berta* contraxit sponsalia cum persona, cujus mala vitæ ratio probrum afferret toti familiæ Bertæ, si ipsi conjugio jungeretur.

℞. Ista sponsalia non sunt valida, quia secuturum matrimonium repugnaret amori, & tenero affectui, quem Berta suis debet Parentibus & cognatis; imo etiam ageret contra justitiam, cum facillè quis ex Bertæ familia inveniri possit, cui exinde causaretur damnum vel præjudiciûm.

CASUS LXIII. *Paulus* post contracta cum Bertha coram testibus sponsalia votum emittit simplex castitatis.

℞. Paulus tenetur ducere Bertam, cum juxta Capiculum: *Veniens qui Clerici &c.* Sponsalia non annullentur voto castitatis, & aliunde votum castitatis in talibus circumstantiis emissum non potest esse acceptum Deo, utpotè in præjudiciûm personæ desponsatæ vergens. Hinc supposito, quòd Berta cum Paulo matrimonium inire petat, Paulus tenetur ad illud contrahendum non obstante suo voto. *Rosig. de Spons.*

NOTA. Si Paulus nolit ingredi religionem, censo, hoc votum esse nullum, utpote imprudens, moraliter inobservabile, & cedens in grave præjudiciûm Sponsæ, cui gravissimum accideret, nunquam frui posse cupitis amplexibus, nisi per importunas vel inverecundas preces, etiam tunc ac toties iterandas, quoties in marito adverteret gravem tentationem. Hinc Sponsus pro tranquillanda sua conscientia tenetur petere saltem commutationem sui voti: & si hoc non faciat, sponsa conscientia habet causam resiliendi.

CASUS LXIV. *Tarquiniâ* Marito suo periculosè decumbente intimo cordis dolore abripiebatur, Galenus verò, cum quo quondam plura peccata commiserat, conatur eam consolari dicendo: si maritus moreretur, facillè alium iterum reperiet: his verbis addit: vis mihi nubere supposito, quòd maritus tuus moriatur? *Tarquiniâ* consentit, & mortuo marito. *Tarquiniâ* & *Galenus* credunt se esse invicem desponsatos. Suntne valida hæc sponsalia?

℞. Non sunt valida, nam, licet etiam omnes aliæ adessent conditiones, deest tamen consensus Galeni absolutus ac reciprocus, dicta enim ad *Tarquiniâ* ante ipsius mariti obitum non respicienda sunt, ac

ac si essent promissio positiva eam ducendi. Addo, hæc sponsalia fore etiam nulla, si promissio fuisset etiam reciproca, nam promissio facta vivente conjuge non solum est illicita, sed etiam prorsus nulla.

CASUS LXV. Ista sponsalia, de quo in præcedenti casu diximus, notoria facta sunt, ideo sistit se *Cajus* prætendens, secum & non cum alio *Tarquiniâ* teneri contrahere, quia mutua promissio matrimonii inter se jam facta sit, antequam nupsset illi, qui primùm obiit. An ista prætensio *Caji* justa est?

℞. Justa est, si absque causa, ut supponitur, *Tarquiniâ* resiliit à contractu sponsalitiâ cum *Cajo* inito, ac etiam in præsentis nullum motivum legitimum habeat rejiciendi propositionem *Caji*. Ratio est, quia promissio facta & acceptata abit in debitum, cujus obligatio verè suspendi potest impotentiâ intermediâ, non autem extinguitur nisi impotentiâ perpetuâ. Hinc in casu proposito, si *Tarquiniâ* secundas vult celebrare nuptias, & *Cajus*, qui se indignum illâ non reddidit, eam velle ducere, tenetur cum illo matrimonium contrahere. *Pontius lib. 12. c. 13. Girib.*

CASUS LXVI. *Franciscus* factis cum *Berta* sponsalibus peccat cum ea, paulò post reperit causam legitimam retractandi sponsalia, quæ causam tamen antecederat peccatum ab eo cum *Berta* commissum, sed hucusque tamen ipsi non erat nota.

℞. *Franciscus* potest retractare sponsalia, etiam post commissum peccatum, supponendò, causam retractationis esse legitimam, nam sicut voluntas non appetit rem incognitam, sic etiam nemo censetur per proprias suas actiones renunciare juri, quod eo tempore, quo actionem ponit, se habere non agnoscit. Hinc quamvis *Franciscus* commissò cum *Berta* peccatò suum desiderium sponsalia confirmandi manifestârit, interim tamen, uti ante commissum peccatum ignarus erat juris, quod habebat, retractandi sponsalia, ita sequitur, cum eodem jure gaudere post com-

missum peccatum. *Lessius. l. 2. c. 14. dub. 7. n. 34. Filiuc.*

CASUS LXVII. *Petronius* factis cum *Francisca*, vidua *Caji*, sponsalibus percipit, illam mortuo suo primo Marito peccasse cum Titio, propterea *Petronius* cogitat procurare dissolutionem sponsalium. Potestne id facere?

℞. Potest, sive dein *Francisca* peccante ante, vel post sponsalia ratio est, quia promissio sponsalitiâ non amplius obligat, si postea committatur, aut detegatur commissum quoddam crimen, quo cognito promissio sponsalitiâ non fuisset facta, uti in proposito casu patet. *Lessius, Sanchez, Bonac.*

CASUS LXVIII. *Titius* contractis cum *Berta* sponsalibus contrahit nova cum *Theresia*, quæ juramento firmat. An priora sponsalia annullantur per posteriora?

℞. Non; nam secunda sponsalia fuerunt illicita, ideòque juramentò non potuerunt confirmari, juramentum enim nunquam esse potest vinculum iniquitatis. *Giribald.*

CASUS LXIX. *Titius* contrahit Sponsalia cum *Berta* hac unica conditione, si Pater consenserit in matrimonium ante anni finem: Pater moritur quin ab eo petitus fuerit consensus.

℞. Sponsalia ista valida sunt in foro conscientie, quia dicta conditio solum adjuncta est ex metu, ne Patri matrimonium hoc acceptum non sit: Ast finis conditionis cessat morte Patris, ergo sponsalia manent in suo vigore. *Sanct. l. 5. de Matr. disp. 7. n. 19.*

CASUS LXX. *Lælius* ducit *Cajam*, postquam, jam cum *Titia* contraxerat sponsalia sub hac conditione: si Papa concesserit dispensationem ab impedimento dirimente. Peccatne, si conditionis impletio adhuc sit incerta?

℞. Probabilius peccat; nam, cum ista conditio sit honesta & possibilis, *Titia* vi sponsalium jus habet exigendi, ut *Lælius* expectet per tempus ad purificandam conditionem sufficiens, & cum ea matrimo-

nium contrahat conditione suum effectuuum sortitâ. *Rofig. de Spons.*

NOTA. Si Titia sit justè & graviter invita, certum est, Lælium graviter peccare.

SPURIUS.

CASUS. *Titius* Prior Commendatarius in favorem filii sui spurii in Curia Romana obtinuit dispensationem, qua hic capax efficitur ad possidenda quæcumque Beneficia, quorum redditus 500. florenos non excedunt, exceptis solum iis, quæ Pater ipsius possidet. Pater his non obstantibus suum illi Prioratum resignat: num licitè? Filius, cujus in favorem facta resignatio Romæ fuit Registro inscripta, potestne permutare hoc jus, quod præterdit? Num simoniam committeret, si sibi procuraret aliud Beneficium, ejusque Titulari affecuraret Beneficium sibi à Patre resignandum?

℞. Titius sine nova dispensatione priori Clausulæ derogante non potest filio suo Prioratum resignare: neque filius permutare potest jus, quod præterdit, utpote nullum. Demum certò committeretur simonia, si tali modò filius sibi procuraret aliud Beneficium. *Fromageau.*

Vide *Beneficiatus. Beneficium. Hæreticus. Illegitimus.*

STATUÆ & PICTURÆ OBSCOENÆ.

Nihil magis excitat phantasiam ac passionem, nihilque cor hominis magis corumpere valet, quàm picturæ & statuæ obscœna repræsentantes. *S. Chrysostomus* tales picturas & statuas *Thronum Diaboli* vocat, & contra has etiam *S. Augustinus* fortiter declamat.

CASUS. Quidam domi retinet picturas obscœnas.

℞. Tutâ conscientiam non potest eas retinere juxta plurium Conciliorum decreta: tales picturas velò obducere haud sufficit, sed aut comburendæ, aut corrigendæ sunt, ita, ut in eis nihil amplius appa-

reat, quod malas excitare possit cogitationes: Confessarii, qui tales picturas aut statuas in domo à sua poenitente asservari tolerat, exponit eum periculo æternæ damnationis. *De Lamet.*

STATUTA EPISCOPALIA.

Episcoporum potestas ferendi Leges, condendi Statuta & Sancienti Decreta pro bono regimine suarum Diœcesium ex eorundem Jurisdictione tanquam sequela necessaria derivatur.

Vide *Episcopus.*

CASUS. Potestne Episcopus legem ferre, ne scœminæ durante officio ingrediantur chorum Ecclesiæ Cathedralis?

℞. Potest talem legem ferre & si quam tulerit, qua locum tempusque præfixit exhortationibus à Scholastico Ecclesiæ Cathedralis habendis, Lex hæc semel in executionem deducta amplius mutari non potest à Capitulo. *De Lamet.*

Vide *Pontas.*

STIPENDIUM MILITUM.

I. Exhortatio, quam narrante Evangelii textu olim ad milites habuit. *S. Joannes Baptista*, satis demonstrat, militam professos à regno Dei non excludi, quod verum est non tantum de gregario milite, sed etiam de Officialibus bellicis. Nempe tam hi quàm illi debent esse contenti suis stipendiis, quæ à Principe percipiunt. Excubiarum Præfecto non licet minuere, sub quovis prætextu tergiversandò negare vel differre stipendia suis militibus, & interim moras ex moris nectendo apud thesaurarium Castrensem scœnerari & lucrum suum emungere ex pecuniis unice ad hoc destinatis, ut distribuantur inter milites tempore à legibus & consuetudine definito. Injustissimus est hic agendi modus, tepescit & languet miles in militia muniis ritè obeundis si stipendia ultra tempus consuetum differantur, indeque præ-

textus captant plerique vexilla sua & militiam deferendi.

2. Capitanei vel centuriones, qui quo tempore legiones recensentur, nondum integras habent suas Centurias, sed iisdem ut fucum supremo copiarum Imperatori vel Principi faciant, milites *supposititios* immiscunt, fures sunt ærarii regii, si in stipendiorum distributione plenum accipiant æs militare, quasi completas haberent suas centurias.

3. Copiarum duces in militari itinere constituti, qui ab Annonæ Castrensis procuratore vel in paratis pecuniis vel com meatuum portionibus jus transitus vel mansionis exigunt pro majore militum numero quàm secum ducunt, pariter fures sunt ærarii regis, quod quidem duobus modis potest contingere, vel nempe falsò militum suorum numerum augendo, vel secum ducendo milites extraneos & adscitios reverà ad se non pertinentes, pro quibus tamen com meatus exigunt, quasi vera Legionum & centuriarum suarum membra essent, aut supplementa. Tandem verò Officiales bellici, qui stipendia retinent suis militibus, furtum insigne committunt, & thesaurum iniquitatis sibi coacervant.

CASUS. Milites *Canada* seu *Novæ Franciæ* extra mansiones suas & hybernacula artibus vel labori manuum vacant, possuntne Capitanei ipsis retinere vel subtrahere militare stipendium hoc prætextu, quod lucrum his laboribus ipsis proveniens multum superet stipem militarem?

℞. Non possunt hoc facere absque injustitia: tenentur ad plenissimam restitutionem omnium, quæ hæctenus retinere; & si nolint subicere sese restitutionis oneri, non sunt absolvendi. *Fromageau.*

Vide *Pontas.*

STRUMA.

Est affectus corporis consistens in tumoribus in partibus colli glandulosis, sæpè exortis per usum aquæ vividioris seu

nimum frigida, valdè communis in Hispania. Rex Galliæ solus gaudet donò curandi strumas: Rex Angliæ vî juris chimerici in Regnum Galliæ hoc sibi quoque donum arrogat, quum tamen illud in effectu monstrare præsumat.

CASUS I. *Tiburcio* septem erant ex uxore sua filii. *Marculfus*, qui erat septimus, factus est Presbyter: Communis opinio, hunc habere donum curandi strumas, eoquòd esset septimus, effecit, ut ad eum è tota vicinia isto malo affecti accurrerent, ut per ipsius attactum & benedictionem curarentur.

℞. Hæc praxis est manifestus abusus. *Pontas.*

CASUS II. *Catullus* ultra sexennium affectus strumis percepit, Regem Galliæ strumas curare, adit igitur cum multis aliis tali malo affectis Regem, & revera curatus est per attactum Regium factum cum quorundam verborum pronuntiatione.

℞. Curatio isthæc sine ulla superstitione aut abusu facta est, Rex Galliæ enim verè hoc gaudet dono. *Ste Beuve tom. Caf. 170.*

SUB - CANTOR.

CASUS. Cantor cujusdam Ecclesiæ Cathedralis se opponit abrogationi officii Sub-Cantoris haud ita pridem ad onera Cantoris levanda instituti. An benè se opponit?

℞. Non debet se opponere Cantor, si abrogatio officii Sub-Cantoris utilis est Ecclesiæ. *De Lamet.*

SUFFRAGIUM.

In hoc Titulo per suffragium intelligitur privilegium, quo Religiosi professi gaudent, vi cujus vota sua daunt in Capitulo, quod maximè fit in scrutinio, in quo requiritur libertas votantium.

CASUS Quidam Religiosus cœcus est; an nihilominus gaudet privilegio dandi
Kkkkkk 3 votum

votum suum in Electione, & receptione candidatorum?

R. Gaudet isthoc jure, & procuranda ipsi sunt media, ut liberè ac tutò votum suum dare possit. *Fromageau.*

SUPERIOR.

1. Agitur hic de Superiore Religiosorum, qui in suo Monasterio idem præcisè agere debet, quod Jesus Christus ageret ratione perfectionis, & salutis suorum Fratrum, hujus nimirum actiones in omnibus suis operibus exprimat, & ut ita dicam, faciat, ut Pastor invisibilis fiat visibilis in sua, qua regit Monasterium exactitudine, & pietate. Hinc oportet, ut Superioris vivendi ratio sit adedò exacta, ac ab eo Regulæ observantia tam accuratè adimpleatur, ut exinde Fratres sui normam ac regulam suarum obligationum percipere possint: Præterea studeat, ut Superioris autoritate donatus semper memor sit verborum S. Spiritus: *Rectorem te posuerunt, noli extolli; esto in illis quasi unus ex illis. Eccles. 32.*

2. Denique Superioris est, ut suis Fratribus se in omnibus observantiis communibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in occupationibus etiam abjectis, in victu & vestitu socium esse nunquam detrectet, sed semper in id intendat, ut sola virtute, ac actionibus suo Ministerio propriis se ab aliis distinguat.

CASUS I. Quidam Religiosus ob aliud quod crimen pluribus notum infamiae notam subiit. An in Superiorem eligi potest?

R. Nec in sua, nec in alia communitate in Superiorem eligi potest, etiamsi de patratò crimine poenitentiam egerit: ad omnem dignitatem inhabilis est. *De La-met.*

CASUS II. An Religiosus honorarium, quod ob habitas conciones recepit, sibi retinere potest?

R. Nec Superior, nec Religiosus particularis tale honorarium sibi retinere po-

test; cum Monasterium illis victum ac vestitum præbeat: Ejusmodi pecuniae in communem massam Monasterii conferri, & ad eorum, ad quos spectat, nutum applicari debent. *Fromageau.*

NOTA. Author videtur loqui de honorariis ob conciones quadragesimales in majoribus urbibus. Inspicienda est laudabilis consuetudo Ordinum & Monasteriorum circa peculium privatum V. paupertas. *Religiosus.*

SUPERSTITIO.

1. In veteri Testamento nunquam legitur hoc verbum *Superstitio*, aut *superstitiosi*, in novo verò pluribus in locis recurrit. Juxta S. Thomam Superstitio est: *Vitium secundum excessum Religioni oppositum, eoque cultum adferat, vel ei, cui non oportet, vel eo modo, quo non oportet.* Superstitio dividitur in idololatriam, divinationem, vanam observantiam, & magiam: IDOLOLATRIA est cultus divinus exhibitus cuidam creaturæ, quæ ut Deus habetur, & hæc creatura *Idolum* dicitur: hæc *Idololatria* potest esse externa, aut solùm interna, aut externa & interna simul, semper tamen peccatum mortale est.

2. DIVINATIO est: *Futurorum contingentium*; id est, *provenientium à causa indeterminata prædictio*, & hæc Divinatio in plures subdividitur species, de quibus hic agitur. OBSERVANTIA VANA est: *Eventus fortuiti superstitiosa consideratio, mediève inefficacis adhibitio ad consequendum certum effectum*: hæc superstitiosis species licet peccatum mortale sit ex sua natura; potest tamen quandoque esse non nisi veniale ex defectu sufficientis attentionis, aut ob simplicitatem, bonam fidem, & ignorantiam. MAGIA superstitiosa est: *Ratio operandi mira ope demonis, per signa ab eo instituta, vel est invocatio demonis expressa, vel implicita, ad miri operis patrationem.*

3. Superstitiosis objectum potest esse duplex, & sibi invicem contrarium, nimirum

mirum aut cultus falsi Dei, aut cultus vero Deo exhibitus modo indebito, & opposito cultui ipsi debito, de quo hoc in titulo agitur: iste autem cultus aut est falsus, aut superfluous, Theologi priorem sic definiunt: *Veri Dei cultus non verus, quia falsus est in se*, hujus generis sunt falsa miracula, *vel in sua significatione*, qualis est observatio caeremoniarum judaicarum, & hic cultus semper est peccatum mortale. Posterior definitur, quòd sit: *Dei cultus ab illius instituto alienus*, id est, cultus à *Consuetudine, Doctrina, & Spiritu Ecclesiae* alienus.

4. Generaliter loquendo primò Decalogi præceptò prohibentur omnes, qualescunque sint, superstitiones; ita S. Thomas; ratio illius est, quia omnis superstitio necessario pactum saltem implicitum aut tacitum cum dæmone continet, ita etiam docet facultas Theologica Parisiensis.

CASUS I. Florentius, Parochus, antiquam secutus consuetudinem à suis jam Prædecessoribus, & aliis vicinis Parochis in praxin deductam imprimere solet clavem suæ Ecclesiae Divo Petro sacrae ignitam capitibus boum, canum & aliorum animalium; & hoc ideo, ut à rabie præferrentur. An hic usus superstitiosus est?

R. Redolet certè superstitionem; nam quo fundamento dici potest, clavem Ecclesiae S. Petri majorem habere virtutem præservandi à rabie quàm clavem S. Pauli, aut alterius Sancti? dein supposita hac virtute, cur clavis potius ignita quàm non ignita hac pollet virtute? Certè Florentius benè ageret, si talem consuetudinem aboleret, si id absque scandalo facere potest, consulto tamen prius suo Episcopo. Illi, qui bona fide aut ex simplicitate talem consuetudinem sequuntur, non peccant mortaliter, cum talis devotio adhibendi clavem Ecclesiae S. Petri sit quidem cultus superfluous non tamen vera superstitio. *De Ste Beuve tom. 2. casu 12.*

NOTA. Redolere superstitionem dicitur, quòd vim tribuit caeremoniis ab Ecclesia nec institutis, nec positivè approbatis, sed tantum toleratis ob traditiones populares circa earum originem sacram quamvis judicio peritorum probabilius falsam.

CASUS II. *Valentinus*, qui pro viro singularis pietatis habetur, plures sanavit infirmos recitando super eos Evangelium S. Joannis *In principio &c.* & quinque Pater & Ave cum aliis quibusdam precibus. An propterea superstitionis reus est?

R. Si *Valentinus* in suis precibus aliam intentionem non habet, quàm ut Deo exhibeatur cultus ipsi debitus, ac solùm de ipsius bonitate impetrare speret sanitatem, pro quibus orat, non est superstitionis reus; si verò potius ex his quàm aliis precibus, aut è certo orationum numero effectum expectat, superstitionis effectus reus. Generaliter loquendo formulæ privatarum seu particularium precum valdè suspectæ sunt de superstitione, si ex iisdem potius quàm ex aliis effectus expectetur, præsertim si sint preces non approbatæ ab Ecclesia. *Pontas.*

NOTA. Indubitato pro superstitiosis habendæ sunt preces determinato numero vel ritu peragendæ in ordine ad certum effectum obtinendum, nisi ille numerus vel ritus significandæ rei sacrae causâ fuerit institutus vel approbatus à Papa, vel Synodo Episcoporum, vel ab Ordinario.

CASUS III. *Nicephorus*, Miles, secutus exercitum, se inscribi procuravit albo cujusdam confraternitatis, persuasum habens, omnes signum dictæ confraternitatis portantes & quinque Pater & Ave quotidie recitantes infallibiliter obtenturos gratiam, absque confessione non moriendi. An superstitiosum hoc?

R. Haud dubiè ob hanc falsam persuasionem superstitionis reus est, licet suorum Confratrum usus signum confraternitatis portandi laudabilis ac pius sit, cum per hoc aliud non intendant, quàm ut per signum externum devotionem internam denotent, ac per hoc admoneantur sui propositi, recitandi preces quasdam pri-

vatas, aut quædam bona opera peragendi.
Pontas.

CASUS IV. *Mirocles* ob quædam remedia, quæ in certis morbis applicat, celebris præfertim in febrî, colica, & dolore dentium *Ludovicum* febrî decumbentem primo mox die unius horæ spatio febrî liberavit applicata tribus distinctis vicibus certâ quadam herbâ ad carpum. 2. Sanavit etiam Colicam, qua laborabat *Antonius*, pronuntiandô quædam verba in lingua peregrina additô etiam uno *Pater*. 3. Curavit dolorem dentium *Petro* applicando ad infectum dentem alium dentem alteri homini propter similem dolorem extractum.

Irenæus alia ejusmodi remedia habet, quibus curare solet morbos varios variorum animalium. Parochus horum duorum ejusmodi curationes taciti cum dæmone pacti effectus esse suspicabatur; *Irenæus* verò asseverat; nihil tale à se intendi; sed se ista occulta remedia à suo Patre jamjam morituro accepisse ea intentione, ut iis uteretur charitatis ergo erga vicinos suos pauperes. An *Mirocles* & *Irenæus* utendô talibus arcanis remediis peccant?

℞. Juxta *S. Thomam tit. 2. q. 98. art. 2. ad 1.* uti quis potest absque superstitione & peccato rebus naturalibus ad producendum quemdam effectum, si certus sit eas talem producturas effectum, ac id fiat recta ac simplici intentione. Si igitur *Mirocles* certus est, herbam, quam ad carpum applicat, eandem, quam ei attribuit, habere virtutem, usus talis herbæ non est superstitiosus; si verò quædam addenda essent certa quædam verba, characteres, aut figura & aliæ vanæ observationes, de quibus scitur, quod talem virtutem naturalem non habeant ad producendum effectum intentum, certè superstitio intervenit; hinc eo ipso *Mirocles* superstitiosis reus est; nam quam connexionem naturalem habent verba linguæ peregrinæ cum Colica, quibus tamen verbis virtutem talem tribuit sub prætextu

orationis Dominicæ istis verbis additæ? Hæc ergo remedia superstitiosa & peccaminosa sunt juxta doctrinam Sanctorum Patrum:

Vide *S. Basilium in Psal. 45. S. Augustinum l. 2. de Doctr. Christi. c. 20. sect. ii. 30. & lib. 2. de Civitate Dei c. 6. & S. Thomam locò citatò.* Parochus *Mirocles* & *Irenæi* eos superstitiosis condemnans conformiter egit ad Concilium Tolosanum annò 1590. celebratum: Parte 4. de hæred. mag. sortil. & astrol. c. 12. n. 5.

CASUS V. *Chrysostronus* morsus à cane, quem timebat fuisse rabidum, ab aliis percepit, panem benedictum præservare à rabie, si cum devotione comedatur, propterea à suo Parocho petiit, ut sibi daret panem benedictum, quem cum accepisset, eum dicta intentione comedit. An potuit Parochus ipsi in hunc finem dare panem benedictum? num etiam talis panis ovi ab eodem cane morsæ edendus prærigi potuit?

℞. Parochus potuit dare panem benedictum in finem à *Chrysostrono* intentum, & hunc etiam *Chrysostronus* comedere potuit cum devotione in finem à se intentum, panis enim benedictus non solum utilis est pro salute animæ, sed etiam corporis, id patet ex ipsa formula benedictionis. At brutis panes benedictos dare non licet. *Ste Beuve tom. 2. casu 12.*

NOTA. Quando prudenter timetur vel dubitatur de maleficio interveniente operatione dæmonis, rectè dantur etiam animantibus res benedictæ; quia ad hunc effectum per Ecclesiæ preces obtinendum ordinantur & jubentur sensibilibus ad captum populi applicari ab Ecclesia.

CASUS VI. *Quintinus* videns Delphinus in maris superficie ludentes asserit, brevi exorituram esse tempestatem. *Euphemius*, Agricola, media nocte audiens canem ad portam domus suæ ululantem, & corvum crocitantem certò affirmat, quemdam è suis domesticis, aut vicinis brevi esse moriturum. Sûntne superstitiosis, aut divinationis per auguria & præfagia rei?

℞. *Quintinus* non est superstitiosis aut divinationis reus; omnes enim in mari navigantes ab experientia habent, orituras esse tempestates, si *Delphini* ludunt; hujus rei ipsa Scriptura suppetit exemplum *Milvi* in Cælo cognoscentis tempus suum, & turturis, hirundinis ac ciconiæ custodientium tempus adventus sui. *Jeremia 8. 7.* Hæc auguria sunt naturalia. *Euphemius* verò reus est superstitiosis, ipsius enim præfagia dependent ab infana imaginatione hominum impiorum, aut ignorantium, sântque veræ reliquæ superstitiosis Gentilium. *Pontas.*

CASUS VII. *Placidia*, devotioni erga *B. Virginem* specialiter addicta, solet tempore vespertino, quo alii preces suas coram exposito Venerabili Sacramento persolvunt, in quadam Ecclesiæ Capella ante imaginem *B. Virginis*, quam miraculosam esse credit, suas persolvere preces. An propterea superstitiosis rea est?

℞. Si *Placidia* suas preces ante dictam imaginem persolvit ideo, quia *B. Virginem* solum considerat ut advocatam potentissimam, non tamen ita potentem, quàm Christus ipse est, non est superstitiosis rea, cum ipsius devotio ac opinio orthodoxa sit. *Pontas.*

CASUS VIII. Quædam personæ ad collum appensa gestant amuleta, seu faculos, in quibus continentur herbæ benedictæ v. g. ruta, & insuper quædam verba Evangelii *S. Joannis* in Charta pergamena scripta, & aliæ res, quibus specialem inesse virtutem contra Veneficia contendunt.

℞. Iste usus talium amuletorum superstitiosus est, & libri ejusmodi amuletorum usum commendantes perniciosi sunt, ac interdicens & proscribendi sunt. *Fromageau.*

NOTA. Amuleta ab auctore vocantur res naturales, quibus nonnulli vim naturalem contra dæmones & Sagas assignunt. Vide in mea *Theol. de 1. præcepto.*

Diction. Cas. Confè.

CASUS IX. Distribuuntur absque licentia Episcopi quædam Orationes, quibus vim sanandi, aut à certis malis temporalibus præservandi vim inesse affirmant.

℞. Id non licet, & si quis tales orationes oraret præsumens, se per eas infallibiliter fore sanandum, superstitiosis reus esset: Persæpè etiam fit, ut utendô talibus orationibus circumstantia aliqua addatur, qua dictæ orationes redduntur illicitæ. *Fromageau.*

NOTA. Superstitio non consistit solum in eo, quod orationi determinatis verbis adstrictæ tribuatur infallibilis vis, sed in eo etiam, quod tribuatur ulla vel minima vis. Stultum enim, & religioni nostræ probrosum est, credere, Deum vel Sanctos circa preces vim determinatis verbis adscripsisse.

CASUS X. *Terentius* recusat interesse convivio, ad quod tredecim convivas accumbere videt, quia nimirum timet, ne unus horum convivarum eodem anno moriturus sit.

℞. Si timor *Terentii* nititur persuasionem certa de futura morte alicujus convivarum, peccat graviter peccatò superstitiosis; superstitiosam enim est, timere quidquam eventurum à causa, quæ ad talem effectum producendum inutilis est ex sua natura, nec etiam à Deo virtutem talis procurandi effectus accepit. Si verò timor *Terentii* fundatur solum in levi aliqua credulitate, non peccat graviter. *Lessius de superst. lib. 2. c. 43. dub. 7. n. 43. Suarez. Girib. & alii.*

NOTA. Etiam levis timor vel credulitas pertinet ad genus superstitiosis. Sed in hoc genere, sicut in hæresi, ad quam reducenda est, non datur objectivè parvitas materiæ, sed tantum subjectivè ob indeliberationem actus.

SURDUS ET MUTUS.

Dantur duplicis generis surdi; quidam enim omnino sensu auditus carent, quidam verò audiunt, si illis alta voce loquamur, aut mediante aliquo instrumento auribus applicato. Datur etiam surditas

LIIII,

spiri-

spiritualis, de qua *David Psalmó 35. 4.* mentionem facit. In hoc titulo dicitur, surditatem non excludere à participatione Sacramentorum ad salutem necessariorum, licet quis à nativitate surdus & mutus sit.

CASUS I. *Pamphilo*, à nativitate *surdus & mutus*, periculosè decumbente Parentes ejus illicò miserunt ad *Licianum* Parochum suum, ut moribundum absolvet. *Lucianus* cum perbenè nôset *Pamphilum* non potuisse sufficienter instrui de mysteriis fidei, sine qua tamen nemo salvari potest, dubitat, an illum absolvere, & Viaticum ei administrare debeat?

R. Verum est; adultum salvari non posse sine vera fide; dici tamen potest, surdos & mutos à nativitate obtinere à Deo donum fidei, si vivunt juxta regulas rectæ rationis, & luminis naturalis, ac insuper non extinguunt & suffocant in animo desideria, quæ ipsis inspirantur ad quærendam instructionem. *S. Thomas q. 14. de veritate art. 11. de fide ad 1.* Hinc *Pamphilus*, si est baptizatus, & quædam dat signa externa fidei, & etiam vitam Christianam vixit, poterit Parochus absque ulla temeritate credere; eum esse instructum de fide, ideòque debet ipsi absolutionem impertiri, maximè si signa quædam dederit pœnitentiæ, imo etiam administrare Viaticum, si edat signa adorationis, aut reverentiæ erga hoc augustissimum Mysterium. *Conferentiæ de Perig. tom. 4. c. 1. q. 1. Ste Beuve tom. 2. casu 10. 95. & 151. Item tom. 3. casu 17.*

NOTA. *Mutus & Surdus* à nativitate, non potest absque miraculo sufficienter esse instructus de Sacramento pœnitentiæ & Eucharistiæ, nisi sub ratione generica signi sacri seu mysterii. Hinc, quia valde dubium est, an ista generica dispositio sufficiat ad recipiendum fructum Sacramenti, Eucharistia ipsi nec publice nec privatim, absolutio autem solum privatim sub conditione, si capax es, danda est.

CASUS II. *Clodius*, Parochus, habet in sua Parochia juvenem quemdam surdum & mutum, de cujus salute nullam omninò curam gerit, cum illum alicujus instru-

tionis incapacem credat. An Parochus iste non peccat?

R. Censetur, gravissimè Parochum istum peccare; nam homo, etiamsi à nativitate surdus & mutus sit, sufficienter instrui potest de essentialibus Religionis veritatibus per varia signa relationem ad illas habentia, præsertim per imagines mysteria fidei exhibentes, aut quatuor novissima repræsentantes, ac insuper convenientes affectus ipsi exhibeantur v. g. adorationis, reverentiæ, timoris, gaudij &c. *Conferentiæ Andegav. Julius 1704.*

SUSPENSIO.

1. *Suspensio* est censura Ecclesiastica, qua ob grave crimen Clericus privatur exercitio Ordinis, Officii, administratione Beneficii, & possessione aut perceptione fructuum Beneficii in toto vel ex parte ad certum tempus vel pro semper: **TRI-PLEX** igitur datur suspensio, nimirum ab *Ordine*, ab *Officio*, & à *Beneficio*: **PRIMA** privat functionibus actualibus *Ordinum* receptorum; **SECUNDA** privat exercitiò jurisdictionis, & omnibus functionibus ratione Beneficii, vel muneris Ecclesiastici obeundis, **TERTIA** privat fructibus, qualescunque sint, & aliis commodis Beneficii. Hæc triplex suspensio potest simul infligi sententiâ Superioris; & tunc vocatur *totalis*, aliàs dicitur *partialis*, utraque tamen est mera pœna, quæ ob aliquod grave crimen infligitur.

2. *Suspensio ab Ordine tantum* non se extendit ad ordines inferiores; hinc Sacerdos solum suspensus à celebratione Missæ potest licitè exercere functiones Subdiaconi & Diaconi: **POLMANUS** censet, Presbyterum solum suspensum à Diaconatu posse exercere functiones Presbyteratus, uti sunt concionari, & administrare Sacramenta.

3. *Suspensio lata in personam* inhæret personæ, quamvis in aliam migret Diocesis, & Episcopus alterius Diocesis non potest

potest tali personæ permittere exercitium suarum functionum in sua Diocesi.

4. *Suspensio à Beneficio* per sententiam judicis suspensus etiam est à Beneficiis, quæ in alia Diocesi habet. Suspensus à Beneficio juxta Canones non potest Beneficium resignare aut permutare, quia resignatio aut permutatio necessario supponit jus in Beneficio, quo jure vi suspensionis caret.

5. *Clericus* suspensionem incurrit ipso jure. 1. Ubi Episcopi hanc pœnam statuerunt v. g. in eos, qui se ordinari fecerunt ad titulum simulati Beneficii, aut ad titulum patrimonii fictum. 2. Si recipiantur Ordines sacri ante ætatem requisitam, aut extra tempus à Canonibus præscriptum, aut absque dimissorialibus proprii Episcopi. 3. Si eodem die recipiantur duo sacri Ordines. 4. Si recipiatur ordo sacer ante ordinem inferiorem: idem dicendum de iis, qui Excommunicati, aut Simonia rei recipiunt Ordinem. 5. Si quis alium pro se substituatur ad examen prævium ante Ordinationem. 6. Si quis se ordinari curavit ab Episcopo, quem scivit esse excommunicatum, suspensum, aut interdictum denuntiatum. 7. Si quis recipiat Ordines ab Episcopo, qui se Episcopatu, & functionibus Episcopalibus abdicavit. 8. Si quis recepit Ordinem post contractum matrimonium, quamvis illud non fuerit consummatum. 9. Ipso jure etiam incurrit suspensionem quivis Sacerdos tam Regularis quàm Sæcularis, qui Benedictionem nuptialem impertitur personis alterius Parochiæ sine licentia Parochi, aut Episcopi contrahentium.

6. Omnes illi, qui suspensi ab Ordine aliquam functionem Ordinis exercent, mortaliter peccant, & etiam irregularitatem incurrunt.

7. *Suspensio* jurisdictione contentiosa non punitur irregularitate, cum eam simplex *Clericus* nondum aliquo Ordine initiatus exercere possit: idem dicendum de iis, qui suspensi à Beneficio ejus tamen percipiunt fructus, faciunt locationes,

aut aliis funguntur Officiis Beneficio annexis; tales peccant quidem mortaliter, non tamen incurrunt irregularitatem; sic etiam irregularitatem non incurrit suspensus ab officio concionatoris, si concionatur, quia hoc Officium seu Ministerium non est essentialiter annexum Ordini.

CASUS I. *Archambaldus*, Episcopus, nominatim suspensus ab Ordine, vel à jurisdictione declaratus est, quia eodem die alicui Sub-Diacono suæ Diocesis contulit Ordines Diaconatus & Presbyteratus. An nihilominus functiones Episcopales exercere potest?

R. In jure Ordo & Jurisdictio sunt duò valde diversa: cum igitur pœnæ Canonice sint materia odiosa, & consequenter non extendendæ; censetur suspensus ab Ordine non suspensus à jurisdictione & vice versa; nisi jurisdictio sit necessario annexa Ordini, ut in Sacramento Pœnitentiæ, quam proin Presbyter suspensus ab Ordine exercere non potest. Cum ergò *Archambaldus* solum sit suspensus ab Ordine, non potest celebrare in Pontificalibus, nec consecrare Ecclesias aut altaria, quia hi actus functiones sunt Ordinis, à quo suspensus est: Potest verò exercere actus jurisdictionis Episcopalis, ut conferre Beneficia, approbare Confessarios, ferre censuras, & ab eis absolvere in foro externo tantum; quia hi actus sunt actus jurisdictionis. *E contrario* si est suspensus à jurisdictione tantum, tunc potest exercere omnes actus Ordinis. Observandum tamen; Episcopum nunquam censeri suspensum, nisi expressè nominetur. *Pontas.*

CASUS II. *Metrodorus*, Parochus ruralis, quemdam amicum commodius ut convivio exciperet, illud in caupona parari curavit. Verum ipsius Episcopus omnibus Clericis cauponas interdixit sub pœna suspensionis ad sex menses ipso facto incurrendæ, & absolutionem ab ea sibi metipsum reservavit. **QUÆRITUR** igitur 1. An peccarit mortaliter. 2. Utrum suspensus sit non solum ab Ordine, sed etiam à functioni-

tionibus Parochialibus in foro interno? & 3. A quo absolvendus?

R. 1. *Metrodorus* peccavit mortaliter juxta *S. Gregorium in cap. Si quis 2. de majoritate & obedientia l. 1. t. 33.* 2. Cum terminus suspensionis sit generalis sine restrictione & distinctione, *Metrodorus* reverà suspensus est ab omnibus functionibus Ecclesiasticis, & omnibus juribus ad Beneficium pertinentibus per sex menses. 3. Intra istos sex menses solus Episcopus illum absolvere potest à suspensione hac; elapsò autem terminò sex mensium redit omnia sua jura, quin opus habeat absolute prædicta. *Pontas.*

NOTA. Si parochus per Episkiam absque malitia sibi formasset dictamen, ab Episcopo hunc casum extraordinarium probabilis sub lege generali non fuisse comprehensum, non foret suspensus, nec teneretur se gerere pro suspensio.

CASUS III. *Dominicus*, Parochus, invisens Parochum alterius Diocesis cum eo in caupona conversatus est, quamvis sciat à suo Episcopo cauponas esse prohibitas Clericis sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ. An suspensionem incurrit?

R. Non incurrit; statutum enim Diocesanum est lex annexa territorio Diocesano, & solum ligat eos, qui in eo morantur actu: hinc *Dominicus* se extra territorium suæ Diocesis detinens non incurrit suspensionem, de qua in hoc casu agitur. *Bonifacius VIII. in cap. Ut animarum. 2. de constitut. in 6.*

CASUS IV. *Gerasimus*, Presbyter, à sua Diocesi discedens in alia suum fixit domicilium, in qua stabilitò domiciliò in quadam caupona suis cum amicis prandium sumpsit, ignorans in hac Diocesi ingressum Cauponæ prohibitum esse Clericis sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ. An coram Deo ob suam ignorantiam à suspensione excusatur? 2. An celebrando postea non incurrit irregularitatem?

R. Ignorantia tam juris Ecclesiastici, quam facti excusat à quacunque censura,

si illa non sit affectata & culpabilis. *Bonifacius VIII. locò citatò.* Hinc cum *Gerasimus* nullam habuerit notitiam talis prohibitionis, nec suspensus, nec etiam irregularis censendus est, si postea celebrarit, dummodo ipsius ignorantia non fuerit crassa, aut affectata. *Pontas.*

CASUS V. *Eleazarus*, Episcopus, publicò edictò generaliter omnibus in ordinibus constitutis interdixit cauponas sub pœna suspensionibus ipso facto incurrendæ: An igitur etiam *Hieronimus*, Acolythus, suspensionem, si cauponam ingressus est, & etiam irregularitatem, si postea actum Ordinis exercuit, incurrit?

R. Regulariter loquendo non incurrit has censuras; juxta comunem enim modum loquendi Clericus non dicitur constitutus in ordinibus nisi post receptum Sub-Diaconatum. Interim tamen Episcopus sub Edictò potuit comprehendere etiam constitutos in Ordinibus minoribus; hinc in præsentì casu inquirendum est, qualis fuerit mens Legislatoris. *Pontas.*

CASUS VI. *Voconius* diffidens de sua capacitate die Ordinationis se immiscuit ordinandis, sicque absque prævio examine ordinatus est Diaconus. An incurrit suspensionem ab Ordine?

R. Non est dubium, *Voconium* suspensionem incurrisse juxta Decretalem *Celestini III. in cap. Innotuit. 3. de eo, qui furtive Ordinem suscepit l. 5. t. 30.* Episcopus tamen potest dispensare. *Pontas.*

CASUS VII. *Mummolus* exhibitis falsis sui Episcopi dimissorialibus literis in alia Diocesi suscepit Sub-Diaconatum. An suspensionem ab ordine propterea incurrit?

R. Juxta *Concilium Aurelianense anno 549. Can. 5.* incurrit suspensionem; & huic antiquæ disciplinæ conformis viget consuetudo, ut nimirum hæc censura ipso jure incurratur. *Conferentia Andegav. de Luçon & d' Age &c. Pontas.*

CASUS VIII. *Cyriacus* solum viginti tres annos cum dimidio natus exhibitò

factò ex libro Baptismali testimoniò Presbyter ordinatus est: an currit suspensionem? & si hanc incurrit, & ipsius crimen notum sit, ac in tali statu celebravit, à quo absolvi poterit?

R. Certum est; ipsum ipso jure incurrisse suspensionem, & etiam irregularitatem, si in tali statu celebravit, juxta *Concilium Tridentinum sess. 23. de Reform. c. 12.* absque peccato mortali, & quin incurratur suspensio, ordinari non potest, qui requisitam à Canonibus ætatem non habet: si igitur *Cyriaci* crimen notorium sit, Romam necessario recurrere debet pro obtinenda in *Dataria* dispensatione. *Concilium Tridentinum sess. 24. c. 6.*

CASUS IX. *Mutius*, Acolythus, ordinari se fecit ab Episcopo, qui se abdicavit suo Episcopatu & functionibus etiam Episcopalibus, & cujus Episcopalem sedem jam alius occupavit. An suspensionem incurrit?

R. Incurrit suspensionem. *Alexander III. in cap. Requisivit. 1. de Ord. ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatu. l. 1. t. 15.*

CASUS X. *Humbertus*, in Diocesi *Basileensi* natus, jam per octennium apud Episcopum *Sedunensem* inter ipsius Domesticos moratus ab eodem Subdiaconatum recepit sine literis dimissorialibus Episcopi *Basileensis*: mortuo dein Episcopo *Sedunensi* ab illius Successore in Eleemosynarium susceptus elapsò bienniò ordinatus est ab eo Diaconus, & dein Presbyter. An *Humbertus* decem annis cum dictis duobus Episcopis commoratus ordinari potuit absque dimissorialibus sui Episcopi *Basileensis*, quin suspensionem incurrerit?

R. 1. *Humbertus* non incurrit ipso jure suspensionem, quòd Subdiaconum se ordinari fecerit ab Episcopo *Sedunensi* absque dimissorialibus sui Episcopi; quia jam per actò annos inter Domesticos Episcopi *Sedunensis* fuit commoratus; juxta *Concilium enim Tridentinum sess. 23. cap. 9.* Episcopus licitè conferre potest Ordines

illi, qui per Triennium inter suos fuit Domesticos, etiamsi non sit suus Diocesanus, nec etiam sui Episcopi Dimissoriales habeat. 2. Quod attinet Diaconatum & Presbyteratum, *Humbertus* hos ordines juxta idem Concilium non potuit recipere ab Episcopo *Sedunensi*; cum illi tantum duos serviverit annos, Privilegium à Concilio de tribus annis servitii concessum non potest extendi etiam ad Successores defuncti Episcopi, quia privilegia, cum versentur circa materiam odiosam, restringenda sunt juxta regulam juris: *odia restringi convenit.* Verùm ordinari tamen potuit Diaconus & Presbyter à Successore Episcopi *Sedunensis*, si *Humbertus* in Diocesi *Sedunensi* suum domicilium constituere decreverit, supposito tamen quòd non fuerit ordinatus in fraudem, ut se subtrahat jurisdictioni proprii sui Episcopi *Basileensis*; hac enim interveniente fraude ipso jure suspensionem incurrisset. *Navarrus lib. 1. Consil. de temp. Ord. Conf. 2.*

CASUS XI. *Martinus*, in Diocesi *Auscitana* oriundus, ut rigorosum sui Episcopi evitaret examen, præcuravit sibi quemdam Canonicatum in alia Diocesi hac intentione, ut ab Episcopo sui Beneficii Presbyter ordinaretur, & ordinatus redire posset in suam Diocesim *Auscitana*, quòd & fecit, nam Presbyter factus resignavit Canonicatum, quin illius possessionem sumpserit, & in suam Diocesim rediit. An non ipso jure suspensus est?

R. Censetur incurrisse hanc censuram juxta decretum *Concilii Tridentini sess. 23. c. 8. de reform.*

CASUS XII. *Manilius*, Presbyter Diocesis *Andegavensis* transit in Diocesim *Parisensem*, quamvis à suo Episcopo facultatem in aliam Diocesim transeundi non obtinuerit: octiduo elapsò ipse talem scriptam facultatem, seu *Exeat* composuit, ut cujus etiam obtinuit licentiam celebrandi, qua obtenta domicilium suum fixit in quadam Parochia, ubi singulis diebus celebravit: Confessarius ipsi id confi-

tenti declaravit, quòd incurrerit suspensionem ipso facto, 1. Quia fictio licentiæ transeundi in aliam Dioccesin est casus reservatus, cui suspensio annexa est in Diocesi Andegavensi. 2. Quia vi duodecimi Articuli statutorum synodaliū Diocesis Parisiensis annò 1697. Presbyter post quindecim sui adventūs dies sine legitima licentia celebrans ipso jure suspensionem incurrit. An Confessarius benè ratiocinatus est?

R. *Manilius* non incurrit ipso jure suspensionem; ratio est 1. Quia non incurrit suspensionem latam ab Episcopo andegavensi, fictio enim literarum, cui suspensio annexa est, facta est extra dictam Dioccesin, statutum autem solum ligat eos, qui actu se detinent in territorio jurisdictionis sui Episcopi. 2. Non incurrit suspensionem comprehensam in statutis synodalibus Diocesis Parisiensis, cum *Manibus* obtinuerit licentiam celebrandi in Diocesi Parisiensis, quamvis obreptitiè; & ipsa hujus licentiæ validitas non dependeat essentialiter à licentia transeundi in aliam Dioccesin prius obtenta. Verùm si *Manilius* ipsam licentiam celebrandi finxisset; tunc eo ipso incurreret suspensionem comprehensam in præfatis statutis synodalibus Diocesis Parisiensis, & etiam incurreret irregularitatem, si postea etiam celebraverit Missam, cum certus fuerit, hanc se celebrare absque licentia. *Pontas.*

CASUS XIII. *Faustinus*, Presbyter, suspensus est à Sacerdotio sententiâ Officialis, quia in celebratione Missæ non observaret consuetas Cœremonias: hoc non obstante functiones Diaconi exercuit. An propterea irregularis est?

R. Non censetur suspensus ab ordine inferiori suspensus ab ordine superiori: hinc *Faustinus* non incurrit irregularitatem. *Navarrus Manuale c. 27. n. 163.*

CASUS XIV. *Octavianus* Canonicus Ecclesiæ collegiatæ declaratus est suspensus à Beneficio; an ideo etiam perdit titulum Beneficii?

R. Certum est, eum non perdere titulum, sed solum jus administrationis tamdiu, quamdiu durat suspensio. *Nicolaus III. in cap. Cupientis. 16. de electio- ne &c. in 6. l. 2. n. 9.* Ast perderet & titulum Beneficii, si timere contra censuram quid attentasset. Idem. *Pontas.*

CASUS XV. *Guido*, Parochus, declaratus suspensus ad annum, sciens se tamdiu non posse percipere fructus Beneficii; illud permutavit cum aliquo Canonicatu, cujus etiam possessionem sumpsit, vel illud resignavit. An id licitè & validè facere potuit?

R. Juxta jus Canonicum nec licitè nec validè permutare, aut etiam resignare potuit, cum tali modo non potuerit disponere de Beneficio, nisi utatur jure in Beneficio, quo tamen per suspensionem privatus est, & ideo ipsam suspensionem violet. In Gallia tamen requiritur sententia judicis; quæ si lata non fuerit, permutare aut resignare poterit Beneficium etiam si suspensus. *Pontas.*

CASUS XVI. *Eparchius*, Parochus, à judice Ecclesiastico declaratus est suspensus ab Officio, an nihilominus fructus Beneficii sui percipere potest, ut antea?

R. Sciendum prius, an suspensus ab Officio, sit etiam suspensus à Beneficio, & in hoc authores non conveniunt: negativa videtur verior. *Vires sententiæ ultra intentionem proferentis non nocent dicit Icterus de Anchvano in Clem. Cupientes de panis apud S. Anton. in 3. part. Sum. Theol. t. 17. c. 24. juxta regulam juris 172. ff. de divers. Reg. juris, quæ dicit: expressa nocent, non expressa non nocent.*

CASUS XVII. *Gervasius*, Parochus in Diocesi Meldensi, & Prior in Diocesi Parisiensis incurrit suspensionem à Beneficio latam ab Episcopo. An hæc censura ligat *Gervasium* ratione etiam Prioratus, quo in Diocesi Parisiensis gaudet?

R. Si suspensio, quam *Gervasius* incurrit, lata est per modum statuti, tunc non suspenditur à suo Prioratu juxta *Bonifacium VIII. in cap. Ut animarum sin. de con-*

constit. in 6. l. 1. t. 2. Ast si dicta suspensio lata est per modum sententiæ; tunc illa directè afficit personam *Gervasii*, illūque ubique sequitur, non enim distinctio locum habet, ubi jus ipsum non distinguit. *Leg. de pretio. ff. de publiciana in rem. l. 6. tit. 2.*

CASUS XVIII. *Marculus*, Vicarius in quadam Parochia rurali, per sententiam judicis declaratus est suspensus ab Ordine, ab Officio, & à Beneficio; ipse verò rediit in Dioccesin, in qua natus est: an etiam hic suspensione ligatur, & si celebret, irregularis sit?

R. Manet ligatus suspensione; & si celebret, sit irregularis, quocunque loco se detineat, nisi prius rehabilitetur & absolvatur. *Conferentiæ Condom. tom. 1. c. 5. §. 1. & Andegav. Augustò 1712. q. 2. pag. 253.*

CASUS XIX. *Eleonorus*, Presbyter Diocesis Noviodunensis, suspensus ab Ordine, & ab Officio à suo Episcopo, procuravit sibi Parochiam in Diocesi *Suessionensi*. An hæc Collatio valida?

R. Beneficium est jus à Papa aut Episcopo stabilitum percipiendi certa quædam bona Deo dicata collocatum Clerico ob quoddam ministerium spirituale: hoc jus licitè conferri non potest, nisi capaci & habili ad tale officium seu ministerium officio annexum;abilitas autem requirit scientiam & integritatem morum, hinc *Eleonorus* suspensus in Diocesi Noviodunensi non potest licitè aut validè provideri Beneficiò etiam alibi. *Pontas.*

NOTA. Nec ignorantia, nec defectus morum reddunt invalidam collationem beneficii curati.

CASUS XX. *Maclusius*, Parochus, suspensus à Beneficio, durante suspensione obtinuit Canonicatum. An hæc collatio valida?

R. Si suspensus est ab omni Beneficio tunc incapax est aquirendi novi Beneficii, cum Beneficium detur propter Officium, cujus tamen ob suspensionem incapax est. *Innocentius III. in cap. Cum dilect. 8. de consuetud.* Verùm si solum à

sua Parochia sit suspensus; tunc validè potuit illi conferri Canonicatus. *Conferentiæ Condom. t. 1. c. 5. §. 1.*

CASUS XXI. *Leporius*, Parochus, suspensus à Beneficio, in conscientia se teneri advertit ad resignationem Parochiæ; an resignando aliquam pensionem sibi reservare poterit non obstante suspensione?

R. Suspensio non reddit Beneficium incapax pensionis: hinc *Leporius*, si aliundè ob sua præterita merita, præstita servitia, aut sustentationem suam pensione dignus est, & indiget, potest aliquam sibi reservare; pensio enim & Beneficium valde diversa sunt. *Pontas.*

CASUS XXII. *Philostates* post contractum cum Titia Matrimonium ipsâ insciâ suscepit Subdiaconatum & Diaconatum: an ideo suspensus est ab exercitio horum duorum Ordinum? & si suspensus est, à quo absolvendus?

R. *Joannes in Extravag. Antiqua. unie. de voto, & voti redempt. in 6.* decidit; eos, qui post contractum matrimonium sacros Ordines recipiunt, ipso jure incurrere suspensionem Ordinis, Officii & Beneficii, etiam si matrimonium non fuerit consummatum. Juxta *Du Cassè* hæc suspensio reservata est Papæ, *Ste Bewe* tamen existimat, Episcopum posse dispensare in Gallia. *Pontas.*

CASUS XXIII. *Bertulfus*, Diaconus, aut Presbyter, mutatò suò domiciliò in aliam migrans Provinciam ibi suam, quam habuit, concubinam duxit uxorem. An suspensio huic crimini annexa est?

R. Juxta Concilium Romanum, Annò 1059. sub *Nicolao II.* celebratum, *Bertulfus* incurrit suspensionem. *Pontas.*

CASUS XXIV. *Nymphidius*, Presbyter secularis, adstitit Matrimonio cuidam absque licentia contrahentium, Parochi, & Ordinarii. An suspensionem incurrit?

R. Certum est; illum incurrisse suspensionem, & ab hac absolvi non posse, nisi ab Episcopo Parochi contrahentium. Ita

*Concilium Tridentinum sess. 24. de re-
form. matrim. c. 1.*

CASUS XXV. *Parmenianus*, Religio-
sus Apostata, nondum ab Apostasia abso-
lutus, per fraudem tres sacros ordines à
suo Episcopo suscepit. An incurrit suspen-
sionem, & à quo absolvendus?

R. Suspendus est ipso jure ab his tribus
Ordinibus: & à solo Papa absolvi potest.
*Henorius III. in cap. Consultationi fin-
de Apostatis. &c. l. 5. t. 9.*

CASUS XXVI. *Basilus*, Diaconus,
in examine ad Presbyteratum rejectus
Cammerario Episcopi duodecim promisit,
deditque aureos, si sibi Admissionem ad
Presbyteratum procuraret, quam & obti-
nuit. An suspendus ideo?

R. Certè præter alias in simoniacos in
Ordine latas pœnas incurrit etiam suspen-
sionem, à qua solus Papa absolvere potest,
nisi Basilii crimen fuerit occultum, tunc
enim ab Episcopo suo absolvi potest. *Ca-
bascutius l. 5. c. 16. n. 13.*

CASUS XXVII. *Boleslaus* ob percussio-
nem Clerici excommunicationem majo-
rem incurrens ordinari se fecit Subdia-
conum, quin absolutus fuerit ab excom-
municatione, quamvis sciret, id absque
novo crimine fieri non posse. An suspen-
sionem incurrit?

R. Ipso jure suspensionem incurrit.
*Innocentius III. in cap. Cum illorum. 32.
de sentent. excom. l. 5. t. 38.*

CASUS XXVIII. In *Bartolomeum*,
Presbyterum, accusatum de gravi crimi-
ne, à judice sæculari, vel Ecclesiastico,
lata est sententia citationis personalis, vel
incarcerationis. An continuare potest abs-
que peccato functiones Presbyteri, ante-
quam se de suo crimine purgârit?

R. Sententia incarcerationis infamat
Clericum, eumque privat exercitio fun-
ctionum sui Ministerii, & etiam Beneficii,
si quod habet, etiam si appellâset, vel ob-
tinuisset decretum defensionis; ita *Edi-
ctum de anno 1605. art. 40.* Verùm per so-
lam citationem personalem non incurritur
præfatum interdictum: & hæc differen-

tia inter sententiam citationis & incarcera-
tionis resolvit præsentem casum. In
quibusdam tamen Diœcesibus, qualis est
Parisiensis, dum Clericus personaliter ci-
tatur, eo ipso ab Episcopo ipsi interdicitur
functionum Ordinis exercitium; hinc ta-
lis Clericus pro suspendo habendus est, &
si hoc violaret interdictum, incurreret
irregularitatem. *Pontas.*

CASUS XXIX. *Pomponius*, Parochus,
à tribus suorum Parochianorum accusatus,
quòd pro administratione Sacramentorum,
& sepultura pecunias exegerit, cum ta-
men id prohibitum sit statutò Episcopi sub
pœnis in jure latis, condemnatus est ab
Officiali ad restitutionem duorum aureo-
rum, & interdicta ipsi est per totum men-
sem celebratio Missæ. An hoc interdictum
vera suspensio est? & si celebret Missam
ante elapsum mensem irregularitatem in-
currit?

R. Verè suspendus est, & si celebret an-
te elapsum mensem sit irregularis. Su-
periores enim possunt ferre pœnam sus-
pensionis in perpetuum, vel ad tempus
limitatum. *Pontas.*

CASUS XXX. *Oliverius*, Diaconus,
ab officiali declaratus suspendus à suis Or-
dinibus ad tres menses, terminò elapsò
suas exercuit functiones, quin prius à su-
spensione fuerit absolutus. An propterea
irregularitatem incurrit?

R. Censetur, Oliverium licitè potuisse
functiones suorum ordinum elapsò ter-
minò obire, quin opus habuerit absolu-
tione; in hoc enim suspensio ab excom-
municatione differt, quòd excommunica-
tio non tollatur nisi prævia absolutione à
Superiore legitimo facta; suspensio verò
ad certum tempus lata cesset ipso momen-
to temporis determinati. *Tolet. instruct.
Sacerd. l. 1. c. 46. n. 1.*

CASUS XXXI. *Laurentius*, Presby-
ter Lugdunensis, Parisios veniens sus-
pensionem incurrit ob violatum statu-
tum Diœcesis, postea iterum Lugdu-
num redit. An à suo Episcopo absolvi
potest, quin requiratur consensus Episco-
pi

pi Parisiensis? & si suspendus celebrârit,
& ideo irregularis factus fuerit, debetne
recurrere Romam?

R. Potest à suo Episcopo absolvi à su-
spensione, si Lugduni domicilium suum
fixerit, Episcopus enim domicilii locum
tenet Episcopi, qui legem tulit. *See Beau-
ve tom. 1. casu 35. & tom. 2. casu 79. &
184.* Idem etiam dicendum de irregulari-
tate à Laurentio incurra juxta Mandatum
Parisiense anno 1709. *Pontas.*

CASUS XXXII. *Hieronymus*, Paro-
chus, ab Officiali Diœcesano declaratus
suspendus ab Ordine, Officio & Beneficio,
appellavit ad Metropolitanum aliquot die-
bus, antequam Jubilæum inciperet, con-
tendens sententiam suspensionis suæ esse
injustam. Verùm prævidens sententiam
definitivam non fore ferendam ante ter-
minum Jubilæi, quod tamen ipsius lucrari
sincerè optabat, quærit, an non possit absol-
vi ad cautelam, uti fieri solet in excom-
municatione. & id potissimum ex hac ra-
tione, ne sui Parochiani priventur Jubi-
læo, cum ipse vicarium non habeat?

R. Potest absolvi ad cautelam à suo Me-
tropolitano, aut ejus vicario generali.
*Honorius III. in cap. Venerabili. 52. de
sent. excom. &c.* Verùm Hieronymus
Metropolitano demonstrare debet nullita-
tem sententiæ contra se latæ, & sufficien-
tem præstare cautionem standi sententiâ
definitivâ, si causâ cadat. Observandum
quoque absolutionem ad cautelam solum
locum habere in interdicto personali, non
autem in interdicto lato in totam Civita-
tem aut Parochiam. *Pontas.*

CASUS XXXIII. *Aloysius*, & *Hila-
rius*, Canonistæ, hanc agitant quæstio-
nem: an Clericus possit suspendus decla-
rari ob culpam alterius, quin ipse peccar-
it: unus eorum tenet affirmativam, alter
verò negativam nixus regulâ juris: sine
culpa non est aliquis puniendus & quia etiam
excommunicatio validè non potest pro-
nuntiari contra innocentem. Cui assen-
tiendum?

Diction. Cas. Confe.

R. Assentiendum illi, qui affirmativam
tenet juxta *S. Thomam in 4. dist. 18. q. 2.
art. 3. quæst. 2. ad 1.* Regula juris intel-
ligenda est de casu, ubi nulla sufficiens
puniendi causa adest. *Bonifacius VIII. in
Reg. 23. de Reg. juris in 6.*

NOTA. Prohibitum tamen est, integram commu-
nitatem religiosam ob delictum paucorum ab
audiendis confessionibus suspendere.

CASUS XXXIV. Quidquam Parochus
accusatus de Hæresi, ac illicito cum suis
pœnitentibus commercio potestne excom-
municari coram Deo, quia talis sit co-
ram hominibus, positò quòd non sit de-
claratus excommunicatus?

R. Affirmativè. Ipsius Episcopus ob pu-
blicam infamiam potest eum suspendere
à Divinis interea, dum Officialis in ipsius
meres inquirat, si innocentem se esse asse-
rit, innocentiam suam probare debet, &
si reus est, se Parochiâ adicare, & pœni-
tentiam agere tenetur. *Fromageau.*

CASUS XXXV. Quidam Clericus à
suo Episcopo interdictus, ac suspendus de-
claratus rehabilitatus est ab Officiali Me-
tropolitano; Episcopus propterea appella-
vit Romam: intra hoc tempus Clericus
obtinuit Canonicatum. An Canonicatum
licitè acceptare potest?

R. Dicitur Clericus non potuit provide-
ri Canonicatu; debet enim prius absolu-
tionem & novam Beneficii provisionem
obtinere. *Fromageau.*

Vide *Abbatissa*, Casu V. *Appellatio*,
Casu X. *Interdictum*. *Ordo*. *Titulus*.
Censura. *Ordinatio*.

SUSPICIO.

1. Suspicio est dubium, quòd quis ha-
bet de probitate, & vivendi ratione alte-
rius, quo stante iniquum ferri judicium
proclive est. *S. Paulus* damnat temera-
riam suspicionem, eamque annumerat in-
vidiæ, rixis, contentionibus, & blasphemis.

Mmmmm

a. S.

2. *S. Thomas* distinguit tres suspicionis species, seu gradus diversos. 1. quando quis incipit dubitare de probitate proximi ob levia indicia, & hoc provenit ex fragilitate humana, & perrarò evitatur. 2. Cum aliquis pro certo, cum aliqua tamen hæsitatione credit, alium esse impium, aut commisisse aliquod facinus, hocque ex levibus conjecturis desumat. 3. Cum aliquis iudex ex suspitione aliquem condemnat, & hoc à mortali excusari haud potest. Observandum etiam; hominem impium facile suspicari, alium pariter esse impium; & majorem esse propensionem ad suspicandum aliquod malum de eo, quem averfamur, quam quem amore prosequimur, ac æstimamus.

CASUS I. *Berenice*, Materfamilias, suspicatur, filiam suam, naturâ hilaris animi, nimiam secum agendi licentiam permittere cuidam adolescenti, vicini sui filio, qui eam deperire videtur, & ob hanc suspitionem ex levibus tantum indiciis ortam prohibet filix suæ, ne unquam sola cum solo moretur, qui tamen hucusque nunquam quid mali attentavit. An Mater isthæc ob talem malè fundatam suspitionem peccavit?

R. Censetur, *Berenice* ne quidem leve commisisse peccatum; nam suspicio tendens ad præcavenda mala non est illicita, sed potius laudanda. *S. Thomas* 2. 2. q. 49. art. 8. in corp.

CASUS II. *Damitius* advertens suam Uxorem nimium esse familiarem cum suo vicino, tantam de ea concepit suspitionem, ut statuerit, se separare ab illa saltem ad thorum. An id absque peccato facere potest?

R. Datur suspicio temeraria, id est, carens legitimò fundamentò, & à peccato haud excusanda talis est. 2. Datur suspicio probabilis, quæ à peccato excusari potest. 3. Datur etiam suspicio violenta fundata in conjecturis ac indiciis violentis, & hæc condemnationem personæ, de

qua suspicio est, inducit. His prænotatis si suspicio *Domitii* temeraria est, aut solum probabilis, non potest sine peccato se separare à sua uxore etiam quoad thorum. *Pontas*.

NOTA. *Domitius*, antequam se quoad thorum separet correctionis causâ, tenetur uxorem prius monere.

CASUS III. *Arsacius* Advertens quamdam puellam cum quodam adolescente nimis familiariter conversari, ac inter se nimiam agendi licentiam admittere, credit, aut saltem violentam suspitionem habet, eos luxuriosè vivere. An ob hanc suspitionem graviter peccat?

R. Si id temerariè non suspicatur, non peccat juxta *S. Thomam quodlibet. 12. art. 34.* Suspicio non est verum iudicium, & de se non est mortale peccatum, potest autem tale fieri, si suspicio oriatur ex fundamento insufficienti v. g. ex invidia aut odio erga proximum: iudicium temerarium plenè voluntarium est, suspicio verò plerumque oritur ex errore intellectûs, qui facit, ut credamus rationes, quæ nobis suspitionem movent, esse sufficientes. *Pontas*.

NOTA. Suspicio non est iudicium intellectûs, sed dubium cum suspensione iudicii. Dubium prudens non est peccatum. Iudicium temerarium, quamvis dubiosum, semper est peccatum, grave vel leve pro qualitate præiudicii, cuius periculo exponit proximum.

T.

TACTUS.

Non est hic sermo de tactu in genere, qui permultis in casibus potest esse absque ullo peccato; nec de tactibus, qui ex natura sua provocant ad lasciviam; sed solum de tactibus inter sponfos & conjugatos habitis, quorum aliqui mortaliter, alii venialiter peccaminosi, & alii ab omni peccato immunes existunt.

CASUS I. *Firminus* cum frequenter inviseret sponsam suam, tangit ejus faciem, ma-

manus, brachia, ac etiam figit oscula cum aliqua delectatione, quamvis brevi transiente, & sine ulla intentione peccaminosa.

R. Aliqui Authores volunt, eum peccare mortaliter, si delectatio est magna & longioris durationis; aliqui dicunt, eum non peccare mortaliter. Quin tamen aut hos aut illos absolutè condemnemus, dicendum nobis videtur, ejusmodi actiones, si fiant à personis carnalibus, quarum inclinatio talis est, ut eas ordinarie alliciat ad concipienda prava desideria, esse peccata mortalia; quia talis corrupta inclinatio constituit evidens periculum incontinentiæ. Si verò tales personæ perraro ac non nisi ex subita occupatione abripiuntur ad prava desideria, ac insuper habeant curam resistendi, non videtur, eas condemnandas esse peccati mortalis; quia ejusmodi solutiores actiones non sunt peccata mortalia ex sua natura, neque fiunt peccaminosæ, nisi vel ex prava intentione eas actiones affumentium, vel ex periculo incontinentiæ, cui se exponunt. Nihilominus tamen prima opinio sola tuta est in praxi. *Pontas*.

NOTA. Ex qualitate tactuum, actuum, & personarum Confessarius quidem judicare potest de gravitate vel levitate periculi ad peccata carnis vel ad graviore tentationes se tenentis ex parte contentis; cum tamen ipsi perspecta esse nequeat qualitas periculi ex parte complicitatis, penitens absolutè obligandus est ad evitandos tactus non necessarios causâ honestatis publicæ.

CASUS II. *Frodulphus* conjugatus quærit à confessario, an amplexus & oscula, tactus & aspectus impudici, & morosæ delectationes sint peccata mortalia inter conjuges.

R. Dicendum, quòd toties peccet mortaliter, quoties ex iis accidit pollutio extra vas debitum aut quoties illius periculum proximum sibi aut compari imminet. Secus verò uterque venialiter duntaxat peccat; ac ne venialiter quidem peccat persona conjugata, quæ sine libi-

dinoso appetitu sistente in sola voluptate talia conjugati ad actum conjugalem eo modo se comparanti in se permittit; cum hujusmodi tactus & oscula quasi dispositiones & præludia licita, sint; dummodo mensura debita ac modus conveniens observetur: quia cum licitus est finis, licita sunt & media, & cui licet operis consummatio, licet profectò & ejus inchoatio. Quod autem attinet ad delectationes morosas inter conjuges habitas, certum est illicitas esse, quando ad copulam statim habendam non referuntur: delectatio enim venerea etiam inter conjugatos est illicita, nisi ad copulam tendat. Porro in his discutiendis ac discernendis non mediocri prudentia opus est confessario. *Pontas*.

NOTA. Conjugatis omnes & soli illi tactus licent, qui absque probabili pollutionis præviæ periculo serviunt ad excitandam fortius naturam in ordine ad finem conjugii, procreationem videlicet prolis, melius assequendum.

TENTATIO DEI.

Tentare quandoque in sacra Scriptura idem significat ac experimentum capere. In hoc sensu dicitur: *Tentavit Deus Abraham &c.* Hic tentationem Dei esse dicimus, si quis aliquid absque causa rationabili facit, aut dicit, ea intentione, ut experimentum capiat Divinæ potentix, bonitatis, aut alterius attributi Divini, quin adhibeat media ad finem, quem intendit, assequendum. Dæmon tentavit Deum, cum Christo suavit, ut de pinna templi se præcipitet: Israëlitarum tentarunt Deum, cum dixerunt: *Videamus an sit Dominus in nobis, an non?* Theologi peccatum tentationis Dei definiunt: *Dictum vel factum ad Capiendum de Deo experimentum per extraordinarium effectum ab eo temerè expectatum.* Discutiatur in hoc titulo, quale sit peccatum Tentatio Dei? utrum quandoque, non nisi veniale esse possit.

CASUS I. *Scipio* Aureliam iturus certò scit, in sylva, per quam transeundum est, esse latrones, qui itinerantes spoliunt & occidunt, hoc tamen non obstante pergit per eam absque omni necessitate, soli se committens providentiæ Divinæ. Potestne absque peccato tentationis Dei pergere in itinere suo, cum arma non habeat, ac aliàs debilius sit virium?

R. Non est tentatio Dei, si quis ob aliquam necessitatem aut utilitatem se committat providentiæ Divinæ juxta *S. Thomam* 2. 2. q. 92. art. 1. in corp. Verum in proposito casu, cum *Scipio* absque necessitate suam continuârit iter, & ideo suam vitam exposuerit præsentis periculo absque ratione, commisit peccatum tentationis Dei. *Idem art. in agrum. Sed contra.*

CASUS II. *Arnobius*, Parochus, in exhortatione ad populum explicans hoc verba: *Non tentabis &c.* dixit, omnem Tentationem Dei esse peccatum mortale. An hæc ipsius propositio vera est?

R. Tentare Deum est ex sua natura peccatum mortale, cum maxima irreverentia erga Deum sit, si quis expectet aut velit mutari constantes divinæ providentiæ leges ad satisfaciendum phantasæ suæ. *S. Augustinus* l. 22. contra *Fauftum*. c. 36. Propositio igitur *Arnobii* vera est, quamvis peccatum Tentationis Dei ob circumstantias gravitatem culpæ imminuente possit quandoque fieri veniale. *Pontas.*

NOTA. Ad circumstantias diminuentes gravitatem hujus peccati 1. Estimatio leviter tantum culpabilis de majoritate necessitatis ad operationem Dei extraordinariam præter ordinem naturæ, quam revera est. 2. Estimatio leviter culpabilis de praxi operationum divinarum dum creditur, Deum facile solere sic extra naturæ ordinem operari, ubi non solet.

CASUS III. *Diodocus*, recens Beneficiarius, jam à longo tempore erga alium Clericum aversionem animi habens omnes suas preces, & etiam divinum officium persolvit absque ulla præparatione prævia. An peccati tentationis Dei reus est ex eo, quod non faciat, quod potest &

debet ad hoc, ut à Deo in suis precibus exaudiri mereatur?

R. *S. Thomas* 2. 2. q. 97. art. 4. ad 2. respondet affirmativè. Talis homo, dicit, præsumptione peccaminosa agit erga Deum. *Pontas.*

NOTA. Revera non solum ad superstitionem Ethnicam, *Matth. 6.* referendum est multiloquium Clericorum Horas Canonicas & Missam sine attentione ac devotione deproperantium, sed etiam ad tentationem Dei, dum gratiam attentionis & devotionis necessariam se assecutus, eos sperant sine debita præparatione.

TESTAMENTUM.

1. In sacra Scriptura hæc vox Testamentum pluribus in locis sumitur pro fœdere vel pacto, & pro ipsa lege, & Prophetis; in hoc Titulo autem Testamentum accipimus pro declaratione illius, quod Testator vult fieri post suum obitum. Ex tribus potissimum cognoscitur validitas, aut nullitas Testamenti. 1. Ex qualitate Testatoris. 2. Ex conditione illius, in cujus favorem Testamentum factum est. 3. Ex forma Testamenti.

2. In Gallia ut quis testamentum conficere possit, requiritur ut sit natus Gallus, aut saltem naturalisatus: In quibusdam Provinciis Galliæ, ubi jus potestatis Paternæ adhuc viget, & quæ ad normam juris scripti reguntur, Filiifamilias non possunt testari.

3. Absolutè testari non possunt imberes, usu rationis destituti, mente capti, civiliter mortui, surdi & muti simul: juxta jus Romanum cæcus potest testari, debet tamen præter septem testes adhiberi Notarius, aut alius testis, qui scribere & legere debet alta voce testamentum in præsentia testatoris, & omnium testium.

4. Juxta consuetudinem Parisiis introductam non licet disponere per testamentum de rebus mobilibus, ac acquisitis, nisi post annum ætatis vigesimum completum, & de quinta parte bonorum propriorum primum post annum ætatis vigesimum quin-

quintum: si verò Testator nec bona mobilia nec aquisita habet, tunc potest disponere de bonis propriis annò ætatis suæ vigesimo.

5. In Gallia nihil potest legari Communitatibus, nisi Regiis diplomatibus stabilitæ sint, & etiam hæc communitates non possunt recipere Legata Novitiorum, qui de suis volunt disponere bonis: sic etiam in Gallia nihil potest legari Notario, Parocho, aut vicario, qui Testamentum recepit, nec etiam testibus.

6. Tutores, Curatores, & eorum Filii vivente Patre, incapaces sunt recipiendi à suis pupillis, & minorennibus legati, nisi prius suæ tutelæ rationem reddiderint.

7. Vi consuetudinis Parisiis receptæ nec Maritus nec Uxor possunt sibi invicem quidquam Testamentò donare.

8. Ut quis legati capax sit, non sufficit fuisse illius capacem tempore, quo Testamentum confectum est, sed requiritur, ut etiam capax sit tempore obitûs testatoris, nisi Legatis conditiones additæ fuissent.

9. Quod attinet solennitates ad Testamentum conficiendum requisitas, observanda est unicè consuetudo Provinciæ, in qua Testamentum conficitur. Testamentum secretò confici potest, illudque involvi aliquo involucro testatoris sigillò signato, ac dein Notario præsentibus septem testibus, ad id rogatis à testatore, tradi, à quo Notario ipsi dicto involucro inscribi debet: *Talem & talem præsentibus talibus ac talibus testibus ad hoc rogatis sibi tradidisse hoc & hoc die banc chartam, in qua suum contineri Testamentum dixit à se vel alio scriptum, ac ideo testatorem à se Notario petiisse, ut instrumentum super hoc Testamento conficiat, illudque unà cum testibus ad id rogatis sua subscriptione ac sigillo apposito factum esse testetur.* Dein addat scriptò Notarius, *se, testes, ac testatorem hoc exsecutos fuisse ac apposuisse tale ac tale sigillum.* Observandum tamen omnes testes uno eodémque sigillò

utî posse; & si testator sigillum apponere non valeat, testem octavum id præstare debere. Notandum etiam Patrem testatorem si condit Testamentum dispositivum inter solos liberos, posse etiam non observatis dictis formalitatibus omnibus propriâ suâ manu conscribere Testamentum, at tamen si illud postea revocare vellet, aliud debet conficere observatis omnibus formalitatibus, ac in ea declarare, se prius Testamentum revocasse.

10. Quod attinet Testamentum in Provinciis, ubi jus scriptum observatur, observandum est. 1. Ut in Testamento instituat hæres. 2. Ut institutus hæres supervivat Testatori. 3. Ut institutus hæres acceptet hæreditatem. 4. Ut, si institutus hæres renuntiet hæreditati, & tali modo hæredis institutio fiat nulla, legata & fideicommissa in Testamento contenta persolvenda sint ab Hærede ab intestato, si Testamento addita est clausula Codicillaris. Si testatori deest tempus vel copia aliud conficiendi Testamentum, per quod prius Testamentum revocet, potest illud revocare delendò nomina omnium hæredum, aut expungendò totum Testamentum, quod tali ratione redditur nullum.

11. In Gallia ad validitatem Testamenti non requiritur institutio hæredis, hinc dispositiones causâ mortis factæ habeantur pro simplici Codicillo.

12. Juxta jus Romanum Codicilli validi sunt, dummodò testator declaret suam voluntatem coram quinque testibus, quia aliis opus sit formalitatibus. Vi Codicilli non potest expressè dari aut negari successio, tacitè tamen id fieri potest vi fidei commissi. Qui non potest testari, nec Codicillum conficere potest. Ab eodem testatore possunt plures confici Codicilli, dummodò sibi invicem non sint contrarii, & si tales essent, posterioribus standum esset. Codicillus se referre potest ad Testamentum anterius, & si Testamentum redditar nullum, etiam Codicillus non amplius subsistit, si verò Codicillus se non

referat ad Testamentum anterius; tunc remanet validus.

13. In Provinciis Galliae, ubi consuetudo vim juris obtinuit, Codicilli vel conficiuntur coram officiali publico, vel sunt holographi. Juxta consuetudinem Parisiensem Testamentum confici debet coram duobus Notariis, aut uno Notario & duobus testibus, aut à Parocho testatoris, aut ab ipsius Vicario & tribus testibus, aut denique à Parocho aut Vicario & uno Notario: Testes verò debent esse masculi viginti annorum, & non legatarii.

14. In Gallia Testamenta Militum eundem ac apud Romanos effectum habent: Milites in actuali expeditione constituti possunt testari absque formalitatibus requisitis, dummodo constet de testatoris ultima voluntate, illi autem, qui in urbibus praesidiarii sunt, aut in hybernis degunt, tali non gaudent privilegio. Parliamentum tamen Parisiense & Burdigalense rata non habet Testamenta Militum ex depositione testium in jure Romano admissa. Damnatì ad mortem ob crimen militare possunt testari, idem etiam conceditur Filiis-familias Militum quoad eorum peculium militare, aut quasi-militare.

15. Jus Romanum permittit, ut Miles vi simplicis Codicilli possit haeredem instituere tam quoad omnia sua bona, quam ad eorum partem, quamvis nulla mentio fiat filiorum testatoris.

16. Testamentum Militis redditur invalidum, si elapsò annò suam dimissionem testator recipit, & si ob aliquod crimen fuerit dimissus, Testamentum ipso instanti redditur nullum.

17. Quilibet Officialis militaris, qui copias suas sequi debet, potest conficere Testamentum jure Militibus proprio.

CASUS I. *Harduinus* pupillus tredecim annos natus & dimidium, periculosò morbò decumbens condidit Testamentum, & legavit Martiali condiscipulo suo 500. florenos. Frater defuncti prætendit,

testamentum esse nullum, adeoque se non obligari ad solvendum legatum.

R. Testamentum *Harduini* est nullum; adeoque etiam legatum: impuberes enim sunt jure incapaces Testamentum condendi. Aquiritur autem juxta jus Romanum pubertas in masculis annò ætatis decimò quartò, & in foeminis annò duodecimò completò. *Pontas.*

CASUS II. *Diomedes*, impubes adhuc, condidit testamentum, & legavit Lucæ amico suo 500. florenos: moritur autem primùm quartò aut quintò annò post adeptam pubertatem, quin condiderit novum testamentum. Hæres *Diomedis*, prætendens nullitatem testamenti, recusat solvere legatum.

R. Testamentum hoc revera in sua origine nullum est; hinc Lucæ non debetur legatum. Defectus ætatis in testatore, dum condidit testamentum, non potest reparari tractu temporis, juxta regulam Juris: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi; & aliam: non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* *Pontas.*

CASUS III. *Leander* Filiusfamilias adhuc existens in patria potestate annò ætatis suæ vigesimò condidit testamentum, quo *Ferdinando* & *Julio* reliquit 1000. florenos. Estne validum hoc testamentum, saltem pro foro interno?

R. Testamentum hoc absolutè nullum est: Filii enim familias etiam juxta Jus Romanum non possunt testari sine consensu patris sui, nisi habeant bona castrensia, aut quasi-castrensia, vel forensia. *Pontas.*

CASUS IV. *Arsenius* aliàs sui juris existens ingressus est Ordinem *Carthusianorum*; & pridie ante professionem condidit testamentum in favorem suorum consanguineorum & amicorum. An hoc testamentum est validum?

R. Religiosi non sunt inhabiles ad testandum, nisi post professionem solemnem. Et hinc Testamentum *Arsenii* est validum. *Pontas.*

CASUS V. *Freculfus* Presbyter prætè bona ex Beneficio suo parta nihil possidet. Potestne per Testamentum de illis disponere in favorem suorum amicorum & propinquorum?

R. Non potest de bonis Beneficialibus disponere, nisi in favorem pauperum aut Ecclesiæ: sic volunt SS. Canones, sicque docet *S. Thomas 2. 2. q. 185. art. 7. in corp.* Et hæc responsio probatione non indiget. Potest nihilominus Beneficiatus partem notabilem ejusmodi bonorum Ecclesiasticorum legare iis, qui sua ipsi servitia contulerunt, juxta Concilium Tolentanum 4. c. 36. *Pontas.*

NOTA. Hæc responsio supponit veram esse sententiam; Clericos non esse Dominos bonorum partorum titulo beneficii, vel alterius functionis Ecclesiasticæ. Eam esse unicè veram, in mea *Theologia* ostendo in *Tract. de Just.*

CASUS VI. *Firminus* autoritate Judicis declaratus prodigus, & hinc prohibitus ab administratione bonorum, cum esset mortuus, reliquit inter alias chartas Testamentum, quod condidit in favorem quorundam amicorum suorum. Estne hoc Testamentum validum?

R. Si hoc Testamentum primùm condidit, postquam fuit interdictus, est nullum ac invalidum. *Leg. 18. cui. 18. ff. Qui Testamentum facere possunt.* Imo dantur plures Juristæ, qui ejusmodi Testamenta habent pro invalidis, etiam si facta sint ante interdictionem bonorum. *Pontas.*

CASUS VII. *Ælius* ante biennium incidit in amentiam, in qua tamen subin gaudet lucidis intervallis. Estne validum ipsius Testamentum?

R. Si illud confecit, dum actu fruebatur lucidis intervallis, non est dubitandum de valore Testamenti. *Leg. in eo 2. ff. qui testam. facere possunt &c.*

CASUS VIII. *Lysimachus* à natiuitate mutus, non tamen furdus, condidit Testamentum, & legavit *Juvenali* 500. florenos. Hæres *Lysimachi*, ne teneretur

solvere legatum, prætendit Testamenti nullitatem. Num justè agit?

R. Prætensio hæredis justa est, si *Lysimachus* non noverat scribere, dum condidit Testamentum. *Pontas.*

NOTA. Hæc responsio non est vera secundum Jus commune Romanum. Potest enim mutus scribere per alium, quod etiam cæco licet. Vide *Num. 3. in Prænot.*

CASUS IX. *Vindonius* illegitimus condidit Testamentum, & legavit *Blasio* amico suo 1000. florenos. Officiales autem Fisci occupabant omnia bona defuncti, & recusabant solvere 1000. florenos. Num justè?

R. Omnes illegitimi habentes liberos legitimos in eorum favorem possunt disponere de bonis suis; imo hi illis succedunt ab intestato. Possunt insuper testari, cujus in favorem ipsis placuerit. Hinc Officiales Fisci non possunt recusare *Blasio* solutionem 1000. florenorum. *Pontas.*

CASUS X. *Hilarinus* condidit Testamentum, in quo continentur multa legata in favorem propinquorum & amicorum suorum, commisit crimen, ob quod damnatus est ad perpetuas triremes cum confiscatione omnium bonorum. An per hoc invalidatur ejus Testamentum, maxime si appellavit à sententia condemnatoria?

R. Testamentum semper valet, usque dum sententia condemnationis, à qua appellavit, fuerit confirmata per novam sententiam definitivam. Si moriatur *Hilarinus* ante hanc confirmationem, Testamentum adhuc sortitur effectum. *Leg. Accusatorem. 1. §. fin. ff. ad Senatusconsultum Turpilianum. lib. 48. tit. 16.*

CASUS XI. *Josephus* Hispanus venit in Galliam, ibique contractò morbò condidit Testamentum, ac obiit. An hoc Testamentum est validum?

R. Si *Josephus* non obtinuit literas naturalisationis, Testamentum est invalidum. Patitur tamen hæc lex exceptionem quoad extraneos, qui habent liberos aut alios consanguineos natos in Gallia, aut

aut ibi naturalifatos: hi enim si moriantur, alienigenæ ejusmodi possunt ipsis succedere. Mercatores extranei pergentes ad Nundinas Lugdunenses pariter sunt excepti: possunt enim testari; imò hæredes eorum ipsis succedunt ab intestato. Dantur etiam quædam Provinciæ, quarum incolas Reges Galliæ jure Civitatis donarunt. Denique excipiuntur Legati, qui habent jus Testandi, in quacumque Provincia se detinuerint. *Pontas.*

CASUS XII. *Gerbertus* natus in Hollandia, ibi condidit Testamentum. Tribus postea mensibus figit domicilium Massiliæ, ibique per mercaturam aquirit multa bona, & moritur. An frater ipsius, hæres unicus, existens in Hollandia habet jus ad hæreditatem; cum Testamentum jam conditum sit, antequam *Gerbertus* venerit in Galliam?

R. Frater *Gerberti* poterit quidem succedere in bona defuncti sita in Hollandia; non verò in ea, quæ sita sunt Massiliæ, vel in alio loco Regni Galliæ, respectu quorum Testamentum est absolutè nullum. *Pontas.*

NOTA. Lege, quæ aliàs scripsi de Jure alienigenatus. Miror, quod omnes Status Europæ non protestentur contra hoc jus, tam contrarium juri naturali & gentium, nisi limitetur ad bona aquisita in Gallia titulo officii publici vel aliàs gratuiti, aut privilegii regii.

CASUS XIII. *Petilianus* ex duobus suis fratribus habet duos nepotes, quorum utique est nomen *Joannes*; & in Testamento suo *Petilianus* nominat suum nepotem *Joannem* legatarium universalem. Cum verò post mortem *Petiliani* ambo nepotes litigarent inter se, utroque præterente, designationem testatoris respexisse ad se, tandem convenerunt, ut dividerent hæreditatem. Sed *Martinus* hæres ab intestato præterendit, totam hæreditatem pertinere ad se. An jure id petit?

R. Pro generali regula habendum est, quod, si institutio hæredis est adeò æquivaoca, ut nulla certa ratione agnosci pos-

sit, quem hæredem designare voluerit, Testamentum sit nullum. Hinc in casu præsentè æquum esse videtur, ut *Petiliano* ab intestato succedat *Martinus*. Leg. in tempus 62. §. 1. de hæred. inst. lib. 28. tit. 5.

NOTA. Censeo, oppositum ex intentione præsumpta testatoris esse æquitati naturali conformius, Suaderem, ut unus *Joannum* fortiendo alteri cedat jus, sub pacto occulto alteri restituendum clam dimidium.

CASUS XIV. *Bonifacius* scripsit ac propria manu signavit eodem tempore duo exemplaria sui Testamenti; unum non clausum tradidit custodiendum amico, & in eo legatarius universalis scriptus est *Martinus*; alterum ipse retinuit, & in eo scriptus est *Medardus*. Testamentum utrumque cæteroquin omni defectu caret. Quis jam erit hæres, aut legatarius universalis? num uterque?

R. *Domatus* censet, hæc duo exemplaria habenda esse pro uno Testamento valido; quia ista variatio fieri potuit ex motivo rationabili ac legitimo; adeoque hæreditatem inter *Martinum* & *Medardum* æqualiter dividendam esse. Ejusdem opinionis est etiam *Bonacina de Contract. disp. 3. q. 17. puncto 8. §. 5.*

CASUS XV. *Dominicus* in suo Testamento relinquit *Danieli* uni ex hæredibus suis præsumptivis fundos, quorum anni redditus sunt 1000. floreni, cum mandato, ut *Deodato* alteri ejusmodi hæredi tradat villam his fundis annexam reddituum annuorum 250. florenorum, quam *Dominicus* legitime sibi aquisitam putabat. Villa fuit tradita; sed, cum postmodum fuisset evicta ab aliquo *Minoremi* post adeptam ætatis veniam, *Deodatus* à *Daniele* petit satisfactionem pro evictione. An jure id petit?

R. Si villa *Deodato* fuit assignata tanquam cohæredi, sic, ut assignatio habeat se per modum divisionis hæreditatis, *Daniel* tenetur *Deodato* de evictione juxta Legem *Hæredes* 25. §. 21. ff. familia evicta. l. 10. tit. 2. Si verò ex Testamento

mento appareat, villam *Deodato* tantum assignatam fuisse per modum simplicis legati, *Daniel* non tenetur de evictione. Leg. cum pater. 77. §. 8. ff. de legatis & fideicommissis. 2. l. 31. tit. 1.

CASUS XVI. *Marcus* duos habet filios, *Joannem* 25. annorum, & *Egidium* adhuc duodennem. His divisit bona sua. *Egidio* assignat certum fundum, cujus usufructuarium constituit *Joannem*, usque dum *Egidius* sui juris fuerit, cum mandato, illi exinde annuatim solvendi 100. florenos, ac insuper, quamprimum *Majorennis* fuerit, eidem numerandi 2000. florenos. *Joannes* post tres aut quatuor annos moritur, relicta prole. Quæritur, an usufructus pertineat ad prolem *Joannis*, quæ videtur succedere in omnia jura parentis, id quod etiam præterendit tutor ejusdem; an verò ad *Egidium*?

R. Secundum jus usufructus præfati fundi ex integro pertinet ad *Egidium*. Leg. liberto. 21. §. fm. ff. de annuis legatis. lib. 33. tit. 1.

CASUS XVII. *Firmilianus* homo dives, cujus omnia bona consistunt in numerata pecunia, & aliis mobilibus, in Testamento suo legatariam universalem instituit *Luciam*, quacum per septem aut octo annos habuit turpe commercium, in præjudicium quinque aut sex indigentium propinquerum suorum, aliàs ab intestato ipsi succedentium. An hi tutâ conscientiâ possunt agere contra valorem Testamenti?

R. Tutâ conscientiâ, & justè impugnant hoc Testamentum, utpote prorsus contrarium æquitati naturali, honestati, ac bonis moribus. *Pontas.*

CASUS XVIII. *Marius* non habet prolem legitimam, sed tantum quosdam propinquos, hæres suos præsumptivos. Potestne tutâ conscientiâ in hæredem universalem instituere *Appium*, prolem adulteram, quam suscepit constante matrimonio, aut incestuosam, susceptam ex puella consanguinea in tertio aut quarto gradu?

Diction. Cas. Conse.

R. *Marius* nihil potest *Appio* relinquere, præter necessaria ad honestam sustentationem: proles enim, quæ in jure vocantur *spuria*, id est, natæ ex parentibus, inter quos tempore nativitatis eorum non posset subsistere matrimonium, per nullum Testamentum possunt validè institui pro hæredibus parentum suorum in præjudicium aliorum hæredum legitimorum. *De Gen. Theol. mor. tom. 1. tr. 7. c. 4. q. 2. & 4.*

CASUS XIX. *Anatolius* Testamentum condidit adhibitis omnibus solemnitatibus à jure requisitis, & legatarium universalem sub quibusdam conditionibus instituit *Stephanum*. Alterò annò scripsit aliud Testamentum, & in eo instituit legatarium universalem *Antonium* cum onere solvendi *Petro* 300. & *Paulo* 600. florenos. *Antonius*, *Petrus* & *Paulus* mortui sunt ante *Anatolium*, qui & ipse post tres menses satis cessit, quin in secundo Testamento quidpiam immutaverit. Num primum Testamentum suum iterum effectum fortitur, & *Stephanus* jure succedit *Anatolio*?

R. Cum primum Testamentum annulletur per secundum adhibitis debitis solemnitatibus conditum, *Stephanus* nullum habet jus ad capiendam hæreditatem, sed solum hæres ab intestato; etsi alterum Testamentum suum effectum non fuerit fortitum. §. posteriore. 1. Instit. quibus modis Testamenta infirmantur. lib. 2. tit. 17.

CASUS XX. *Andulfus* dives operarius, periculosè decumbens condidit Testamentum suum coram uno Notario in præsentia unius amici tanquam testis, ac in eo varia fecit legata in favorem propinquerum suorum, ac *Noëmi* cujusdam amici. Filii *Andulphi* recusant solvere hæc legata, præterentes, Testamentum esse nullum. Possuntne tutâ conscientiâ recusare hanc solutionem?

R. Dantur multi Authores, qui putant, Testamentum esse validum jure naturali, etsi in consecutione ejusdem obser-

N n n n n

vatæ

vatae non sint una, aut plures formalitates à jure requisitae. Praeferenda tamen est contraria sententia fundata in hac lege: *imperfectum Testamentum sine dubio nullum est.* Nihilominus videtur, quòd inter praefatas duas opiniones possit iniri via media, dicendò, quòd in foro interno conscientiae quilibet possit relinqui in sua possessione, usquedum de Testamento controversa mota fuerit, & Judex de Testamenti obligatione definitivam sententiam protulerit; quin exinde haeredes naturales impediuntur ab impugnando Testamento; sic, ut cuilibet relinquatur libertas bona fide, quam habet, defendendi jus suum. *Cabassut. l. 6. c. 3.*

CASUS XXI. *Honoratus* condidit Testamentum admodum favorabile Placido cuidam consanguineo suo. Paulò post mutata voluntate declaravit tribus personis, se nolle prius Testamentum haberi pro valido, & actu jam scribere cepit aliud Testamentum, quo tamen nondum absolutò nec subscriptò obiit. Num subsequens declaratio confirmata per ea, quae jam scripsit, reddit prius Testamentum invalidum?

℞. Nec declaratio, nec ea, quae scripsit in secundo Testamento, primum reddunt invalidum: non enim sola voluntas Testatoris reddit ejusmodi dispositionem validam, oportet etiam adhiberi solemnitates à jure requisitas. Hinc etiam ad invalidandum Testamentum sub debita forma conditum requiritur actus consimilis sub eadem solemnitate juxta regulam Juris: *Utile non debet per inutile vitari. Bonif. VIII. Reg. 37. de Reg. jur. in 6.*

CASUS XXII. *Sixtus* Civis Parisiensis Testamentum suum dictavit Antonio amico suo; ipse tamen illud subscripsit, & paulò post obiit. Possuntne haeredes ab intestato facta in eo legata impugnare, eo quòd, ut vult lex Principis, Testamentum non sit scriptum propria manu testatoris?

℞. Diverfae circa hunc casum dantur opiniones. Nihilominus, quia juxta con-

suetudinem Parisiensem Testamentum receptum à duobus Notariis propria testatoris manu scriptum ac subscriptum esse debet, Testamentum Sixti pro invalido habendum est; & pro tali haberetur in foro externo. *Pontas.*

CASUS XXIII. *Sidonius* commorans in pago sex leucis distitò Parisiis, sito tamen intra districtum Jurisdictionis Parisiensis, cum nec adesset Parochus, nec Notarius, scripsit suum Testamentum in praesentia Vicarii, & quatuor testium idoneorum. An haeredes tenentur in conscientia illud exequi, si certi sint de voluntate testatoris?

℞. Si Vicarius Parochi habet literas commissionis à Vicario Generali, subscriptas à Parocho, & registratas in Tabulario Judicis saecularis, repraesentat personam Parochi, & habet jus excipiendi Testamenta. Si ergo Vicarius praefatis literis instructus excepit Testamentum Sidonii, valet; aliàs foret invalidum juxta consuetudinem Parisiensem, & Jurisprudentiam Regni; etsi validum esset in aliis quibusdam locis, si etiam in simplici tantum declaratione testatoris illud consisteret. *Pontas.*

CASUS XXIV. *Romualdus* condidit Testamentum suum in praesentia Notarii, & duorum idoneorum testium; quorum tamen unus postea commisit homicidium, & ad mortem aut triremes damnatus est; alter verò incidit in amentiam. An Testamentum nihilominus manet validum?

℞. Haec mutatio in testibus Testamentum non reddit invalidum: non enim ipsi deerant qualitates requisitae ad idoneitatem testis, cum actu signarent Testamentum; & hoc sufficit. *Leg. ad testium. 22. §. 1. ff. qui Testamentum facere possunt. lib. 28. tit. 1.*

CASUS XXV. *Veranus* civis Sancti-cloviensis cum plurima ex commercio sibi bona peperisset, nec haberet propinquos nisi in gradu admodum longinquo, condidit Testamentum suum, ac in eo plenam Henrico intimo amico suo relinquit

po-

potestatem nominandi haerem, quemcumque vellet, cum onere tamen praestandi quaedam pia legata. Henricus post mortem Verani testatoris nominat Benedictum consanguineum defuncti in quinto gradu. Estne hoc Testamentum legitimum? Num Benedictus jure succedit in bona defuncti?

℞. In Hispania quidem admittuntur talia Testamenta, ubi quis alteri confert potestatem disponendi de bonis suis, & nominandi haerem. In Gallia tamen ejusmodi Testamenta non habentur pro legitimis. *Pontas.*

NOTA. Jure naturali haec denominatio haeris valet, sed non jure Civili Romano, ubi receptum est. Illud in foro interno regulat: istud in foro externo.

CASUS XXVI. *Simeon* commorans Parisiis cum urgeretur viciniam mortis, nec praesentes statim haberet testes, scribendum curavit Testamentum suum à Notario in eadem domo commorante, illudque instar testium subscripserunt puer tredecim annorum, pueri mater, ac matertera. Estne Testamentum validum?

℞. Testes ejusmodi non sufficiunt ad valorem Testamenti: nam nec impuberes, nec foeminae, imò nec Religiosi juxta Edictum Parlamenti Parisiensis de anno 1659. possunt agere idoneos testes in confectioe Testamenti. *Pontas.*

CASUS XXVII. *Cbryfantbus* per Testamentum instituit Leonem nepotem suum cum obligatione, ut non utatur beneficiò Inventarii; existimabat enim, hoc sibi de decori fore. Addit praeterea, se legare 1000. florenos Bertrando cognato suo, casu, quo Leo vellet fieri haeres beneficiarius. Leo post mortem *Cbryfantbi* utitur beneficiò Inventarii. Teneturne in conscientia legatum solvere Bertrando?

℞. *Cbryfantbus* non potuit obligare Leonem, ut haereditatem purè ac simpliciter acceptaret; cum id adversetur dispositioni legum. Hinc Leo non tenetur ad solutionem 1000. florenorum Bertran-

do legatorum. *Leg. nemo 55. ff. de legatis & fideicommiss. l. 30. t. 1.*

NOTA. Jure naturali cuivis licet renuntiare favori indulto à legibus. Non ergo repugnat honestati, si testator haeredi non necessario apponat conditionem renuntiandi.

CASUS XXVIII. *Leidradus* nobilis duos habebat filios; quorum natu major cum secutus esset mimos & histriones, aut omnino latronibus se adjunxisset, illo exhaereditò pater omnia sua bona transcribit natu minori. An hic tutà conscientiam omnia bona retinet, quin partem cedere debeat fratri suo?

℞. Cum in praesenti casu causa exhaereditationis sit justa, non est dubium, omnia bona patris justè retineri à filio natu minore. *Movella 115. c. 3. §. 4. & 10.* Juxta hanc legem dantur adhuc plures aliae justae causae, ex quibus liberi à parentibus possunt exhaereditari: 1. Si liberi parentes suos in criminalibus causis accusaverint, quae non sunt adversus Principem aut Rempublicam. 2. Si Filius incæstum commiserit cum Noverca sua. 3. Si pater aut mater in carcere aut captivitate detineatur, & Filius non pro posse eos liberare studuerit. 4. Si filia vitam luxuriosam honesto matrimonio à parentibus oblato praetulerit. 5. Si quis ex parentibus in amentiam delapsus fuerit, & filius aut filia ei obsequium & competentem curam non praebuerit. 6. Si filius vel filia per violentiam, aut aliis malis artibus prohibuerit Testamentum condere. 7. Si filius vel filia fidem Catholicam deseruerit. Denique in Gallia inter exhaereditationis causas habet locum etiam ista: si liberi contrahant matrimonium sine consensu parentum, Tutorum aut Curatorum; nisi filius jam compleverit annum ætatis trigessimum, & filia vigesimum quintum. *Pontas.*

NOTA. In germania quoad transeuntes ab una Religione ad alteram in Imperio toleratam eatenus pro lege habetur reciproca consuetudo locorum particularium, transeuntes exhaereditantium, vel non exhaereditantium.

N n n n n a

CA-

CASUS XXIX. *Sylvanus* filius legitimus Joannis & Mariæ, cum acquisitis ex commercio magnis divitiis præoccuparetur morte, condidit testamentum, & exheredavit patrem suum; eoquod suæ matri venenô struxerit mortem, vel quod eam de capitali crimine accusaverit, quamvis illud non attingat Principem aut Rempublicam. Potuitne ex his rationibus absque peccato exheredare patrem suum?

℞. Justè ex his rationibus potuit exheredare Patrem suum, aut quemvis alium consanguineum. *Novell. 115. c. 4. §. 5.* Observandum tamen, quod exheredationis causa in testamento non tantum allegari, sed & sufficienter probari debeat. *Ibid. c. 3. §. fin.*

CASUS XXX. *Mucius* in testamento constituit, ut domus sua vendatur, pretiumque exinde redactum erogetur in elemosynas, aliàsque pias causas. Executor testamenti autem videt, eas esse circumstantias temporis, ut domus non possit vendi, nisi dimidiô minoris, ac valeret. Potestne differre venditionem domûs in tempus favorabilius pro majori sublevamine pauperum?

℞. Non potest absque peccato per notabile tempus differre hanc venditionem; quia ex hac dilatione sequeretur retardatio remedii, quo fortè defunctus maximo opere indiget. *S. Thomas quodlibet. 6. art. 14. in argum. Sed contra.*

CASUS XXXI. *Nicolaus* depositarius testamenti, quod Publius Civis Parisiensis condidit, illud aperuit, ac reperit, se esse nominatum executores, atque in eo contineri legatum 1500. florenorum pro Paulino. Hoc ergo legatum Nicolaus ex generositate animi statim Paulino solvit; sed hæres Publici recusat solutionis hujus iniuriam, eoquod Paulinus à Parlamento Burdigalensi ante annum ratione duelli ad mortem fuerit condemnatus, sicque factus sit legati incapax. An jure id hæres recusat, non obstante, quod Nicolaus bona fide egerit?

℞. Jure recusat 1. quia, dum Nicolaus solvit legatum, nondum obtinuerat possessionem bonorum defuncti testatoris; legatumque solvere non poterat, nisi confectô prius inventariô & in præsentia hæredum, secundum consuetudinem Parisiensem. 2. Quia prius insinuare debuisset hæredibus, quinam sit legatarius. *Pontas.*

CASUS XXXII. *Emilianus* Presbyter aut Religiosus ex Ordine quodam reformato à Mævio suo cognato fuit nominatus in executores sui testamenti. Potestne absque peccato acceptare hoc officium, & tam validè quàm licitè exequi testamentum?

℞. Si *Emilianus* est Presbyter sæcularis, potest esse executor testamenti juxta *Greg. IX. in cap. tua nobis. 17. de test. & ultimis volunt. l. 3. tit. 26.* Idem potest, si *Emilianus* est Religiosus ex quodam Ordine, cujus constitutiones id non prohibent. *Clement. Religiosis, unic. de test. & ult. volunt. l. 3. tit. 5.* Dummodo talis Religiosus habeat licentiam à suo Superiore. Nihilominus hac in re ubique servanda est locorum consuetudo. *Pontas.*

CASUS XXXIII. *Maritus & uxor* mutuum condiderunt testamentum; sed uxor post mortem mariti illud supprimebat.

℞. Tutâ conscientiam non potest illud suppressere. *De Lamet.*

CASUS XXXIV. *Matrona* quædam bono in testamento sibi relicta condonavit filiam testatoris, ea conditione, ut illa assignet quidam ex libris suis, quemcumque velle eligere.

℞. *Matrona* hæc non potest immutare ea, quæ facta sunt, licet postmodum comperiat, filium testatoris, qui ratione criminis commissi non poterat succedere in bona Patris sui, post mortem suam reliquisse filiam valde pauperem, id quod antea ipsi fuerat celatum; persuadere tamen potest filiam testatoris, cui suam hæreditatis portionem condonaverat, ut saltem partem cedat filiam fratris sui. *De Lamet.*

CA.

CASUS XXXV. *Titius* in confectioe testamenti sui prætermisit aliquam solemnitatem à lege vel consuetudine requisitam.

℞. Testamentum hoc est nullum: rigor tamen iste non semper concernit etiam pia legata, maximè si non sint notabilia. Omne testamentum quoad substantiam suam vitiosum est nullum; & hæredes non tenentur ad solutionem piorum legatorum in eo contentorum, si testator ea assignavit in fundis ad se non pertinentibus. Nihilominus respectus ac gratitudo debita defuncto, cujus voluntatem hæres novit, videtur eum obligare ad explenda ejusmodi legata, si non sunt notabilia. *Tromageau.*

CASUS XXXVI. *Petrus* ante mortem hæredem suum obligat in testamento, ut singulis annis 50. florenos impendat in dotationem cujusdam puellæ orphanæ. Potestne hæres iste hanc summam dare puellæ habenti quidem patrem, ex quo tamen nec minimum subsidii expectare potest?

℞. Potest hæres dotare ejusmodi puellam: licet enim ea non sit orphana, sumendô hunc terminum rigorosè; quia tamen omnî assistentiâ à patre suo privata existit, non minùs, ac vera orphana, concludendum est, hanc puellam omnî subsidio paternô destitutam recipere posse dotem à testatore assignatam verè orphanæ. Nihilominus si simul pro dote sollicitaret orphana verè talis, ea præferenda foret, saltem nisi altera majori paupertate premeretur. *Amosaz. de causis piis. l. 4. c. 6. Barboza tr. var. axiom. 174. Diana.*

CASUS XXXVII. *Sylvius* ante mortem notabile legatum assignavit uxori suæ, ea tamen conditione, ut manet in statu viduitatis. Debeturne ipsi hoc legatum, si ingredatur Religionem?

℞. Debetur ipsi; quia, sic leges volunt, ne quis desiderio possidendi legatum retrahatur ab amplectendo statu perfectionis. Accedit, quod adhuc verum sit, eam perseverare in statu viduitatis, dum Reli-

gionem ingredatur. Imo etsi hæc fortassis intentio testatoris non fuerit, potest tamen ab ea deflecti, dum ea legibus adverbatur, ut fit in casu præsentis. *Sanch. de matr. dis. 91. n. 46. Anton. à Spir. S. Aliique.*

TESTIS.

1. Testis dicitur ille, qui testimonium præbet de eo, quod aut vidit, aut audivit, quo testimonio vel aliquem de quodam crimine accusatum accusatione liberat, vel magis stringit. 2. Dantur testes irreprehensibiles, & dantur testes, quorum testimonium repudiari potest ratione alicujus criminis commissi, cui infamia est annexa, aut ob defectum rationis, aut etiam ob dispositionem juris, puta, si jam aliquando falsum deposuerunt testimonium, aut pecuniâ aliòve modo corrupti sunt. 3. Causæ criminales auditione testium, iterata interrogatione, & confrontatione testium instituuntur: Si accusatus testem ante iteratam interrogationem admittit, non amplius eum potest repudiare. 4. Falsum testimonium plectitur morte, si innocentis vita à tali testimonio dependeat, in aliis casibus verò levioribus mulctetur poenis, præsertim in causis civilibus. 5. In causis civilibus Consanguinei ad quartum usque gradum non admittuntur ut testes pro suis consanguineis vel contra eos, & hoc tam in foro Ecclesiastico, quàm Civili, exceptô tamen casu, quo de ætate aut consanguinitate in causa matrimoniali agitur. 6. Testis, qui non fuit citatus, & juramentum non deposuit, nunquam admittendus est in judicio, nisi in casu, quo quis actu in judicio præsens obligaretur à iudice ad deponendum testimonium de rei veritate. 7. In Gallia Clerici sub poena confiscationis temporalium coguntur ad deponendum testimonium tam in causis civilibus quàm criminalibus. 8. Judex in accusatum non potest ferre sententiam ex simplici unius testis testimonio. 9. Duo testes oculati plenam faciunt fidem.

Nnnnn 3

CA.

CASUS I. *Florianus* assassinò interfecit Rollandum, & hujus notitiam habent ipsius frater, soror, & Confessarius, cui id ex confessione Floriani innotuit: hi tres in iudicium vocati sunt, ut suum quilibet deponat testimonium. An ad hoc tenentur in conscientia?

R. *Floriani* Frater & soror non tenentur testificari, nisi agatur de casu extraordinario & privilegiato, aut lex localis ita disponat. *Can. Si testes 34. q. 2. & 3.* Multo minùs ad ferendum testimonium tenetur Confessarius, cum criminis notitiam solùm ex confessionali habeat. *S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.*

CASUS II. *Babylas* secretò occidit quemdam pauperem hominem, cum igitur contra illum jam semiplena habeatur probatio, *Tullium*, Advocatum, consulit de mediis vitam suam tuendi: brevi post *Tullius* vocatur in iudicium ad testificandum contra *Babylam*. An tenetur agere testem.

R. Cum non agatur de damno publico, aut reparatione damni personæ privatæ, *Tullius* non tenetur agere testem. *Navarrus Manuale c. 28. n. 46. & in Can. Inter. 11. q. 3. conclus. 6. n. 21.*

CASUS III. *Ermelius* accusatus de peculatu *Paulum* rogavit, ne contra se testem agat, quod & *Paulus* additò juramentò promisit: *Paulus* verò *Paulò* post citatur à iudice ad deponendum testimonium. An non obstante juramento tenetur testem agere?

R. Juramentum *Pauli* temerarium, injustum, & illicitum est; & absque novo peccato suò juramentò stare non potest; hinc iudex jure potest ab illo exigere, ut veritatem dicat, & *Paulus* ad id tenetur in conscientia non obstante juramento. *Alexander III. in cap. Intimavit. 18. de test. & attest.*

CASUS IV. *Augustus*, pro viro probò habitus, commisit crimen occultum nemini nisi ipsius vicino *Jacobo* notum: *Paulus*, juratus *Augusti* Adversarius, *Augu-*

sum infamaturus procedit contra illum viâ inquisitionis, vocatque quatuor illius vicinos in iudicium, ut testes contra *Augustum* agant: tres eorum declararunt, se nec ullam suspicionem contra *Augustum* habere: An igitur *Jacobus* interrogatus tenetur fateri veritatem?

R. Non tenetur; nemo enim tenetur deponere testimonium contra accusatum, nisi quando iudex procedit juxta formam in jure requisitam, id est, si præcedat evidentia facti, de quo quis interrogatur, vel si accusatus jam priùs fuerit infamatus de crimine, de quo agitur, quod utrumque in præsentī casu defuit. Isthæc decisio Casus continetur clarè in Decretali *Innocentius III. in cap. Inquisitionis 21. §. Ad hæc. de accusationibus l. 3. t. 5.* Excipiendus est tamen casus, in quo agitur de reparando notabili damno, quod accusatus injustè intulit, vel si periculum esset, ne ab eo bono publico aut privatæ personæ inferretur damnum. Ita *S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 2. in corp.*

CASUS V. *Thomas* vocatus est in iudicium, ut testimonium deponat contra *Henricum* de crimine quodam: an judicialiter interrogatus recusare potest tutâ conscientiâ, dicere veritatem, quia *Henricus* sub secreto ipsi suum crimen aperuit?

R. Si crimen *Henrici* non vergat in præjudicium *Publici*, aut tertii, aut solùm agatur de pœna *Henrico* ob commissum crimen infligenda, *Thomas* non tenetur in conscientia agere testem contra *Henricum*, si solùm notitiam commissi criminis habeat sub secreto. Idem dicendum, si crimen nondum fuerit commissum, sed solùm agatur de committendo in futurum crimine, in quo non est periculum damni notabilis Bono Publico, aut etiam personæ privatæ inferendi. Ita *S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.*

CASUS VI. Si verò in posito casu *Thomas* à iudice ad respondendum adigeretur sub metu carceris, aut alterius gravis pœnæ:

an tenetur dicere veritatem? aut potest uti restrictione mentali?

R. *Thomas* sine peccato, & etiam perjurio non potest uti æquivocatione aut restrictione mentali; testis enim judicialiter interrogatus juramentum deposuit dicendâ veritatis, hinc non potest in alio sensu respondere, quàm in quo sensu interrogatur. *S. Isidorus in Can. Quamcumque 22. q. 3.* *Thomas* igitur providè studeat, ut iudicis interrogationem delinet sub aliquo prætextu vel subterfugiendò jurisdictionem, vel discedendo è loco, vel dicendò, *se nil habere respondendum*: si verò hæc omnia non sufficiant, & sua recusatione grave se incursum malum timeat, debet veritatem simpliciter fateri, juxta opinionem *Cabassutii. Pontas.*

NOTA. Si iudex, Hostis, vel Latio scit, vel scire tenetur, à se injustè extorquere juramentum, eo ipso etiam scit, interrogatum non obligari ad dicendam sincerè veritatem. Itaque si interrogatus expressè protestetur, se uturum æquivocatione vel restrictione mentali, sive idem protestetur evidentia juris naturalis, non peccabit sic æquivocè aut cum restrictione jurans, utpote id sciente iudice, Hoste, vel Latrone.

CASUS VII. *Henricus* testis oculatus est, *Hieronymum* occidisse *Guntherum*, quo homicidio Familiæ occisi grave damnum illatum est. *Henricus* à iudice vocatus est, ut testem agat homicidii. Jam quæritur, supposito, *Hieronymum* servato moderamine inculpatae tutelæ ad tuendam propriam vitam occidisse *Guntherum*, an *Henricus* tenetur testimonium deponere contra *Hieronymum*? an etiam tenentur testificari, si solus sit testis furti à *Joanne* commissi, certus tamen, id à *Joanne* factum fuisse titulò istæ compensationis?

R. Dicendum, *Henricum* non teneri testificari nec contra *Hieronymum*, nec etiam contra *Joannem*; *Hieronymus* enim nec ob suum homicidium, nec *Joannes* nec ob suum furtum reus est pœnæ capitalis, cum neuter mortaliter peccarit. *Navarrus Manuale c. 25. n. 46.*

CASUS VIII. *Henricus* cum suo fratre à iudice, ut testes agant, vocati, & jura-

mentum deponere iussi dicendæ veritatis in causa homicidii ab *Andrea* commissi simpliciter testantur, *Augustum* ab *Andrea* fuisse occisum, non addendo, *Augustum* fuisse aggressorem, & *Andream* hunc occidisse ideo, ut suam propriam tuetur vitam. An mortaliter peccat *Henricus*, & ipsius Frater? an etiam perjurii rei sunt, quòd hanc circumstantiam reticuerint? An non tenentur quoque ad restitutionem?

R. Rei sunt peccati mortalis, & perjurii; intentio enim iudicis erat, ut declararetur veritas, quòd accusatus vel ut reus damnetur, vel ut innocens dimittatur: cum ergo veritatem reticuerint, tenentur compensare totum damnum ex reticentia circumstantiæ necessariæ emergens. *Farinacius Praxis crimin. p. 2. q. 67. n. 223.*

CASUS IX. *Marcus Lucium* de homicidio *Pauli* accusans producit duos testes *Jacobum* & *Joannem*, qui testantur, *Lucium* esse homicidii reum; alii duo testes æquè irreprehensibiles testantur *Lucium* esse innocentem, & *Paulum* fuisse occisum à *Stephano*. An iudex *Lucium* tutâ conscientiâ librum dimittere potest ob æqualitatem testimoniorum?

R. Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2.* iudex pronuntiare debet in favorem accusati.

CASUS X. *Felix* judicialiter accusavit *Siranum*, quòd occiderit *Paulum*, & contra ipsum produxit duos testes *Jacobum* & *Joannem*, qui testati sunt, *Siranum* reum esse homicidii, verùm *Jacobus* addidit, homicidium isthoc commissum esse die lunæ, qui primus erat dies Mensis, *Joannes* verò asseruit, homicidium factum fuisse die Martis: vel, unus eorum dixit, homicidium commissum esse in domo, alter verò affirmavit, illud contigisse in platea domui proxima. Quid agendum iudicii?

R. Iudex tutâ conscientiâ non potest condemnare *Siranum*: Testimonia enim *Jacobi* & *Joannis* non sunt satis firma & efficacia ob discordiam principalium circum-

cumstantiarum. *S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2.*

CASUS XI. *Laurentius* duos testes *Jacobum* & *Joannem* ut testes producit contra *Lucium*, quem accusavit, quod occiderit *Albertum*; ast dicti duo testes discordant in quibusdam circumstantiis non quidem ad substantiam facti pertinentibus, aliquam tamen relationem ad illud habentibus. An iudex condemnare potest *Lucium* ad poenam capitalem?

R. Potest, & debet condemnare; nam circumstantiæ allatæ in proposito casu ordinariè non pariunt in animo testium, ipso facto, de quo ut oculati testes testantur, occupato, magnam impressionem. *S. Thomas locò citatò.*

CASUS XII. Si in priori casu *Jacobus* & *Joannes* quidem testentur, *Albertum* occisum esse à *Lucio*, unus eorum autem dicat, se non ampliùs recordari diei & loci in quo occisus sit, alter verò diem & locum assignet, an iudex condemnare poterit accusatum?

R. Juxta *S. Thomam locò citatò* potest condemnare, in testimoniis enim *Jacobi* & *Joannis* non reperitur contrarietas.

CASUS XIII. *Petrus* & *Paulus* ob multa mendacia, & pravas actiones, de quibus judicialiter jam reprehensi sunt, infames, testes agunt contra *Joannem* de homicidio accusatum. An iudex accusatum ob tale testimonium condemnare potest observatò justitiæ rigore?

R. Juxta Regulam generalem juris testes debent esse irreprehensibiles; hinc si aliæ probationes contra *Joannem* non adsint, nisi testimonium horum testium, contra eos excipere potest *Joannes*, & rationes suas illos repudiandi viva voce, & non scriptò, proferre. Iudex igitur tutà conscientiam non potest *Joannem* condemnare ad poenam capitalem. Excipiendus tamen est casus, in quo agitur de crimine læsæ Majestatis. *Pontas.*

NOTA. Quamvis testes infames circa crimen læsæ majestatis admniculativè admitti possint; pro connotivo tamen, determinativo intellectus ad ferendum judicium moraliter certum, assumi nequit.

CASUS XIV. *Theologus*, & *Canonista* agitant inter se hanc quæstionem, an datur casus, in quo ad faciendam fidem unus sufficiat testis? *Theologus* tenet negativam, *Canonista* verò affirmativam.

R. Si agatur de re jam ad forum contentiosum delata, *Theologus* benè tenet negativam; judicialiter enim sententia ferri non potest ad unius hominis testimonium. Si verò de aliis extraordinariis casibus agatur, certum est plures dari casus, in quibus unus sufficit testis. 1. Quando non cedit in præjudicium tertii. 2. Quando partes inter se adversæ conveniunt, ut testimonio tertii stetur. 3. Quando agitur de correctione fraterna. *Pontas.*

NOTA. Cum testimonium unius hominis omni exceptione majoris de proprio visu & auditu aliquo ies moralem certitudinem pariat, ad prudentiam Legislatorum pertinet, an? & ad quales poenas taliter convièti ordinandi sint?

CASUS XV. *Albertus* omnibus suis vicinis infensus *Vinebaldum* tam verbis quàm verberibus malè exceptit; hinc à *Vinebaldo* apud judicem accusatus est, & duo suorum vicinorum, ad testificandum non vocati, ultrò contra ipsum deponunt. An *Albertus* ob eorum testimonium ad aliquam poenam condemnari potest?

R. Depositiō horum testium est nulla, & iudex ob horum testimonium non potest *Albertum* ad ullam poenam condemnare: *Ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur.* Ita *Theodosius* & *Valentinianus Imperatores.* *Pontas.*

CASUS XVI. *Aristides* falsum testimonium deposuit contra *Justinum*, quod nempe *Ludovicum* occiderit: accedentibus igitur etiam aliis violentis præsumptionibus *Justinus*, qui tamen reverà innocens erat, condemnatus est ad mortem. An *Aristides* in conscientia tenetur revocare suum testimonium, etiamsi prævideat, se poenâ talionis afficiendum?

R. Certè tenetur revocare; nam in equali periculo potior est innocentis conditio, quàm illius, qui suâ malitiâ immeritum

ritum hominem in id periculum adegit. *Cassutius l. 4. c. 5. n. 6.*

CASUS XVII. *Jodocus* vocatus in iudicium deposuit falsum testimonium in re, quam certò sciebat nullius esse momenti. An peccavit mortaliter?

R. Omne perjurium à teste coram iudice commissum est peccatum mortale; hinc *Jodocus* depositò falsò testimonio peccavit mortaliter, cum juramentum emisserit dicendæ veritatis. Ita docet *S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 4. in corp.*

CASUS XVIII. *Robertus* & *Antonius* citati in iudicium ad deponendum testimonium contra *Petrum* de homicidio accusatum, accincti jam ad iter in exterarum regiones suscipiendum, coram Notario declararunt, se oculos esse testes commissi à *Petro* homicidii, & hanc suam declarationem scriptam ac sigillò obsignatam transmiserunt iudici. An iudex ex his declarationibus condemnare *Petrum* potest?

R. Tutà conscientiam non potest condemnare *Petrum*; omnis enim declaratio non facta judicialiter coram iudice, qui ipse factus interrogare debet, nulla est. *Leg. Jurisjurandi 9. Cod. de Testibus.*

NOTA. Pertinet ad declarationem supremi provincie Legislatoris, an pro tali casu ejusmodi declarationem velit æquiparari testimonio vocati.

CASUS XIX. *Desiderius* debet *Ambrosio* 60. florenos, cum *Ambrosius* verò nullam habet syngrapham *Desiderii*, debitum probat per duos testes, quorum unus est *Godefredus* sponsus suæ in linea remotiori consanguineæ, & alter est famulus domesticus. An iudex ob horum testimonium *Desiderium* condemnare potest ad solutionem debiti?

R. *Godefredus* non est testis idoneus, cum sit ipsius propinquus. *Leg. In Legibus. s. ff. de testibus.* Propinqui non admittuntur ut testes, nisi in gradibus propinquitatis à legibus permittis. 2. Regulariter loquendò testimonium famuli domesticus rejiciendum est. *Pontas.*

Diction. Cas. Consc.

NOTA. Circa causas levioris moment plus à iudice tribuendum præsumptioni individuali pro veracitate personali testis, quàm præsumptioni generali ex qualitate domestici vel sponsi.

CASUS XX. *Mogerius*, incola cujusdam Parochiæ, contendit cum *Lupercio* suo parcho de possessione cujusdam sylvæ, quam *Mogerius* actum possidet. Iudex ad dirimendam litem iussit produci testes, qui de tempore possessionis sua deponant testimonia: Quatuor testes assentur, *Mogerium* sylvam jam à triginta annis possidere, sex alii testes verò affirmant, eum dictam sylvam per annos plus quàm quadraginta possidere. An ob istam contrarietatem iudex non potest sententiam ferre in favorem *Mogerii*?

R. Juxta *S. Antoninum 3. Parte tit. 9. c. 2. §. 2.* Iudex, si poterit, debet concordare testimoniorum contrarietatem, & si hoc non est possibile, debet ferre sententiam juxta testimonium plurium idem testantium, nisi ex altera parte obstet singularis personarum qualitas, vel eorum testimonium videatur evidenter probabilius ob aliquas circumstantias. *Pontas.*

CASUS XXI. *Hierophilus*, Parochus Dioceseos Turnacensis, solemnizavit Matrimonium præsentibus duobus duntaxat testibus, cum tamen *Constitutio annò 1697.* edita ad valorem Matrimonii requirat præsentiam quatuor testium: Obiciebatur dicto Parcho, quod peccarit mortaliter, ipse autem defendebat, se ne quidem venialiter peccasse.

R. Constitutio Regia se habet per modum veræ legis in Gallia, & huic se submittere debuisset Parochus, hinc censetur, Parochum, quamvis juxta Concilium Tridentinum Matrimonium fuerit validum, peccasse tamen mortaliter ob violationem. Legis à Principe latæ, utpote quæ fuit justa, promulgata, ac sine oppositione recepta. *Pontas.*

Vide *Impedimenta Claudesinitatis.* Casu 25. & 26.

THESAURUS.

1. *Thesaurus* in genere significat quamcumque rem pretiosam, sacram vel profanam; sic thesaurus dicuntur Sacrae Reliquiae, vel copia auri aut argenti. Dicuntur etiam *Thesaurus Ecclesiae* merita Corporis Mystici, cuius Caput Christus est, & Sancti membra. Denique thesaurus propriè dicitur, prout & hic sumitur, antiqua depositio auri, argenti, aliarumve rerum pretiosarum in aliquo loco reconditarum, & noviter detectarum, quin sciatur, ad quem pertineant.

2. Non potest dici, si modò Christianò loqui velimus, inventionem Thesauri sortiti, casui, ac caecae fortunae adscribendam esse inventio enim ejusmodi est potius referenda ad aliquam superiorem Intelligentiam omnia providè disponentem ac ordinem rerum ac causarum sapienter dirigentem.

CASUS I. *Gualterius* Emphiteuta in fundo pertinente ad Gabrielem Parochum loci, sibi que ab eodem locato reperit 200. aureos, quorum aliqui primùm ante duos vel tres annos cusi fuerant. Quaeritur, num hæc summa inventa habenda sit instar thesauri, ita, ut *Gualterio*, Parocho & Ecclesiae, ac Fisco Principis sua cuilibet pars debeatur.

℞. Id, quod propriè thesaurus dicitur, non pertinet ad illum, in cuius fundo reperitur; quia non est verus possessor rei sibi ignotae. *Leg. possideri. 3. §. 13. ff. de acquirenda vel amitt. possessione. 41. tit. 2.* Verùm dici non potest, inventam summam habere rationem thesauri propriè dicti, sed potius habendam esse pro re à quodam privato in hoc loco amissa aut recondita: ex quo sequitur, verum huius pecuniae dominum libenter velle sibi recuperare rem suam; *Gualterium*que teneri ad eam restituendam. Quòd si *Gualterius* post-sufficientem inquisitionem & expectationem verum dominum detegere non possit, tenetur summam inventam expendere in pauperes aut applicare

ad alias causas pias juxta intentionem veri domini. *S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3.* Observandum tamen, quòd, si ipse *Gualterius* sit pauper, posset pars rei inventae, aut etiam tota summa à Confessario applicari ipsi *Gualterio*. Juxta leges Romanas ille, qui reperit thesaurum in fundo alterius, partem dimidiam debet cedere domino fundi; si autem reperit in suo fundo, totum retinere potest. In Gallia quando quis reperit thesaurum in fundo alieno, una pars tertia spectat ad inventorem, altera ad dominum fundi, tertia ad dominum territorialem; si quis autem reperit thesaurum in fundo suo, partem dimidiam retinere sibi potest, altera relicta Domino territoriali. *Pontas.*

NOTA. In mea *Theologia* doceo, tam inventorem rei perditae, quam repertorem thesauri, si post diligentem inquisitionem, evanescat spes reperti verum Dominum, posse retinere inventa, quin teneatur ea expendere in causas pias, aut partiri cum alio.

CASUS II. *Sigebertus* profundam construens fossam reperit summam 5000. florenorum à longissimo jam tempore ibi deentam. Poteritne tutà conscientia hanc summam sibi retinere?

℞. Si hic thesaurus à *Sigeberto* inventus est in proprio fundo, juxta consuetudinem Gallicanam dimidium pertinet ad Dominum territorialem; si in alieno, tertia tantum pars pertinet ad inventorem. Ubi autem nōa viget ea consuetudo, in primo casu integer thesaurus pertinet ad inventorem, in secundo pars dimidia ad dominum fundi. *Pontas.*

NOTA. Hæc procedunt pro foro externo. In foro interno Inventor potest omnia retinere solus. Vide dicta ad *Casum 1.*

CASUS III. Domus ruinosa destruitur, & invenitur thesaurus. Ad quem pertinet?

℞. Insistendò præcisè juri naturali, totus iste thesaurus pertinet ad inventorem. Verùm leges volunt eum æqualiter dividi inter dominum fundi & inventorem, si consuetudo non exigat aliud. Si etiam Dominus territorialis ad thesaurum inventum

tum habet jus, dividi debet in tres partes. *Fromageau.*

NOTA. Vide dicta ad *Cas. 1. & 2.*

CASUS IV. Intra fornicem cujusdam cellae vinariae reperitur thesaurus. Ad quem pertinet?

℞. Jus commune vult thesaurum inventum in duas æquales partes dividi. Nihilominus quoad rem hanc insistendum est consuetudini locorum. *Fromageau.*

NOTA. Si inventio necdum sit publicata & delata ad Judicem, vel hæredes, retineri possunt inventa, nisi probabilius, aut morali certitudine noscatur, absconsa intra spatium temporis immemorialis pertinuisse ad personam, cujus supersunt hæredes.

TITULUS CLERICALIS.

1. Hæc vox *Titulus* varios recipit sensus: sic sumitur quandoque pro Beneficio Ecclesiastico, pro contractu aut alio actu contractui æquivalente, pro inscriptione alicujus operis; quandoque significat Dignitatem, gradum, ac conditionem personae &c. Denique sumitur pro *Titulo Clericali*, seu *Sacerdotali*, sub quo ordinariè intelligitur titulus patrimonii; quo in sensu & nos hic sumimus.

2. Consistit igitur *Titulus* in redditibus cujusdam Beneficii, aut in portione quadam honorum patrimonialium, aut aliorum honorum temporalium justè aquiretorum Beneficium, quod habet locum *Tituli*, non potest resignari, nisi in quatuor casibus.

3. Si *Titulus* consistat in bonis alterius speciei, in Gallia juxta Edieta de eo certò & absque fraude constare debet coram Judice ordinario per quatuor incolas loci. Bona, in quibus fundatur ejusmodi titulus, non possunt abalienari, nec ullis sunt obnoxia obligationibus, aut hypothecis à tempore, quo quis ad Sacros Ordines fuerit promotus usque ad mortem ipsius. Episcopus, qui hac in re contra Edieta egerit, tenetur illam sustentare, quem ad Ordines absque Titulo admisit, usque dum ipsi de Beneficio providerit.

CASUS I. *Antonius* fuit ordinatus in Subdiaconum ex titulo fraudulento: amicus enim ipsi contulit titulum; ipse autem amico in scripto promisit, se titulum nunquam exacturum. An propterea incurrit aliquam poenam Canonica?

℞. Non videtur, *Antonium* sic recipere potuisse Subdiaconatum, quin suspensionem incurrisset. Authores vix non omnes hanc tenent sententiam, & inter eos etiam *Navarrus, Manual. c. 27. n. 158.*

CASUS II. *Anisius* recepturus Subdiaconatum producit Titulum patrimonii, cujus annui redditus sunt 75. floreni; sed hic fundus ne quidem sufficit ad solvenda patris defuncti debita, quæ ad minimum 2000. florenos conficiunt. An titulus iste illegitimus censendus est?

℞. Si bona ista patrimonialia per modum hypothecae sunt obligata creditoribus, Titulus est fraudulentus & nullus; & *Anisius* suspensionem incurrit, si beneficio hujus tituli ordinari se faciat. *Bonacina de Sacram. disp. 8. quæst. unic. punct. 5. n. 34.*

CASUS III. *Asterius* ordinatus in Presbyterum sub titulo patrimonii præterdit, se posse ex sua Diocesi discedere, & in alia Diocesi suscipere munus Vicarii absque licentia sui Episcopi; nec se posse cogi ad deservendum in propria Diocesi, in qua non habet Beneficium.

℞. Præsentio *Asterii* non potest defendi; nec potest sine consensu sui Episcopi à sua Diocesi in aliam transire ad obeundas functiones Vicarii. *Pontas.*

CASUS IV. *Vitalis Acolytus* obtinuit Prioratum per Simoniam, in quam tamen nullam habuit partem, nec ullam ejusdem notitiam, nisi post aditam jam possessionem Beneficii. An poterit ordinari sub titulo hujus Beneficii, si nullum alium titulum reperiat, non obstante interveniente Simonia?

℞. Verum quidem est, *Vitalem* non incurrisse poenas Canonicas per hanc Simoniam; non tamen potest ordinari sub hoc titulo, utpote absolute nullo. Potest
Oooooo 2 autem

autem facta prius pura ac simplici renuntiatione Beneficii sibi procurare novam provisionem, & dein ordinari. *S. Beuve tom. 1. cas. 33.*

CASUS V. *Baltazarus* possidet præstimonium, cujus annui fructus sunt 100. floreni. An servit pro titulo?

R. Si præstimonium est perpetuum, potest ipsi servire pro titulo. *Garcias de Benef. tit. 1. p. 1. c. 2. n. 112.*

CASUS VI. *Henricus* Episcopus videt, Julianum Clericum tonsuratum, pium & doctum non habere titulum ad recipiendos sacros Ordines. Potestne ipsum nihilominus ordinare, si se obliget ad dandum ipsi in sua Diocesi aliquod officium sufficiens ad hoc, ut possit ipsi servire pro titulo?

R. Potest: id enim permittit Concilium Mechlinense de anno 1570. c. 5. de *Ordinandis*.

CASUS VII. *Didymus* Religiosus professor Ordinis S. Francisci vult ordinari in Subdiaconum. Potestne Episcopus ipsum admittere sine Titulo?

R. Solus titulus Religionis sufficit, modo ille, qui petit sacros Ordines, habeat attestationem à suo Superiore, se esse Religiosum professum, & Religiosus talis ipse in præsentia Episcopi contestetur, se sponte professionem emisisse, conformiter ad Constitutionem Pii V. de anno 1568. Clerus Gallicanus hac de re novas Constitutiones edidit, quæ possunt consuli. *Pontas.*

CASUS VIII. *Benignus* ordinatus ad Titulum Capellanæ simplicis, cujus redditus 150. floreni, nec habens aliunde sustentationem, eandem resignat in Curia Romana suo nepoti, ut ipsi serviat in titulum, nulla tamen facta mentione in procuratione ad resignandum, quod hoc Beneficium sibi met ipsi servierit in titulum. Potuitne absque peccato sic resignare? An hæc resignatio in foro interno est nulla?

R. Juxta Concilium Tridentinum *Sess. 21. de reform. c. 2.* Benignus non solum

pejorè egit resignandò Capellaniam; sed etiam resignatio est habenda pro nulla. Patitur tamen Decretum Concilii aliquam limitationem etiam in iis Provinciis, in quibus viget ejus observantia: 1. Quando resignatur Beneficium cum reservatione sufficientis pensionis. 2. Quando permutatur Beneficium cum æquali vel meliori. 3. Quando resignans possidet aliud Beneficium sufficiens ad sustentationem. 4. Quando resignans habet sufficientia bona temporalia ad congruam sustentationem. Observandum autem, hoc Decretum Concilii in Gallia non observari, quantum attinet ad nullitatem talis resignationis, *Pontas.*

CASUS IX. *Achilles* fuit ordinatus sub titulo patrimonii consistentis in redditibus annuis 50. florenorum, quos ipsi pater assignavit in fundo quodam. Pater post septem aut octo annos vendidit hunc fundum Briando, quin ipsi diceret, in eo titulum filii sui esse constitutum. Achilles noluit huic venditioni se opponere, ne patrem offenderet. Num peccavit Achilles permittendò alienationem tituli sui? an tutâ conscientiâ potest compellere Briandum ad solvendam annuam pensionem 50. florenorum, imo etiam restantias à septem vel octo annis, salvo recursum, quem Briandus habet in alia bona patris?

R. Achilles non peccavit; potestque à Briando exigere annuam solutionem 50. florenorum, & restantiarum, in quantum jus consuetudinarium Provinciæ non fuerit contrarium. *Pontas.*

CASUS X. *Polybius* viduus improlis videns Josephum Acolytum valde pauperem aspirare ad Sacros Ordines, ipsi confert titulum 75. florenorum reddituum annuorum, & Josephus ad Subdiaconatum admissus est. Verùm contractò postmodum matrimonio ac suscepta prole Polybius revocat donationem. Potestne eam revocare tutâ conscientiâ?

R. Verum est, superveniente in sperata prole donatorem posse revocare donationem factam, dum prole carebat; sed, cum status

status Clericalis sit ita privilegiatus, ut Ecclesia semper necessarium judicaverit, ut nemo admittatur ad illum statum absque titulo, iste titulus nullo modo alienari potest. Hinc Polybius non potest revocare donationem factam Josepho, nec illi propterea actionem intentare. *Pontas.*

CASUS XI. *Ursinus* homo plebejus degens in Provincia, in qua exiguntur tributa personalia, ordinatus est in Presbyterum sub titulo ipsi à patre assignato in quodam fundo nobili ferente annuos redditus 50. florenorum. Exactores tributorum exigunt ab Ursino tributum ex hoc fundo nobili; id ipse recusat, eoquod in hoc fundo habeat constitutum titulum, adeoque habendus sit pro fundo Ecclesiastico, saltem quamdiu viveret. An Ursinus tutus est in conscientia, si nil solvat?

R. Si *Ursinus* ita est dispositus, ut velit solvere tributum, si exigatur, & certum fuerit, deberi tributum ex hoc fundo, tutus est in conscientia, etsi prima vice solutioni sese opposuerit. *S. Beuve tom. 1. cas. 200.*

TONSURA.

1. Corona seu *Tonsura* est symbolum potestatis Regiæ spiritualis, quam consequuntur Clerici in ordine ad regimen aliorum fidelium. Primam suam originem tonsura repetit à Nazaræis, fuitque instituta jam à tempore Apostolorum.

2. Per tonsuram quis fit Clericus; & quamvis non habeat rationem Ordinis, sed simplicis duntaxat caremonia ab Ecclesia instituta, est tamen dispositio, ac quasi janua ad reliquos Ordines. Nullum potest Clericale ministerium exerceri, nullumque Beneficium possideri, nisi receptâ prius tonsurâ. Nunquam admittitur Clericus ad petendum Beneficium, aut de eo litigandum, nisi prius in originali produxerit literas testimoniales de recepta tonsura.

3. Juxta jus antiquum annus ætatis septimus sufficiens censebatur, ut quis

primâ tonsurâ posset initiari: sed moderno tempore ætas provecior requiritur. Cæterum ut quis possit tonsurâ Clericali initiari, necesse est, ut sciat legere, scribere, ac principales articulos fidei nostræ, & ut sit confirmatus: Concilium Rothomagensis de anno 1582. requirit insuper, ut talis sit ex legitimo thoro natus. Proprius solum Episcopus potest Diocesano suo tonsuram conferre; & si quis eam consecutus fuisset ab alieno Episcopo, tenetur sibi Româ literas procurare, quæ dicuntur *perinde valere*. Iteratio denique tonsuræ non inducit irregularitatem.

CASUS I. *Quericus* Sub-Diaconus & Canonicus nunquam deserit coronam Clericalem, ac insuper gerit longiorem comam. An peccat mortaliter?

R. Sacri Canones obligant omnes in Ordinibus Sacris constitutos ad deferendam coronam Clericalem, & brevioram comam. Hinc dici potest, transgressores horum Canonum peccare mortaliter, si eorum inobedientia per notabile tempus duret. *Pontas.*

CASUS II. *Mavius* habens solam tonsuram sine ullo Beneficio querit, an teneatur recitare divinum Officium, aut illi interdum assistere?

R. Ecclesia non obligat Clericos solum tonsuratos ad recitationem Breviarii, nec ad alias preces particulares, si nec Beneficium, nec pensionem Clericalem habeant; certum tamen est, quod teneantur assistere Officiis Ecclesiæ publicis, saltem diebus Dominicis & Festis. *Pontas.*

CASUS III. *Theophanes*, cum afficeretur erga aliquem Prioratum sibi valde cominodum, ut illum obtineat, recipit tonsuram absque ullo animo recipiendi Ordines. An commisit peccatum grave?

R. Quamvis non detur absoluta obligatio, susceptâ semel tonsurâ permanendi in statu Clericali; peccat tamen graviter suscipiens tonsuram absque animo permanendi in statu Clericali. Hinc Theophanes egit contra mentem Ecclesiæ, & tutâ

conscientiâ non potest retinere hunc Priorem. *Pontas.*

CASUS IV. *Mathurinus* post secundas jam nuptias denuò in statum viduitatis redactus recipit tonsuram, quin declaravit irregularitatem ex bigamia contractam, animò tamen petendi dispensationem, antequam Ordines Minores & Sub-Diaconatum recepturus esset. Potuitne sic recipere tonsuram, quin violârit leges Ecclesiæ?

R. Suppositò, quod Tonsura non sit numeranda inter Ordines, licet gravissimi Authores contrarium defendant, *Mathurinus* in præsentī casu non egit contra leges Ecclesiæ, etiamsi irregularis fuerit: irregularitas enim tantum importat inhabilitatem ad recipiendos & exercendos Ordines. Nihilominus pessimè egit *Mathurinus*, dum de bigamia non monuit Episcopum, qui certè tonsuram ipsi non contulisset sine prævia dispensatione. *Pontas.*

CASUS V. *Softbenes* Patronus cujusdam Capellanix simplicis in Diocesi Ebroicensi, eandem obtulit Gerardo ex Diocesi Bajocensi oriundo, per decem jam annos commoranti in Diocesi Lexoviensi. A quonam horum trium Episcoporum Gerardus accipere debet tonsuram?

R. Destinatio trium Episcoporum, scilicet originis, Beneficii, & domicilii solum respicit Ordines, & non tonsuram, de qua jus mentionem non facit. Hinc Gerardus non potest tonsuram accipere nisi ab Episcopo originis, nempe Bajocensi, cum adhuc considerandus sit tanquam simplex laicus, quoad hoc tantum Episcopo originis subjectus. *Pontas.*

CASUS VI. *Raymundus* natus in Diocesi Trecoriensī, ibique in casu necessitatis sine cœremoniis baptizatus à Parocho, postea translatus est in Diocesi Venetiensem, ubi suppletæ fuerunt cœremonix Baptismi, ipsique nomen Raymundi inditum. Post duodecim aut quindecim annos acceptis ab Episcopo Venetiensi literis dimissorialibus tonsuram accepit ab

Episcopo Rhedonensi. Jam, cum & Ordines suscipere cogitet, quærit, an literas dimissoriales petere debeat ab Episcopo Venetiensi, in cujus Diocesi fuerunt suppletæ cœremonix Baptismi, & ipsi nomen inditum; vel an teneatur recurrere ad Episcopum Trecoriensem, in cujus Diocesi natus est?

R. Dantur duæ diversæ sententiæ quoad Episcopum originis: aliqui putant, illum esse Episcopum originis, in cujus Diocesi quis natus est, etiamsi ibi non sit baptizatus; alii autem Episcopum originis esse censent, in cujus Diocesi quis baptizatus est, licet ibi natus non sit. Episcopus autem, in cujus Diocesi solum suppletæ sunt cœremonix Baptismi, & impositum nomen, non potest censeri proprius esse Episcopus; nec ullus Authorum id asserit. Hinc *Raymundus* non potuit tonsurari ab Episcopo Venetiensi. Nihilominus, cum tonsura non sit Ordo, nolumus asserere, eam ab alieno Episcopo collatam esse absolutè nullam. *Pontas.*

CASUS VII. *Clericus* quidam habet pensionem ex quodam Beneficio; & tamen nec tonsuram desert, nec habitum Clericalem.

R. Tutâ conscientiâ non potest frui hac pensione; & Episcopus, habet jus eum per censuras compellendi, ut vivat clericaliter, aut renuntiet suæ pensioni. *Fromageau.*

CASUS VIII. In quadam Diocesi viget Statutum, vî cujus nemo est admittendus ad tonsuram ante annum ætatis decimum quartum. Potestne Episcopus interdum agere contra hoc Statutum?

R. Absque causâ legitima non potest illud transgredi. Nec spes, quam habet adolescens novem annorum ad aliquod Beneficium sibi oblatum, est sufficiens ratio, ut Episcopus contra hoc Statutum ipsi conferre possit tonsuram. *Fromageau.*

Vide Ordines Cap. 18. & 19. Beneficium. *Clericus.*

1. *Transactio* juxta Polmanum est *Conventio onerosa, qua res dubia & incerta componitur inter partes.* Transactio nunquam disponit circa dissidii articulum, de quo non cogitârunt, sed illud solum, de quo inter Partes expressis verbis conventum est, aut quod ex eo necessariò consequitur.

2. Quando lis est cum duobus de eadem re, potest transigi cum alterutro, quin conventiones cum eo initæ possint prodesse alteri, quocum transactum non fuit.

3. Omnis transactio habet vim rei judicatæ, & rationem judicii eò firmioris, quo contrahentes ultroneè & majori cum libertate consenserunt. Licetum est, imò consuetum in transactione convenire de pœna in eam, qui exequi noluerit transactionem; eamque pœnam alter à transigente potest exigere.

4. Quævis transactio evadit nulla per fraudem, quæ ei dat causam. Jus acquisitum per Testamentum semper subsistit, non obstante quavis transactione contraria cum hærede inita, quando hoc jus latebat tempore transactionis, & dein patuit per Testamentum hæctenus ignoratum. Aliud dicendum foret de transactione generali inita de omnibus præensionibus ac juribus mutuis partium, & una pars contrahentium postmodum detegeret novum titulum sibi favorabilem.

5. Contrahenti alleganti, se fuisse læsum per transactionem, non datur actio in judicio; quia sic lites in infinitum multiplicarentur.

6. Transactio inita litis causâ, quæ ignorabatur jam esse judicata, est nulla, si lis coram supremo Principe fuerit judicata: verum si lis tantum judicata est à Judice subalterno, transactio suum sortitur effectum; à tali enim Judice datur appellatio prioris actionis judicialis suspensiva.

CASUS I. *Tiburtius & Philibertus* super diversis rebus litigantes, ut omnibus processibus simul finem facerent, transactionem generalem ineunt. *Tiburtius* præten dit, sibi à *Philiberto* deberi 1200. florenos; *Philibertus* sese offert ad solvendos 1000. florenos; *Tiburtius* acceptat oblatum, & præstita solutione omnibus suis ulterioribus præensionibus renuntiat. Verum post sex menses *Philibertus* reperit quittantiam, qua agnoscit, se tantum amplius debuisse 600. florenos. Potestne *Philibertus* agere ad resolutionem transactionis; eoquod læsus fuerit?

R. *Transactio* ista cum fuerit generalis, & fraus non intervenerit, *Philibertus* non potest agere ad rescissionem illius: pro compensatione damni respicienda est terminatio litis, quæ fuisset ambigua. *Pontas.*

CASUS II. *Frobertus & Natalis* integrò annò jam litigant de hæreditate inter se dividenda; tandem ambo litis pertæxi transigunt: sed post transactionem audiunt, jam ante biduum latam esse sententiam in favorem *Froberti*. An hic poterit rescindere transactionem, utpote sibi non ita favorabilem, ac est sententia?

R. *Transactio* post rem judicatam in scis partibus inita valet, si sententia non fuit lata à Supremo Tribunali, à quo appellari non potest. *Leg. & post rem. 7. ff. de transactionibus.* Et ex hoc principio præensio *Froberti* decidenda est. *Pontas.*

CASUS III. *Richardus* Archidiaconus cujusdam Ecclesiæ Metropolitanæ, habens annexam suæ Dignitati Præbendam obiit; & *Mauritius* ac *Paulinus*, unus provivus in Curia Romana, alter ab Ordinario, litigant de successione in Dignitatem ac Beneficium *Richardi*. Re nondum judicata transigunt, ut *Mauritius* recipiat Archidiaconatum, & *Paulinus* Præbendam; uterque etiam possessionem cepit non repugnante Capitulo. An hæc transactio est legitima?

R. Certum est, eam esse nullam ac illegitimam: non enim est in potestate privato-

vatorum dismembrare Beneficia semel unita. Imo transactio ista est etiam Simoniacae, & nec Mauritius, nec Paulinus possidere potest hæc Beneficia. *S. Beuve tom. 1. cas. 39.*

CASUS IV. *Nereus & Andreas* litigantes de dependentia cujusdam feudi nobilis, tandem amicabiliter transigunt, ita, ut Andreas desistat à suis præensionibus, Nereus autem teneatur ipsi dare duos equos cursorios. Nereus habet quidem sex hujusmodi equos, quorum duos destinaverat Andreae; sed ii omnes brevi post transactionem perierunt incendiò. Teneturne emere alios duos ejusmodi equos, quos tradat Andreae?

R. Si *Nereus* non fuit in mora solvendi eo tempore, quo contigit incendium, ad nihil tenetur Andreae. *Leg. Si mihi. 92. ff. de solut. & liberat. l. 46. tit. 3.* Verum quia non est evidens, Nereum se tantum obligasse ad tradendos duos equos sibi proprios; sed potius transegisse videtur sub terminis generalibus, & promississe duos equos cursorios indiscriminatim sumptos, tenetur in conscientia emere duos alios equos, eosque tradere Andreae.

Vide *Abbas Cas. 7.*

TRANSLATIO RELIGIOSORUM.

Translatio Sedis ex uno loco in alium strictissime erat prohibita in primitiva Ecclesia. Concilium *Nicanum I.* ejusmodi translationes declaravit nullas. Concilium *Sardicense* Communionem privavit Episcopum translatum: neque in primis Ecclesie sæculis agnoscebantur translationes Clericorum Beneficiorum. Hic agitur de translatione Religiosi ex uno Monasterio in aliud ejusdem aut diversi Ordinis. Ad translationem in diversum opus est autoritate Apostolica: ad translationem verò intra eundem Ordinem sufficit autoritas Superioris.

CASUS. *Abbatissa* quædam laxioris observantiae sibi procurat & acceptat nomi-

nationem ad Abbatiam aliam strictioris observantiae.

R. Si *Abbatissa* ratione sanitatis se iudicat imparem ad obeundas omnes observantias vigentes in Monasterio strictiore, nec sibi procurare, nec acceptare potest Abbatiam: hanc enim conditionem Papa exigit concedendò Breve translationis. Quòd si *Abbatissa* translata in aliam Abbatiam non posset observare Regulam ibi vigentem in omni suo rigore, opus haberet dispensatione Superioris: à quo tamen ea non facile concedenda est nisi pro casu necessitatis transeuntis, & non diu subsistentis. *De Lamet.*

Vide *Capucini. Religiosi.*

TRIBUTUM, seu VECTIGALIA.

1. In hoc Titulo sex puncta discutientur, nimirum quis possit imponere Tributa? quibus de causis? & per quale temporis spatium? dein agetur de obligatione persolvendi Tributa, quæ, si fundatur in necessitate inevitabili succurrendi bono communi, in conscientia obstringit, ac in quibusdam casibus sine peccato mortali violari non potest. Vi juris Romani defraudatio vectigalis *Crimen* dicitur: *fraudati vectigalis crimen.*

2. Tres dantur species Tributorum, horum una omnia hominum genera tangit, altera verò solum eos, qui non sunt nobiles.

Prima imponitur personis ratione suorum bonorum mobilium & immobilium, ac etiam industrialium, & hoc Tributum dici potest *personale.*

Secunda imponitur solum fundis, nulla personarum habita ratione, & hoc potest dici tributum *reale.*

Tertia denique imponitur rebus mobilibus, quin respiciatur ad personas, v. g. sali, vino, ligno &c.

3. Tributum *personale* exigere potest 1. solus Princeps, qui certam determinat summam in toto Regno omnibus personis imponendam. 2. Ista summa dein per

per totum Regnum dividitur, & quilibet juxta proportionem suarum facultatum contribuere tenetur.

Tributum *reale* eodem modo, juxta proportionem possessionum in singulos dividitur.

4. *Vectigal* annonæ, & mercibus impostum persolvendum est in locis, ubi transvehuntur, aut venales exponuntur conformiter ad consuetudinem loci.

5. Tributum *personale* dividitur in singula familiæ capita juxta proportionem bonorum, industriæ & potestatis; & ideo scemina conjugata eximuntur, nisi sint à suis maritis separata; hinc maritus tributum persolvere debet non solum juxta proportionem suorum sed & suæ uxoris bonorum.

6. Tributum *reale* solum imponitur in iis locis, ubi sibi sunt fundi, licet eorum possessor absens sit: hoc tributum persolvi debet etiam à conductoribus, usufructuariis, locatoribus, & omnibus possessoribus fundi, quia talis fundus specialiter Principi hypothecatus esse censetur respectu dicti Tributum.

7. De *vectigali* annonæ & mercibus imposto notandum est, quòd istæ fisco regio immediatè cedant, si quis solutionis dicti vectigalis vitandæ causâ fraudulenter egisse deprehendatur; & ad hanc pœnam subeundam talium mercium domini, ipsorumque hæredes tenentur.

8. Carceri non possunt mancipari illi, qui talia tributa persolvere negligunt, nisi aliud accedat delictum.

CASUS I. *Mauricius* negotiatur variis in locis intra & extra regnum Gallie, quandoque merces suas invehit absque persolutione vectigalis. Potestne id agere, si nimia sit exactio vectigalis, & etiam auctores dicant, legem vectigalium tantum esse legem pœnalem?

R. Ut melius agnoscatur æquitas vectigalium, sciendum est, quinque dari conditiones, quæ vectigalia reddunt legitima juxta *Cabassutum. Juris Can. Theor. l. 6. Distion. Cas. Conseq.*

1. *Vectigal* non potest exigi nisi à supremo Domino in statu politico, sive præsit unus, aut plures.

2. Ut *Vectigal* exigi possit, justa legitimæque debet subesse causa, ita, ut Princeps rationabiliter id non exigere non possit.

3. Exactio Vectigalium major non esse debet, necessitate, quæ Principem premit.

4. Princeps vectigalia in pravos vel inutiles usus impendere non debet.

5. *Vectigal* per longius temporis spatium, quam necessitas petit, exigere non debet.

Hoc supposito dicimus Mauricium tantam conscientiam non potuisse uti fraude ad evitandum vectigal, rationes pro illo allatæ nullæ sunt. *S. Paulus* id expressè habet *Rom. 13. 6.*

NOTA. Si evidens foret injustitia vectigalium, v. g. si manifestè repugnaret pactis reciprocis vicinorum Statuum, aut Capitulationi juratæ cum Statibus initæ, aliud dicendum foret.

CASUS II. *Gilbertus* secretè negotiationem falsis exercet, quæ tamen sub pœna mortis, aut triremium interdicta est: peccatne mortaliter? an etiam illi, qui ab illo emunt, peccant?

R. Peccat mortaliter, cum se isto commercio exponat periculo vitæ, aut saltem perdendæ libertatis, & illi, qui ab illo falsum emunt, peccant pariter, cum Gilberto occasionem præbeant peccandi. *de St. Beuve Tom. 3. Cas. 238.*

NOTA. Etiam in hoc genere attendendæ sunt Capitulationes principum cum singulis provinciis initæ. *V. Cas. 1.*

TRIBUTUM.

1. *Tributum* nil aliud est, quàm Pœnsio à Principe suis subditis imposita, quo propriæ suæ, & Statuum suorum necessitati providere eò magis possit: Tributum ejusmodi justè exigere posse, haud dubitari potest. Tributum dividitur in *personale*, & *reale*:

P p p p p

Per-

Personale est, quod quælibet persona persolvit ex omnibus bonis mobilibus, & immobilibus & etiam industrialibus, & tale Tributum à Lege vocatur *Tributum capitatis* seu *Capitatio*. Reale verò est, quod persolvitur ex certis partibus bonorum immobilium, & industrialium, quorum quandoque sit una quota pars. Datur etiam Tributi *accessio*, quæ propriè dicta nil aliud est, quàm augmentatio Tributi. Alia Tributa vocantur *Accisæ, Portoria, Gabelæ, Vestigialia*: Tributa realia jam in usu erant apud Romanos. Talia Tributa sunt necessaria, & justa ex sua natura, & ad ea Principi persolvenda tenentur subditi: *Reddite ergo, quæ sunt Casaris Casari, dicit Christus, & S. Paulus* ad persolvenda talia tributa obligat subditos in conscientia.

2. Leges Romanæ criminis injustitiæ accusant fraudantes Principem Tributis: & in Gallia tales puniuntur confiscatione bonorum, ac aliis pœnis. Bona vestigialia ita Principi debita sunt, ut quibuscunque aliis debitis privatis præferantur, nisi specialî gaudeant privilegiò. Quædam Personæ à persolutione Tributorum sunt exemptæ aut ob statûs sui dignitatem, ut Clerici, Nobiles, & alii Ministri ratione suorum, quæis funguntur, officii, aut ob privata particularia privilegia soli personæ adhærentia, & quandoque successoribus posteris communicabilia. Quædam etiam merces privilegiò tali gaudent, ut nimirum nullum de illis Tributum exigatur, tales sunt *libri*.

CASUS I. *Humbertus, & Arnoldus*, Agricola pauperes, deputati ad taxationem Tributi non audebant Jacobum, pagi sui virum locupletissimum, taxare juxta proportionem suorum bonorum, ex quo proin major summa, quàm decebat, solvenda incubuit cæteris incolis pagi. An peccârunt? An etiam tenentur in conscientia pro viribus suis resarcire damnum Communitati illatum?

R. Omnino ab injustitia excusari non possunt, Constitutiones & Decreta Regum

enim volunt fieri justam ac æquam divisionem taxæ, hinc tenentur & quidem in solidum restituere communitati tantum, quantum Jacobo remiserunt. *Ste Beuve. tom. 1. casu 155. tom. 2. casu 157. & tom. 3. casu 16. 214. & 216.*

CASUS II. *Gerardus*, ditissimus in sua Parochia, jam à quindecim annis solet solus cum consensu Communitatis taxare singulis Con-Parochianis quotam Tributi; in hac verò taxatione quosdam suorum Consanguineorum & amicorum ferè dimidia parte sublevat: Petrus & Paulus Collectores Tributi id tolerantes an coram Deo injustitiæ rei sunt, cum nec minimum exinde emolumentum capiant?

R. Soli Collectores Tributi habent facultatem taxandi tributum, cum ergo Petrus & Paulus se non opposuerint injustitiæ Gerardi, eodem modo injustitiæ Gerardi particeps sunt, ac si ipsimet eandem commisissent. *Bonifacius VIII. Regula 72. in 6. Qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per se ipsum.* Hinc etiam tenentur ad restitutionem. *Pontas.*

CASUS III. *Petrus* cum *Joanne & Ludovico* collector tributis erat anno 1712; cum autem pro sequenti anno ipsi taxatio tributis incumberet, egestate coactus in aliam Provinciam abiit, ut ibi lucraretur quotam tributis à se ipso persolvendam, & sustentationem suæ familiæ pro instante hyeme, interim tamen sui locò constituit amicum suum, quem pro viro probò habebat, illique, ne quidquam contra justitiam ageret, expressè mandavit: *Domum interm redûx comperit plures pauperes nimium esse taxatos, & quosdam divites minori, quàm decet, taxatione esse affectos.* Verum amico, ipso absente, mortuo, nescit, an particeps fuerit injustitiæ à *Joanne & Ludovico* in taxatione commissæ, hinc quærit, an teneatur ad aliquam restitutionem?

R. Censetur *Petrus* non teneri ad ullam restitutionem, nam juxta *S. Gregorium in cap. Cognoscentes. 2. de Constit. l. 1. t. 2.*

t. 2. *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit.*

CASUS IV. In quadam Parochia jam à quindecim annis viget consuetudo, ut divites dimidiò minus quàm pauperes in persolutione Tributi taxentur; *Dionysius*, haeres unius collectorum, qui ante decem annos obiêrat, quærit, an teneatur locò sui Patris ad restitutionem?

R. Dicendum, quòd non teneatur, si non sit certus, quòd Pater hujus injustitiæ particeps fuerit: *in obscuris minimum est sequendum juxta Regulam juris 50. in 6.*

CASUS V. *Maximinus*, Advocatus omninò dives, cui omnes incolæ loci, in quo moratur, summas mutuò acceptas debent, pro sua quota Tributi solvit tantum 10. florenos, cum tamen certè 100. florenos possit solvere, verum incolæ cæteri, utpotè ipsius debitores, non audent majorem ipsi imponere summam: An *Maximinus* est propterea securus in conscientia? an non tenetur coram Deo ipsemet majorem contribuere summam? an non tenetur ad restitutionem?

R. Dicendum, *Maximinus* teneri ad majorem contributionem in foro interno, cum sciat Collectorum rationes, non majorem exigentium taxam. *Pontas.*

NOTA. Si excessus foret respectivè exiguus, non teneretur examinare improprietates singulas justitiæ distributiæ, & motiva Commissariorum. Evidenti autem injustitiæ in gravamen innocentium membrum communitatis non cooperatur licet silentio.

CASUS VI. Sex Officiales judiciales in quadam exigua civitate collectores, & Directores taxarum, Tributorum, & aliarum Impositionum à duobus vel tribus primùm annis mutarunt formam exactiōnis tributariæ, quæ prius fieri consueverat juxta numerum pecorum in dicta civitate valdè copiosorum, & hujus locò taxârunt fundos: hæc autem mutatio valdè gravis erat pauperibus incolis, omninò verò proficua dictis sex Officialibus, qui plurima aiebant pecora, fundos autem habebant paucos. An hæc mutatio

absque injustitia fieri potuit? an dicti sex Officiales non tenentur ad restitutionem?

R. Si à dictis Officialibus hæc mutatio facta est legitima autoritate, & pro bono Communitatis, non commiserunt injustitiam, & idè etiam non tenentur ad restitutionem, nam bonum Commune semper præferendum bono privato. Si verò incolæ civitatis se tantum passivè habuerunt, tunc dicta mutatio non potuit fieri sine præscitu, & consensu totius Communitatis. Verum si bona fide, & ex intentione promovendi boni communitatis mutationem fecerint, videtur, eos non obligari posse ad aliquam restitutionem, licet exinde proprium hauserint commodum, ast si mala fide egerint pro privato suo commodo, à restitutione excusari haud possunt. *Ste Beuve. t. 3. Casu 21.*

CASUS VII. *Alexander* à Ministro Aulico obtinuit, ut Parochia, in qua jurisdictionem territorialem habet, in futurum locò 600. florenorum, quos hucusque titulò Tributi solverat, tantum 300. florenos solvere debeat. Propterea igitur insinuabat Collectoribus tributis, ut, cum in impetratione hujus gratiæ sua intentio fuerit, ut sui Conductores seu Emphitevtæ allevarentur in solutione tributis, cum consensu incolarum, saltem multorum, in taxa tributis tantum imponant 15. florenos dictis suis Emphitevtis, locò 50. florenorum, quos aliàs solvere deberent. An injustitiæ reus est? & ad restitutionem num tenetur?

R. Collectores tributis rei sunt injustitiæ; diminutio enim tributis facta in favorem Emphitevtarum *Alexandri* non est proportionata respectu cæterorum incolarum, intentio Ministri Aulici certè alia non fuit, quàm ut diminutio Tributis fiat juxta æquitatem justitiæ distributiæ: tenentur igitur in defectu *Alexandri* ipsiusque Emphitevtarum ad restitutionem. *Idem ibidem casu 215.*

CASUS VIII. *Ruffinus* Filiam suam tradens in Uxorem *Francisco Nobili*, dedit illi dotis locò fundum, cujus redditus

P p p p p 2

annui

annui 1000. floreni sunt, à Francisco verò recepit litteras reversales; è quibus patet, dictum fundum tantum pro 750 florenis Francisco fuisse datum: vi harum reversalium verò Ruffinus quarta parte Tributi, aliàs ex fundo solvendi, minorem taxam obtinebat. An Ruffinus tenetur restituere cæteris incolis? An in defectu Ruffini Franciscus, & Notarius, qui litteras reversales ratas habuit, restituere tenentur?

R. Cum Ruffinus in præsentī casu maneat Dominus fundi, tenetur ad restitutionem pro rata quartæ partis reddituum. Ita *Innocentius III. in c. Officii 14. Tutam &c. l. 3. t. 26. Fraus & dolus alicui patrocinari non debent.* Si Franciscus cum Ruffino collusit, & complex fraudis fuit, tenetur in defectu Ruffini restituere unà cum Notario, si & ipse bona fide non egit. *Pontas.*

CASUS IX. Agitabatur in quadam conferentia Clericorum hæc quæstio: An Principes Regiõ orti sanguine, quorum Famuli domestici ex speciali Regio privilegio exempti sunt à Tributis, possint absque injustia aliquem donare titulõ sui Domestici famuli, qui tamen nec salarium accipit, nec servitia tenetur deferre. An affirmativa, aut negativa tenenda est sententia?

R. Negativam tutior est, & ideo illam sequi decet; injustitiam enim tales Principes committerent, si contra Privilegium, quo gaudent, & vi cujus solùm famuli actualiter servitia deferentes, & pro suis servitiis salaria recipientes eximuntur à tributis, assumerent famulos titulõ famuli solùm gaudentes, ut hoc titulo tales famuli à tributis eximerentur. *Ste Beuve t. 1. Casu 110.*

CASUS X. *Marcella* de redditibus 175. florenorum, qui ipsi non exactè solvebantur, valde magnam tributū quotam persolvere debebat jam à quatuordecim annis; hinc Collectoribus Tributi notum faciebat, sese recepturam ad suum Filium alterius Parochiæ Parochum, ideóque se

non amplius fore taxandam nisi pro hoc anno: idem significari fecit incolis, & Syn-dico loci: dein transiit ad suum Filium, ubi procurante suo filio Registro Parochianorum inscripta, pro sua quota Tributi octo florenos solvere debebat: Parochus autem, filius nimirum Marcellæ, offerebat sex florenos ad fabricam Ecclesiæ unà cum aliis in eundem finem oblatis applicandos, hac conditione, ut Mater sua in futurum exempta sit à taxatione tributi, quod & incolæ Parochiæ eo magis acceptarunt, cum scirent, Parochum suum brevī temporis intervallõ aliam aditurum Parochiam, ac Matrem ejus ipsam certò secururam. Ad quid Marcella unà cum suo filio tenetur?

R. Dicendum Parochum nihil contra suam conscientiam egisse, egit enim bona fide, & absque fraude, pariter & Parochiani egerunt licitè, & laudabiliter, & cum Marcella incolis Parochiæ insinuarit suam à Parochia discessum, tutã conscientiã potuit se eximere à taxatione. *Pontas.*

CASUS X. Quidam *Nobilis* in quadam Parochia jurisdictionem territorialem habens redditus suos valde auget procurando suis conductoribus minorem, quam decet, taxationem tributi.

R. Committit injustitiam, & tam ipsius conductores, quàm etiam Tributi collectores tenentur cum ipso ad restitutionem; eorum Parochus debet ipsis denegare absolutionem, nisi restituant, & in futurum à tali injustitia desistere premittant: Nullus Superior dictum Parochum cogere potest, ut eos contra propriam suam conscientiam absolvat. *De Lamet.*

TUTOR.

1. Imperator Justinianus definit *Tutela* his verbis: *Tutela est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, jure civili data ac permissa.* Addit: *Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent.* Minorennis dicitur ille, qui nondum comple-

plevit annum ætatis vigesimum quintum. Propriè loquendo iis, qui annos pubertatis jam egressi sunt, dicuntur potius dari *Curatores*, quàm *Tutores*.

2. Tutela per se deferenda est cognato proximiori, si non labore vitis aut defectibus eum excludentibus ab hoc munere, aut nisi habeat rationes legitimas, ob quas ab Officio Tutoris eximi debet. Pater est tutor natus suorum liberorum. Licet parentes nominare possint tutorem pro suis liberis minorennibus, ex causis tamen legitimis nominatur quandoque alius.

3. Juxta consuetudinem Parisiensem nullus Tutorum tenetur cautionem præstare; prout nec vñ Juris Romani tenetur Tutor à patre nominatus. Potest nihilominus pro majori securitate minorennis cautionem offerre; quo in casu omnibus aliis in tutela præferendus est.

4. Quilibet tutor confirmari debet à Judice domicilii Minorennis: in Gallia tamen tutor à patre nominatus confirmari non debet à Judice nisi cum consensu propinquorum. Post confirmationem Tutor deponere juramentum tenetur, quod velit officio suo fungi pro bono Minorennis. Antequam administrationi bonorum Minorennis sese immisceat, autoritate Judicis conficiendum caret inventarium: si tamen ante confectiõnem inventarii ex improviso urgens negotium superveniret, Tutor in bonum Minorennis pro ratione scilicet exigentiæ illud suscipere posset. Confectõ inventariõ Tutor diligenter conservet omnia Jura, chartasque usui futuras pro re Minorennis sui. Juxta Jurisprudenciam Parisiensem Tutori nihil propria autoritate disponendum est circa pecunias pupillares.

5. Si bona Minorennis non sufficiunt ad sustentationem ipsius, Tutor non tenetur defectum supplere de suo. Tutor, qui rem benè gessit, non tenetur de malis eventibus, nec de casibus fortuitis.

6. Si Minor habet plures Tutores, qui communiter administrant bona ipsius, qui-

libet eorum in particulari obligatur Minorenni in solidum. Juxta consuetudinem Parisiensem Minorennis adepta majorennitate non potest Tutori suo valide remittere obligationem reddendæ rationis de sua administratione.

7. Bona Tutoris oppignorantur Minorenni à die, quo suscepit tutelam; prout & omnia bona secundi mariti, si mater ad secundas nuptias transit, quin prius proli suæ tutorem nominaverit, rationemque reddiderit, ac assecurationem præstiterit eorum, quæ proli deberentur.

8. Si Tutor in eum statum redigitur, ut non sit solvendo, Minor factus Majorrennis pro solutione non potest convenire Judicem, qui Tutorem nominavit. In obligationes defuncti tutoris succedit hæres ipsius; & si hæres iste gerendæ tutelæ capax est, ad eam obligatur quoad omnia, quæ ad ipsius notitiam pervenerunt, usque dum novus constituatur Tutor; imo si ultrò in tutelam gerendam sese immiscuit, eadem ipsi incumbit cura, quæ incumbebat defuncto Tutori.

9. Tutor hypothecam habet in bonis Minorennis facti Majorrennis, si hic Tutori suo obligatur; imo hypotheca hæc est privilegiata & præferenda, eoquod proprias pecunias expenderit ad recuperanda bona pupilli sui.

10. Tutela finitur adepta Majorennitate. Nihilominus tamen Tutor tenetur continuare curam suam pro rebus Minorennis facti Majorrennis, si eam deponere non potest sine damno ipsius. Eadem adhuc ipsi cura incumbit adversus hæredem Minorennis defuncti. Finitur quoque tutela per mortem civilem Tutoris, & Minorennis; in hoc tamen altero casu Tutor debet continuare tutelam in favorem eorum, quibus administrationis tutelariorum reddenda ratio est. Denique finitur tutela per depositionem juridicam Tutoris, quæ fieri potest ob prævaricationem, malam fidem, aut supinam ejusdem negligentiam.

11. Fœmina non potest esse tutrix, nisi suarum prolium. Avia quoque potest esse

se tutrix nepotum suorum; imo potest tutela imponi secundo marito. Surdi, cæci muti, paralytici, amentes, alique gravi infirmitate laborantes ab onere gerendæ tutelæ sunt exempti. Minorennis nunquam potest nominari in tutorem. Vir septuagesimum ætatis annum jam egressus potest recusare tutelam; non tamen ad eam removendam sufficit, si ætatem hanc durante tutela compleverit.

12. Qui habent quinque liberos legitimos adhuc viventes, à gerenda tutela eximuntur: inter ejusmodi liberos computantur quoque liberi filiorum vel filiarum jam defunctorum, ita tamen, ut plures liberi ejusmodi filii vel filiæ habeantur tantum pro uno.

13. Qui jam habet tres tutelæ administratione gerendas, non potest cogi ad acceptandam quartam: imo si unicæ tutelæ administratio foret nimis onerosa, Tutor posset recusare secundam.

14. Quando inter patrem Minorennis & eum, qui nominatus est Tutor, viguit inimicitia, eaque perduravit usque ad mortem patris, tutor à tutela gerenda amovendus est: generaliter enim loquendò æquitas naturalis exigit, ut Tutor tutelam gerat cum interna affectione animi erga Minorem. Et hinc prudentiæ Judicis est, ut non confirmet Tutorem, quem putat malè dispositum erga Minorem.

15. Qui per Edictum Regium sunt exempti à tutela gerenda, possunt eam recusare; sed ejusmodi privilegium primum post nominationem obtentum non efficit, ut Tutor tutelam semel susceptam possit deponere.

16. Clerici in Majoribus Ordinibus constituti non possunt cogi ad acceptandam tutelam aut curatelam: licet tamen ipsi acceptare tutelam in pupillos parentum suorum.

17. Et si quis in Tutorem nominatus appellet à sua nominatione ad Judicem Superiorem, tenetur tamen interim provisionaliter gerere tutelam. Dum quis se-

mel acceptavit tutelam, non potest petere liberationem ab eadem propter causam jam prius existentem, non tamen allegatam; sed ob causam primum supervenientem post acceptationem potest quis petere liberationem à tutela.

CASUS I. *Theotimus* Tutor Honorati tribus annis nati, confectò inventariò omnium rerum ad pupillum pertinentium, tapetes triginta ulnis consistentes, vestemque ex panno Anglico confectam inclusit cistæ; inde factum, ut intra annum non minus tapetes quam vestis à vermibus notabiliter corrumpentur. Teneturne pupillo resarcire damnum?

R. *Theotimus* absque dilatione debuisset vendere omne id, quod pupillo non fructificare poterat, sed potius lapsu temporis corruptioni erat obnoxium. Hinc tenetur ad reparandum damnum pupillo in hoc casu illatum. *Leg. Tutores 24. Cod. de administ. tutor. lib. 5. tit. 37.*

NOTA. Vide *Casum* 3. & 5.

CASUS II. *Hortensius* Tutor Eugenii quindecim annos nati, annuosque reditus 3000. florenorum possidentis, quotannis pro sustentatione pupilli sui impendit 1500. florenos. Eugenius factus Majorrennis administratæ tutelæ rationem exposcit, quam & Hortensius deponit, ac deductis expensis in sustentationem Eugenii residuam perceptorum summam ipsi tradit. Eugenius summam non contentus annum insuper ex ea censum exigit, & propterea tutorem in judicio convenit. Potestne tutam conscientiam à Tutore censum percipere, si hic singulis annis per decennium suæ tutelæ 1500. florenos reposuit, quin hanc pecuniam in proprium suum lucrum converteret?

R. 1. Tutor regulariter loquendò tenetur pecunias pupillares provenientes ex venditione mobilium, & debitis activis, ex reversionibus &c. convertere in fundum ad comparanda v. g. prædia vel alia bona immobilia, sicque augere reditus annuos sui pupilli. Dicitur est: *regulariter loquendo*; quia si tutor non ob-

stante

stante omnî adhibitâ diligentiam utilem occasionem sic fructificandi pupillo suo non repererit, extra culpam est. 2. Hæc obligatio Tutoris primum incipit à die perceptæ pecuniæ, sufficiensque ipsi tempus assignatur, ut eam possit convertere in utilitatem pupilli. Sic pariter certum tempus constituitur, quo parsimonia in fundum collocari debeant. Ex his eruitur, Hortensium egisse contra obligationem suam, dum per decennium tutelæ suæ perceptos singulis annis 1500. florenos asservavit, sufficientemque eos in utilitatem pupilli sui convertendi diligentiam non adhibuit. Hinc justè à Judice condemnari potest ad solvendum pupillo annum censum ex summa reposita, pupillusque tutam conscientiam hunc censum recipere potest. *Leg. ita 5. ff. de administ. tutor. l. 5. tit. 37.*

CASUS III. *Aristarchus* tutor Ambrosii, cum non reperiret aliud medium 1000. florenos pertinentes ad pupillum suum utiliter elocandi, eos de anno in annum convertit in simplex mutuum, censumque ex his percepit usurarium in bonum pupilli. Teneturne ad restitutionem mutuuario ex bonis propriis?

R. Si *Aristarchus* in casu proposito egit mala fide, tenetur ex bonis propriis mutuuario restituere. Si autem egit bona fide, non tenetur ad hanc restitutionem: attendendum tamen est, an non sit factus ditior. *Conf. de Lucon. tom. 2. confer. 35. q. 3.*

CASUS IV. *Salvina* vidua tutrix suorum liberorum in manibus suis habet 3000. florenos ex bonis paternis ad eos pertinentes: hanc summam mutuam dat cuidam Nummulario, & quotannis ex ea percipit censum 150. florenorum pro bono prolium suarum; nec malè se agere existimat, cum ex consuetudine loci in similibus sic agi solet. Post quatuor annos transit ad secundas nuptias cum Lamberto mercatore, qui tanquam dominus bonorum communium pergit bona fide eundem censum recipere à nummulario, ani-

mò ipsam summam principalem repetendi ab eo, eamque suo applicandi commercio; id tamen assequi non potuit, nec in judicio Nummularium compellere voluit, ut litem evitaret. Teneturne *Salvina* in conscientia restituere Nummulario hos census usurarios? Num ad id tenetur *Lambertus*? aut in defectu eorum ipsi pupilli?

R. Bona fides tam *Salvinam* ac *Lambertum*, quam ipsos pupillos eximit ab obligatione restituendi. *S. Beuve tom. 3. cas. 243.*

CASUS V. *Cassander* Tutor *Jeremiæ ex culpa levi* permisit perire vineam sui pupilli. Teneturne in conscientia ad compensandum damnum?

R. Tenetur juxta regulam vigesimam tertiam Juris Romani. *Pontas.*

NOTA. In foro interno non tenetur ad culpam levem, nisi tutelæ se ultro ingesserit: quia non convenit æquitati naturali, ut cuiquam imponatur sine mercede munus tantis curis & periculis obnoxium. Culpæ enim leves sunt difficulter evitabiles; admittunt facilem accusationem, difficilem defensionem.

CASUS VI. *Avircius* intulit suo pupillo damnum *ex culpa levissima*. Teneturne illud reparare?

R. Si non expressè convenit cum pupillo de præstanda etiam culpa levissima, non tenetur ad reparationem damni hujus. *Leg. Contractu 23. ff. de divers. reg. jur. ant. l. 50. t. 17.*

CASUS VII. *Symmachus* & *Faustinus* nominati fuerant Tutores *Cyrilli* per testamentum patris defuncti, accedente etiam confirmatione Judicis. Conveniunt autem ambo, ut oblati ab altero 150. florenis *Faustinus* solus tutelam in se susciperet. Quo factò *Faustinus* intra duos annos & sua, & bona pupilli penitus dissipavit. *Cyrillus* factus Majorrennis præterdit, *Symmachum* in solidum teneri cum *Faustino*, ad reddendam de administratione rationem, reparandumque integrum damnum. Num justa hæc præsentio?

℞. Si onus tutelæ & administratio bonorum pupilli fuit communis utrique, Symmachus tenetur ad reparandum integrum damnum à Faustino pupillo illatum. *Leg. Si plures. 38. §. 1. ff. de administ. & periculo tutor. &c.* Si tamen Faustinus in susceptione tutelæ præstitisset cautionem, Cyrillus non posset convenire Symmachum, nisi convento prius fidejussore. *Leg. de de omnibus. §. 15. ff. de tutel. & rat. distrat. &c.*

CASUS VIII. *Aventinus* nominatus in Tutorem, ut se liberare à tutela?

℞. Non potest. *Leg. tutor. 28. ff. de excusationibus. lib. 27. tit. 1.*

CASUS IX. *Leontius* constitutus *Alphonfi* tutor, cum recusaret tutelam, & Judex ejus excusationem non admitteret, provocavit ad Judicem Superiorem, & post tres menses per sententiam fuit liberatus à tutela. Pendente autem appellatione, cum *Leontius* non gereret tutelam, pupillus passus est damnum 150. florenorum. Teneturne *Leontius* ad compensandum pupillo damnum?

℞. Censeo, eum teneri: verus enim erat tutor, donec per sententiam à tutela fuerit liberatus. *Leg. si is. 31. eod. tit. de excusation.*

CASUS X. *Elpidius* filiusfamilias viginti quinque annos jam egressus, attamen adhuc constitutus sub potestate patria nominatus fuit in tutorem *Florentii*, quem ex sacro fonte susceperat. Cum *Elpidius* tam sua quam pupilli bona dilapidasset, ac consequenter *Florentio* illatum damnum compensare non posset, hic majorennis factus convenit patrem *Elpidii*. Num jure?

℞. Si pater *Elpidii* nil aliud præstitit quam præcisè suum consensum in nominationem filii in tutorem, quin se immiscuerit ipsi administrationi, non tenetur damnum compensare *Florentio*. *Leg. Lucius 21. ff. de administrat. &c.*

CASUS XI. *Pelagius* nominatus est *Joanni* ab ejus parente tutor ea conditione, ut, quidquid ageret cum consilio matris,

non teneretur de ea re dare rationem. Itaque cum consensu matris movit injustam litem, quam perdidit. *Joannes* factus majorennis recusat suo Tutori refundere expensas litis. Num justè?

℞. *Joannes* non tenetur ad compensationem expensarum suo Tutori; non enim justum est, ut pupillus ferat culpam tutoris. Neque *Pelagio* patrocinator clausula testamento apposita; quia intentio testatoris tantum ferebatur ad casum, quo tutor sequeretur consilium matris utile. *Pontas.*

NOTA. Solùm infaustus litis exitus non probat culpam ex parte tutoris pro foro interno. Hinc judicio virorum prudentum indifferentium deferendum est, an *Pelagius* habendus sit pro temerario litigante?

CASUS XII. *Hannibal* in suo testamento nominavit filio suo unigenito *Theodorico* tutorem *Tiburtium* proximum consanguineum, & virum probum. Sed post ejus mortem quinque aut sex consanguinei constituerunt pupillo huic alium tutorem. Num tutâ conscientiam?

℞. Interveniente causa legitima possunt constituere alium tutorem, observatis tamen, quæ à consuetudine, & jure præscribuntur. *Pontas.*

CASUS XIII. Cum deliberaretur de assumendo *Gratiano* in tutorem, multis ejus paupertatem allegantibus, *Godefridus* scripto certum reddidit, illum esse solvendo, & ob hoc testimonium in tutorem electus est. Si *Gratianus* dissipet bona pupilli, ac postmodum reperiatur, eum non esse solvendo, an pro compensatione damni poterit à pupillo conveniri *Godefridus*?

℞. Juxta Legem cum ostendimus 4. §. 3. ff. de Fidejussor. &c. l. 27. tit. 7. potest conveniri *Godefridus*; hincque tenetur pupillo reparare damnum.

NOTA. Hæc iterum procedunt pro foro externo, in quo disponitur per præsumptiones circa culpam præteritam, & in futurum ad aliorum cautelam.

CASUS XIV. *Arnulphus* tutor *Alexandri*, cujus annui redditus ex legato amici sunt

sunt 1000. floreni, ex his durante tutela partem applicuit pro sustentatione fratris ac sororis *Alexandri* nulla alia bona habentium. *Alexander* factus majorennis improbat hanc administrationem, & petit à tutore compensationem. Num tutâ id conscientiam petit?

℞. Si *Arnulphus* requisitas adhibuit præcautiones, *Alexander* injustè à tutore petit compensationem. *Leg. Contrariam. 1. §. 4. ff. de contraria tutela & utili actione. l. 27. t. 4.* Verùm consuetudo Parisiensis non nihil adversatur legibus. *Pontas.*

CASUS XV. *Titius* Tutor suo pupillo *Andronico* ad expunctionem debitorum mutuos dedit 1200. florenos. Postmodum *Andronicus* factus majorennis mutuos accepit à *Mævio* 3000. florenos, eique hypothecam constituit in unico fundo suo. Lapsu temporis *Mævius* obtinet excussio-nem bonorum *Andronici*, & *Titius* præ-tendit, sibi prius deberi solutionem. Cuiam horum prius solvendum mutuum?

℞. Sicut *Minorennis* habet naturalem hypothecam in bonis sui tutoris, sic etiam tutor habet naturalem ac tacitam hypothecam in bonis pupilli sui. Hinc *Andronicus* non potuit *Mævio* constituere hypothecam in fundo suo in præjudicium *Titii*, cui prius debetur solutio. *Pontas.*

CASUS XVI. *Domicius* suo filio unico *Vincentio* per testamentum constituit tutorem *Theophilum* additâ clausulâ, ut non teneretur suæ administrationis reddere rationem. *Theophilus* etiam à Judice fuit confirmatus, & gessit tutelam, usquedum *Vincentius* Majorennitatem at-tigit. An nihilominus *Theophilus* poterit cogi à *Vincentio* ad deponendam rationem?

℞. Obligatio reddendi rationem in tutore est absolutè indispensabilis. *Leg. ita 5. §. 7. ff. de administ. & Glossa in dict. leg.* non obstante deobligatione per testamentum facta. Hinc *Vincentius* absque injustitia, etiam judicialiter, cogere potest tutorem ad deponendam rationem. *Dictio. Cas. Cons.*

Imo etsi pupillus factus majorennis trans-egisset cum tutore ratione administrationis, eique absque depositione rationis dedisset apocham benè gestæ tutelæ, totum inutile foret tutori juxta consuetudinem Parisiensem. *Pontas.*

CASUS XVII. *Gennadius* Tutor *Amandi* cum consensu omnium consanguineorum sui pupilli processum instituit pro adjudicanda pupillo hæreditate 1000. florenorum, quæ injustè ipsi denegabatur. Durante lite moritur *Gennadius*, & consanguinei per sex menses non constituerunt *Amando* alium tutorem. Interea pars adversa sibi adjudicari fecit hæreditatem, quin hæredes *Gennadii* aut consanguinei *Amandi* pro bono ipsius solliciti fuerint, etsi facilè potuissent. *Amandus* factus majorennis convenit hæredes sui tutoris *Gennadii*, petitque ab eis compensationem damni. Num jure?

℞. Cum hæredes *Gennadii* facilè potuerint defendere *Amandum* suo tutore spoliatum, ejusque curam gerere, & negotium fuerit urgens ac gravis momenti, ipsorum obligatio fuisset bono pupilli invigilare, usque dum novus eidem tutor constitueretur; hinc tenentur ipsi compensare damnum. *Leg. Quamvis. 1. ff. de Fidejussoribus &c. l. 27. t. 7.* Quod attinet alia negotia, quorum tractatio, etiam ex mera negligentia, nondum fuit inchoata ab ipso tutore, hæredes tutoris ad nihil tenentur pupillo. *Leg. Cum ostendimus. 4. §. 1. ff. de fidejussor. &c.*

V.

VENATIO.

1. Etsi videatur, venationem jure naturali non esse prohibitam; Reges tamen Galliæ sibi semper asseruerunt jus de ea disponendi respectu variarum circumstantiarum, quæ eam comitantur, & sequelarum, quæ exinde oriri possunt. Et hinc in Gallia omnibus nobilitate destitutis, feuda, ditionem, aut supremam jurisdictionem.

ditionem, afficit emptorem, etiam si res ipsi nondum fuisset tradita.

9. Quando in venditione apposta fuit conditio in favorem unius contrahentium, aut saltem eidem prodesse possit, eventusque hujus conditionis pendeat ab altero contrahente, hic absque injustitia impedire non potest eventum hujus conditionis, ut inde fructum capiat. Contrahentes semper tenentur ad literam exequi contenta in contractu.

10. Minorenes, amentes, interdicti, & quicumque res suas administrare prohibentur, non possunt vendere. Idem dicendum de usufructuario & hærede, cujus res alteri substituitur, nisi conveniat cum emptore, ut requisitus rem restituat illi, ad quem pertinebit.

11. Tutor, Curator, aut quivis alius administrator non potest emere rem Minorennis, pupilli, aut alterius, cujus bona administrat.

12. Venditio, cui intervenit error, est nulla: non tamen per se est nulla, si error tantum respicit qualitatem rei; id quod Judicis est decidere. Multo magis nulla est venditio dolo, vi, aut metu gravi extorta.

13. Judex juxta consuetudinem Gallicanam non declarat venditionem nullam, nisi interveniente læsione ultra dimidium.

14. Venditor in nullo unquam casu, etiam si intervenisset expressum pactum, liberatur ab obligatione præstandæ cautionis de proprio facto.

15. In casu evictionis emptor habet jus petendi solutionem impensarum utilium & necessariarum, quas in meliorationem rei fecit, deductis tamen fructibus ex hac melioratione perceptis. Si fructus percepti excederent rationem impensarum, hæ forent extinctæ: verum excessus ejusmodi bona fide perceptus ante evictionem intentatam emptori manet acquisitus.

16. Si emptor rem evinci patiatur, quin se defendat, aut actionem sibi intentatam denuntiet venditori; aut si propria auctoritate transigat cum evincente; aut alio

modo in præjudicium venditoris agat, sibi met ipsi imputare debet evictionem, venditorque ad nullam tenetur cautionem. Verum si emptor solummodo insinuet venditori actionem evictionis sibi intentatam, liber est ab obligatione se defendendi, onere defensionis in venditorem relabente.

17. Si venditor in re vendita scivit vitium, quod usum rei venditæ aut omnino reddit inutilem, aut saltem ita difficilem, ut emptor non emisset rem, aut non nisi pretio minore, si scivisset vitium, hic potest agere contra venditorem, ut venditio declaretur nulla, aut saltem petere indemnitatem. Idem dicendum, etiam si tale vitium fuisset incognitum venditori. Si venditor novit vitium, aut saltem nosse debuisset, emptorique exinde damnum fuit illatum, venditor non solum tenetur recipere rem venditam, aut ejusdem pretium diminuere, sed etiam cavere de omnibus damnis in posterum inferendis.

18. Quando locum habet redhibitio, venditor pretium acceptum restituere debet, & emptori compensare omnes impensas in conservationem rei venditæ factas, & refarcire omnia, quæ ex venditione consecuta sunt, imo etiam solvere interesse, si quodpiam exigere possit emptor: hic verò tenetur reddere rem emptam venditori cum omni lucro ex ea percepto.

19. Melioratio aut deterioratio superveniens rei absque culpa emptoris unice respicit venditorem. Si vitium rei ita est evidens, ut illud ignorare non potuerit emptor, aut ipsi à venditore declaratum fuisset, emptor non potest in judicio agere contra venditorem. Verum hæc omnia tantum intelligenda sunt de venditionibus inter privatos, non de venditionibus auctoritate Judicis factis.

20. Dominus rei quandoque judicialiter potest cogi ad venditionem ejusdem. Sic potest quis cogi vendendum fundum in favorem creditorum suorum; vel per viam licitationis, dum fundus dividi nequit inter plures hæredes; vel quando fun-

fundus necessarius est pro bono publico. Si pariter cogitur quispiam ad vendendum alteri usum partis sui fundi; videlicet cum duo prædia contigua duobus obtigerunt in partem, ita ut alter suo gaudere nequeat, nisi transeundo per alterius fundum, hic tenetur illi hanc servitutem vendere.

CASUS I. *Fabius* possidet fundum à quodam cognato sibi legatum una cum substitutione in favorem suorum liberorum. Illi in urgente necessitate constituto sese offert amicus quidam ad emendum fundum legatum, non obstante substitutione. Potestne *Fabius* fundum vendere tutâ conscientiâ?

R. Cum *Fabius* tantum habeat usufructum fundi sibi legati, utpote substituti suis liberis, non potest illum vendere. *Leg. Sancimus. fin. Cod. de rebus alien. non alienan. & l. 1. t. 51.* Si nihilominus *Fabius* fundum vendidisset, liberi ipsius possent illum repetere; neque tenerentur ad ullam indemnitatem præstandam emptori. *Pontas.*

CASUS II. *Eparchius* Curator Constantinus Minorennis vendidit villam ad hunc Minorem pertinentem cum ipsius consensu. Convenit sibi, ut pretium villæ non solveretur, antequam *Constantinus* majorenitatem attigisset, & interea annuus Constantino census præstaretur. Estne valida hæc venditio?

R. Illi solum, qui sunt *sui juris*, possunt alienare res suas. Hinc venditio hujus villæ est nulla, nisi observata fuerint formalitates à legibus præscriptæ. Nihilominus conditio adjecta de solvendo annuo censu non est injusta, nec usuraria. *Navarrus l. 5. Consil. 21. n. 2.*

CASUS III. *Sigonius* Tutor *Theogenis* ab *Herculo* in judicium vocatus pro solutione 1000. florenorum à Minore illi debitorum, *Herculo* privata sua auctoritate vendidit fundum ad *Theogenem* pertinentem, ut illum liberaret debito, & litem evitaret. *Herculus* sex annorum spatium hoc fundo usus, quolibet anno 100.

florenorum lucrum fecit, facta deductione expensarum in agrorum culturam & fructuum collectionem adhibitaram. *Theogenes* factus *Majorennis* revocat fundum, oblatâ *Herculo* emptori & creditori suo summâ quadringentorum florenorum numeratæ pecuniæ, prætenitque, lucrum sexcentorum florenorum per sex annos aquisitorum principali summæ esse accensendos; fortiter autem se opponente *Herculo*. Quisnam horum potiori jure gaudet?

R. Jure repetit fundum *Theogenes*; nam *Sigonius* non erat dominus fundi venditi; & hinc ista venditio non nisi pro simplici obligatione consideranda est; fructusque ab *Herculo* percepti in fortem principalem computari debent. *Alexander III. in C. plures. 1. de usuris.*

NOTA. Videtur, ejusmodi venditiones bona fide initas tractari posse instar locationis.

CASUS IV. *Nicolaus* pauper rusticus habet exiguum domum ducentis circiter florenis æstimatam, & duorum jugerum æqualis valoris pomarium muro circumdatum, & agris *Renati* divitis viri contiguum. *Renatus* hos sibi fundos vendi postulat, pro quibus autem *Nicolaus* sexcentos florenos petit, licet sciat, justum eorum pretium esse quadringentos florenos. *Renatus* etiam solvit petitam summam. Potestne *Nicolaus* tutâ conscientiâ hos fundos vendere pretio una tertia parte justum valorem excedente?

R. Potest: æquum enim est, sibi damnum compensare per alienationem fundi sibi inferendum. Nam, ut ait *D. Thomas 2. 2. q. 77. art. 2. in corp.*, quamvis res vendita in se considerata minoris sit pretii, ac venditur; pluris tamen valet considerata necessitate illius, qui per venditionem illa re se privat in gratiam emptoris sollicitantis.

CASUS V. *Albertus* vendit, traditque domum *Jacobo*, hac clausulâ in contractu expressâ, ut venditio nulla sit, & quasi non facta, si *Jacobus* intra tres menses pretium non persolvat. Cum *Jaco-*

bus elapsô terminô totam in promptu non haberet pecuniam, venditor, quem domum vendidisse aliunde penituit, adjectæ clausulæ prætextu usus, domum repetit. Teneturne Jacobus in conscientia *Alberto* restituere domum?

R. Clausulâ non observatâ non potest statim resolvi venditio, antequam Judex resolutionem pronuntiaverit. *Leg. Cùm venditor. 2. ff. de lege commissoria. lib. 18. tit. 3.* Nihilominus excipiendus est casus, in quo dilatio exequendi clausulam non posset indulgeri sine ingenti damno.

CASUS VI. *Cledonius* verbaliter vendidit *Cajo* adamantem pro summa 500. florenorum, ea conditione, ut *Cajus* intra octo dies pretium persolveret, & venditio nulla sit, id nî faceret. *Cajus* dat interim *Cledonio* in arrham pro securitate promissî quindecim florenos. Verùm plures ultra definitum terminum dies abiire, & conditio non fuit impleta. Hinc *Cledonius* recusavit illi adamantem tradere, pro eo recipere pretium, & arrham restituere. An non ista *Cledonii* recusatio est contra justitiam, præsertim quoad arrham quindecim florenorum?

R. Juxta *Cabassutium* in hoc contractu intervenit conventio, quæ in jure vocatur *Pactum legis commissoriae*; & secundum leges *Cledonius* potest reculare *Cajo* tam adamantem, quàm oblatum post lapsum termini pretium, imo & arrham, quam justè perdit emptor, suâ culpâ non implens conditionem in contractu stipulatam.

CASUS VII. *Cyrillus* emit à *Paschali* vineam per violentiam aut fraudem dimidiô minoris, ac justus ejusdem valor erat. *Paschalis* occasionem nactus rescindendi contractum, postulat sibi restitui omnes fructus à tempore emptionis perceptos. Potestne Judex condemnare *Cyrillum* ad restitutionem fructuum?

R. Æquum non est, ut *Cyrillus* ex violentia aut fraude sua lucrum ferat. *Leg. Jure. 206. ff. de diversis regulis Juris antiqui. Lib. 50. tit. 17.* Hinc *Cyrillus* abs-

que omni injustitia potest condemnari ad restitutionem fructuum.

CASUS VIII. *Ignatius* Architectus, domum à *Mævio* levî pretiô empturus, persuadet illi, domum infirmis nixam fundamentis minari ruinam. *Mævius* necessarius domum reedificandi subsidiis destitutus, condixit *Ignatio* venditionem pro summa 5000. florenorum; etsi cognitâ *Ignatii* malâ fide domum omnino non vendidisset, aut non nisi pro 7500. florenis. Estne valida hæc venditio? An non *Ignatius* in conscientia tenetur desistere à contractu, aut *Mævio* compensare damnum?

R. In hoc venditionis contractu intervenit error antecedens, dans causam contractui, & consequenter excludens consensum venditoris juxta legem. *Non idcirco. 9. Cod. de juris & facti ignor. lib. 1. tit. 18.* Et ex hac sola ratione nulla redditur venditio. Præter errorem in hoc contractu concurrunt etiam dolus, qui vera contractûs causa existit. Et ideo *Ignatius* in conscientia tenetur renuntiare contractui, aut *Mævio* compensare damnum. *De Gen. Theol. Moral. tom. 1. tract. 2. cap. 2. q. 3. & cap. 3. q. 3.*

CASUS IX. Quid dicendum, si error & dolus tantum fuissent concomitantes: v. g. si *Mævius* domum publicè venalem exposuisset, & *Ignatius* eam minoris empturus illi persuasisset, domum multò magis defectuosam esse, ac revera fuerit. Estne validus contractus iste? An *Ignatius* in hoc casu non teneretur ad aliquam indemnitate *Mævio* præstandam?

R. Cùm hic error concomitans, vel ejusmodi dolus non sit vera ac genuina causa contractûs, dicendum est, nihil ob stare, quo minus contractus valeat. Nihilominus teneretur *Ignatius* in conscientia *Mævio* solvere supplementum justî pretii. *Glossa in cap. cum dilecti. 3. de empt. & vend. v. deceptione.*

CASUS X. *Chrysológus* mercator spiritum vini minutatim & cumulatim vendere solitus, habet hujusmodi spiritum vini

vini fortem & præstantem, cui quintam vel sextam circiter partem aquæ communis immiscet, ita, ut hæc mixtio sensibilibiter illum non delibitet, nec facilè possit animadverti. Potestne sine obligatione restituendi spiritum vini sic alteratum vendere pro spiritu vini puro?

R. Quamvis juxta *D. Thomam 2. 2. q. 77. art. 2. in corp. Chrysológus* aquam puram vendendô pro spiritu vini fraudem committat, peccatque se reum constituat, ac ad restitutionem obligetur; videtur tamen à peccato excusari posse, si spiritum vini sic alteratum vendat infra illud pretium, quo venditur spiritus vini purus, pretiique diminutio factæ mixtioni sit proportionata. Nihilominus tutius est juxta *S. Antoninum 2. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 17. §. 4.* ejusmodi mixtiones omittere, etiamsi pretium diminuatur.

CASUS XI. *Jacobinus* mercator lanæ solebat lanam suam in loco humido asserare, ut majus pondus attrahat, & amplius ex ea lucrum capiat. Peccatne contra justitiam?

R. *S. Antoninus 2. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 17. §. 5.* condemnat ejusmodi praxin tanquam injustam & fraudulentam: venditur enim tali modò res falso pondere, & emptor non amplius reperit idem pondus, sub quo à venditore ipsi tradita est. Idem dicendum de iis, qui vendunt falsâ mensurâ, quos pariter *S. Thomas* condemnat *2. 2. q. 77. art. 2. in corp.*

CASUS XII. *Antimus* mercator asservat in sua taberna multos pannos nigri coloris, quos ob acrem nimis tincturam scit esse defectuosos; quod tamen à nemine potest adverti, nisi quis tali pannò utatur. Nihilominus ulnam hujus panni eodem vendit pretio, ac illius, qui optimè tinctus erat: ait enim, defectum tincturæ ad se non pertinere, & aliunde moris esse, ut merces bonæ commisceantur deterioribus. Peccatne in hoc casu? & num obligatur ad aliquam restitutionem?

R. Hæc ipsa secundum *S. Thomam 2. 2. q. 77. art. 2. in corp.* tertia species frau-

dis est, qua non rarò utuntur mercatores. Praxis hæc injusta est, talisque mercatores tenentur compensare damnum iis, qui emunt ejusmodi merces defectuosas, si ipsis vendantur eodem pretio, quo merces bonæ.

NOTA. Hæc vera sunt, si venditor sciat defectum mercis, & si defectus eousque deprimat pretium justum, ut nequidem summam attingat. Vide infra *Casum 30. & 27. 26.*

CASUS XIII. *Hipparchus* pannorum propola vendidit *Sosteni* unam *Coccineæ* panni compacturam, cujus duas ultimas ulnas sciebat non esse coloris adeò vivi, nec adeò pulchri, quàm priores. Occultavit autem hunc defectum *Sosteni*, metuens, nec fortè à venditione desisteret; sed tamen diminuit illi pretium, defectuosæ tincturæ proportionatum. Num peccavit?

R. Juxta *D. Thomam Quodlib. 2. art. 10. in corp.* nullum *Hipparchus* commisit peccatum occultandô *Sosteni* defectum panni, dummodo pretium diminuerit. Nihilominus, si in casu proposito pannus ad debitum usum ab emptore applicari non potuit, sicque emptori damnum illatum fuit, mercator non obstante, quòd pretium duarum defectuosarum ulnarum diminuerit, illud reparare, aut defectuosas ulnas pro justo pretio recipere tenetur.

CASUS XIV. *Samuel* vendidit *Lauventio* fundum suum pro pretio decies mille florenorum, exceptis duabus sylvis, quas sibi reservavit. *Lauventius* ex commissione à *Samuele* sibi data instrumentum contractûs confecerat, in quo duæ sylvæ proprio suo nomine expressæ, ac exceptæ fuerant, persolutisque *Samueli* 10000. florenis, & contractu ab utraque parte signato possessionem fundi adiit, illumque duorum annorum spatiò possedit. *Paulo* post *Samuel*, qui exactâ satis de fundo suo notitiâ instructus non erat, comperit, exiguam adhuc superesse sylvam pretiò 500. florenorum æstimatam, in contractu tamen non expressè exceptam, cujus

ejus neque *Laurentius* notitiam habuit. Quare *Samuel* conqueritur, à *Laurentio* se esse deceptum, prædicens, hanc tertiam sylvam ad se pertinere. *Laurentius* econtra defendit, sylvam hanc unà cum reliquo fundo venditam fuisse, eoque in contractu tantum duæ sylvæ nominatim exceptæ fuerint: ut tamen ostendat, se bona fide egisse, consentit in resolutionem contractus, si *Samuel* intra terminum trium mensium restituat decem florenorum millia. Terminus hic exspiravit, quin *Samuel* persolutam sibi summam restituerit. Potestne *Laurentius* sylvam hanc unà cum fundo retinere tutâ conscientiam?

R. Cum nullus ex parte *Laurentii* dolus intervenerit, nec memorata sylvam in contractu nominatim excepta fuerit, *Laurentius* non tenetur *Samueli* de Supplemento, & *Samuel* sibi ipsi imputare debet, quod exiguam adeo de fundo suo notitiam habuerit. Quapropter, si hanc ob causam quidquam damni patitur, ipsi soli ferendum est, non emptori. *Bonif. VIII. Reg. 86. de reg. jur. in 6.* Accedit, quod possessio semper favorabilis sit bona fide possidenti.

CASUS XV. *Julius* possidebat domum, quam minari ruinam existimabat, eoque multæ scissuræ apparerent, quæ tamen tantum ex parte gypsi se tenebant, quo muri obducti erant. Vendidit hanc domum *Luciano* pro tribus florenorum millibus. Uno mense post factam venditionem peritus quidam architectus erroris originem detexit, dixitque *Julio*, domum ad minimum valere septem florenorum millia, seque paratum esse ad solvendum tale pretium, si velit rescindere venditionem cum *Luciano* initam. Potestne *Julius* tutâ conscientiam procedere contra *Lucianum*, & rescissionem contractus ab eo postulare?

R. Leges in simili casu permittunt rescissionem venditionis. *Leg. Rem majoris. 2. Cod. de rescindenda vend. lib. 4. tit. 44.* Et rescissa semel venditione *Julius* tutâ

conscientiam poterit redire in possessionem suæ domus.

CASUS XVI. *Amandus* Librarius habet tres tomos libri admodum rari quatuor voluminibus impressi, pro quibus curiosus quidam offert tres dupliones, & querens quartum volumen, illud tandem reperit apud alium Librarium; qui sciens, emptorem tribus tomis jam esse instructum, seque ingens posse lucrum recipere ex quarto tomo, pro eo petit sex florenos, quamvis liber à reliquis separatus plus non voluerit, quam duos florenos cum dimidio. Potestne in his circumstantiis secundus Librarius tanti vendere volumen separatum?

R. Videtur, quod non: vendit enim rem ad se non pertinentem, vendendo utilitatem alterius, absque eo, quod posset obtinere aliquod damnum; lucrumque nimis notabile ex hoc separato volumine reportat. *S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 1. in corp.*

CASUS XVII. *Josephus* & *Claudius* habent horologia repetitoria, in omnibus perfectè æqualia, quorum quodlibet 25. duplionibus constitit. *Jacobus* famulus *Claudii* perdit horologium Domini sui, rogatque *Josephum*, ut suum sibi vendere vellet, in locum perditum substituendum, cum aliud medium non haberet evitandi indignationem Domini sui. Verum *Josephus* hac occasione lucratus petit pro suo horologio 35. dupliones; quamvis absque ullo incommodo aut damno eo se privare posset. Potestne tutâ conscientiam tantum exigere pretium?

R. Cum justus horologii valor non excedat 25. dupliones, *Josephus* non potest necessitatem *Jacobi* in suum lucrum convertere. *S. Thomas q. 13. de malo. art. 4. ad 7.* ejusmodi venditionem tanquam injustam condemnat. Item *Opusc. 73. c. 9.* ait S. Doctor: *Res tantum justè valet, quantum sine fraude vendi potest.*

CASUS XVIII. *Cosmas* vendidit *Clementi* domum pro summa 5000. florenorum. In contractu statuitur, ut *Cosma* jus

reservetur dissolvendi contractum casu, quo alius 6000. florenos intra duos menses offerre vellet. Uno abhinc mense fulmen domum penitus consumpsit. Cuius ferendum est damnum?

R. Damnum ferendum est *Clementi*: verus enim erat possessor domus, qua expelli non poterat, nisi quidam tertius stipulato tempore sex florenorum millia obtulerit venditori, quæ oblatio facta non est; hinc in quicta domus possessione erat. *Leg. Quoties. 2. ff. de in diem condit. in it. §. 1. lib. 18. tit. 12.*

CASUS XIX. *Isaacus* die decimo Aprilis vendidit Petro lanam gregis ovium, ea conditione, ut decimo *Julii* sequentis traderetur, & id nō fieret, venditio resoluta sit. *Isaacum* poenituit contraxisse; & hinc lanam tradere omittit. An nulla evadit venditio?

R. *Isaacus* non debet lucrum reportare ex eo, quod adjectam clausulam in præjudicium *Petri* exequi omiserit: non enim censetur clausula resolutoria adjecta fuisse in favorem *Isaaci*. *Leg. Quod favore. 6. Cod. de Legibus &c. lib. 1. tit. 14.* Aliàs ille, qui posset quicquam commodi per conditionis executionem obtinere, eò privaretur per malam fidem alterius.

CASUS XX. *Otto* vendidit mense Octobri sex modios frumenti *Pbilberto* in necessitate constituto, ea conditione, ut anno sequente eodem mense summum persolvat pretium, quo tunc frumentum venditur. Estne licitus hic venditionis contractus?

R. Contractus hic est illicitus & reprobatus à sexto Concilio Parisiensi de anno 829. Animadvertendum tamen est, quod, si *Otto* sincerè & absolutè decrevisset frumentum suum assertare usque ad mensem Junium vel Julium, quo anni tempore ordinariè carius solet vendi frumentum, nec voluisset citius vendere, absque injustitia illud vendere posset *Pbilberto* eodem ferè pretio, quo tunc constaret; facta tamen aliqua diminutione pretii

Diction. Cas. Consc.

juxta judicium viri prudentis. *S. Beuve tom. 1. cas. 129. & tom. 2. cas. 138.*

Vide *Casum 35.*

CASUS XXI. *Josias* vendidit *Ægidio* quinquaginta frumenti modios in horreum suum avehendos. Convenit est inter contrahentes, ut *Ægidius* frumentum intra unius mensis spatium mensuraret, & secum asportaret. Quindecim diebus post initum contractum frumentum notabiliter fuit deterioratum; quo cognito *Ægidius* recusat factam cum *Josia* pactionem exequi, nec vult solvere plus, quam duas tertias stipulati pretii.

R. *Ægidius* non tenetur recipere frumentum, nec solvere emptori conditum pretium: in rebus enim, quæ venduntur in numero, pondere, aut mensura, venditio non censetur esse perfecta, nisi postquam res fuerint numeratæ, ponderatæ, aut mensuratæ. *Leg. Quod saepe. 35. §. 5. ff. de contrabend. empt. &c.*

CASUS XXII. *Lucius* vendidit *Sebastiano* duos boves, cum expressa stipulatione, ut intra octiduum eos traderet emptori, quod tamen *Lucius* ex mera negligentia integro propè mense distulit. Tandem eos tradit, quos tamen emptor adhuc per triduum recipere neglexit. Quarto die unus boum perit. Num jactura *Sebastiano* ferenda est?

R. Quando solus venditor est in mora rem venditam conditio tempore tradendi, sibi ipsi imputare debet damnum superveniens. Verum quando etiam emptor est in mora rem, dum adhuc est integra, recipiendi, damnum ferendum est illi, qui ultimus in mora fuit. *Leg. Illud. 17. ff. de peric. & comm. rei venditæ.*

CASUS XXIII. *Eudemus* vendit equum suum Romano, illumque intra tres dies tradere promittit pro summa 100. florenorum, si servus domesticus pro alio emendo missus alium equum adduceret. Biduo post factam venditionem equus morte naturali perit, & duabus post ho-

R r r r r

tis

ris servus cum alio equo revertitur. Teneturne Romanus solvere centum florenos?

R. In venditione sub conditione facta, si res vendita perit ante stipulatæ conditionis impletionem, jactura recidit in venditorem. *Leg. Plerumque. 10. §. 5. ff. de Jure dotium. lib. 23. tit. 3.* Hinc Romanus non tenetur solvere centum florenos.

CASUS XIV. *Guibertus* duos equos Martiali vendidit. Ambo contrahentes in mora sunt; & interea uterque equus perit.

R. Quando traditio rei venditæ retardatur ex parte & culpa venditoris & emptoris simul, & interea res pereat, emptor non habet jus agendi contra venditorem, cum ipsemet negligentia reus sit. Hinc soli Martiali ferenda est jactura duorum equorum. *Leg. Si & c. 51. ff. de actionibus empti & venditi. Lib. 19. tit. 1.*

CASUS XXV. *Juvenalis* vendidit *Ludovico* equum suum, eumque ipsi tradidit ad capiendum experimentum. Conventum est, ut, si captus per octiduum experimento equus arrideret *Ludovico*, hic solvat quindecim dupliones. Equus autem post quinque aut sex dies in equili *Ludovici* fulmine necatus est, & *Juvenalis* exigit à *Ludovico* pretium equi.

R. *Ludovicus* non tenetur *Juvenali* solvere pretium equi: neque enim ad id obligatur ut depositarius, neque ratione venditionis, quæ nondum completa esse censetur. *Leg. Apud. 20. §. 1. ff. de præscriptis verbis & c. Lib. 19. tit. 1.*

CASUS XXVI. *Nicomedes* negotiator equorum vendit *Bartholomæo* equum duri oris, aut meticulosum pro 20. florenis: equus tamen, si huic defectui non esset obnoxius, valeret 80. florenos. Peccatne non declarandò emptori defectum equi?

R. Peccaret *Nicomedes* contra justitiam & veritatem, si equum absque omni defectu esse asseveraret. Verùm cum *Bartholomæus* non petierit informationem de qualitatibus equi, *Nicomedes* non tenetur ei manifestare defectum ejusdem. Si tamen

equus occulto laboraret defectu, propter quem inutilis redderetur vel nocivus *Bartholomæo*, *Nicomedes* teneretur illatum ipsi damnum compensare, non obstante diminutione pretii. *S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 3. in corp.*

CASUS XXVII. *Camillus* vendit *Herculi* equum monoculum pro pretio 75. florenorum. *Hercules* putabat, equum utroque valere oculo. Teneturne *Camillus* ad aliquam restitutionem, cum defectum non declaraverit *Herculi*, qui certè equum non emisset, aut saltem defectu explorato non plus quam 50. florenos solvisset?

R. Si *Camillus* equum justò vendidit pretiò, ad nullam tenetur *Herculi* indemnitate. *Idem l. c.*

CASUS XXVIII. *Darius* vendidit *Publio* equum debiles habentem oculos pro summa 50. florenorum, quod justum ejusdem erat pretium, non obstante defectu. Sed *Publius*, qui & ipse visu vix pollebat, credidit equum nulli obnoxium esse vitio. Monitus autem postea ab aliis de defectu equi, petit à venditore, ut equò receptò pretium restituat, vel saltem damnum resarciat. Obligaturne ad id *Darius* in conscientia?

R. *Darius* obligatur in conscientia ad equum recipiendum, & reddendos *Publio* deceptò 50. florenos, vel ad conveniendum cum eo de rationabili damni compensatione: licet enim defectus equi fuerit manifestus; talis tamen considerandus non est respectu *Publii*. *Confer. de Luzon tom. 2. Conf. 42. q. 3.*

CASUS XXIX. *Joannes* vendidit *Jacobo* amicorum intimo equum notabiliter claudum. Hic equum in equili vidisse contentus, ob habitam erga venditorem confidentiam non explorat illius vitia, licet peritus admodum sit equorum æstimator. Sciebat *Joannes*, equum à *Jacobo* tantum emi pro itinere faciendo, & ad eum finem fore inutilem. Teneturne in conscientia *Jacobum* monere de hoc defectu equi?

R. Sa-

R. Satis clarè patet ex pluribus legibus, & ex doctrina *D. Thomæ*, peccare *Joannem* contra charitatem, si defectum hunc emptori non detegat; & *Sylvius Concl. 4.* benè dicit, venditorem teneri in hoc casu monere emptorem de equi vendendi defectu, & id nò faciat, eum peccare graviter, etiam contra justitiam, si emptor exinde damnum patiat.

CASUS XXX. *Herculus* vendit *Claudio* equum laborantem vitio nervorum pro 100. florenis locò 150., quibus constaret sine hoc defectu. *Claudio* querenti, utrum equus non sit defectuosus, respondet *Herculus*, sed id non assecurare, seque vendere equum talem, qualis est. Non obstante hac responsione contractus perficitur. *Claudius* autem post octiduum advertens defectum equi, petit ab *Herculo*, ut suum recipiat equum, aut se indemnem præstet.

R. Quamvis vitium nervorum non comprehendatur in tribus casibus, qui vocantur *redhibitorii*, & sunt *Astma*, *mucus*, *obstructio*, nihilominus responsio ab *Herculo* data *Claudio* non potest illum coram Deo excusare ab obligatione reparandi damnum ex eo illatum *Claudio*, quò defectum celaverit, qui ex sola equi inspectione cognosci non poterat. *S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 3. ad 1.* Verùm si venditorem ipsum latebat defectus iste, hic non teneretur ad ullam indemnitate emptori præstandam. *De Gen. Theol. moral. tom. 1. tract. 3. c. 10. q. 5.*

NOTA. Vide Casum 39.

CASUS XXXI. *Gastonus* vendidit *Paulo* equum, qui intestinò laborabat morbo, aut qui difficilis erat anhelitus. *Paulus* intentat *Gastonio* actionem, ut ad equum recipiendum, vel reddendum persolutum pretium condemnaretur. Sed pendente lite equus perit. *Quinam* illorum ferenda est jactura?

R. Cum jactura equi locum dederit redhibitioni, equus venditori perit. *Leg. Facta. 60. ff. de adilitio edicto & c. lib. 21. tit. 1.*

CASUS XXXII. *Eduardus* vendidit *Justino* sex equos rhedarios pro summa 600. florenorum, quos in numerata accepit pecunia. Unus equorum erat nimium mucosus, vel difficulter anhelans. *Justinus* agit contra *Eduardum*, ut ad recipiendos omnes sex equos, & reddendos 600. florenos condemnetur.

R. Quando inter plures res invicem conjunctas, ut sunt equi rhedarii jugales, in una defectus invenitur ad resolvendum venditionis contractum sufficiens, de tota re venditio rescindi; cum æqualiter inter sit, tam venditoris quam emptoris, ne ejusmodi res sint sejunctæ. Hinc *Justinus* benè agit ad rescindendum ex integro contractum. *Leg. Aediles. 38. §. fin. ff. de adilitio Edicto & c.*

CASUS XXXIII. *Demetrius* vendit *Sempronio* domum pro pretio 14000. florenorum. Emptor solvit in numerata pecunia 4000. florenos, in contractu se obligans ad solvendum *Demetrio* singulis annis 500. florenos, donec residua summa 10000. florenorum fuerit persoluta, sub ea conditione, ut ad integram summam solvendam compelli non possit, quàm diu annuam summam persolveret, & ut sibi liberum sit integram summam persolvere, quando voluerit, dummodò *Demetrius* sex mensibus antè monuerit. An non contractus iste vitiosus est?

R. Hic contractus est legitimus; quia conditiones appositæ tanquam comparati constituant pretium domus. *Pontas.*

CASUS XXXIV. *Nicostratus* emit à Rege Senatoriam dignitatem in Parlamento *Burdegalensi* pro summa 17500. florenorum. *Camillus* hanc sibi dignitatem comparaturus, *Nicostrato* postredie, cum ejusdem possessionem cepisset, pro ea offert 20000. florenos. Potestne *Nicostratus* tutà conscientia hoc lucrum percipere ex revenditione dignitatis?

R. Pretium alicujus dignitatis in primum emptorem translata, semper minus esse solet, quàm ubi transit ad secundum. Hinc *Nicostratus* tutà conscientia potest

RRRRR 2 hoc

hoc lucrum percipere revendendô dignitatem. *S. Beuve tom. 3. cas. 197.*

CASUS XXXV. *Germanus* famofus ac dives frumenti negotiator, non ignarus, quinque aut sex alios ejusmodi negotiatores certo nundinarum die multum frumenti in civitatem advekturos, ubi majori constat pretiô, aptè difpofuit, ut frumentum fuum tribus horis antè eò deferretur. Potèftne illud vendere corrente eò die pretio, quin teneatur emptores monere de afportanda paucas intra horas frumenti copia, & confequenter inftante diminutione pretii?

R. Videtur, poffe Germanum hac occasione ex industria fuâ lucrum percipere, vendendô frumentum fuum eò pretiô, quo actualiter eâdem horâ, qua advenit, vendebatur; quin teneatur declarare emptoribus, magnam adhuc copiam fore fubventuram. *S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 3. ad 4. Vide Sylvium in cit. art. 3. quæftio unico conclus. 1.*

CASUS XXXVI. *Diogenes* mense Septembri triginta frumenti Scaphas venales habet; fed quia Scapha tunc non pluris constabat quàm 10. florensis, & ipse non indigeret pecuniâ, ftatuit illud frumentum affervare usque ad fequentem mensem Junium, ubi carius vendi folet. Antonius urget illum ad trium Scapharum venditionem, & pretium ad Festum S. Joannis se perfoluturum spondet. Diogenes vendit illi tres Scaphas pro 40. florensis sub prætextu, quòd prorsus appareat, se idem aut majus pretium tunc se poffe recipere. An non usuraria est hæc venditio?

R. Juxta judicium veteris Authoris, cujus opusculum inter opera S. Thomæ, *Opusc. 63. c. 6.*, reperitur, omnî vitio caret hæc venditio. Observandum tamen cum *Cabassutio*, quòd, si *Diogeni* persuasum fit, frumenti sui tres Scaphas non majori quàm præcisè 40. florenorum pretiô constitutos circa festum S. Joannis, non poffit eodem pretiô vendere Antonio. Dein, ut idem observat *Cabassutius*, ut Dioge-

nes absque peccato reservare poffit frumentum fuum alio tempore carius vendendum, opus est, ut hoc frumentum habeat ex proprio fundo aut ex propriis redditibus, & non ex emptione aut coactione expresse eò animo facta, ut multò carius tempore majoris penuriæ vendi valeat.

NOTA. Rectè hoc observatur à *Cabassutio*, in primo Casu certitudinis non poffe anticipatò exigi auctius pretium, quia anticipatò de solo jure incertæ spei transigi potest.

CASUS XXXVII. *Balthasar* caupo habet in fuâ cella vinaria decem cados præstandis vini veteris, cujus unus cado mense Decembri currentis anni constat 40. florensis. Sed cum prævideret, pretium vini sui duplò majus futurum, ftatuit illud usque ad Pascha affervare, ingens exinde lucrum facturus. Leander etiam caupo petit ab eo vinum, cui respondet *Balthasar*, velle se illud affervare adhuc sex mensibus, eoque sibi persuasum habeat, cadum tunc 80. florensis constiturum. Nihilominus tamen vendit Leandro vinum, & pro cado exigit 70. florenos, quos etiam solvit Leander. Potèftne *Balthasar* tutâ conscientiâ tantum lucrum ex vino suo percipere?

R. Vix non idem dicendum, quod ad casum præcedentem *Balthasar* legitime vendere potuit vinum fuum pro 70. florensis: imo justè egit; quia illud affervare voluit ad tempus, quo cadum probabilius pro 80. florensis vendere potuiffet. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. *Sulpitius* mercator vendit ordinariè merces fuas pluris solutionem differenti, quàm numeratam persolventi pecuniam. Mum peccat?

R. Cum non habeat intentionem magis lucrandi sic vendendô, non videtur, *Sulpitio* injustitiam imputari poffe, dummodò non vendat merces ultra summum pretium. Accedit, quòd dilationi solutionis sæpius damnum annexum fit. *De Gen. Theol. moral. tom. 1. tract. 3. c. 3. q. 8. Et S. Beuve tom. 2. cas. 151. & tom. 3. cas. 244. 255. & 256.*

NOTA.

NOTA. Author hoc loco rectè inter titulos excusantes ab usura admittit periculum fortis, quod in *Tit. de Usura* non rectè negat.

CASUS XXXIX. *Fulbertus* exiguum, quem habuit adamantem, qui juxta judicium prudentum non pluris, quàm 100. constabat florensis, & cujus ille pretium ignoravit, pro 200. florensis vendidit *Probo*, æquè imperito ejusmodi rerum æstimatori, qui illum postea perito *Gemma*rio æstimandum dedit, ex eoque intellexerat, adamantem non plus quàm 100. valere florensis. Petit itaque à *Fulberto* solutos ultra justum pretium 100. florenos. Teneturne *Fulbertus* eos reddere;

R. Bona fides non excusat *Fulbertum* ab obligatione indemnem præstandi *Probo*; licèt eum à peccato excuset juxta legem. *Si quis. 36. ff. de verborum obligat. & S. Thomam 2. 2. q. 77. art. 2. in Corp.* Juxta eundem S. Doctorem, si *Fulbertus* lucrum ex adamante perceptum bona fide consumpsit, quin ditior factus fuerit, ad nullam tenetur restitutionem. *2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.*

NOTA. Hæc non consentiunt cum dictis in *Cas. 30.* Contractus bonæ fidei, præsertim res carentes fixo pretio, sic exigente tranquillitate publica, videntur involvere condonationem erroris reciproci intra moderatos limites dupli.

CASUS XL. *Lucilius* vendit *Sempronio* tabulam, cujus pretium ignorat uterque. *Julianus* venditionis hujus mediator contra conscientiam & veritatem affirmat, illam esse tabulam originalem celebris *Titiani*. *Lucilius* & *Sempronius* *Juliani* affirmatione freti perficiunt venditionem pro pretio 2000. florenorum. Verùm *Sempronius* postea in certam devenit notitiam, tabulam illam tantum esse copiam, 30. duplionibus vix constantem. Jam quæritur, an hic contractus sit validus; num *Sempronius* poffit exigere compensationem damni, & à quo?

R. Contractus est validus; quia *Lucilius* & *Sempronius* verè consenserunt. Nihilominus potest *Sempronius* justè agere contra *Lucilium* venditorem, & desi-

ciente illo contra *Julianum*. Verùm *Lucilius*, cui soluta est summa 2000. florenorum, primus tenetur ad restitutionem; *Julianus* tantum in defectu ipsius. *Pontas.*

CASUS XLI. *Martialis* vendidit *Rollando* domum, & hortum teneris frugiferis arboribus constitum pro summa 4500. florenorum. *Rollandus* durante per quinque annos possessione utiliter melioravit domum majoribus quàm sesqui mille florenorum sumptibus. *Joannes*, qui hæc bona vendidit *Martiali*, cum nondum percepisset solutionem, sententiam evictionis contra *Rollandum* obtinuit, & in possessionem rediit. Quare *Rollandus* postulavit debitam sibi compensationem de melioratione domus; cui *Joannes* respondit, se ad id non obligari, eumque remisit ad *Martialem*. Verùm hic bonis ut plurimum exhaustus, & ære etiam alieno gravatus præten dit, *Joannem* teneri ad præstandam *Rollando* indemnitate. An præten sio *Rollandi* indemnitate exigentis justa est? Et à quonam exigenda est indemnitas?

R. Certum est, *Rollandum* pro præstanda sibi indemnitate recurrere poffe ad *Martialem* venditorem fuum, juxta legem *Sive. 1. ff. de actionibus empti & venditi. lib. 19. tit. 1.* Nihilominus *Joannes*, cui fundus adjudicatus fuit, primus obligatur ad compensandas *Rollando* meliorationes.

NOTA. Si meliorationes sunt utiles etiam *Martiali*, & non merè voluptariæ, aut ipsi inutiles, vera est responsio.

CASUS XLII. *Leofridus* à *Basilio* emit hortum, ejusque possessionem adiit. Post aliquot menses *Alexander* obtinuit sententiam evictionis contra *Leofridum*, qui absque facta *Basilio* venditori excitatæ turbationis denuntiatione convenit cum *Alexandro* de una parte indemnisationis pro quibusdam meliorationibus, & postea recurrit ad *Basilium*, ab eoque residuum damnum sibi resarciri postulat. Teneturne ad id *Basilius*?

R. Juxta legem *Si fundo. 53. §. 1. ff. de evictionibus.* Et *Leg. Si dictum 56. §. RRRR 3* *1. ff.*

1. ff. eod. tit. Basilus non tenetur ad aliquid præstandum Leofrido, qui tantò minus excusabilis est; quia, si denunciasset Basilio venditori suo turbationem ab Alexandro excitatam, nec tenebatur se defendere, nec à sententia appellare; cùm venditori incumberet naturalis affecturatio de omni litis eventu. *Leg. Herennius 63. §. 1. ff. eod. tit.*

CASUS XLIII. *Cæcilius* vendidit Cajo purè & simpliciter obligationem 100. florenorum, qua ipsi tenebatur Mævius, pro 75. florenis. Cajo exigit à Mævio debitum, quem omnino solvendo non esse reperit. Teneturne Cæcilius Cajo restituere 75. florenos?

R. Si Cæcilius bona fide egit, & nec scriptò nec viva voce se obligavit ad aliquam affecturatiorem, non tenetur in conscientia Cajo restituere perceptos 75. florenos. Quando venditur aliquod jus, venditor non tenetur affecturare nisi realitatem & veritatem juris. *Leg. Si hereditas. 1. ff. de hereditate vel actione vendita. lib. 18. tit. 4.*

NOTA. Si Cæcilius noveat notoriam insolubilitatem Mævii, tenetur ex iustitia ad restitutionem 75. florenorum.

CASUS XLIV. *Germanus* constitutum habet censum 500. florenorum in Curia Parisiensi pro 12500. florenis. Rex 31. Augusti decretò sui Concilii præcepit fieri reuisionem omnium ejusmodi contractuum juxta proportionem summæ principalis. Germanus 1. Septembris iturus ad Notarium pro signanda reuisionis quitantia, & recipiendo chirographo, animò Summam 12500. florenorum impendendi pro emptione domus, de cujus pretio cum venditore jam convenerat, offendit Imbertum amicum suum. Hic se offert Germano, in continenti se soluturum 12500. florenos, si ipsi cedere vellet suum contractum; imo offert, se daturum quinque pro centum: cogitabat enim Imbertus se hunc contractum censùs posse convertere in *Actiones* sic dictas Societatis Iudicæ, in qua non recipiebantur ni-

si similes contractus, aut obligationes Statùs. Germanus, postquam inutiliter tentaverat obtinere octo pro centum, tandem acceptat, quod obtulit Imbertus. Estne hoc lucrum licitum?

R. Non videtur hoc lucrum approbari posse: omnes enim Canonistæ & Theologi conveniunt in hoc, quòd leges lata à Principe nullum Superiorem recognoscere pro bono Statùs & Reipublicæ, postquam authenticè ac formà debità promulgatæ fuerunt, obligent in conscientia, non minùs quàm leges Ecclesiæ; & quòd ad Principem solum privativè pertineat, dare valorem contractibus & constitutioni censùs, eorum effectus approbare, modum præscribere pro interesse, & determinare omnes conditiones essentielles. Jam verò inter principales conditiones reuisionis seu solutionis quoad hos contractus est, ut nil solvatur ultra Summam principalem, nec quicquam ultra eam Summam possit exigi vel recipi. Itaque excessus ultra Summam principalem, quocumque demum nomine veniat, illicitus est, & injustus. Consequenter Germanus in conscientia tenetur Imberto restituere, quod ultra sortem contractus ab eo acceperat. *Doctrina hæc etiam D. Thomæ est 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3.*

CASUS XLV. *Adrianus* pecuniæ penurià laborans vendit bona fide Marculpho sex jugera fundi per contractum censùs pro summa 500. florenorum, sub his conditionibus: 1. ut possit Adrianus, si voluerit, redimere fundum seu contractum intra spatium quinque annorum, redditùs Marculpho 500. florenis. 2. Ut Marculphus non teneretur deducere de sorte principali fructus ex fundo obtinendos, aut censum ultra sortem percipiendum. Estne justa prima conditio? An non altera sapit usuram?

R. Contractus venditionis reservato jure redimendi initus licitus est; dummodò res vendita fiat propria emptori, pretiumque persolutum sit proportionatum justo valori rei, ac tempus pro reuisionem

ne stipulatum utrique contrahentium sit opportunum: & talis est contractus, de quo agitur; & consequenter prima conditio non vitiat contractum. Quod attinet alteram conditionem, ea pariter vitio caret: per emptionem enim fundi aut contractus verum emptori acquiritur dominium, & consequenter etiam fructus provenientes. *S. Raymundus l. 2. tit. 7. de usuris §. 6.* Nihilominus si emptor posset resilire ab emptione invito venditore, non ampliùs esset contractus venditionis, sed verum mutuum, ex quo tali modò interesse perciperetur.

CASUS XLVI. *Theodatus* vendidit Pamela pratum 25. jugerum pro Summa 1000. florenorum, quamvis multò pluris constaret, sub ea conditione, ut intra tres annos illud possit redimere, redditùs Pamela 1100. florenis.

R. Contractus hic est usurarius; quia justus valor rei multum excedit persolutum venditori pretium, & venditor insuper se obligavit ad plus reddendum emptori, quàm ab illo acceperat. *S. Raymundus ibid.*

NOTA. Deberet in casu exprimi excessus pretii ultra summam 1000. florenorum, ut æstimari possit iustitia annui censùs ex tali venditione fructuum ex parte venditoris redimibili.

CASUS XLVII. *Burcardus* vendidit Christophoro decem jugera vineæ, reservata sibi facultate redimendi. Christophorus destruxit vineam, & fundum in pratum convertit, qua commutatione redditus dimidiò ampliores, quàm priùs, percepit. Interea obiit Christophorus; & filius ejus hæres unicus ad magnam pecuniæ penuriam redactus, hunc fundum venalem exposuit, eodémque tempore declaravit Burcardo, quòd, si vellet fundò receptò persolutum à patre suo pretium reddere, paratus foret cedere fundum, rogavitque eum, ut, si redimere noller, saltem desistere vellet à clausula de jure redimendi facta. Burcardo in hoc ultimum consentiente hæres Christophori vendidit fundum pretiò triplò majori, quàm pater ipsius persolverat. An non tenetur

hæres Burcardo ad aliquam indemnitate?

R. Liberum cuilibet est renuntiare juri suo. Hinc filius Christophori ad nullam Burcardo tenetur indemnitate. Melioratio fundi est effectus industriæ Christophori, quem repræsentat filius; hincque ex industria patris commodum ferre debet. *S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3.*

CASUS XLVIII. *Eleazarus* vendidit Marcellino jugerum prati pro 150. florenis, reservato sibi jure elapsis quinque annis redimendi pratum. Pridie elapsi termini Eleazarus declaravit in debita forma Marcellino, se velle redimere pratum, simulque obtulit solutos sibi 150. florenos. Verùm Marcellus volens adhuc scœnum colligere, variis prætextibus usus est adcludendam Eleazari declarationem, donec tandem collectò scœno pratum ipsi obtulerit. Sed Eleazarus præten dit, scœnum ad se pertinere. Num justa est hæc præten sio?

R. Justa esse videtur Eleazari præten sio: obtulit enim se ad redimendum fundum, antequam à Marcellino scœnum collectum fuit. *Domat. tom. 1. pag. 174. Edict. in 4to.*

CASUS XLIX. *Victor Machæropæus* videt in platea duos viros, qui inter se graviter exarsisse videbantur, & duos gladios empturi accurrebant. Potestne, eisi in ingenti pecuniæ inopia constitutus, ipsis gladios vendere, si persuasum sibi habeat, eos gladiis ad confligendum usos?

R. Nunquam licet cooperari ad peccatum; hinc absque peccato non potest Victor ipsis gladios vendere in his circumstantiis. Verùm si Victor ex levi fundamento dubitaret tantum de abusu gladiorum, eos posset vendere; dummodò suum priùs deposuerit dubium. *S. Beuve tom. 3. cas. 183.*

NOTA. Circumstantiæ Casus non præbant ansam dubio solum levi, sed gravi cum periculo abusus certo, cui non licet cooperari absque necessitate vel graviorum malorum pari periculo.

CASUS L. Incolæ in Parochia S. Romani ædificari curarunt Ecclesiam, & domum Parochialem in fundo noviter à se empto; cumque hæc Ecclesia careret cœmeteriò, voluerunt emere spatium fundi ad Paulum pertinentis pro construendo cœmeterio. Paulus, cum fundum suum vendere recusaret, compellitur à Judice ad venditionem, & quidem pretiò à viris peritis determinatò, faciendam. Potuitne Judex in conscientia ferre & exequi talem sententiam?

R. Quando res pertinens ad particularem quempiam necessaria est ad usum publicum, & hic recusat vendere, auctoritate Magistratùs justè ad id compelli potest. Ob hanc ipsam rationem tempore penuriæ ii, qui frumentò abundant magis, quam ad eorum sustentationem opus est, possunt compelli ad vendendum pro pretio rationabili, prout statuitur lege *Julia. 2. ff. de Lege Julia. de annonâ. lib. 48. tit. 12.*

CASUS LI. Atticus Abbas vendidit Alano sex jugera Sylvæ altæ ac proceræ dependentis ab Abbacia, animò pretium applicandi ad construendum aliquod ædificium in loco suæ residentiæ, quod necessarium esse arbitrabatur. Potuitne propria auctoritate hanc venditionem facere?

R. Leges tam antiquæ quam modernæ interdiciunt Clericis venditionem ejusmodi sylvarum. Hinc Atticus privata auctoritate non potuit hanc sylvam vendere. *Pontas.*

CASUS LII. Nobilis quispiam sub prætextu dilatæ solutionis pluris vendit frumentum suum, quam vendi solet in foro frumentario.

R. Non potest sic vendere; teneturque restituere excessum pretii. Ejus Agentes ac Villici non possunt operam suam conferre ad commercium adeò injustum; negandaque est ipsis absolutio, nisi promittant, se deinceps partem non habituros in ejusmodi commercio. *De Lamet.*

NOTA. Si cum dilatione solutionis conjunctum ferret periculum fortis, licet exigere auctarium pretii. Vide supra *Casum. 38.*

CASUS LIII. Quæritur 1. Num lucrum cessans se junctum à damno emergente sit titulus legitimus percipiendi aliquid ultra mutuum. 2. Suppositò, quòd legitimus sit hic titulus, num habitualis dispositio ex pecunia sua justis modis lucrandi eximit ab obligatione restituendi, postquam innotuit, injustum esse ultra mutuum quidpiam accipere? 3. Suppositò, lucrum cessans legitimus esse titulus, estne etiam tunc legitimus, quando mercator mulos emit, eosque pluris vendit, justò tamen pretiò; eoquòd præstandæ solutionis dilationem per sex menses aut annum concedat; & si non receptâ elapsò terminò dilationis solutione interesse accipiat? 4. An mercator, qui ante tempus lanam emit, & minoris solvit, ac tempore traditionis valeat, tenetur restituere, quod justo deest pretio? 5. An ille, qui locatum sibi gregem morbidum videns eum vendit, ut redactam exinde pecuniam in lucrum convertat, ignorans, lucrum directè ex mutuo proveniens esse injustum, teneatur ad restitutionem?

R. *Ad 1.* Qui non patitur aliud damnum, quam quòd præcisè speratum lucrum non ferat, non potest ex hac ratione ultra mutuum quidpiam accipere. *Ad 2.* Cessatio lucri non est titulus legitimus ultra summam capitalem quidpiam exigendi, nisi annexum sit damnum probabile aut proximum. *Ad 3.* Memoratus mercator potest indemnitàtem recipere pro lucro, quod in casu proposito facere impeditur, deductis expensis, laboribus & periculis, si verè habeat animum negotiandi, & industriam suam adhibuerit elapsò terminò solutionem percipiendi. *Ad 4.* Mercator, qui ante tempus lanam bona fide emit minoris, ac valet eo tempore, dum lana ipsi traditur, tenetur restituere, quod justo pretio deest, nisi incertum dubiumque fuerit, num lana tempore traditionis pluris minorisve

ven-

vendenda sit. *Ad 5.* Ille, qui commissum sibi gregem vendidit, ignorans, ejusmodi negotiationem injustam esse, tenetur restituere etiam id, quo non est factus ditior, si ignorantia ipsius crassa fuit, & vincibilis. *De Lamet.*

NOTA. Circa 1. Periculum fortis præbet justum auctarii titulum. Vide supra *Casum 38.* *Ad 2.* ad titulum lucri cessantis in eo, cui & animus & occasio lucri alterius justis in promptu est, non requiritur, ut concurrat periculum fortis. *Ad 5.* à restitutione non excusat ignorantia etiam invincibilis, nisi concurrat præsumptio condonationis.

CASUS LIV. Sempronius venditurus agrum suum contiguum agro Proculi, simulat, se eum venditurum cuidam personæ potenti, omnibus suis vicinis infensæ. Qua de causa Proculus ipsemet, pacis amans, hunc agrum emit, & quidem summò pretiò.

R. Contractus hic est validus; quia simulatio & fraus non afficiunt ipsam rem venditam: sicut enim frequenter accidit, ut mercatores varias technas, imo & mendacia adhibeant ad cariùs vendendas merces suas, & tamen ejusmodi contractus venditionis sint validi; ita etiam, etsi Sempronius malè egerit simulatione utendò, contractus tamen cum Proculo initus est validus. *Vasquez. Sanchez. Bonacina.*

CASUS LV. Mercator quidam cum conquestus fuisset, se plurima habere debita activa, quin vix ulla spes appareat obtinendæ solutionis, Titius sese offert ad emenda omnia debita, dummodò levè ea pretiò vendere velit mercator.

R. Potest ea emere, suppositò quòd solvant pretium, quo valent juxta æstimationem ordinariam. Ratio est; quia justum pretium rei non debet desumi ex eo, quod res valet emptori, nec ex industria & habilitate emptoris, sed ex eo, quod communiter in talibus circumstantiis judicatur valere res. Jam suppositò, quòd mercator non habeat magnam spem obtinendi summam sibi debitam, certum est, hanc summam minoris æstimari; & consequenter Titium licet eam emere

Diction. Cas. Conf.

posse modicò pretiò. Excipitur tamen casus, quo Titius esset unius ex præcipuis debitoribus, & studiosè distulisset solvere debitum, ut illud dein possit emere leviorè pretiò. Et hæc opinio communis Doctorum.

CASUS LVI. Seius mutuos dat Livio 100. florenos ad decem annos. Ambo conveniunt, ut, si unus eorum intra terminum præfixum moriatur, mutuarius sit solutus debitò; si verò ambo vitam protrahant ultra præfixum terminum, mutuarius quidpiam solvat ultra sortem.

R. Contractus iste est licitus, si id, quod mutuuario est solvendum ultra sortem, taliter est determinatum, ut uterque in æquali periculo perendi, & æquali spe lucrandi sit constitutus. Ratio est; quia ambo sunt incerti de eventu. Jam, si periculum perendi, & spes lucrandi ex utraque parte æqualis est, contractus iste habet omnes qualitates eum licitum reddentes. *Bonacina.*

CASUS LVII. Emptores cum solvere recusarent pro merce, quod petiit mercator, hic mentitur, & falsum jurat affirmandò, sibi met ipsi hanc vel illam mercem pluris constituisse: unde evenit, ut emptores augeant pretium ab initio oblatum. Jam quæritur 1. utrum mercator tutà conscientiâ possit recipere hoc augmentum pretii? 2. Utrum fraudem & technas adhibens ad inducendos emptores, ut solvant summum pretium, quod tamen supponitur esse justum, teneatur ad restitutionem emptoribus?

R. *Ad 1.* Si hoc augmentum excedat limites justii pretii, mercator non potest tutà conscientiâ illud retinere; quia inter datum & acceptum non amplius reperitur æqualitas, quam exigit justitia commutativa. Si verò hoc augmentum non excedat limites justii pretii, illud retinere potest; & licet peccet mentiendò & pejerandò, non peccat tamen hoc pretium recipiendò: ex una parte enim ejusmodi technæ in mercatoribus jam sunt cognitæ, ita, ut emptores sibi met ipsis imputare de-

Ssssss beant,

beant, si induci se sinant; ex altera parte receptum est æquale dato. *La Croix de Empt.* Ad 2. Mercator talis tenetur emptoribus ad restitutionem. *Castro-palao. La Croix.* Sive quia emptor taliter inductus ad solvendum summum pretium non censetur consensisse in hunc contractum: sive quia hac ratione agendi læditur jus emptorum, quod habent, emendi infimò pretiò.

NOTA. Tales Nundularii plerumque utuntur æquivocatione; verè enim contrahunt cum mercatore summo pretio in merces singulas, sed mercator illis condonat quintam, quartam aut omnino tertiam solutionis partem, & ideo dicendo verum peritis notorium non tenentur ad restitutionem. Peccant tamen graviter jurando æquivoce sine coactione notoriè injusta.

CASUS LVIII. *Titius*, postquam locavit domum suam *Cajo*, eam vendit *Petro*; quin in contractu fiat mentio de rebus ex domo provenientius. Ad quem pertinent isti redditus?

℞. Reditus isti dividendi sunt juxta mensuram & proportionem temporis, quo domus pertinuit ad duos distinctos possessores. *Rosig. de contr. disquis. 5. §. 6. Givib. tr. 3. c. 2. dub. 14. Palao, aliique.*

Vide *Commercium. Caupo. Contractus. Officialis. Usura. Emptio.*

VENDITIO.

Cum dilatione Solutionis.

CASUS. Potèstne mercator pluris vendere mercem ex eo, quòd ipsi differatur solutio?

℞. Mercator committit usuram, si præcisè ex eo pluris vendat mercem, quia emptor petit ab eo dilationem solutionis. *Fromageau.*

NOTA. Non peccat, si pluris vendit ob lucrum cessans, damnum emergens, aut periculum fortis.

VESTITUS.

1. Principaliter hic agetur de Habitu Ecclesiastico seu Clericali, qui dupliciter distinguitur, nimirum in Habitum longum

seu *talavem*, constantem ex tunica & pallio ad talos usque protensis, & in habitum *brevem*, qui consistit in tunica brevi, & pallio solum genua tegentibus. Quod Regulares attinet, quilibet ordo proprium ab alio diversum habitum habet.

2. In sequentibus decisionibus ostendetur; 1. Quibusnam liceat usus vestium pretiosorum. 2. Quod personæ Ecclesiasticæ teneantur deferre habitum suo statui, & ordini convenientem, & quod habitus longus, scilicet *Talaris* & non alia à sacris Canonibus permessa sit Beneficiariis, & in Sacris Constitutis. 3. Denique de habitu generaliter loquendo, quòd Laici deferre debeant habitum suo sexui & conditioni convenientem, quin uti possint vestibus alterius sexûs, nisi legitima magnique momenti causa interveniat.

CASUS I. *Bartholomæus*, magni nominis Prælati, *Dominicus*, Magistratus Civitatis, aliæque personæ in dignitate constitutæ utuntur vestibus pretiosioribus & nitidioribus quàm alii.

℞. Peccati non sunt accusandi, dummodo non excedant vestes conditionem personæ, & absit motivum vanitatis. *Pontas.*

CASUS II. *Alexius* constitutus in Ordinibus sacris, aut Beneficiò provixus solet majoris commoditatis gratiâ deferre vestem brevioris: cum verò illi confessorius quidam, quem *Alexius* nimis rigorosum credit, declarasset, quòd illi absolutionem sit negaturus, si tali veste uti pergeret deinceps quoque, *Alexius* repunit, & sic se excusat, nimirum habitum clericalem censeri illum, qui colore & forma à habitu Laicorum sufficienter distinctus sit, sed talem esse suum, ergò. Dein plurimos alios Clericos deferre similes vestes, quin illis propterea moveatur scrupulus, aut sibi met religioni ducant.

℞. Observandum prius est, quatuor primis sæculis Ecclesiæ, habitum clericalem non fuisse diversum ab habitu Laicorum,

rum, in quinto autem sæculo illum incœpisse distingui ab habitu Laicorum, & etiam hæc mutatio demum in consuetudinem abiit generalem, quæ, cum postea sit à plurimis Canonibus stabilita & confirmata, omnes personæ Ecclesiasticæ, in Sacris uti *Alexius* est, constitutæ, aut Beneficiò provixæ, certè tenentur sub peccato ad deferendum ordinariè habitum longum: *Quia*, prout Tridentinum Concilium *sess. 14. de Refor. c. 6.* Scribit: *etsi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio convenientes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant.*

Sciendum tamen superest, an per terminos: *vestes convenientes*. Quibus utitur dictum Concilium, intelligenda sit vestis talaris exclusa veste succinctiori: ast de hoc haud dubitari potest, saltem quoad tunicam usque ad talos demissam; nam summi Pontifices Conciliò posteriores ita hos terminos intellexerunt. S. CAROLUS BORROMÆUS eodem modo dictos terminos interpretatur, & etiam peccatum, quòd deferendò vestem clericalem non talarem committitur, inter casus sibi reservatos numeravit: Idem continetur in Conciliis Gallicis post Tridentinum habitis. Attamen non arbitramur peccatum eorum, qui succinctiori tunicâ utuntur, esse æquè grave ac illorum, de quibus Concilium Tridentinum loquitur, nimirum, qui utuntur vestibus laicilibus: Tunica succinctior, & pallium brevius non sunt vestes laicales, imò è contrario cum dicto consilio potest dici honestus habitus clericali ordini & dignitati congruus in quibusdam circumstantiis, ut in itinere, aut dum quis domi laborem manuum suscipit, extra hos casus, non excusatur à peccato usus vestis succinctæ ab Ecclesia expressè interdictus, & sub gravibus pœnis prohibitus: Etiam Episcopi peculiari studio prohibuerunt usum habitus succinctioris Beneficiariis, & constitutis in Sacris: excipiuntur tamen Paro-

chi rurales, qui vestem succinctam solum domi suæ deferre possunt, nisi Episcopus Statuto quodam id expressè prohibuerit, uti dicit *S. Beuve. Tom. 9. Cas. 43.*

NOTA. In hac re observandæ leges & laudabiles consuetudines Diocesanæ. Peccat graviter, qui advertenter cooperatur ad bonas abrogandas, aut malas introducendas, vel fovendas.

CASUS III. *Theodulpbus*, Lissabonæ Archiepiscopus, Statuto Synodali singulis Clericis suæ Diocesis, in Sacris constitutis, aut Beneficiò provixis præcepit deferre tunicam, & pallium longum in urbibus, & oppidis, ubi resident: *Hyacinthus Cantor* Ecclesiæ Cathedralis, habens jurisdictionem externam in urbe, & Suburbis, ac quodam certo districtu in Urbibus principalioribus Diocesis, quam jurisdictionem ipsi Prædecessores *Theodulphi* concessere, aliud emisit Statutum, quo Clericis in districtu suæ jurisdictionis se detinentibus permisit deferre in urbe vestem succinctam palliò longò rectam. *Jacobus* unus de ipsius Clericis tali modò indutus quotidie incedit, persuasus, sibi licere talem deferre habitum vti Statuti sui Superioris immediati. Potèstne id facere absque peccato? Anne Cantor Ecclesiæ Cathedralis tale potuit emittere Statutum tutâ conscientia?

℞. *Jacobus* non potest absque peccato deferre tunicam succinctam contra prohibitionem expressam Archiepiscopi, & sub prætextu Statuti à Cantore Ecclesiæ Cathedralis emissi, qui abusus est sua potestate, & consequenter istud Statutum *Jacobi*, juxta *St. Beuve tom. 3. cas. 46.* & inobedientiam à peccato excusare non potest. Statutum Archiepiscopi prorsus conforme est, Statutum verò dicti Cantoris omnino repugnat menti Ecclesiæ, & Sacris Canonibus; abusus igitur est suæ jurisdictione memoratus Cantor, eaque privari meretur juxta illud *Innocentii tertii: Privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. In cap. Licet 18. de regul. & transeunt. ad relig. lib. 3. tit. 31.*

CASUS IV. *Flavius*, Presbyter Mediolanensis, Romam proficiscitur, & in itinere solum tunica breviori indutus celebrat sæpius in Ecclesiis sibi obviis absque tunica talari.

R. Absque peccato non potuit taliter indutus celebrare, licet in itinere constitutus. Concessio data à *S. Carolo* deferendi habitum succinctum in itinere se non extendit usque ad celebrationem Missæ, idem etiam strictè prohibetur in Rubricis Missalis Romani. Synodus Parisiis 1697. celebrata interdicit sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ celebrationem Missæ absque tunica talari, etiam in itinere. *Pontas*.

NOTA. Consuetudines rationabiles circa ejusmodi objecta de se adiaphora interpretantur legem, in qua omnes particulares circumstantiæ exceptivæ nequeunt exprimi.

CASUS V. *Gilberta* Argentorato profectura Parisios, possidendæ hæreditatis causâ, ne in manus militum, in Alsacia commorantium, incideret, induit se veste virili rustica, & sic vestita iter peragit.

R. Illa non potest accusari peccati. *St. Thom. 2. q. 169. art. 2. ad 3.*

CASUS VI. Quædam persona negotiatur vestibus, diebus bacchanalibus adhiberi solitis, quas omnibus locat tum recreationis causâ, tum ad exhibendas Tragedias. An potest illa pergere in tali negotiatione?

R. Tales mutationes vestitus, quo quis aliam personam se fingit, sunt occasiones proximæ offendendi Deum: attamen talis negotiatio peccaminosa non foret, si certi ponerentur limites: ille qui tali negotiatione lucrum fecit, quamvis illicitum, non tenetur tamen ad restitutionem. *Fromageau*.

Vide *Mutatio vestium sexus*.

CASUS VII. Quædam Fœmina nobilis habitu virili induta venatum abit: an potest id facere?

R. Potest id facere, si per hoc viro placere studet, & ipse simul cum ea venatum pergat, oportet tamen, ut habi-

tus fœminei partem retineat, ut ipsius agnosci possit sexus: si verò tale exercitium illam impotentem gignendi redderet, teneretur illi renuntiare in conscientia: tenetur etiam, ut petat suum maritum, ne se cogat toties ad venationem, sed sibi procuret occupationem, qua non adeo fatigetur, quæque magis suo sexui conveniens sit. *De Lanet*.

CASUS VIII. Quidam particularis duabus parvis gaudens Capellis simplici tonsurâ est initiatus, teneturne deferre habitum Clericalem?

R. Si Capellæ sunt Patronatus Laici, reddituum 400. aut 500. librarum, tunc tenetur deferre habitum clericalem sub peccato mortali. *De Lanet*.

NOTA. Beneficium Ecclesiasticum etiam tenue, ac insufficiens pro sustentatione congrua, obligat ad deferendum habitum Clericalem. Si autem simplex Capellania non foret collata in Titulum, aliud dicendum.

VETERANUS.

Veteranus, seu emeritus in Gallia dicitur Minister Forensis, qui per spatium temporis à Constitutionibus præfixum, quod est annorum viginti, munus suum obiit, & qui per literas ex Cancellaria obtentâ retinet gradum honoris, jura honoraria, & privilegia, quibus antea gauderat, dum actu suum exercebat officium. Judex veteranus, seu emeritus jus habet assistendi judiciis, ibique suum dandi suffragium ad lites decidendas. Verùm ibi præsidere non potest.

CASUS. *Aristobulus* exactis novemdecim annis in Officio Judicis censet, se profus esse ineptum ad hoc Officium; jamque ipsi consilium datum est à Confessario, ut illo se abdicet. Nihilominus libenter illud per unum adhuc annum retineret, ut postmodum impetret Literas ac privilegia Veterani. An tutâ conscientia suam retinet officium?

R. Si *Aristobulus* verè sibi persuasum habet, se esse incapacem ad hoc officium, non

non potest illud retinere adhuc per annum tutâ conscientia. *S. Beuve tom. 2. cof. 140.*

VIATICUM.

Vide *Communio sacra. Eucharistia*.

VICARIUS.

1. *Vicarius* communiter dicitur ille, qui exercet functiones Pastorales aut Ecclesiasticas locò alterius, cui naturali quadam officii vel obligationis ratione eadem incumbunt. Talis est *Vicarius Generalis* Episcopi, *Vicarius Parochi*. Duplex distinguitur genus Vicariorum: alii enim sunt *temporanei*, qui ad certum duntaxat tempus instituuntur, tandiu scilicet, quamdiu illi placuerit, à quo potestatem suam receperunt: alii sunt *perpetui*, quorum Vicaria potestas fundatur in titulo Canonico irrevocabili.

2. Juxta Edictum Blesense *Vicarius Generalis* Episcopi debet esse Sacerdos, & Graduatus. *Vicarius* Episcopi, ut habet idem Edictum, nunquam potest sibi locata habere bona Episcopi sui.

3. Præterea absolutè necessarium est in Gallia, ut *Vicarius Generalis* ex ipso Regno sit oriundus. Omnes *Vicarii Generales*, qui per literas, quibus instituuntur *Vicarii*, specialem ac expressam obtinent potestatem præsentandi ad Beneficia, aut ad ea nominandi, necessario debent easdem literas in publicum Tabularium Ecclesiasticum referendas curare; hæcque literæ à duobus testibus subscribi debent.

4. *Vicarii* perpetui suam originem trahunt à Concilio Lateranensi quarto, à quo locò Vicariorum amovibilium instituti fuerunt per titulum Canonicum in omnibus Beneficiis annexam habentibus curam animarum, neque iis exceptis, quæ cuidam Communitati incorporata erant.

5. Quod attinet ad *Vicarios amovibiles*, ad Episcopum pertinet judicare, an

quosdam necesse sit in Parochiis instituere; & horum nominatio pertinet ad *Vicarios* perpetuos.

CASUS I. *Claudianus* Episcopus Oleronensis propter quædam negotia suæ Diocesis Parisiis commorans, cum comperisset, *Vicarium* suum *Generalem* obiisse, statim scribit ad *Georgium* Doctorem Parisiensem, eumque constituit *Vicarium* *Generalem* cum potestate etiam Beneficia conferendi toto eo tempore, quo ipse se detenturus esset Parisiis; additque, se brevi missurum literas commissorias *Vicariatus*. Duobus aut tribus post diebus vacat quædam Parochia per mortem Parochi. *Gerbertus* Patronus ad eam præsentat *Bertinum*, & *Georgius* tanquam *Vicarius Generalis*, & vî potestatis ab Episcopo sibi factæ acceptat præsentationem. Estne saltem validè de hoc Beneficio provisus *Bertinus*, maximè in foro interno, juxta hanc regulam: *verbò sit gratiâ?*

R. *Vicarius Generalis* non potest institui absque literis *Vicariatus* *Commissorii* debitâ formâ confectis, signatis ab Episcopo & duobus testibus, ac in publicum Tabularium Ecclesiasticum relatis. Hinc, cum *Georgius* tantum per literas privatas Episcopi, & viva voce fuerit institutus, revera non erat *Vicarius Generalis*; & consequenter provisio & collatio Parochiæ facta *Bertino* nec est Canonica, nec valida, etiam in foro interno. Quod hîc dicitur de institutione *Vicarii Generalis*, etiam de ejusdem revocatione intelligendum est, quæ pariter in scripto fieri, significari personæ, & tabulario Ecclesiastico ingeri debet juxta Constitutiones ac Edicta Galliæ. *Pontas*.

NOTA. De jure communi valet hæc institutio, quia à *Vicario Generali* non fit nomine suo sed Episcopi.

CASUS II. *Archiepiscopus Armacanus* propter persecutionem fugiens ex *Hybernia* captus & abductus est à piratis *Africanis*. An per hoc expirat potestas *Vicarii Generalis* ab eo constituti?

S s s s s 3

R. Po-

R. Potestas Vicarii Generalis tantum expirat per revocationem vel per mortem naturalem aut civilem ejusdem. Cum autem Archiepiscopus Armacanus per captivitatem mortem civilem non incurrit, potestas Vicarii Generalis non expirat. *Pontas.*

CASUS III. *Poangius* Sacerdos, Senator Clericus in Suprema Curia Britanniae minoris, ac Doctor Sorbonicus, cum summam morum integritate, miraque profusus rerum Ecclesiasticarum scientiam polleteret, ab Episcopo *S. Pauli* Leonensis nominatus est in Vicarium Generalem. Potestne exercere functiones Vicarii Generalis?

R. Non potest eas exercere, stante adhuc officio Senatoris, juxta Edictum Blesense *art. 12.* Notandum praeterea est. 1. Neminem in Gallia posse esse Vicarium Generalem Episcopi, nisi sit ex Gallia oriundus. 2. Idem dicendum de Vicariis generalibus, quos Superiores Generales exteri Ordinum Religiosorum in Gallia constituunt. 3. Literas Vicariatus Generalis commissorias ab Episcopo esse expediendas, ipsius sigillo muniendas, ac ab ejus Secretario & duobus testibus subscribendas, tabulisque Ecclesiasticis Diocesanis ingerendas esse. 4. Officium Vicarii Generalis debet committi sub his terminis generalibus: *in spiritualibus & temporalibus.* 5. Vicarius Generalis non potest ullum Beneficium conferre Episcopo, aut sibi ipse. 6. Si Vicarius Generalis etiam inhabili ex errore aut quovis alio modo Beneficium contulit, non potest illud amplius conferre alteri. 7. Ubi collatio Beneficiorum est alternativa Papan inter & Episcopum, ut in Britannia minori, Vicarius Generalis non potest conferre Beneficia loco Episcopi, nisi litterae commissoriae Vicariatus expressè hanc potestatem contineant, aut nisi Episcopus actu resideat; quia Episcopus non gaudet collatione alternativa, nisi ratione residentiae suae. *Pontas.*

CASUS IV. *Bernardinus* Vicarius Generalis abeunte suo Episcopo in Provinciam exteram ac in itinere mortuo, per integrum mensem non accepit de ejus morte nuntium; & interea plura contulit Beneficia, literas concessit dimissorias, aliasque functiones Officii sui exercuit. An omnia haec ejus acta intra hunc mensem valent?

R. Verum quidem est, potestatem Vicarii Generalis expirare per mortem Episcopi: nihilominus tamen omnia *Bernardini* acta, etiam collationes Beneficiorum, & concessionem literarum dimissoriarum, si specialiter haec ipsi potestas fuit commissa ab Episcopo, sunt habenda pro validis: quamdiu enim mors Episcopi fuit incognita, tamdiu *Bernardinus* publice habebatur pro Vicario Generali; & Ecclesia in ejusmodi eventibus censetur supplere, quod tantum est de jure humano, ad conservandam tranquillitatem conscientiarum, evitandas lites, ac removenda scandala, quae alias oriri possent. *Pontas.*

CASUS V. *Aristophanes* Vicarius Generalis Spirensis admisit permutationes Beneficiorum, & resignationes Parochiarum, quin specialem ab Episcopo potestatem habuerit conferendi Beneficia. Potuitne sic agere?

R. Eadem requiritur potestas ad recipiendam resignationem, & admittendam permutationem, quae requiritur ad conferenda Beneficia, ut ait *Cabassutius l. 1. c. 13. n. 6.* Hinc *Aristophanes* non potuit in casu proposito admittere permutationes, nec recipere resignationes. *Pontas.*

CASUS VI. *Archilochus* Vicarius Generalis vi specialis potestatis conferendi Beneficia ab Episcopo sibi factae contulit Parochiam vacantem Gabrieli; & Episcopus hujus collationis ignarus eandem contulit alteri. Cujusnam collatio est legitima?

R. Propter conferentis ampliores prerogativas, ut ait *Bonifacius VIII. in cap. Si à Sede. 31. de Præbendis & Dignit. in 6.* valet collatio ab Episcopo facta.

CA-

CASUS VII. *Archippus* Vicarius Generalis Archiepiscopi Capuani ob negotia domestica invitò Archiepiscopo profectus est Neapolim, ibique exercuit quosdam actus jurisdictionis voluntariae. Archiepiscopus brevi post ejus abitum servatâ debitâ formâ revocavit potestatem illius. Valente actus exerciti ab Archippo, antequam facta revocatio ipsi innotuit?

R. Potior pars Canonistarum censet, hos actus jurisdictionis voluntariae esse validos. *Pontas.*

CASUS VIII. *Nemesius* Vicarius Generalis obortis sibi cum Episcopo controversis, ab eo viva voce fuit privatus suo officio, sed clam aliis. *Nemesius* hoc non obstante approbavit quosdam Confessarios, aliosque actus suae jurisdictionis exercuit. Num valent omnia ista?

R. Revocatio haec, cum palam ac publice non innotuerit, non extinguit jurisdictionem *Nemesii*, ab omnibus adhuc habiti pro Vicario Generali. Hinc omnia, quae post revocationem hanc secretam ac verbalem tantum egit, sunt habenda pro validè ac canonicè actis. *Pontas.*

CASUS IX. *Pantaleon* Vicarius Generalis nominatus ab *Adolpho*, qui ad Sedem Episcopalem promotus à Rege, Regioque diplomate jam instructus erat, plures Confessarios approbavit, aliosque actus jurisdictionis voluntariae exercuit; licet *Adolphus* Sedis Episcopalis possessionem nondum ceperit, nec Pontificias Romae Bullas acceperit. Valente haec acta à *Pantaleone*?

R. Nominatus ad Episcopatum, & solo diplomate Regio instructus non potest Vicarium Generalem constituere pro spirituali regimine Dioeceseos, cum ipsemet taliter nominatus in Episcopum non possit ullam jurisdictionem in spiritualibus exercere juxta Concordata Gallicana, priusquam Bullas Pontificias obtinuerit. Hinc institutio *Pantaleonis* in Vicarium Generalem nulla est, ejusque acta invalida. *Pontas.*

CASUS X. *Pomponius* Parochus obiit; *Leonardus* Vicarius ejusdem hoc non obstante functiones Parochiales obit, ut ante mortem Parochi. Habentne hanc potestatem?

R. *Leonardus* non potuit post mortem *Pomponii* amplius assistere matrimoniois, cum Concilium Tridentinum id solum permittat in praesentia proprii Parochi, qui, utpote mortuus non potest amplius delegare hanc potestatem. Potest tamen *Leonardus* confessiones excipere, ut prius; quia approbatio ab Episcopo obtenta semper subsistit. *Pontas.*

NOTA. Praeter approbationem etiam opus est jurisdictione, quae per mortem parochi delegantis expirat.

CASUS XI. *Leonardus* Vicarius in quodam pago dependente ab aliqua Parochia uno millari distita cum fuisset infirmatus, functiones Parochiales sibi incumbentes committit alteri Sacerdoti, idque inconsulto Parocho loci. Potuitne id fieri valide?

R. *Delegatus* quidem delegare non potest, ut habet tritum illud Juris: nihilominus tamen in casu praesente juxta *D. Thomam quodlib. 12. art. 31.* praesumendum est, Parochum Vicario suo *Leonardo* tacitum dedisse consensum, ut possit per alium obire functiones sibi commissas, quas personaliter obire non posset. Hinc *Leonardus* licet & validè potuit alteri Presbytero committere functiones, quas ipse exercere ob infirmitatem non potuit. Omnes autem prorsus functiones eidem committere non potuit sine consensu & approbatione Parochi. *Pontas.*

CASUS XII. Episcopus quidam Vicario suo Generali delegavit potestatem in quibusdam casibus dispensandi in certis matrimonii gradibus. Potuitne Episcopus hanc potestatem delegare?

R. Potuit; & si Episcopus post duos suorum praedecessorum est in possessione dispensandi hac in re, potest id continuare; licet melius & consultius faceret, si Ro-

Romam mitteret ad explorandam mentem Pontificis. *Fromageau.*

CASUS XIII. Vicarius quidam Generalis jam per quadraginta annos administravit Diocesim amplissimam, eamque actu administrat Sede vacante. Quamprimum autem novus electus fuerit Episcopus, suò se abdicare officio cogitat. Num tutà conscientia suum dimittit officium?

R. Communiter loquendò potest illud dimittere, propositis Episcopo motivis suis, & petita dimissione. Si tamen adhuc idoneus sit, ad gerendum cum fructu officium istud, novusque Episcopus eum dimittere nolit, divinam in hoc voluntatem adoret, humiliterque se submittat, ac idoneum virum ab Episcopo sibi adjungi postulet, quem sibi successorem efformet. *Fromageau.*

CASUS XIV. Potestne Episcopus Presbyterum Officio vacantem cogere, ut tanquam Vicarius derelictam Parochiam administret?

R. In rigore loquendò potest Episcopus talem cogere, etiam sub pœna suspensionis. Si tamen Presbyter talis graves rationes haberet id recusandi, easque Episcopus audire aut acceptare nolit, ab Episcopi mandato appellare debet. *Fromageau.*

Vide *Collatio. Dimissoria Litera. Excommunicatio.*

VISA.

1. *Visa* vocantur literæ, in quibus Ordinarius testatur, à se *Visas* fuisse Provisiones ad Beneficium Româ obtentas, & eum, qui talem Provisionem impetravit, in examine tam doctrinæ quam morum talem fuisse repertum, ut idoneus ad Beneficium possidendum, eique inservendum censeatur, & hæc clausula dictis literis adeò necessariò inferenda est, ut defectus essentialis *Visæ* censeatur, si in illa tantum hæc verba *in forma dignum reperiantur.* 2. Sine *Visa* Beneficiarius

non potest possessionem sumere Beneficii, quin se intrusionis reum faciat, & consequenter ipsius Beneficium pro vacante habeatur. Si Episcopi, aut Vicarii Generales *Visam* dare renuant, tenentur scriptò declarare causam, cur *Visam* non dederit. 3. Si quis ex permissione iudicium sæcularium adierit possessionem Beneficii civilem, non gaudet jure exercendi functiones spirituales, donec ab Episcopo obtinuerit *Visam*, aut hanc denegante Episcopo impetraverit à Superiore immediato. 4. Provisus Beneficiò, si ipsi ab Episcopo, Metropolitano, & Primate *Visa* denegata est, non potest amplius agere contra istam triplicem denegationem *Visæ*, nec etiam iudices sæculares declarare possunt, ut sententia ab ipsis lata *Visa* locum suppleat.

5. Collationes Regiæ non indigent *Visa*, excipiuntur tamen Collationes Dignitatum Capituli tempore juris Regiæ factæ. Non idem dicendum de provisionibus obtentis *in forma gratiosa* ac de iis, quæ continent hæc verba *in forma dignum*, nam priores locò *Visæ* sunt, cum postulans Beneficium Romam mittat Testimonium vitæ, morum ac doctrinæ suæ ab Episcopo scriptò datum, & ideo Papa taliter provisum Beneficiò non remittat ad Episcopum, ut ab illo examinetur, quapropter talis modò provisus potest sumere possessionem Beneficii, quam primùm Româ provisionem obtinuerit, observandò tamen formalitates consuetas, præsertim se, si Beneficium curatum sit, præsentem sistendò coram Episcopo. 6. Provisus Beneficiò potest illud resignare *etiam possessione non accepta*, & *Visa* non obtentâ. In casu litis de titulo Beneficii non est recurrendum ad Datum *Visæ*, sed solum ad Datum provisionis obtentæ.

CASUS I. *Aichardus*, Acolythus, jussu Episcopi, qui eum ad statum Clericalem minimè vocatum judicabat, è seminario Episcopali, in quo per octo menses commoratus est, ejectus est: verùm elapsis tribus mensibus obtinuit in Curia Romana pro-

visionem Parochiæ à suo Patruo resignatæ, quapropter à suo Episcopo *Visam* petiit, quam tamen ipsi Episcopus dare recusavit allegans, eum ob perversiorem morum ad sacros Ordines recipiendos esse indignum: At *Aichardus* Metropolitanum adiit, & ab eo *Visam* impetravit, & sic Parochiæ possessionem adiit. An Episcopus justè recusavit *Visam*? An Metropolitanus *Visam* absque peccato dare potuit? An *Aichardus* tutà conscientia retinere potest Parochiam?

R. 1. Episcopus justè potuit, imo debuit recusare *Visam Aichardo*, utpote è seminario suo ejecto. 2. Metropolitanus tutà conscientia non potuit statim *Aichardo* concedere *Visam* justè denegatam ab Episcopo. 3. *Aichardus* Parochiam, cujus possessionem illicitè adiit, tutà conscientia retinere haud potest. Isthæc decisio fundatur in quodam Decreto Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quod videri potest in *Bullario magno* tomo 2. pag. 811.

CASUS II. *Cordulphus*, Presbyter, in Curia Romana provisionem Beneficii curati resignati obtinens petiit à suo Episcopo *Visam*, quam tamen non impetravit, quia ab Episcopo examinatus ad septem quæstiones in materia Sacramentorum pessimè respondit: Verùm *Cordulphus*, cum se Metropolitanò sisset, & ab eo de novo examinatus sufficienter capax inveniretur, concessa est ei *Visa*, vi cujus possessionem Beneficii sumpsit. An Metropolitanus tutà conscientia *Cordulpho* *Visam* concedere potuit?

R. Metropolitanus non habet jus de novo examinandi illum, qui à suo Suffraganeo jam est rejectus, nisi ipsi certò constet, illam ab Episcopo injustè fuisse rejectum, aut quæstiones ipsi propositas fuisse in materia, in qua Parochus non tenetur esse versatus.

Vide *Concilium IV. Mediolan. part. 4. tit. de Benefic. collat. ac provif.*

CASUS III. *Cleoricus* Episcopus justa ex causa dubitans de probitate morum *Diction. Cas. Conf.*

Alphonfi, in Curia Romana provisionem Parochiæ *in forma dignum* obtinentis, & ideo *Visam* petentis, jussit, ut prius per octo menses in Seminario Episcopali commoretur. An *Alphonfus*, utpote innocens à suis inimicis apud Episcopum difamatus, tenetur obedire, & se exponere periculo perdendi Parochiam, positò quòd illam resignans moriatur intra sex menses actu Parochiam adhuc possidens? Potestne igitur recurrere ad Metropolitanum?

R. Alphonfus debet obedire suo Episcopo, licet apud eum innocens difamatus sit. Episcopus enim ipsius morum probitatem probandi jus habet: dein metus perdendi Beneficii inanis est; quia ad publicationem factæ resignationis non requiritur necessariò ipsa possessionis Beneficii aditio, sed sufficit declaratio, qua se à possessionis Beneficii aditione fuisse impeditum, seque *Visam* petiisse ostendat. *Pontas.*

CASUS IV. *Reinerius*, Presbyter Diocesis Burdigalensis provisus in Curia Romana de Parochia à suo Archiepiscopo petiit, sed non impetravit *Visam*, quia, ut dicit, aversum erga illum gerit animum, quin tamen justam hujus aversionis causam allegare possit. Verùm *Reinerius* à Parlamento obtinuit facultatem, ut ad primum suæ jurisdictionis Episcopum recurrere possit: *Reinerius* igitur à Vicario Generali Episcopi, quem adiit, *Visam* obtinuit, & hoc modo possessionem Parochiæ capiebat. An hæc *Visa* valida est? an etiam aditio possessionis Canonica est?

R. *Visa* nullius est valoris, & aditio possessionis non est Canonica, nam, si Episcopus Diocesanus denegat *Visam*, recurrendum est ad Superiorem suum, qui in præsentem casum est *Primas*; Primatis verò Superior est Papa. Dein *Parlamenta* non possunt talem, ut in casu dictum est, concedere facultatem. *Pontas.*

CASUS V. *Carolus*, provisionem Decanatûs Ecclesiæ Metropolitanæ Turonensis à suo Patruo resignati in Curia Romana obtinens, impetratâ à Capitulo *Visa* possessionem

T r r r r

nonem

sionem Decanatus capiebat. An *Visa* hæc legitima, & sumptio possessionis Canonica est?

R. Capitulum arrogavit sibi in hoc casu jus privativè ad Archiepiscopum pertinens.

Vide *Processum verbalem Comitiorum Generalium Cleri Gallicani anno 1700. p. 124.*

Vide *Examen.*

VISITATOR.

Tridentina Synodus Episcopis mandat, ut singulis annis totam suam Dioecesim, aut saltem majorem ejus partem visitent; & si legitimo aliquo impedimento obstante ipsimet visitare non possint, per Vicarium Generalem vel aliam visitatorem privatum eam visitari procurent: Eadem sacra Synodus Episcopus monet, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint in vifitatione, ac à nemine quidquam exigant exceptis tantum victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter moderatèque pro temporis, & locorum circumstantia erunt ministranda. Idem Concilium docet Episcopus modum, quo suas vifitationes utiles reddere possint.

Vide *Episcopus.*

CASUS I. 1. Potestne Episcopus, Cathedralis suam visitans, *Archiepiscopus* privare suis proventibus, qui à mensa Capitulari separati sunt, quemadmodum alii Canonici privantur distributionibus, si sunt absentes? 2. An Episcopus tempore vifitationis possit Decretò sancire, ut tam Canonici, quàm etiam *Archiepiscopi*, si ultra tempus à Concilio Tridentino concessum absentes esse velint, ab ipso facultatem longioris absentiae petant? 3. An Vicarius Episcopi, si inter Canonicos sit postremus, corrigere possit errantes in Choro Canonicos? 4. Potestne Episcopus Scholastico præcipere, ut conciones habeat, aut illas per alium fieri procuret? num etiam Scholasticus appellare poterit contra tale mandatum prætendendo ab-

usum, aut usum contrarium? 5. Potestne Episcopus præcipere Capellanis, ut suas exhibeant provisiones, præsertim illi, qui alio quoque in eadem Ecclesia gaudent Beneficio? 6. Potestne Episcopus in vifitatione Canonicos, qui ipsius Officiales sunt, comites sibi adjungere? 7. Potestne Episcopus tempore vifitationis præcipere omnibus suæ Cathedralis Beneficiariis, etiam iis, qui simplici tonsura initiati sunt, ut se sistant in habitu? 8. Potestne Episcopus quæ Visitator inquirere in Psalmodiam, & educationem puerorum Choro inservientium? 9. Potestne Episcopus præcipere Capitulo, ut Cantores & Musicos, quos recipere cogitant, sibi prius præsentent. &c.

R. 1. Non potest Episcopus *Archiepiscopus* privare suis proventibus, cum eorum proventus separati sint à mensa Capitulari. 2. Non potest obligare Canonicos, ut ab ipso petant licentiam longioris, quàm Concilium Tridentinum permittit, absentiae. 3. Potest Scholastico præcipere, ut singulis Dominicis concionem habeat, Scholasticus verò non potest obtendere præscriptionem. 4. Potest etiam exigere à Capellanis, ut exhibeant suos titulos, & qui duobus Beneficiis *sub eodem tecto* gaudent, obtentam dispensationem. 5. Potest tempore vifitationis omnibus suæ Ecclesiae Beneficiariis præcipere, ut se præsentent, non tamen potest ferrè censuras in absentes. 6. Potest inquirere in educationem puerorum choro inservientium, potest etiam mandare, ne Cantor recipiatur, nisi suum *Exeat seu ratihabitionem scriptam* exhibere possit. *De Lanet.*

CASUS II. *Canonice* Remiremontii gaudent veris Beneficiis; an propterea tenentur se submittere constitutionibus à visitatoribus Apostolicis ad corrigendas deordinationes factis?

R. Tenentur se submittere. Hæ Canonice poterunt recurrere ad Summum Pontificem, ut licentiam obtineant deferendi habitum sæcularem extra Ecclesiam, ita

ita tamen, ut à luxu vestium caventes modestiæ studeant. *De Lanet.*

UNIO BENEFICIORUM.

1. Juxta jus Canonicum *Unio Beneficiorum* est Conjunctio alicujus Beneficii cum alio Beneficio facta auctoritate Papæ aut Episcopi, ita, ut ex duobus Beneficiis fiat unum. *Decretales* duas Unionis admittunt species, quarum una ad aliquod tantum tempus durat, nimirum usque ad obitum Beneficiarii, in cujus gratiam facta est: altera verò est perpetua Unio, quæ sola usu recepta est in Gallia pro communi Ecclesiae utilitate.

2. *Unio Beneficiorum* triplicem modum fieri potest. 1. Quando ex duobus Beneficiis unicum fit Beneficium. 2. Quando una Ecclesia subicitur alteri, & accessorie illi unitur. 3. Quando duarum Ecclesiarum unitarum quælibet retinet sua bona privata, sua jura, suas qualitates, & suas prærogativas.

3. *Unio* Parochiarum, Præbendarum, & aliorum simplicium Beneficiorum de jure pertinet ad Dioecesanum. Omnem Beneficiorum Unionem præcedere debet inquisitio, quæ dicitur *de commodo & incommodo*. 4. Solus Papa potest unire Episcopatus & alia Beneficia Consistorialia. Solus etiam Papa potest unum Ordinem Religiosorum unire cum alio, aut disjungere. 5. Sede vacante Capitulum gaudet jure uniendi, quia Unio est actus jurisdictionis ordinariæ, quæ morte Episcopi devolvitur ad Capitulum. 6. Episcopus non potest unire Beneficia à sua jurisdictione exempta, nisi cum consilio & assensu Abbatum, interim tamen Abbates non possunt facere Unionem, nisi extet Privilegium, aut consuetudo legitime præscripta. Episcopus non potest unire Beneficia simplicia Mensæ Episcopali, aut Capituli ne quidem cum consensu Capituli. 7. Commenda Melitensis potest uniri cum aliâ, non tamen cum Beneficio, nec etiam uniri potest Beneficium liberum

cum alio, quod pertinet ad Patronatum laicum.

CASUS I. *Laurentius*, Decanus Ecclesiae Cathedralis *de Balbastro*, ab Episcopo Avunculo suo obtinuit unionem Prioratus reddituum 400. florenorum ad suum Decanatum, cujus redditus 2000. florenos efficiunt: in gratificationem *Laurentius* Episcopo promisit, summam 250. florenorum aliàs singulis annis Decano solvendorum fore remittendam. An Episcopus tutâ conscientia sub tali conditione unionem facere potuit?

R. Cum istam unionem nec Ecclesiae utilitas, nec etiam necessitas exegerit, sed solum ob commodum proprium Episcopi facta sit, illicita est, & contraria Legibus Ecclesiae. *Pontas.*

CASUS II. *Romanus*, Episcopus Grætanopolitanus, univit suo seminario, quod erexit, Prioratum simplicem Regularem absque auctoritate Papæ. An hæc unio Canonica est? an ea ab Episcopo fieri potuit tutâ conscientia?

R. Est Canonica, & ab Episcopo tutâ conscientia fieri potuit, nam *Concilium Tridentinum sess. 23. de reform. c. 18.* permittit Episcopis unire seminariis Beneficia simplicia sæcularia, & regularia. In Gallia idem concessum est Episcopis in *Edicto Blesensi*, & aliàs jam Episcopi sunt in possessione juris faciendi ejusmodi uniones. *Ste Beuve tom. 1. casu 85.*

CASUS III. Prioratus simplex, 5000. florenorum reddituum, quondam regularis, à tempore tamen immemoriali à Titularibus sæcularibus possessus, ante triginta jam annos unitus est Seminario Dioecesano, & quidem cum consensu Abbatis commendatarii, & Religiosorum vicinæ Abbatiae, qui tamen, cum quædam jura in dicto Prioratu prætenderent, hac conditione in unionem consenserant, ut Seminarium singulis annis Abbatiae solvat modicum frumenti, cujus valor juxta Regionis æstimationem sit 30. florenorum, & hoc per modum compensationis jurium & prætensionum, quas in Prioratu habent.

bent, quæ clausula instrumento transactionis inserta est. Denique Titularis quoque consensit in unionem resignando nimirum Beneficium cum reservatione pensionis 350. florenorum. Ast notandum.

1. Jura dictorum Religiosorum à Directoribus Seminarii fuerunt admittenda, quin tamen ea prius examinarent, cum crederent, ea esse vera ac authentica, hinc clausula præfata bona fide inserta est decreto unionis, & literis patentibus. Verum elapsis aliquot annis ortum Seminarium inter & Religiosos lite Religiosi in judicio titulum, quo præensiones suæ fundarentur, exhibuerunt, qui titulus falsus videbatur, ita, ut Advocati Seminarii scripto contra dictum titulum protestarentur, imo & ab ipso Parlamento tanquam supposititius & falsus rejectus fuerit, quod Parlamentum in favorem Seminarii causam decidit.

2. Præensiones Religiosorum in Prioratum instrumento unionis insertæ non existebant ante transactionem aliæ, quam jus regressus in Prioratum, aut in casu vacationis jus collationis: Ante datum in unionem consensum Religiosi nullum omnino recipiebant commodum temporale ex Prioratu.

3. Unio facta est simpliciter decreto Episcopi, in quo fiebat mentio venditionis conformiter ad præensiones Religiosorum, quas nec Episcopus, nec Directores Seminarii examinarent.

Jam quæritur 1. An clausula instrumento consensum in unionem continenti inserta sit simoniaca, & si sit simoniaca an consensus in unionem sit validus? 2. Si consensus est nullus, an etiam unio sit nulla? 3. An Decretum unionis ab Episcopo factum, & literis patentibus confirmatum sit nullum? 4. An in casu nullitatis sufficeret, si obtinerentur literæ rescissionis Clausulæ transactionis, ut tali modo conservaretur unio?

R. Transactio est simoniaca, cum Religiosi cum suo Abbate in unionem solum ex hoc sine consenserint, ut ipsis annua-

tim penderetur modis frumenti, & quidem vi tituli falsi: hinc etiam unio est vitiosa & nulla, & non amplius potest fieri valida possessione Beneficii uniti triginta annorum, cum simoniæ vitium non cesset lapsu temporis etiam si immemorialis, & ipsa possessio fundetur instrumento falso & suppositio: ex hoc etiam sequitur, decretum Episcopi una cum literis patentibus esse nullum, & ipsam unionem esse nullam juxta regulam juris: *Cum quid prohibetur, omnia, quæ sequuntur ex illo, prohibentur. Reg. 38. de Reg. juris in 6.*

CASUS IV. *Ricberius*, Titularis Prioratus *S. Genetii*, ad quem jus præsentandi habet Abbas *S. Gordiani*, rogatus à suo Episcopo, ut consentiret in unionem sui Prioratus ad Seminarium diocesanum, hac conditione consensum dedit, ut fructibus & redditibus Prioratus gauderet durante sua vita. Episcopus ratam habuit conditionem, & univit Prioratum Seminario cum consensu etiam collatoris inferioris. An hæc unio ex parte *Ricberii*; & etiam Episcopi Canonica est?

R. Est Canonica hæc unio, nam, cum Episcopi jus habeant univendi Beneficia, poterunt etiam adhibere media pro unione inservientia juxta regulam juris: *Accessorium naturam sequi congruit principalis. Reg. 42. de Reg. juris in 6.*

CASUS V. Cum Capellania *S. Clara*, cujus Patronus est Prior *S. Albini*, vacaret, Episcopus eam univit Capitulo Ecclesiæ Collegiatae suæ Diocesis absque consensu Patroni. An hæc unio legitima?

R. Cum consensus Patroni Beneficii univendi absolutè necessarius sit, unio dictæ Capellaniæ illegitima est. In Gallia, si Beneficium esset juris Regalis, petendus esset consensus Procuratoris Regii loci Beneficii, ut legitima redderetur unio. *Pontas.*

CASUS VI. Cum Canonici Ecclesiæ Collegiatae *S. Marci* valde tenues haberent redditus, ita, ut quilibet eorum triginta tantum annuatim reciperet imperiales, Episcopus dictæ Ecclesiæ univit Capella-

pellaniam 200. florenorum reddituum, cujus Patronus laicus est, & suum Nepotem ad eam nominavit, subjectum dignum est capax. Unio hæc facta est observatis requisitis formalitatibus. Jam quæritur, an Episcopus possit Nominato ad Capellaniam denegare provisionem?

R. Episcopus tenetur concedere provisionem dicto Nominato ad Capellaniam, nam non potuit unire Beneficia Episcopus sine consensu Patroni laici. *Editum Bles. art. 23.*

CASUS VII. *Theotimus*, titularis Capellaniæ *S. Euphemie* denegavit consensum ad unionem, quam Episcopus facere cogitabat ad suum Seminarium; Episcopus nihilominus perfecit unionem. An hæc unio Canonica? an Episcopus absque injustitia unionem facere potuit?

R. Si titularis gaudet redditibus Beneficii durante sua vita, Episcopus legitime potest illud unire juxta *Clementem V. Si una. de rebus Ecclesiæ non alienandis. lib. 3. Clem. tit. 4.*

CASUS VIII. Canonici Ecclesiæ cujusdam collegiatae, cum quilibet eorum 75. florenos tantum annuos redditus haberet, rogarunt Episcopum, ut tres Canonicatus vacantes supprimeret, & redditus eorum uniret suæ Ecclesiæ. Episcopus perfecit unionem, Joannes verò unus Canonico- rum quærit, an tutè conscientiam frui possit redditibus vi unionis auctis?

R. Dicendum quod frui possit, suppressio enim Canonicatum fuit canonica, uti & unio, supposito quod petitio Canonico- rum Episcopo facta veritati sit consentanea. *Concil. Trid. sess. 24. c. 15.*

NOTA. Circa hanc suppressionem consulenda fuisset Sedes Apostolica.

CASUS IX. Cum Capitulum Ecclesiæ collegiatae *S. Andreae*, quod ex tribus dignitatibus, & octodecim Canonicis constat, redditus annuos habeat duntaxat 600. florenos, in qua summa comprehenduntur etiam 400. floreni ex foundationibus privatis, Anniversariis, & redditibus aliquarum Confraternitatum (qui redditus

non sunt fixi, sed instabiles) ac propterea portio, quæ cuilibet canonicorum debetur, talis sit, ut tali portione subsistere non possit, licet duodecim eorum sint absentes, & vicarios Rurales agant, propterea Capitulum statuit unire Parochiam loci cum suo Capitulo, ad quam Parochiam nominationis & collationis jure ipsum capitulum gaudet ita ut uni è suis canonicis conferri possit. Jam vacante isthac Parochia.

1. Syndicus Capitulo congregato hanc fecit propositionem, ut Parochia vacans detur cuidam Canonicorum: in hanc propositionem omnes Canonici præsentés consenserunt.

2. Conventum est, ut Unio fiat hac conditione, ut ante nominationem ad Parochiam quilibet Canonicorum se juramento obliget coram Decano, quo teneatur ille, qui ad Parochiam nominabitur, consentire in Unionis executionem, & capitulo cedere quædam jura Parochialia, vi quorum novus Parochus locò 400. florenorum, quos ipsius antecessor habebat, 300. florenorum redditus recipiet, & hoc propter ipsius consensum in unionem, qua mediante aliæ quinque Præbendæ pinguioribus aliquatenus redderentur.

Hæc omnia executioni data sunt bona fide, & consensu communi tam Capituli, quam *Leoniani* Canonici, qui electus est Parochus sub prædictis conditionibus, quas acceptavit, & implevit. Jam quæritur, an hæc unio sit Canonica, & valida? 2. An ob istam conventionem, & conventionis executionem Canonici non incurrerint censuras? 3. An non etiam *Leonianus* eas incurrerit? 4. An eorum bona fides, & ignorantia eos excuset, si censuras incurrerint?

3. Certum est, in tota Gallia prohibitum esse, possidere Canonicatum simul cum Parochia: idem dicendum, si duo Beneficia sub eodem tecto possideantur absque dispensatione Papæ.

Verum consuetudine immemoriali introductum est, ut quis possit in pluribus

Cathedralibus Ecclesiis possidere Dignitatem simul & Canonatum, imo dantur Cathedralibus Ecclesiis, in quibus non potest obtineri Dignitas, nisi jam possideat aliquam Præbendam. His suppositis sic resolvitur præfens Casus: 1. Si unio facta est Canonice à legitimo Superiore, nimirum ab Episcopo, & non à Capitulo, tunc potest in eadem Ecclesia possideri Parochia simul cum Præbenda.

2. In materia enim Beneficiali omnis conventio, à Papa non approbata, illicita & simoniaca est, hinc Canonici in præfenti casu omnes incurrerunt censuras in simoniacos latas; nec eos excusare potest eorum ignorantia, utpote in re jure Divino & Canonico prohibita: *Ignorantia facti, non juris excusat. Pontas.*

CASUS X. *Optatus*, Archidiaconus Ecclesiæ *Navarrensis*, ducentas circiter Parochias visitare singulis annis tenetur, cum illæ ab ipsius Archidiaconatu dependant: debet insuper etiam lites, quæ ratione correctionis morum suorum Clericorum oriuntur, suis impensis tueri: Cum verò ipsius annui redditus omnino tenues sint, quærit, an tutâ conscientiâ possit ab Episcopo petere unionem tertiæ partis decimarum, valoris 150. florenorum, & dependentis à quadam Parochia, quæ decimas habet 1000. florenorum, & cujus Parochus in unionem consentit: Accedit etiam, quòd Antecessor Episcopi jam promiserit unionem cujusdam Beneficii ad Archidiaconatum transactionem jam facta, vi cujus *Optatus* in favorem Episcopi certis quibusdam juribus cederet?

R. Archidiaconus tutâ conscientiâ istam unionem petere non potest, nam 1. redditus Ecclesiastici nunquam uniri possunt beneficio, nisi id exigat necessitas aut utilitas Ecclesiæ, qualis tamen non datur respectu Archidiaconatus. 2. Positò quòd detur necessitas augendi redditus annuos Archidiaconi, id fieri debet unione simplicis Beneficii. 3. Major daretur ratio uniendo partem reddituum Parochiæ cum alia Parochia quàm cum Archidiaconatu,

quod tamen inauditum est. 4. Beneficium curatum nunquam censendum est, superfluos redditus habere, quod enim superfluum est, in pauperum subsidium inservit. 5. Denique redditus annui Archidiaconatus non sunt computandi ex redditibus Archidiaconatus affixis; nam Archidiacono obveniunt quidam redditus ex Visitationibus, & Parochiis vacantibus. *Ste Beuve tomo 1. Casu 182.*

NOTA. *S. Beuve* non consideravit; sæculo adhuc decimo redditus omnium parochiarum, præsertim Decimas, immediatè pertinuisse ad jus & dispensationem Episcopi, qui parochiis solum assignavit congruam. Nec Episcopi reperuntur unquam renuntiasse juri suo, succurrendi parochio pauperi ex parochia redundante per reservationes pensionis perpetuæ.

CASUS XI. *Hercules*, Dux de *S. Eugenio*, possidens Castrum in Parochia cujusdam viri nobilis, ac Parochiæ Domini renuit adire Ecclesiam Parochialem, ne cogeretur primum locum in Ecclesia cedere prædicto Parochiæ Domino, ut verò omnis occasio litis abscindatur, petit ab Episcopo, ut Castrum suum annectat vicinæ Parochiæ, cujus ipse Dominus est, cum etiam ipse Parochus in id consentiat, ac incolarum Parochiæ consensum urgeat. An *Hercules* petitionem suam apud Episcopum continuare potest? An etiam Parochus in distractionem Castri à sua Parochia consensum dare potest? denique an etiam Episcopus petitioni *Herculis* annuere potest ob rationes ab ipso allatas?

R. Verum est, quòd Episcopus possit facere ejusmodi dismembrationem, si datur causa legitima: Verum *Hercules* non potest urgere istam dismembrationem tutâ conscientiâ, cum reverà non habeat legitimam causam. Parochus malè egit dandò consensum, & Episcopus non potest annuere petitioni *Herculis*. *Idem tom. 2. casu 151.*

CASUS XII. *Adeodatus*, Abbas regularis, plenam habet jurisdictionem in plures Ecclesias Parochiales, & in quamdam collegiatam, in qua sex Canonici & tot Capellani sunt, dependentes in Spiritualibus

ab Abbate: Cum verò Canonici ob omnino tenues redditus subsistere non possint, cogitat eorum redditibus unire tres Capellanas vacantes. An id propria autoritate facere potest?

R. Unio Beneficiorum est juris purè Episcopalis, cujus inferior Prælati, qualiscunque demum sit, capax non est: Hinc Adeodatus non potest unire dictas tres Capellanas Canonice, de quibus in præfenti Casu agitur. *Cælestinus III. in cap. Sicut. 8. de excessib. Prælat. & subd. l. 5. tit. 31.*

CASUS XIII. Quidam *Abbas*, Dominus quoque Parochiæ, Ecclesiæ dirutæ redditus sibi vindicavit, & ejus curam demandavit Parochio Vicino.

R. Non potest id facere sine permissione Episcopi, & si titulus Parochiæ non potest conservari, nec Ecclesia reedificari, debet uniri Parochiæ viciniori, & commodiori. *De Lamet.*

CASUS XIV. Potestne Beneficium uniri Collegio alterius Diocesis?

R. Potest uniri, dummodo serventur formalitates requisitæ, verum ad confirmandam stipulationem, qua Collegium promittit annuam pensionem fixam loco reddituum Beneficii, requiritur auctoritas Papæ. *Fromageau.*

CASUS XV. Potestne uniri Parochia Collegio?

R. Talis unio repugnat Concilio Tridentino, si tamen daretur gravis causa uniendo, cavendum omnino est ab omni conventionem simoniaca. *Fromageau.*

CASUS XVI. An Episcopus unire potest Beneficium Collegio?

R. Potest unire, si id evidens Ecclesiæ utilitas exigat, interim tamen ille, qui cedit Beneficiò simpliciter uniendo Seminario, aut alteri communitati, potest sibi ad dies vitæ reservare omnes fructus Beneficii. *Fromageau.*

CASUS XVII. Quidam officialis à Papa obtinuit commissionem uniendo Prioratum simplicem Monasterio Benedictinorum in Angliâ: an exercendo suam com-

missionem nova jura imponere potest Prioratui?

R. Non potest, sed debet agere juxta tenorem Bullæ Papæ, in qua declaratur, quænam potestas illi data est, & quæ onera Prioratus ferre debeat. *De Lamet.*

CASUS XVIII. Unita est quædam Parochia Archidiaconatus absque necessitate, & informatione juridica. Estne valida hæc unio?

R. Est contraria constitutionibus Ecclesiæ, hinc est etiam nulla, & abusiva, & hic abusus non potest tolli possessione etiam quadraginta annorum. *De Lamet.*

CASUS XIX. Quidam Abbas ab immemoriali tempore gaudet jurisdictione Episcopali in sua Abbazia, & in magno districtu ab ea dependente, an propterea jus habet uniendo tenues Parochias, quæ sunt in urbe, ubi ipsius Abbazia sita est?

R. Potest unire, si dictarum Parochiarum redditus sint omnino tenues, & numerus Parochianorum valde exiguus, ac etiam Ecclesiæ ita invicem vicinæ, ut Divina, quæ fiunt in una, impediuntur ab altera, & etiam sonitus campanarum se invicem confundant. Hæc unio tamen modò convenienti fieri debet. *De Lamet.*

CASUS XX. Unita est Parochia Mensæ Episcopi.

R. Hæc unio, si simoniaca est, nulla est, & labe simoniæ lapsu temporis non tollitur, sed debent omnes redditus Parochiæ restitui ab eo tempore, quo agnitus est defectus Unionis. Si verò causa unionis adfuit, observandæ sunt requisitæ formalitates. Si unio simoniaca est, huic errori non consulere correctione Episcopi, sed tutius longè medium esset, si jus collationis dictæ Parochiæ devolutioni subiceretur. *Fromageau.*

CASUS XXI. Cuidam Priori curato suum est, ut Beneficium suum simplex uniat communitati Doctrinæ Christianæ, quæ ipsi propterea spondet ad dies vitæ redditus Beneficii.

R. Non potest consentire in hanc unionem, Episcopus ipso, & ipsius Parochianis invi-

invitis vellet facere unionem, debet se opponere & ipsi etiam Parochiani in tali occasione audiendi sunt, si tamen hoc non obstante fieret unio, Beneficium vocaret. *Fromageau.*

Vide *Beneficium. Episcopus.*

VOTUM.

1. *Votum* est promissio deliberatè facta Deo de meliori bono: consistit igitur *Votum* in vera intentione se obligandi ad executionem factæ promissionis, & est de essentia voti, ut fiat deliberatè. 2. Dividitur *votum* in *absolutum, conditionatum, reale & personale*, & hæc vota vel sunt simplicia vel solennia. *Votum absolutum* statim ac factum est, inducit obligationem exequendi id, quod promissum est: *Votum conditionatum* verò non obligat nisi post impletam conditionem: *Votum reale* materiæ locò habet res extra nos existentes: *Voti personalis* verò materia est ipsa persona vovens, aut ejus actiones: *Votum personale & simul reale*, quod *votum mixtum* vocatur, materiæ locò habet tam ipsam personam voventem, aut ejus actiones, quàm etiam res extra voventem existentes. Obligatio voti realis transit ad hæredes voventis defuncti: *Votum simplex* est omne *votum privatim* vel publicè factum. 3. *Votum solenne* est illud, quod emittitur in solenni Professione in Religione approbata ab Ecclesia, vel in receptione sacrorum Ordinum. *Votum solenne Religionis* tria alia diversa in se continet vota, nimirum *votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ*. Huic divisioni diversorum votorum id adhuc addendum, nimirum dari vota, quæ versantur circa res de se bonas quidem, non tamen præcepto subjectas, tale est *votum jejunandi* singulis diebus Mercurii per annum. Solum *votum solenne* inducit impedimentum Matrimonii dirimens. 4. Ecclesia, seu illi, qui Superiores majores vocantur, quales sunt Papa, & Episcopi pos-

sunt dispensare in votis, aut ea commutare, si *votum* fiat nocivum, inutile, aut majori bono contrarium. *Dispensatio voti peregrinandi Romam, Jerosolymam, & Compostellam* est de jure reservata Papæ, sicuti etiam *votum perpetuæ castitatis, Religionis, & plura alia*, quorum pleraque inducunt impedimentum dirimens Matrimonii.

CASUS I. *Liebalus* in Conferentia, ad quam plures Clerici conveniebant, & in qua agitabatur quæstio, utrùm liceret vota fieri B. Virgini, & Sanctis eodem modo, quo ea fiunt Deo, affirmativam tenuit. An benè?

R. S. Thomas dicit, posse fieri vota Sanctis, imo viventibus adhuc in mundo, dummodo referantur ad Deum, & materia voti versetur circa rem, qua Deo cultus ipsi debitus exhibetur. Hinc *Liebalus* si in sensu S. Thomæ affirmativam tenuit, non erravit. *Pontas.*

CASUS II. *Balduina*, pauper Puella, decem aut undecim primùm annos nata emisit *votum Virginitatis*, aut ingrediendi Religionem, si ætatem ad Professionem solennem requisitam attigerit. An ipsius *votum validum* est? & si non est validum, an à solo Papa dispensationem obtinere potest?

R. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 88. art. 6. in corp. *Vota impuberum* sunt insolubilia aut inirritabilia: interim tamen si *Balduina* ante pubertatis annos intelligat naturam sui voti, præsumendum est, validum esse *votum*, nisi ob graves causas aliter sit judicandum: Hinc tutius est dicere, *Balduinam* teneri ad executionem voti, si non obtineat dispensationem legitimam, quæ ab Episcopo concedi potest; nam solum vota certa reservata sunt Papæ, & tunc solum, quando non potest recurri ad Papam. *Pontas.*

CASUS III. *Lucilia* annos nata duodecim & tres menses ad sacram Synaxin prima vice accedens fecit *votum Virginitatis perpetuæ*, quin propterea aliquem prius consuluerit: sex transierunt anni, quia

quin recordata sit sui voti, imo contrahit etiam matrimonium sine ulla reflexione ad suum *votum*: Verum altero post nuptias die matrimonio jam consummatò recordatur sui *Voti*. An ipsius *Votum validum* erat? & si validum fuit, quid ipsi pro conscientia suæ securitate agendum?

R. Si emittendò *Votum* agnovit, ad quid se obliget, *Votum* est validum, & pro securitate conscientia dispensationem *Voti* debet petere in Pœnitentiaria Romana: interim tamen potest suo Marito reddere debitum conjugale absque peccato, non tamen potest illud petere, quin peccet contra *Votum*, donec obtinuerit dispensationem. Si *Lucilia* non potest recurrere Romam, potest dispensationem obtinere ab Episcopo aut Vicario Generali in foro interno, si denique *Votum* est dubium, non tenetur recurrere Romam. *Ste Beuve tom. 3. casu 123.*

NOTA. In praxi præsumendum, vix unquam in tam tenera ætate intervenisse sufficientem considerationem, ut talis naturæ *Votum* possit dici certò validum.

CASUS IV. *Rutilia*, sexdecim annos nata, de natura & obligatione voti minùs instructa Concioni in Professione solenni habitæ assistens promisit perpetuam continentiam absque reflexione, an hac promissione sua se obligare velit per modum voti vel non; quamvis tamen sciverit, ad quid se sua promissione obliget. Verùm elapsis aliquot annis nuptias sibi oblatas acceptat, cum promissionem suam simplicem fuisse resolutionem sibi persuadeat, & non credat, se sua promissione obligari eodem modo, ac *Votò*, uti tamen ab aliis percepit. Quid ipsi pro securitate conscientia agendum?

R. Intentio se obligandi est de essentia validitatis *Voti*, *votum* enim est lex, quam sibi quis voluntariè ipsemet posuit, & hæc in tantum obligat, in quantum quis voluit: Ex hoc sequitur, *Rutilia* promissionem revera esse *votum*, hinc etiam obligatur in conscientia ad voti executionem. *Diction. Cas. Conf.*

cutionem, nam, cum plena deliberatione promiserit continentiam perpetuam, certè etiam intentionem habuit se obligandi ad eam. *Pontas.*

NOTA. Eo ipso, quod obligatio voti fundetur in voluntate propria, ita ut vovens sit ipsum primum obligans, nemo est ligandus voto, quamdiu dubitat de emissionem, vel intentionem voti, utpote præsumptivè sua intentione se non extendens, imo potius nolens se extendere ad circumstantiam dubietatis de facto. *Vota* sunt in genere promissionis gratuita. *Jura* autem non obligant ad promissa dubia. *Promissionis gratuita contractus* sunt strictæ interpretationis, ita ut non obligent ultra ea, quæ expressa sunt. Quod si quis dicere malit; vota pertinere ad contractus bonæ fidei inter Deum & hominem, eo ipso inclusa vel exclusa censenda sunt, quæ in vel exclusa forent, si de iis foret cogitatum.

CASUS V. *Numius* cum per tres menses ipsi uxor debitum sine ulla justa causa denegaret, ex mera passione iræ vovit, se nunquam amplius periturum à sua uxore debitum. An hoc *votum validum* est?

R. Passio iræ *Votum* non reddit irritum, nisi *Numius* à suo judicio sit deturbatus penitus, hinc *Votum Numii* censetur esse validum, si ipsius ira non fuerit talis. *Vallet votum per iracundiam emissum à vovente non penitus à suo judicio deturbato.* *Navarrus in Can. divortium de pœnit. dist. 1. n. 12. in fin. & n. 17. t. 1. fol. 238.* Verùm si cessante iracundia, *votum* emissum ratum non haberet, *votum* esset nullum. *Glossa in cap. Dudum 20. de convers. conjugal. v. Calore iracundiæ.*

NOTA. Hoc *votum* in conjugatis non est de meliori bono, cum imprudenter ardet & scrupulis involvat remedium incontinentiæ divinitus ordinatum.

CASUS VI. *Pavinius* peregrinaturus Romam emisit *votum jejunandi* altero die, quo Romam advenerit, cum autem Sabbatho sancto advenisset, quærit an teneatur jejunare die Paschatis?

R. Si intentio voventis fuerit, nec hunc etiam excipiendi diem, videtur illum teneri etiam hoc die ad jejunium. *Joannes*

U u u u u

Andreas in cap. explicari. 3. de observ. juniorum. V. Voto.

NOTA. Hoc votum objectivè pro ea circumstantia imprævisâ non est de meliori bono, & ideo in diem primò non impeditam transferendum, vel à Confessario commutandum.

CASUS VII. *Constantinus* annos natus 27. emisit votum ingrediendi Religionem, tractu autem temporis electus est in Episcopum. An propterea liber est à suo Voto?

R. Votum constantini ipsum ita obligat, ut sola impotentia physica, aut moralis illum coram Deo deobliget, hinc tenetur exequi votum, quamvis in Episcopum sit electus: Votum verò exequi poterit cedendò Episcopatum. *Fagnan. in c. Sanè. de Regul. &c. n. 67.*

NOTA. Cum cessio Episcopatus sit casus Papæ reservatus, illi hoc motivum cessionis fideliter exponendum, & iudicio ipsius relinquendum, utrum in individuo sit de meliori bono.

CASUS VIII. *Lalia* emisit votò perpetuæ virginitatis se corrumpi permisit à Juvenali. An vi voti sui adhuc tenetur ad continentiam per reliquos vitæ suæ dies servandam, cum solum intentionem habuerit vivendi virginitatem?

R. Tenetur servare perpetuam continentiam in recompensationem virginitatis amissæ licet non æquivalentem. *S. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæstionc. 1. ad 1. Item 2. 2. q. 88. art. 3. ad 2.*

NOTA. Cum intentio voventis se non extenderit ad obligationem conditionatam, vel ad compensationem ultroneam, non est ad hanc obliganda. Rectè tamen à Confessario in satisfactionem injungitur compensatio perpetua. Vide *Notam ad Casum 4.*

CASUS IX. *Ennodius* valde dives emisit votum donandi quinque albos pauperi, qui ipsi obiit, & hoc in recompensationem duritiæ, quam cuidam pauperi exhibebat. An ad istud votum tenetur sub peccato mortali?

R. *Ennodius* à peccato mortali excusari haud potest, si suum non impleat votum, etiam si voti materia valde levis sit. *Tolerant. Institut. Sacerd. l. 4. c. 17. n. 9.* Si

verò tantum differat votum suum implere, ipsius negligentia non cenletur peccati mortalis rea ob parvitatem materiæ. *Pontas.*

CASUS X. *Enquerandus*, Abbas, illustri stemate natus votum fecit ex motivo humilitatis, nunquam acceptandi Episcopatum. An tale potuit facere votum?

R. Si ipsius intentio fuit se obligandi ad nunquam acceptandum Episcopatum, etiam si à Superiore legitimo ad id adigeretur, illicitum ipsius est votum: si verò ipsius intentio fuit non querendi Episcopatum, & oblatum à se dependet, recusandi, votum ipsius est licitum, & tali votò obligaretur coram Deo. *S. Thomas 2. 2. quæst. 185. art. 2. ad 3.*

CASUS XI. *Hector*, Paterfamilias, Parochianus Ecclesiæ *S. Pauli* emisit votum audiendi per annum singulis Dominicis & Festis principalioribus Missam horâ decimâ in Ecclesia Regularium, quo tamen tempore divina fieri solent in ipsius Parochia: causa voti fuit, quia ipsius Confessarius eadem horâ celebrat Missam pro ipso, & huic Missæ cum sua uxore & liberis commode interesse potest. An tenetur sub peccato mortali exequi Votum suum?

R. Votum fieri haud potest de re illicita, vel minus bona. *Hector* tenetur toties, quoties commodè potest, interesse Missæ Parochiali diebus Dominicis, & Festis solennibus, sed hoc facere non potest, si votum implere vellet, ergò non tenetur votò. *Pontas.*

CASUS XII. *Egidius*, Studiosus Rhetorices, duabus potest viis in scholam pergere, sed fecit votum eâ, quæ fuerit commodior, eundi viâ. An coram Deo isto voto obligatur?

R. Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 88. art. 2. in corp.* omne votum de re inutili, aut indifferenti nullum est, consequenter tale votum non obligat. *Idem ibidem ad 3.* Verum si *Egidius* aliam viam declinaret ob occasionem peccati, teneretur servare

votum suum. *Conferent. de Lugon tom. 1. conf. 7.*

CASUS XIII. *Ivo* in sua infirmitate vovit, se curaturum, ut per novem dies celebrarentur Missæ in altari Ecclesiæ, ubi est Confraternitas Sancti N. Sanitati restitutus migravit in alium locum, qui sex leucis distat à dicta Confraternitate Sancti N. Quid ipsi agendum?

R. Votum debet impleri cum omnibus circumstantiis, hinc *Ivo* tenetur votum implere in Ecclesia, in qua Missas se procuraturum vovit. *De Ste Beuve tom. 1. casu 93.*

CASUS XIV. *Dorothea*, Uxor Gilberti, periculosè decumbens, incio Marito fecit votum peregrinandi, recitandi quinque vicibus per diem Pater & Ave, & jejunandi omnibus diebus Mercurii & Sabbathi per annum, si recuperaret sanitatem: Ast ipsius Maritus se opponit executioni horum trium votorum. An tenetur *Dorothea* exequi sua vota? An etiam ipsius Maritus tutâ conscientiam se opponere potest?

R. Ejusmodi vota respicienda sunt tanquam conditionata juxta *S. Thomam 2. 2. q. 88. art. 4. in corp.* Hinc si Maritus se executioni talium votorum opponit, nulla sunt, & Maritus se opponendo non peccat, quia se prudenter potest opponere Voto v. g. peregrinandi à sua uxore emisso. Quod verò attinet Votum recitandi Pater & Ave, tenetur *Dorothea* implere suum Votum, cum plenam libertatem habeat illud implendi, ac ipsius Maritus rationabiliter non potest se opponere executioni talis voti: Idem dicendum de Voto jejunandi, dummodo non præjudicet juri, quod Maritus habet ad copulam conjugalem. *Navarrus c. 12. n. 61.*

CASUS XV. Si verò *Dorothea* ante Matrimonium cum *Gilberto* contractum emisisset Votum peregrinandi, & duabus vicibus in hebdomade jejunandi, an teneretur exequi hæc dua Vota non obstante oppositione sui Mariti?

R. Si *Dorothea* primò post contractum Matrimonium suum certior fecerit de suis votis, & etiam licentiam ea exequendi petierit, à Mariti danda licentia dependet executio votorum ipsius. *Idem ibidem.*

NOTA. Pro ejusmodi circumstantiis petenda est à Confessario privilegiato commutatio voti.

CASUS XVI. *Samson* unà cum sua uxore Lucia clam uterque emisit votum; *Samson* quidem proficiscendi ad bellum sacrum in Orientem, Lucia verò peregrinandi Romam, & etiam Jerusalem. An *Samson* absque consensu suæ uxoris exequi votum suum potest? Et si ipse potest, cur ipsius uxor non possit exequi suum etiam Votum?

R. Videtur, *Samsonem* posse exequi suum Votum, si detur necessitas, qualis olim fuerat, Christianorum militum, & etiam ipsius intentio sit subveniendi Christianis, eosque adjuvandi ad aquirendas perditas Provincias. *Innocentius III. in cap. Ex multa. 9. §. 2. de voto & voti redempt. lib. 3. tit. 34.* Extra hunc casum nec emittit, nec exequi potest tale Votum sine consensu suæ uxoris. Lucia verò ipsius uxor absolutè non potest exequi suum Votum propter multas inconvenientias. Ita *S. Thomas. Pontas.*

CASUS XVII. *Adelardus* cum sua uxore vitam vivens piissimam cogitat emittit Votum abstinendi ab usu Matrimonii. Potestne id facere incia uxore?

R. Votum *Adelardi* esset illicitum & invalidum, hinc non potest illud emittit. Ita *S. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 8. in corp.*

CASUS XVIII. Ast si *Adelardus* voveret, se nunquam petiturum debitum conjugale. An saltem hoc votum emittit potest?

R. Duæ dantur Opiniones, verum juxta *S. Thomam in 4. dist. 32. art. 4. ad 3.* negativa probabilior est, nam tale Votum redderet conjugium nimis onerosum; interim tamen, si non esset onerosum

uxori, isthoc Votum esset validum, & coram Deo obligaret. *Pontas.*

NOTA. In tali casu conjugēs, ne sibi invicem creent periculum, deberent se invicem separare quoad thorum.

CASUS XIX. *Cacilia* fœmina maritata potestne emittere Votum nunquam petendi debitum à suo Marito?

R. Non obstante opinione *S. Thomæ* superius citati censetur, *Caciliam* possē licitè, imo & meritoriè tale Votum emittere, ratio enim *S. Thomæ* prius allata solum attingit uxores, quæ semper cum aliqua confusione, & verecundia petunt debitum. *Pontas.*

NOTA. Quamvis viro non sit onerosa perpetua abstinentia uxoris, ipsi tamen uxori est periculosa, & obinevitabiles contractus scrupulis obnoxia, obligatio perpetuè abstinendi à petitione debiti.

CASUS XX. *Synesius* & *Mavia*, contractis inter se sponsalibus, mutuo consensu ad pedem Altaris coram Sanctissimo, cum prius confessionem peragissent, emittunt Votum servandæ ad dies vitæ castitatis & continentiæ, & insuper juramentò spondent, se victuros invicem ac si essent frater & soror: *Synesius* insuper consensum suum dedit *Maviæ* in scriptis. Verùm aliquot diebus post contractum matrimonium *Synesius* petiit debitum conjugale, contendens, se non consensisse in Votum, quod cum illa emisit, *Mavia* verò per totum octiduum denegavit reddere debitum; à Confessario tamen admonita, quòd in hoc obedire teneatur Marito suo, reddidit debitum. Ast postea scrupulis continuè agitata adit quemdam Theologiæ Doctorem, qui ipsi dixit, quòd non possit sine peccato mortali amplius reddere debitum, ipsius hujus Confessarii consiliò ingressa est Monasterium; *Synesius* verò eam, utpote suam uxorem, repetiit à Superiorissa. Jam quæritur, an *Mavia* tutà conscientiam possit, aut an teneatur redire ad suum Maritum? 2. An Superiorissa *Maviam* invitam dimittere à Monasterio debeat?

R. In foro externo *Synesii* verbis non est adhibenda fides, cum contra sua ipsius verba, & scriptum attestatum affirmer, se non consensisse in Votum à se cum *Mavia* emissum, hinc *Synesius* absque peccato non potest exigere debitum, donec obtinuerit dispensationem legitimam, nam ipsius Votum, uti in præsentī casu relatū est, non tollitur per contractum Matrimonium, cum utrumque simul subsistere possit. *S. Augustinus in Can. Manifestum ii. in Can. Quod Deo. 4. & in Can. Una. 6. 33. 9. 5.* Quod autem *Maviam* attinet, illa, licet consenserit in consummationem Matrimonii, non tamen teneatur continuare redditionem debiti. Denique Superiorissa Monasterii, in quod se *Mavia* recepit, non potest eam retinere contra voluntatem Mariti uxorem repentis, in favorem tamen *Maviæ* potest expectare sententiam judicis. *Pontas.*

NOTA. Talia vota conjugum, aut matrimonialium voto nunquam sunt censulenda.

CASUS XXI. *Philologus* periculose decumbens duo emisit Vota in præsentia plurium personarum: 1. vovit, se Deo consecraturum filiam suam natu minimam in Religione, quæ septem annos nata est. 2. Vovit, filium suum Theodoricum missurum se peregrinatum ad B. Virginem Lieffensem, qui ibi per dies novem pro conversione peccatorum ad Deum preces suas funderet. An Theodoricus potest renuere, voluntatem & Votum Patris adimplere? 2. An Filia Philologi ad annos discretionis perveniens tenetur fieri Monialis?

R. Si *Theodoricus* & ipsius Soror ratum non habuerint Votum Patris, & ejus executionem non promiserint, non tenentur coram Deo adimplere Votum Patris; nam nemo tenetur exequi Votum personale alterius, ad quod se quis non obligavit. *Pontas.*

CASUS XXII. *Flaccus* gravi periculò liberatus vovit præsentibus suis hæredibus præsumptivis, se peregrinaturum ad Ecclesiam viginti leucis à suo domicilio

distans, & reducem donaturum 250. florenos pauperibus suæ Parochiæ. Ast *Flaccus* domum redux moritur. An igitur ipsius hæredes tenentur dare pauperibus dictos 250. florenos?

R. Hoc votum reale est respectu 250. florenorum à Flacco promissorum, quod à quocunque alio adimpleri potest: hinc hæredes Flacci tenentur elargiri hanc summam pauperibus. *S. Antoninus 2. part. Summ. Theol. tit. 12. cap. 2. §. 5. & apud eum Paludanus.*

CASUS XXIII. *Mathias*, annos natus octodecim in fervore devotionis fecit votum jejunandi singulis diebus veneris, postea verò dubitat, an revera sit votum. Quid ipsi agendum? Potestne dici, ipsum sub peccato mortali teneri ad jejunium?

R. In his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus dicit *Papa Eugenius in cap. Juvenis. 3. de sponsalibus & matrim. lib. 4.* Hinc *Mathias* tenetur jejunare, si ipsius dubium non sit scrupulus malè fundatus, sed rationabiliter dubitet.

NOTA. Eo ipso, quod rationabiliter dubitet, non obligatur voto. Vide *Not. ad Cas. 4.*

CASUS XXIV. *Anastasia*, se detinens in quadam Puellarum communitate debitorum modò instituta, emisit votum Virginitatis, & continentiæ perpetuæ in præsentia plurimarum diversæ conditionis personarum illo die, quo fuit recepta in dictam Communitatem ex centum Puellis constantem, quæ omnes huic Cæremoniæ adlitterunt præsentē etiam Episcopo. An isthoc votum reverà solenne votum dici potest?

R. Votum isthoc, quamquam publicè emissum, est tantum votum simplex, Ecclesia enim solum illud pro voto solenni habet, quod emittitur in Religione à sacra Sede approbata, aut in receptione Ordinum sacrorum. *S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 7. ad 3.*

CASUS XXV. Duæ Personæ ex metu gravi, & virum constantem movere potenti emiserunt votum. An tale vo-

tum eas obligat? v. g. *Poponius* periculum vitæ timens vovet, ingressurum se Religionem, si periculo eriperetur: *Leocadia* verò emisit Professionem solennem in quadam Religione, ut evitaret minas Patris, mortem minantis, si Professionem solennem non emittat.

R. Votum *Pomponii* est validum, *Leocadiæ* verò nullum; metus enim, qui motivum fuit voti *Pomponii*, provenit à causa interna & purè naturali, & talis metus non potest invalidum reddere votum. *Innocentius III. in cap. Sicut 17. de regul. & transeunt. ad Religionem. lib. 3. tit. 31.* Verùm metus *Leocadiæ* provenit à causa libera, qui metus reddit votum irritum. *Alexander III. in cap. Perlatum. 1. de bis quæ vi metusve causâ fiunt. lib. 1. tit. 40.* Hinc etiam Concilium Tridentinum præcipit, ut voluntas Puellarum, quæ Religionem ingrediuntur, sedulò exploretur.

CASUS XXVI. *Baldwinus*, annos viginti natus, vovit ingredi Religionem, sed ex mera negligentia differt per integrum annum implere votum. 1. An absque peccato tam diu differre potuit votum? 2. An sub peccato tenetur votum statim sine dilatione implere, cum tamen determinatum tempus non appoverit, dum votum emisit?

R. Coram Deo haud dubiè peccati reum se fecit tamdiu differendo voti sui executionem; hinc sub peccato tenetur sine mora exequi suum votum, nisi obitet justa causa. Ita *Ecclesiast. cap. 5. versu. 3. & 4. & Deutronom. cap. 13. versu. 21.*

CASUS XXVII. *Ernestus* periculose decumbens vovit ingredi Religionem, ut sua peccata poenitentiam deleat, si sanitati restitatur: elapsis quindecim diebus sanus factus eodem adhuc anno ingressus est Congregationem Patrum Orationis, ibique omnes sacros Ordines suscepit. Jam quæritur

1. An *Ernesti* votum sit validum ex metu mortis emissum?

2. Si validum est, & ob legitimam causam petere vellet dispensationem, an recurrere debeat Romam?

3. Suppositò, quòd sufficienter executus fuerit votum suum, an possit istam congregationem deserere, quancumque ipsi placuerit?

4. Si voto suo non fecisset satis ingrediendo hanc Congregationem, vi voti teneatur ingredi Ordinem Religiosorum, an non cum liber esset à voti sui obligatione ratione continui capitis doloris, quo laborat?

R. Juxta *Ste Beuve tom. 3. casu 124.* Votum Ernesti est validum, licet ex metu mortis emissum, & quia isthoc votum est conditionatum, non opus est, ut pro dispensatione recurratur Romam: Ast Ernestus non satisfecit voto suo ingrediendò istam congregationem ibique recipiendo Presbyteratum. Denique potest fortasse liber ab obligatione voti esse ob continuum capitis dolorem in tantum, ut Professionem non emittat, tenetur tamen petere susceptionem in ordinem Religiosorum, ibique proprias vires tentare, an nimirum possit observare Regulam ordinis.

CASUS XXVIII. Orta est in Hispania certa quaedam Congregatio Clericorum sæcularium; hujus institutor seu Author requisito prius omnium communitatis membrorum consensu petiit, & obtinuit à Papa annò 1650. *Breve*, vi cuius omnes, qui communitati annumerari velint, tenentur in manus Superioris quatuor vota simplicia, nimirum Castitatis, Paupertatis, Obedientiæ, & Stabilitatis, emitte. Verum cum postea experientia edocuerit, votum Paupertatis non posse convenire cum functionibus, quas membra Communitatis obire debent, obtinuerunt aliud *Breve* anno 1659. in quo facta est moderatio voti prædicti. Ast cum & hoc *Breve* multarum difficultatum causam daret ob varias interpretationes Verborum Pontificis, tandem annò 1697. in *Conventu Generali* editum est *Decretum*, quod

fenfum dicti Brevis determinabat. Interim tamen Calacius quærit.

1. An Breve primum adhuc ad aliquid obliget, an verò per secundum Breve prorsus abrogatum fuerit.

2. An peccet contra votum Paupertatis, si sine permissione Superioris apud se retineat pecuniam, cum in Brevi dicatur: *retinere, & non apud se retinere possunt?*

3. An non possit libros, quos propriâ pecuniâ emit, ab una Communitatis domo in aliam transferre absque permissione Superioris?

4. An peccarit contra votum Paupertatis, si incio Superiore pecunias, aut alias res, quæ ipsi fuerunt donatæ, acceperit, cum illas accipere posse crediderit, dum Breve secundum solum prohibeat disponere de rebus mobilibus, non autem recipere gratis donatas res?

R. 1. Dicendum Breve annò 1650 datum subsistere in omni suo vigore etiam post Breve anno 1659, acceptum, excepta proprietate bonorum immobilium; nam Breve secundum non revocat, quæ continebat Breve primum, sed solum ea explicat, & limitat. 2. *Calacius* peccat contra votum suum, si pecuniam è bonis suis immobilibus proveniente apud se retineat absque licentia Superioris. 3. Quilibet, qui Congregationis Regularis sive Sæcularis membrum est, obligatur in conscientia ad servanda ejus Statuta; hinc *Calacius* non potest transferre libros à se emptos in aliam domum propria autoritate, quia id prohibetur in Statutis suæ congregationis. 4. Breve secundum anno 1659 obtentum reapse non prohibet membris privatis recipere pecunias, quæ donantur, sed solum votum Paupertatis non permittit eas accipere animò proprietatis. *Pontas.*

CASUS XXIX. *Genebrardus* vovit ingredi aliquam Religionem, nullam determinandò. Postmodum petiit susceptionem in quodam Monasterio Benedictinorum; sed tulit repulsam. An tenetur supplicare in alio Ordine, aut Conventu?

R.

R. Certum est *Genebrardus* non satisfacere suo voto, nisi quærat susceptionem in alio Monasterio aut Ordine. *S. Thomæ in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. q. 1. ad 6.* Et 2. 2. q. 88. art. 3. ad 1. Verum si intentio *Genebrardi* voventis respexisset certum aliquod Monasterium, aut determinatum Ordinem, tunc, si in eo bona fide supplicasset pro receptione, & tamen non fuisset admittus, non amplius teneretur votò suo. *Pontas.*

CASUS XXX. *Gabriel* vovit ingredi Religionem S. Benedicti; sed cum in quodam Monasterio peteret suscipi, tulit repulsam à Superiore, ac responsum, se ratione sanitatis esse ineptum ad perferendas austeritates Ordinis. Num ex hoc liberatur à voto suo?

R. Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 189. art. 3. ad 2.* *Gabriel* non tenetur susceptionem petere in alio Monasterio, si idem responsum se reportaturum putet.

CASUS XXXI. *Amadeus* vovit ingredi Ordinem Carthusianorum, aut Camaldulensium; sed postmodum professus est in alio Ordine minus austero. Teneturne adhuc ad tranquillandam conscientiam suam ingredi alterutrum ex his duobus Ordinibus?

R. Non tenetur ad aliud, quàm ut poenitentiam agat de peccato suo ac violatione voti: votum enim solemne in minus austera Religione emissum fortius obligat ac stringit quàm votum simplex, quo quis ad ingressum in Religionem strictiorem se obligat. Ita docet *D. Thomas 2. 2. q. 189. art. 8. ad 3.*

NOTA. Si in Ordine, quem ingressus est, notabiliter est laxior, & par in utroque Ordine oportunitas collaborandi ad Dei gloriam, & Superiores transitum non illibenter vident, Deus non censetur cedere jure suo ad solvenda duo vota, simplex & solemne, utpote compatibilia.

CASUS XXXII. *Palamon* ingressus est monasterium, in quo ex Superiorum negligentia abierunt in desuetudinem præcipua disciplinæ regularis capita. Cum autem ipse existimaret, regulam non obligare ad majorem austeritatem, quàm in

conversatione Religiosorum observabat, professionem emisit ad hanc vivendi normam, & cum intentione vivendi more aliorum Religiosorum. At postmodum agnoscit, quanta sit in Religiosis corruptio, & quàm longè alia in Regula præcipiantur; cujus austeritatem si prius scivisset, non emisisset professionem. Potestne tutâ conscientia & deinceps vivere more reliquorum Religiosorum? Autnum solus coram Deo tenetur se conformare Regulæ?

R. Si *Palamon* prius non agnovit, hanc relaxationem Regulæ Ordinis aut Monasterii esse adversam, & bona fide credit, se non obligari ad strictiorem observantiam; & de cætero nihil agat contrarium tribus votis essentialibus, castitati, paupertati, & obedientiæ, excusatur à peccato, si vivat more reliquorum. Sic sentiunt plures Authores, inter quos etiam *CABASSUTIUS Lib. 1. cap. 21. n. 12.*

CASUS XXXIII. *Andronicus* in quadam Congregatione Regulari susceptus, in ea professionem emisit ut Frater Conversus, absolutè se obligandò Religioni, & ad omnes constitutiones ibi observari solitas; quæ tamen hoc continebant, ut Conversi, qualis ipse erat, possent remitti ad sæculum, si ita expedire videatur, nulla habita ratione temporis, quo se in Religione detinuerint. *Andronicus* hujus incerti statûs pertæsus expletò jam integrò in Religione decenniò abiit absque Superioris licentia, & in alio Monasterio Ordinis S. Benedicti tria vota solemnia emisit. Potuitne privata autoritate sic discedere è Congregatione? An professio ipsius apud Benedictinos edita est valida? Num tutâ conscientia in altero Monasterio persistere potest?

R. Etsi professio in præfata Congregatione deposita sit valida; *Andronicus* tamen privata autoritate potuit Monasterium Benedictinorum ingredi; neque emissâ ibi professione tenetur ad Congregationem redire, etsi ab ejusdem Superioribus reclametur. Professio non solum debet

bet esse absoluta ex parte profitentis, sed etiam absolutè & stabiliter acceptari debet à Superiore & Communitate, in qua emittitur. *S. Beuve tom. 3. cas. 119.*

NOTA. Hæc responsio non est vera. Licitus est enim contractus, quo Laicus se Monasterio vel Ordini obligat ad perpetua servitia, quin Ordo vel monasterium se vicissim obliget ad perpetuò retinendum pro omni causa & eventu. Contractus autem licitus servandus est; nec sic ligatum ære vel jure alieno recipere licet consensu obligantis. Fatendum tamen, taliter ligatum propriè non esse Religiosum.

CASUS XXXIV. *Hilarius* annò ætatis suæ vigesimò secundò in periculosa infirmitate constitutus votum emisit, si convalesceret, suscipiendi vitam monasticam in monasterio de la Trappe, etsi nullam de usitatis ibi austeritatibus notitiam haberet. Verùm cum recuperata sanitate paulò post affligeretur duplici rupturâ, nulla amplius habita ratione voti contraxit matrimonium. Jam quæritur 1. Num votum Hilarii fuerit verum votum Religionis? 2. An ob supervenientem rupturam fuerit liberatus ab obligatione; sicque potuerit contrahere ac consummare matrimonium absque peccato mortali? 3. Suppositò, quòd peccaverit contrahendò matrimonium, an toties peccaverit, quoties petiit debitum? 4. An illud votum à Confessario Ordinario non possit commutari in alia pia opera, saltem tempore universalis Jubilæi?

R. Ad 1. Juxta definitionem voti à *D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 1. in Corp.* allatam Hilarius verè emisit votum simplex Religionis. Ad 2. Etsi Hilarius temerariè emisit hoc votum, sciebat tamen, statum, ad quem amplectendum sese votò obstrinxerat, esse longè perfectiorem ac acceptiorem Deo flatu suo moderno, ejusque difficultates se facile superare posse cum Dei gratia: idèoque ante contractum defectum tenebatur tentare modò possibilè susceptionem; neque, dum in præjudicium voti sui contraxit matrimonium, potest excusari à peccato mortali. Contractâ autem semel ruptâ, si eam credat esse incurabilem,

non amplius ligatur. votò; adeoque licitè contrahit matrimonium, cum defectus iste sit evidens obstaculum ad ingressum Religionis tam austeræ. Ita *Sylvius in 2. 2. q. 88. art. quæsto. 4. resolut. var. V. Votum 1. Ad 3.* Juxta eundem Authorem Hilarius non peccavit toties, quoties petiit debitum, etsi peccaverit matrimonium contrahendò. Ad 4. Per se clarum, recurrendum esse Romam pro dispensatione in voto simplici Religionis: simplex enim Confessarius non habet hanc potestatem, etiam tempore Jubilæi universalis. *Pontas.*

NOTA. In voto dubii valoris, ubi meritò dubitatur, an sit de meliori bono, vel utrum cum maturâ deliberatione emissum sit, dispensatio vel commutatio pertinet ad Episcopum.

CASUS XXXV. *Hildegardes* professa est in aliquo Monasterio Monialium, in quo jam ultra triginta annos non amplius observatur clausura. Novus autem Superior exactè deinceps observari clausuram præcipit. An tenetur Hildegardes in conscientia huic ordinationi sese subicere, maximè; si expressam in sua professione intentionem habuit, nunquam se obligandi ad clausuram, aut omnino Superiorissæ suæ declaraverit, se non emissuram professionem, nisi ea conditione, ut nunquam adstringatur ad clausuram?

R. Certum est, quòd Hildegardes teneatur se submittere clausuræ à novo Superiore restitutæ: solemne enim votum obedientiæ eam obligat, ut justis Superioris sui legitimi mandatis obtemperet. *De Gen. Theol. Moral. tom. 5. tract. 2. cap. 4. q. 21.*

NOTA. Professio hujus Monialis est invalida, aut certè valoris dubii; ac proin subiacet dispensationi vel commutationi Episcopi.

CASUS XXXVI. *Tiphania* uxor Oliverii consensit, ut maritus fieret Presbyter; ac postmodum & ipsa emisit votum perpetuæ castitatis. An tenetur Religionem ingredi? Aut num poterit manere in sæculo, & in eadem cum marito urbe?

R. Si Oliverius nondum recepit Sacros Ordines, & Tiphania adhuc sit ætatis ad-

modum vegetæ, Episcopus Oliverium ad eos non admittat, nisi uxor prius Religionem ingressa fuerit. Si autem Tiphania jam provectæ admodum ætatis est, & extra omnem suspensionem incontinentiæ posita, Oliverius potest ordinari, quin ea obligetur ad ingressum in Religionem. Si verò Oliverius jam est ordinatus Presbyter, uxor ipsius, quæ consensit in ejus Ordinationem, & votum continentiæ emisit sine ulla intentione ingrediendi Religionem, non obligatur ad ejusdem ingressum, sive parùm, sive multum provectæ ætatis sit. Nihilominus si prævideatur; ex hoc, quòd in eadem urbe commorentur ambo, oritur scandalum, ob frequentes scilicet mutuas salutationes, Tiphania ex charitate teneretur aliò discedere. *S. Beuve tom. 1. cas. 188.*

CASUS XXXVII. *Eulogius* vovit, se jejunaturum diebus Mercurii & Sabbati per totam vitam; idque jam implevit decem annis. Factus autem postmodum Religiosus jussus est à Superiore manducare cum aliis, & abstinere ab hac singularitate. Num obedientia Superiori debita tollit votum prius emissum?

R. Eulogius liber est à voto in sæculo emissio. Ita docet *D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1. Et in 4. dist. 38. q. 1. art. 4. quæstion. 4. in Corp.* Religiosus enim non tenetur ad vota emissæ ante solemnem suam Professionem.

NOTA. Falsum est, Religiosum liberari vel per Superiorem absolvi posse à voto, certè non præjudicante honestati aut bono sui Statûs.

CASUS XXXVIII. *Pantaleon* Religiosus in quodam Monasterio amplissimæ urbis, in quo plusquam centum Religiosi degunt, emisit votum singulis diebus recitandi septem Psalmos Pœnitentiales. Cum autem à Superiore constitutus fuisset janitor, vix ullum ipsi tempus supererat ad persolvendum votum suum. Potuitne Pantaleon validè emittere hoc votum? Et suppositò ejusdem valore, teneaturne sub peccato mortali illud adimplere?

Diction. Cas. Conf.

R. Pantaleon non potuit hoc votum emittere sine consensu sui Superioris; & consequenter nec tenetur illud implere: Religiosus enim nullum tempus suppetit, in quo Superior eum non possit occupare; nec potest se Deo obligare ad illud distribuendum pro suo libitu, sub quocumque prætextu id fiat. *S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 8. ad 3.*

NOTA. Si non impediretur per suas functiones, obligaretur voto. In dubio an impediatur, votum à Confessario commutandum est.

CASUS XXXIX. *Claudia* Novitia tertii Ordinis S. Francisci non dubitans, se admittendam ad Professionem, secretò ac privatim emisit tria vota hujus tertii Ordinis. Cum autem præter expectationem dimitteretur ex Noviciatu, postea professa est in Conventu Ursularum. An soluta est à tribus votis prioris Ordinis? Et num idem dicendum, si maneret in sæculo?

R. Si Claudia Professionem emittat in Conventu Ursularum, penitus soluta est à votis præcedenter emissis. Verùm si in sæculo remaneat, & vota prius emisit cum cognitione causæ, & post maturam deliberationem, ea tenetur observare. *Pontas.*

NOTA. In Sæculo non teneretur ad votum paupertatis & obedientiæ, utpote devolutum ad circumstantias observantiæ moraliter impossibilis. Votum autem castitatis fundatum in errore, ac proin dubii valoris, esset dispensabile vel commutabile ab Episcopo.

CASUS XL. Num votum reale obligat hæredes, *deductis prius ære alieno & legitimâ?*

R. Si promissio per votum facta non fuerit inserta testamento defuncti, isque votum post mortem suam adimplendum non mandaverit, non videntur obligari hæredes. *Fromageu.*

NOTA. Si morali certitudine de voluntate defuncti constat, ea implenda est.

CASUS XLI. *Puella* quædam vovet, se ingressuram Religionem, si non possit nubere cuidam determinato adolescenti. Teneaturne adimplere votum?

XXXXXX

R.

R. Tenetur, quantum id pendet ex ejus arbitrio. Episcopus tamen potest dispensare in hoc voto, nisi jam impleta sit conditio: sublata enim per positionem conditionis suspensione voti non amplius dispensare potest Episcopus, ut quidam Authores volunt. *Fromageau.*

NOTA. Cum hoc votum ex sua natura sit conditionatum, non est reservatum Papæ, sive conditio fuerit impleta sive non.

CASUS XLII. Non nemo grave crimen commisit, & ex metu incurrendæ pœnæ emittit votum, si evadat pœnam. Teneturne hoc votum adimplere?

R. Tenetur in conscientia ad implendum votum; nec id commutari potest, nisi in majus bonum. *De Lamet.*

NOTA. Cum hoc votum sit conditionatum, non impleta conditione ad nihil tenetur. Aliter dicendum, si vovisset casualiter hoc modo; *ut evadat.*

CASUS XLIII. Incolæ cujusdam Civitatis actu publico debitâs formalitatibus vestito emittunt votum publicum; sed personale. Tenenturne illud adimplere?

R. Tenentur; quin tamen per hoc obligare possint suos posteros & successores. Et si velint liberari à voto suo, pro dispensatione adeundus est Episcopus. *De Lamet.*

NOTA. Quando communiter vovent feriacionem festi, processionem annuam &c. obligatio est tantum personalis, nisi fuerit confirmata ab Episcopo.

CASUS XLIV. Quidam emisit votum animò violentis tentationibus perturbatò. Valétne?

R. Non valet; quia taliter voventi & cognitio & libertas deest sufficiens ad contrahendam veram obligationem. Nec renovatio voti ab initio invalidi vim ac valorem illi tribuit. *Fromageau.*

NOTA. In dubio, an vovens habuerit sufficientem deliberationem, aut num votum sit de meliori bono, vel acceptatum à Deo, facienda est commutatio voti à Confessario quocunque.

CASUS XLV. Clericus quidam complexionis admodum teneræ votum emisit

ingrediendi Ordinem Capucinatorum. Teneturne votò?

R. Tenetur: si tamen assumpto habitu, & adhibitis, quæ potuit, omnibus, ut ad professionem admittatur, se nimis debilem experiatur ad sustinendas austeritates Ordinis, petere debet dispensationem à Papa; qua obtentâ tranquillò animò redire poterit in statum suum pristinum, in eoque perseverare. *De Lamet.*

NOTA. Si valor voti esset dubius. Vide *Cas. 44.*

CASUS XLVI. Homo quidam in gravi infirmitate constitutus votum emisit amplectendi statum Capucinatorum, aut Eremitarum. Quænam obligatio hujus voti?

R. Verum iste votum emisit, teneturque illud exequi: quia tamen votum hoc est dissociativum, poterit pro libitu se determinare ad statum alterutrum. Si eligat statum Eremitarum, & graves rationes interveniant eum non amplectendi, poterit Episcopus, & tempore Jubilæi quivis Sacerdos approbatus dispensare in hoc voto, ita, ut talis postmodum etiam contrahere matrimonium possit. *Fromageau.*

NOTA. Cum hoc votum sit conditionatum, non est reservatum Papæ. *V. Cas. 41.*

CASUS XLVII. Presbyter quidam cujusdam Congregationis secularis, in qua tantum emittuntur vota simplicia, in quibus Superior dispensare potest, vovit, se nunquam petiturum dispensationem. Potuitne emittere tale votum?

R. Potuit; sed Superior etiam in hoc posteriori voto dispensare, illudque vî potestatis suæ, quam habet in subditos, irritare potest, quando id expedire judicaverit. Votum in nullo unquam casu, & quidquid evenerit, petendi dispensationem aut commutationem votorum suorum, est nullum; quia fieri potest, ut sit de re illicita. *Fromageau.*

NOTA. Casualis hæc: quia &c. non est bona. Potius dicendum; ideo tale votum esse nullum, quia se extendit etiam ad circumstantias, in quibus votum potest designare esse de meliori bono.

CASUS XLVIII. In quibusdam communitatibus Monialium emittuntur vota simplicia, & tamen conservatur proprietas bonorum. Num hæc vota quoad solum bonorum usum coram Deo perinde obligant, ac vota solemnia?

R. Eodem modo obligant; Monialesque emisissis hîs votis nihilomino vel dare possunt, vel accipere absque Superiorissæ consilio; Confessarius quoque eas absolvere nequit, nisi paupertatis votum, quod emisissent, se servaturas promittant. *Fromageau.*

CASUS XLIX. Obligantne vota ante solemnem Professionem emissâ?

R. Per vota solemnia extinguuntur omnia alia vota prius emissâ. Hinc post solemnem Professionem non obligant amplius; Superiorque habet jus impediendi, ne ea serventur. *Fromageau.*

NOTA. Hoc verum est circa vota præjudicantia statui religioso. Circa non præjudicantia falsum est. In dubio an præjudicent, servanda est declaratio Superioris.

CASUS L. Quidam in periculo mortis constitutus emisit votum ingrediendi Religionem, si convalesceret. Teneturne illud adimplere?

R. Si, dum emisit hoc votum, fuit sufficienter mentis compos, ut cum electione & libertate agere potuerit, tenetur illud adimplere. In dubio de sufficienti libertate ac electione recurrendum est ad Papam, ejusque res judicio relinquenda. *De Lamet.*

NOTA. Si votum fuit conditionatum sub conditione reconvalescentiæ, non est reservatum Papæ.

CASUS LI. Puella quædam emisit votum redeundi in Monasterium, ex quo Novitia egressa fuerat. Censeturne soluta ab obligatione adimplendi votum, si statim ab initio quædam difficultates moveantur de iterata ejusdem receptione?

R. Non est soluta, nihilominus postmodum ipsi offeratur ingressus. Si tamen eam in se à vita Religiosa alienationem sentit, ut non temerè credi possit, ei vo-

cationem deesse, pro dispensatione in voto Papam accedere debet. *De Lamet.*

CASUS LII. Adolescens quidam votum emisit ingrediendi Religionem, illudque sæpius ratum habuit. Teneturne sub votò?

R. Tenetur; & solus Papa in eo dispensare potest, & quidem non nisi ex gravibus motivis. Si Papæ non videatur concedenda dispensatio, adolescens paratus esse debet ad amplectendam Religionem. *De Lamet.*

NOTA. Supponendum, hunc adolescentem jam esse egressum annos pubertatis.

CASUS LIII. Non nemo professionem emisit in Capitulo, quin ullus ex Conventu præsens fuerit.

R. Professio hæc æquè solemnitas ac valida est, acsi publicè in Ecclesia fuisset emissâ, si consuetudo & Constitutiones Monasterii, ubi viget hæc praxis, sunt approbatæ ab Ecclesia. *Fromageau.*

CASUS LIV. Benedictini non reformati introduxerunt consuetudinem non utendi cibis quadragesimalibus, nisi diebus Veneris & Sabbati. Suntne securi in conscientia?

R. Si ipsimet introduxerunt hanc consuetudinem, absque peccato eam sequi non possunt: verum si eam jam introductam repererunt, eidem se conformare possunt. Hi ipsi Religiosi tenentur in communi vivere, & uti mensâ communi. Quod attinet laborem manuum à Regula S. Benedicti præscriptum, idem ferendum est judicium, quod de obligatione vescendi cibis quadragesimalibus. *Fromageau.*

CASUS LV. Potestne Religiosus votò paupertatis adstrictus tutâ conscientia pecuniam possidere contra voluntatem Superioris sui?

R. Non potest; imo neque Superior ipsi permittere potest absque causa legitima. Tenetur autem Superior ipsi necessaria suppeditare. Religiosus professus qui crederet, se posse possidere pecuniam ex eo, quod in aliis hanc praxin observaret, coram Deo non excusaretur. Præ-

terea Religiosus uti debet veste simplici & modesta, & quidem juxta morem Monasterii. Tenetur insuper exactè ac fideliter indicare suo Superiori, quæ possidet, quin vel minimum celare præsumat. *De Lamet.*

CASUS LVI. Num possunt Moniales voto paupertatis adstrictæ quidpiam possidere tanquam proprium?

R. Non possunt tutâ conscientiam quidpiam tanquam proprium possidere, vel sibi met ipsis applicare pensiones, aut munuscula, quæ recipiunt. Nec Superiores, nec Abbatissæ, nec Priorissæ possunt in hoc cum Monialibus dispensare, iisve permittere, ut quidquam proprii habeant, aut depositi, sive extra sive intra Monasterium. *De Lamet.*

NOTA. Deposita sub custodia, & libera consensione Superiorissæ licita sunt.

CASUS LVII. Quæritur 1. An possit Monialis professæ annuam pensionem, vel alias pecunias à consanguineis suis recipere, easque convertere in munuscula. 2. Num possit Superiorissa de quadam summa pecuniæ disponere absque consensu Communitatis. 3. Num ipsa Communitas notabile honorarium possit facere Episcopo, quin speciali titulo ipsi devincta sit. 4. Teneturne Superiorissa solvere debita à quadam Moniali sibi subditâ contracta? Aut num ea ipsa Monialis potest negotiationem, aut aliud genus commercii exercere, ut tantum aquirat, quantum requiritur ad expungenda debita. 5. Quid agendum Confessario cum Moniali, quæ sic agere consueverit, nec tamen quidpiam in confessione exponit; Confessarius autem id aliunde scit?

R. Ad 1. Monialis, de qua agitur, etiam permittente Superiorissa non potest recipere pensionem annuam aut alias pecunias cum facultate liberè de iis disponendi, aut eas convertendi in munuscula arbitraria; sed quidquid pecuniæ cum licentia à suis consanguineis accipit, in communem massam deferri debet. Superiorissa, quæ Moniali cum ejusmodi acceptis pro libitu dispo-

nendi facultatem daret, ageret contra regulam & Constitutiones. *Ad 2.* Superiorissa habens administrationem bonorum sui Monasterii potest circa ea disponere, prout bonum & æquum ipsi videbitur. Semper quoad hoc autem attendenda est consuetudo in Monasterio recepta. *Ad 3.* Communitas potest facere honorarium etiam notabile Episcopo ratione protectionis & favoris, quibus ab eo gaudet. *Ad 4.* Superiorissa non tenetur solvere debita Monialis sibi subditæ in præjudicium Communitatis. Neque ipsi Moniali licet negotiationem aliquam exercere, utpote omnibus personis sacris à Deo prohibitam. *Ad 5.* Confessarius in primis debet monere ejusmodi Monialem, dein omnino ipsi absolutionem denegare, si emendare se nolit. *Fromageau.*

NOTA *Ad 1.* Sufficit, accepta referre ad depositum, à Superiorissa asservandum, ut sine ejus consensu quidpiam applicari non possit. *Ad 2.* Superiorissa ex bonis communitatis nil potest expendere, nisi cum rationabiliter præsumpto consensu communitatis.

CASUS LVIII. Quæritur 1. An detur obligatio servandi vota solemnia sub peccato mortali? 2. An eadem sit obligatio servandi Regulam & Constitutiones Ordinis? 3. An ea sit obligatio voti paupertatis, quæ est voti castitatis? 4. An obligatio votorum solemnium sit juris Divini, aut tantum humani?

R. *Ad 1.* Vota solemnia obligant sub peccato mortali. *Ad 2.* Non tamen idem dicendum de Regulis & Constitutionibus Ordinum. *Ad 3.* Eadem est obligatio servandi votum paupertatis, quæ est servandi votum castitatis. *Ad 4.* Obligatio votorum solemnium est juris divini; Ecclesiæque in iis constituit essentiam statûs Religiosi. Advertendum hinc, quod falso quidam Gersoni Cancellario Parisiensi tribuerint opinionem; vota Regularium tantum pertinere ad regimen politicum, & gubernationem externam Religiosorum, nec ea obligare in conscientia; quod enim Gerson nunquam in ea fuerit sen-

sententia, complures Authores evincunt. *De Lamet.*

NOTA. Cum Religiosi vovent obedientiam conformiter ad constitutiones Ordinis, eo ipso indirectè etiam vovent observantiam quoad corpus constitutionum. Peccant ergo mortaliter, qui eas passim transgrediuntur, sicque monitum earum contemptum interpretativum.

CASUS LIX. Introducta in Monasteriis quibusdam reformatione, quidam Religiosi eam non acceptabant; iis proin à reformatis pensiones alimentariæ assignabantur, iisque contenti esse juebantur. Jam quæritur, utrum hi Religiosi pensionarii parcius viventes, si quidpiam ex sua pensione residui habuerint, id tutâ conscientiam applicare possint in favorem consanguineorum suorum?

R. Non possunt residuum applicare in consanguineos, ne quidem in matrimonium elocandos, aut pro ingressu Religionis dotandos. *De Lamet.*

CASUS LX. Titius emisit votum peregrinandi ad sepulchra SS. Apostolorum, putans, Romam sexaginta tantum leucis distare à loco sui domicilii; postmodum autem comperit, distare ducentis leucis.

R. Non tenetur adimplere votum suum; quia voluntas non fertur in incognitum, & error tollit consensum, absolute necessarium ad valorem voti. Jam, sicut vovens non tenetur servare votum in tali circumstantia, quam exclusam voluisset à voto suo, si eo tempore, quo emisit votum, obversata fuisset animo; sic quoque evidens est, cum hoc votum Titii nullum sit ex defectu consensûs cadente in circumstantiam notabilem peregrinationis, quam vovens intenderat, Titium ad nihil teneri. *Suarez tom. 2. de vel. de voto. l. 1. c. 11. n. 8. Beat. part. 1. q. 33. resol. 2.*

CASUS LXI. Filius à patre deprehensus in actuali ludo acerrimè ab eo increpatur; hinc, ut non amplius incurrat indignationem patris, emittit votum nunquam amplius ludendi. Ligaturne votò adhuc post mortem patris?

R. Probabilius non amplius ligatur votò: principale enim motivum emittendi hoc votum fuit evitatio indignationis paternæ; quia autem defuncto patre non amplius subsistit hoc motivum, cessare debet etiam ipsa obligatio voti.

NOTA. In dubio de principali motivo seu fine voventis, facienda est compositio seu transactio inter Deum & hominem per æquam commutationem voti.

CASUS LXII. Titius emisit votum amplectendi statum Religiosum; verum paucis post diebus blanditiis, cujusdam puellæ captus eidem promittit matrimonium.

R. Per se loquendò tenetur implere primum promissum, ingrediendi Religionem: si enim quis tenetur implere votum Religionis, etiam si primum fuisset emissum post contracta sponsalia; multo magis tenetur ad illud implendum, si fuit emissum ante sponsalia. Dixi: *per se loquendò*; quia per accidens contingere posset, ut Titius non obstante voto Religionis teneatur ducere puellam, cui promissit matrimonium, v. g. si factò hoc promissò eam induxisset ad committendum peccatum, quin illa sciverit, eum esse votò ligatum; aut si eam non ducens locum præberet gravibus scandalis: tunc enim votum Religionis cessat esse majus bonum, nullamque amplius parit obligationem. *Girib. de voto. cap. 6. dub. 1. n. 4.*

CASUS LXIII. Petrus emisit votum erogandi tres florenos in pauperes in honorem Sacræ Familiæ Christi, unum in quemdam senem, & reliquos duos in nutricem quamdam; quia vero novit hominem quemdam senem, cujus uxor erat nutrix, ipsi donat omnes tres florenos.

R. Satisfecit voto suo; quia in hoc casu nec materiæ voti, nec intentioni Petri quidpiam deest ad perfectam adimpletionem voti. *Bonac. de voto. disp. 4. q. 2. p. 7. Lessius l. 2. c. 46. dub. 16. num. 150.*

CASUS LXIV. Cajus emisit votum singulis annis semel jejunandi in honorem S. Joannis die sibi libero. Tandem pertæ-

Xxxxx ;

sus

fas hujus obligationis, ad persolvendum votum suum eligit vigiliam Navitatis.

R. Non satisfacit Voto suo: licet enim per se loquendo per unicum actum satisfieri possit pluribus obligationibus, in hoc tamen casu id non procedit; quia hoc Votum jejunii videtur cadere in jejunium aliunde non præceptum, sive spectetur finis, quem Cajus habuit emittendo hoc Votum, sive pensetur fastidium, quod Cajus concepit de hac obligatione sua, id quod intelligi non potest, nisi de jejunio distincto ab omni alio jejunio aliunde præcepto. Hinc Cajus jejunium, ad quod vi Voti tenebatur, confundere non potuit cum jejunio aliunde præcepto. *Girib. in 1. Decal. præc. Mazzuch. n. 6.*

CASUS LXV. *Octavius* emisit Votum singulis annis jejunandi in Festo *S. Apolloniae*. Jam quærit, utrum teneatur jejunare Sabbatho præcedente, si hoc Festum incidat in diem Dominicam.

R. Præsciendô ab intentione particulari, quam habere potuit *Octavius* emittens hoc Votum, & solum considerandô mentem ac consuetudinem Ecclesiæ, *Octavius* tenetur jejunare Sabbatho præcedente.

NOTA. Etiam si vovens habuisset intentionem jejunandi in die Dominica, commutandum tamen foret tanquam imprudens.

CASUS LXVI. *Fabius* emisit Votum centies in anno recitandi salutationem Angelicam; & tamen nunquam recitavit. Peccavitne mortaliter?

R. Si vovit, se recitaturum has preces distinctis centum diebus, ita, ut quolibet horum dierum ad recitandam semel salutationem Angelicam se obligaverit, non peccavit mortaliter; quia quælibet salutio Angelica seorsim spectata est objectum leve, obligatioque pro determinato die imposita non transit in diem alterum. Verùm si simpliciter vovit, se recitaturum has preces sine ulla distinctione aut distributione dierum, peccavit mortaliter; quia integer numerus harum precum jam con-

stituit materiam notabilem. *Sanch. L. 1. c. 4. n. 14. Diana, Leander.*

NOTA. In ejusmodi dubiis circa gravitatem peccatorum jam commissorum judicium est relinquendum Deo. In futurum non est permitenda intentio talia vovendi sub levi.

CASUS LXVII. *Bertha* vidua emittit Votum per decem annos non manducandi carnes die Mercurii; quod etiam fideliter servat per quinque annos. Cum autem postea transisset ad secundas nuptias, maritus ipsi prohibet hanc abstinentiam, imo irritat Votum.

R. *Maritus* non potuit irritare hoc Votum; quia *Bertha* illud emisit, dum nondum ipsi subjecta erat. Verùm quia adimpletio hujus voti potest actu esse valde molesta marito, hic potest ejusdem suspendere effectum, & *Bertha* absque scrupulo obedire. *Castrovalao. Felix.*

CASUS LXVIII. *Joannes* emisit Votum largas eleemosynas distribuendi in pauperes, si Deus per mensem ipsum præservaret à peccato, cujus contraxit consuetudinem. Verùm ne teneretur implere Votum, ultimo die mensis deliberatè committit illud ipsum peccatum.

R. Non tenetur ad erogandas has eleemosynas; quia in voto conditionato, per se loquendo, non datur obligatio implendi votum, quando conditio non est impleta, prout accidit in casu proposito. Nihilominus si intentio *Joannis* se obligandi fuisset etiam in casu, quo non ab ipso penderet, ponere conditionem vel non ponere, evidens est, eum non obstante peccato commissio obligari ad erogandas eleemosynas. *Girib. de Voto. Suarez de Voto. Filiuc.*

NOTA. Cum Deus fecerit, quod erat in se, conferendo extraordinariam præservationis gratiam, cum qua facile potuisset perseverari in die mensis ultimo, & promissio utrinque onerosa pertineat ad contractus bonæ fidei, malitiosè impediens completionem contractus tenetur compacifcenti ad damnum & interesse.

CASUS LXIX. *Petrus* annò ætatis vigesimo in gravi infirmitate constitutus emisit Votum per totam vitam inserviendi infirmis,

firmis, si sanitatem recuperaret. Recuperata jam integra sanitate quærit, utrum, & quamdiu possit differre executionem sui voti.

R. Potest quidem executionem voti differre, sed tantum ad breve tempus, v. g. ad quatuor aut quinque menses. *Sporer de voto. cap. 2. sect. 3. Tamb. l. 3. in decal.*

NOTA. Ad tale Votum requiritur maturior ætas, & ideo tanquam Votum ob imprudentiæ dubium valoris dubii commutationi subjacet.

CASUS LXX. *Uxor* quædam consentit suo marito, ut voveret castitatem. Votò emisit ea adhuc reddit debitum conjugale marito id petenti.

R. Potest illud reddere: uxor enim præcisè consentiendô, ut maritus emittat Votum castitatis, non se privavit jure petendi aut reddendi debitum conjugale; hinc potest licitè illud reddere, etiam si maritus id petat, quin habet jus illud petendi: quamvis non liceat debitum conjugale reddere, quando ex parte actus se tenet circumstantia reddens illius petitionem illicitam: quando autem ejusmodi circumstantia se tenet ex parte personæ, ut sit in casu proposito, non est illicitum illud reddere, si etiam petatur illicitè. *Bonac. de matr. q. 4. punct. 3. n. 7. Sanch. l. 9. dist. 36.*

NOTA. In casu, quo compars ostendit, se pati graves tentationes agendi contra Votum suum, conthoralis tenetur petere debitum. Omnia ejusmodi Vota conjugum jacentium in eodem lecto ob quotidiana transgressionum pericula à Confessariis impedienda, vel tanquam Vota ob imprudentiam dubii valoris commutanda sunt.

Vide *Dispensatio in Votis. Impedimentum Voti. Professio Religiosa. Religio. Religiosa. Paupertas. Proprietas.*

USUCAPIO IN BENEFICIIS.

UsucaPIO Beneficii est installatio Clerici tali Beneficio provisi. Ingreditur nempe Ecclesiam, in qua titulum habet, occupat stallum sibi competentem, & si qui adfuit

controversiam ipsi super possessione moturi, Ecclesiæque ingressum prohibitori, sufficit si ejusdem portam vel limen tangat. Quòd si absque periculo usque ad Contactum accedere non posset, videndo duntaxat Campanile salvum ipsi maneret jus suum. Potest possessio arripi per procuratorem, verùm requiritur procuratio cum speciali mandato. *UsucaPIO* debet esse publica, & facta ad Acta coram Notario atque in præsentia duorum testium. Beneficium non est primi occupantis; sicuti est res profana quando nemo ipsam reclamat, vel eandem potuit acquisivisse per præscriptionem, sed ad ejus legitimam possessionem requiritur Titulus. Sufficit, ut Titulus hic sit apparens; & interdum aquiritur possessio non exhibito titulo, quem in Gallia tali casu supplet testimonium Procuratoris in Curia Romana. *UsucaPIO* statim tribuit jus petendi vindicationem, si possessionem turbari contingat. Possessio *annalis* tribuit jus ad possessorium. *Triennalis* verò possessionis is effectus est, ut possessor ne quidem in petitorio amplius possit turbari; verùm ut efficaciam suam habeant hi effectus, opus est titulo saltem colorato. Insuper possessio hæc debet fuisse *Continuata* ab eadem persona, possessio enim prædecessoris ad nihil prodest. Debet etiam esse *pacifica*, nec judicialiter interrupta per litis contestationem, nisi contestans ab altiore potestate vi fuisset impeditus.

CASUS I. Capitalum aliquod à novo Canonico in possessionem immittendo certam pecuniæ summam exigit; potestne tolerari talis consuetudo?

R. Capitula à novis Canonicis, antequam in possessionem immittantur, nihil omnino debent exigere. Jus enim hujusmodi exactiones tanquam simoniacas detestatur. Quando exigitur quidpiam, eo sine exigendum est, ut applicetur ad causas pias. Quidquid cedit in emolumentum vel lucrum Capituli & Canonicorum, prohibitum est. *Fromageau.*

CASUS II. *Clericus* quidam nominatione regia promotus fuit ad aliquam dignitatem ob puram & simplicem resignationem *Clerici* Titularis, jamque necessarias ad hunc effectum expeditiones obtinuit ex Curia; sed constanter opponit se Titularis Capiendæ possessioni.

R. *Clericus* regius non debet curare hanc oppositionem, cum nulla sit. In Gallia quidquid pertinet ad possessorem in materia Beneficiorum, privative est de competentia Judicis Regii; & specialiter in casu, de quo hic agitur, potest Rex causam partisque evocare ad suum consilium regium. *Fromageau.*

USURA.

1. *Usura* juxta *S. Antoninum* est *lucrum ex mutuo principaliter intentum*. *Lucrum* hoc potest consistere vel in pecunia, vel in omni alia re pretio pecuniario æstimabili.

2. Duplex distinguitur usuræ species; una *realis*, quæ committitur per pactum expressum vel tacitum recipiendi aliquod *lucrum ex mutuo*: altera *mentalis*, quæ committitur per solam percipiendi *lucris* intentionem.

3. *Usura* est prohibita jure naturali, divino, ac humano tam Ecclesiastico quam Civili.

4. *Clerus Gallicanus* annò 1700. sequentes hac de re propositiones debitam censuram perstrinxit.

PROPOSITIO LV. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam presentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

PROPOSITIO LVI. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum; sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

PROPOSITIO LVII. *licitum est mutuantem aliquid ultra sortem exigere, si se obliget*

ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

PROPOSITIO LVIII. *Tam licet ex alienatione per aliquot annos censum annuum exigere, quam licet exigere censum perpetuum ex alienatione.*

CENSURA. *Hæ propositiones, in quibus mutato tantum mutui & usura nomine, licet res eodem recidat, per falsas venditiones & alienationes, simulatasque societates, aliasque ejusmodi artes & fraudes vis Divinae legis eluditur, doctrinam continent falsam, scandalosam, cavillatoriam, in praxi perniciosam, palliativam usurarum, verbo Dei scripto ac non scripto contrariam, jam à Clero Gallicano reprobata, Conciliorum ac Pontificum decretis sæpè damnata.*

PROPOSITIO LIX. *Usura, et si esset prohibita Judæis, non tamen Christianis, lege veteri in judicialibus præceptis abolita per Christum.*

CENSURA: *Hæc propositio verbo Dei contraria est, nova legis perfectionem, & gentium omnium in Christo adunatarum fraternitatem tollit.*

CASUS I. *Egbertus* dives nummularius frequenter commisit usuras dandò mutuum. Confessarius ipsum obligat ad restitutionem 10000. florenorum usurariè aquisitionum. *Egbertus* autem pro sui defensione affert sequentes quatuor rationes.

1. Quòd in Scriptura tantum prohibeatur usura respectu pauperum; se verò *lucrum* solum percepisse à divitibus, quibus mutuum dederat. 2. A Conciliis usuram tantum prohiberi Clericis, & personis Ecclesiasticis; nec in iis mentionem fieri de laicis. 3. Quòd divitibus per ejusmodi mutuum fiat gratia, ac occasio faciendi majus *lucrum*. 4. Quòd nunquam acceperit ex mutuo usuras enormes, sed tantum conformes legibus ac constitutionibus; hocque commercium vigeat inter omnes nationes, ac ab ipsismet Imperatoribus ac Principibus Christianis probeatur. Valèntne hæ rationes?

1. Quòd in Scriptura tantum prohibeatur usura respectu pauperum; se verò *lucrum* solum percepisse à divitibus, quibus mutuum dederat. 2. A Conciliis usuram tantum prohiberi Clericis, & personis Ecclesiasticis; nec in iis mentionem fieri de laicis. 3. Quòd divitibus per ejusmodi mutuum fiat gratia, ac occasio faciendi majus *lucrum*. 4. Quòd nunquam acceperit ex mutuo usuras enormes, sed tantum conformes legibus ac constitutionibus; hocque commercium vigeat inter omnes nationes, ac ab ipsismet Imperatoribus ac Principibus Christianis probeatur. Valèntne hæ rationes?

R. Certum est, usuram esse peccatum mortale.

R. Certum est, usuram esse peccatum mortale.

Prima Egberti ratio falsa est: in scriptura enim usura universaliter prohibetur omnibus, & respectu omnium. Dein sufficit, usuram esse malam ex natura sua, ut proin non possit fieri distinctio pauperes inter ac divites. Revera idem dicendum de usura, quòd de furto & rapina; hinc ait *S. Ambrosius*: *si quis usuram acceperit, rapinam facit. L. de bono mortis. Can. si quis. 13. 14. q. 4.*

Secunda ratio pariter falsa est: nam quòd primum Generale Concilium Nicænum, & quædam alia Concilia subsequenter expressam mentionem non fecerint de laicis, ideo factum est; quia malam usuræ erat universale, & conveniens non erat, ut rigore censurarum Ecclesiasticarum populus exasperaretur; imo potius lenius tractandus erat, ut sensim assuesceret doctrinæ Evangelicæ. His non obstantibus Concilium *Eliberitanum* can. 20. poenas statuit contra usurarios, etiam laicos. Imò ipsum Generale Concilium *Nicænum*, dum prohibet usuram Clericis, utitur ratio prohibitionis Generali, quæ omnes tangit, sicque factis clarè indicat, se condemnare usuram etiam in laicis; declarat enim can. 17., usuram ex sordida provenire avaritia, eosque, qui usuraria lucra sectantur, divini præcepti esse oblitos. Concilium denique *Turonense* de anno 416. can. 13. expressè ait: neminem beatitudinem posse consequi, qui legem Dei non servaverit, qua usura prohibetur.

Nec valet *Tertia* ratio; quia *Egbertus* nullum prorsus habuit jus ad *lucrum* à mutuatario perceptum; nec ex beneficio & gratia alteri facta potuit exigere mercedem: mutuatarius enim, ut ait *D. Thomas* 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5. verum acquirat dominium pecuniæ sibi mutuo datæ.

Quarta denique ratio haud minus absurda est: Imperatores enim & Reges usuras non solum nunquam approbaverunt, sed semper prohibuerunt. Vide Edictum *Philippi IV.* annò 1311., Declarationem *Diction. Caf. Consc.*

Ludovici XII. de anno 1512., Constitutionem *Aurelianensem* de anno 1560. & de anno 1565., Constitutionem *Henrici III.* de anno 1576., & *Henrici IV.* de anno 1605. Et hinc Reges nunquam quidpiam statuerunt in ordine ad taxandas usuras; sed solum determinarunt interesse legitimum. Si ullibi consuetudo aut leges approbarent usuram contra legem Dei & Ecclesiæ, nulla earumdem habenda est ratio. *Pontas.*

CASUS II. *Otho* mutuos dedit 5000. florenos *Sylvanio* adjectâ hac clausulâ, quòd nec velit nec possit repetere mutuum ante lapsum triennii. Et sub hoc prætextu putat se exigere posse à *Sylvanio* usuram.

R. Non obstante adjectâ clausulâ semper verum manet, quòd *Otho* possit repetere mutuum post lapsum triennii; quòd verum non esset, si vera intervenisset alienatio. Revera in casu posito non reperitur, nisi simplex mutuum ad præfixum terminum, in quo nunquam licet exigere interesse ratione mutui. Hinc *Otho* absque usura non potest *lucrum* exigere ex hoc mutuo. *Pontas.*

CASUS III. *Gobertus* Civis *Parisiensis* cum in promptu haberet summam 3000. florenorum in mutuum elocandam, & *Laurentius* civis *Rotomagensis* eum in finem *Parisiis* venisset, ut similem summam mutuum acciperet, contractum mutui conficere tentant pro censu annuo. Quoniam verò *Parisiis* pro censu annuo fixa est pars vigesima summæ Capitalis; in *Normannia* autem pars decima octava, *Gobertus* cum *Laurentio* *Rothomagum* abit, ibi contracturus, sicque ampliolem censum reportaturus. An non delinquit in legem *Gobertus*, aut iniustitiam committit?

R. Non videtur, *Gobertum* injustè egisse: Edictum enim Regium, quòd determinatur census annuus ex mutuo pro *Normannia*, nullam facit mentionem de loco domicilii eorum, qui ejusmodi contractus mutui ineunt; sed tantum exprimit ter-

Y y y y y

rito-

ritorium aut Provinciam, ubi ejusmodi contractus fiunt, ita, ut omnes & singuli subditi Regii ibi possint contrahere juxta modum pro eo loco determinatum ac fixum. *Pontas.*

CASUS IV. *Rogerus* sciens, *Artum* Nummularium & amicum suum querere mutuam pro censu annuo, summam 3000. florenorum ipsi dat mutuam, nullum stipulandò interesse, benè tamen sperandò. Post lapsum anni *Artus Rogero* solvit interesse 150. florenorum, & iterum ad annum petit sibi relinqui summam mutuam datam; sicque factum est per quatuor annos, ita ut *Rogerus* pro interesse acceperit 600. florenos. Confessarius *Rogeri* obligat, ut non amplius recipiat interesse, & acceptum computet ad summam capitalem; qui autem ex eo se excusat, quòd mutuam dandò hanc summam nullum interesse petierit, acceptumque per quatuor annos esse respiciendum pro pura gratificatione ab *Arto* sibi facta. Potestne *Rogerus* tutà conscientiam integram summam 3000. florenorum ab *Arto* repetere?

℞. Etsi in foro externo & coram hominibus *Rogerus* non habeatur pro usurario, cum nec verbò nec scriptò interesse petierit; in foro tamen interno & coram Deo, qui intuetur cor, excusari non potest: sola spes percipiendi lucrum ex mutuo ipsum usuræ reum constituit. *Mutuuum date, nihil inde sperantes. Lüc. 6. v. 35.*

NOTA. Si *Rogerus* erga amicum sic comparatus erat, ut ei daret pecuniam, etsi nullum censum reciperet, sola spes, quæ non transit in debitum, non reddit eum usurarium.

CASUS V. *Gilbertus* cum non posset ab aliis obtinere mutuam pecuniam, qua ad suum indigebat commercium, vendit Renato quatuor jugera prati pro 500. florenis, reservato sibi jure illud redimendi intra quinque septem, aut novem annos. Confecto contractu *Renatus* pratum locat alteri pro annuo locationis pretio 25. florenorum, quod interesse ex summa 500.

florenorum legibus conforme est, prætenditque, id justè fieri posse vñ consuetudinibus, quæ viget in provincia. Num in hoc contractu usura intervenit?

℞. Verum est, ejusmodi contractus in variis locis per consuetudinem tolerati; sed in foro interno nihil aliud sunt, quam mutua palliata, & consequenter usuraria. *S. Beuve tom. 1. cas. 104.*

NOTA. Non sunt tales contractus usurarii, si ex dantis mutuam intervenit periculum sortis.

CASUS VI. *Gratianus* indigens centum imperialibus petit Clementem, ut illos sibi det mutuos: Clemens è sua pecunia lucrum recepturus inquit cum *Gratiano* contractum constitutionis, & pro securitate summæ *Gratianus* pro pignore Clementi offert vineæ jugerum hac lege, ut singulis annis Clementi census locò cadum vini tradat. Verum cum Clemens timeret, ne id, quod valorem supra consuetum censum excedit, in restitutione summæ deducat *Gratianus*, urget, ut sibi vinea vendatur pro 100. imperialibus, quamvis pluris valeat: Postquam igitur vineam per integrum annum possederat, eam restituit pro pretio, de quo convenerant, id est, pro cado vini. An iste contractus tutà conscientiam ex utraque parte fieri potuit?

℞. Iste contractus constitutionis, quo Clemens censum à *Gratiano* aquirat, est usurarius usuram contractu venditionis fictæ & fraudulentæ palliatâ, hinc Clemens talem contractum tutà conscientiam inire nequivit. *Pontas.*

CASUS VII. *Leminus* debet Publico censum annuum 100. imperialium; cum verò Publius pecuniis indigeat, rogat *Leminum*, ut sibi in antecessum solvat censum pro uno anno hac lege, ut quinque imperiales pro censu annuo possit deducere. *Leminus* petito annuit, & Publius ipsi dedit Apocham pro 95. imperialibus. An intervenit usura?

℞. Juxta *S. Thomam opuscul. 56.* talis anticipata solutio est usuraria, hinc *Leminus* tenetur ad restitutionem. Ast, si

Le-

Leminus reverà tantum sufferret damnum ob anticipatam solutionem, quantum suffert Publius remittendo quinque pro centum, nullâ interveniret injustitia. *Idem 2. 2. q. 73. art. 2. ad 2.* Idem dicendum est, si Publius ex mera generositate *Leminio* quinque pro centum remisisset. *Pontas.*

CASUS VIII. *Salvius* à Cletio mense Maio statim numeratâ pecuniâ emit 1000. pelles ovinas mense Augusto tradendas, verum cum paratam pecuniam statim daret, pro una pelle septem duntaxat albos cum dimidio solvit. An hæc emptio usuraria?

℞. Solutio anticipata facta à *Salvio* habet rationem mutui, hinc *Salvius* haud dubiè usuram commisit: verum si anticipata solutio in gratiam Cletii facta damnum pateretur tantum, quantum obtinisset lucrum, vel si anticipatò non solvisset, sua pecunia lucrum aquirere potuisset, alia occasione è immunis est ab usura, nam damnum emergens & lucrum cessans sufficiens sunt titulus, vñ cujus cariùs aut vilius merces emi vendique possint, quam aliàs earum esset valor. *Pontas.*

CASUS IX. *Nebrius*, Toparcha, *Josepho*, qui pecuniis indigebat, ad ipsius petitionem mutuos dedit 200. florenos hac conditione, ut in futurum triticum suum ad molendinum, aut farinam ad pistrinam *Nebrii* deferat. An hæc conditio usuraria est? An etiã usura esset, si aliquis Pistor mutuam daret pecuniam alicui hac lege, ut ab ipso emeret panes?

℞. Certum est, hanc conditionem esse usurariam; nam cum *Nebrius* mutuam dat pecuniam sub tali conditione, esset servitus pretiò æstimabilis, quod *Nebrius* reciperet ob mutuam *Josepho* datum: Idem dicendum de Pistore. *Sylvius in S. Thom. art. 2. concl. 7. ff. primus est.*

CASUS X. *Rigobertus* ducentos imperiales mutuos dedit *Hieronimo* Advocato hac conditione, ut causam suam in Parlamento gratis propugnet, & hanc

conditionem *Hieronimus* acceptavit. An in hoc casu datur usura?

℞. Juxta *S. Thomam 2. 2. q. 78. art. 1. ad 3.* isthæc conditio usuraria est. Verum si Advocatus ex mera benevolentia, ac amicitia causam *Rigoberti* propugnandam in se susciperet, tunc potest *Rigobertus* acceptare hanc benevolentiam, imò etiã exigere, dumodò id non fiat ratione mutui. *Idem q. 13. de malo. art. 4. ad 13.*

CASUS XI. *Theobaldus* mutuò dat *Philippo* 250. florenos ex spe, obtinendì ab eo alicujus honorarii. An usuræ reus est?

℞. Si honorarium sperat quasi debitum ratione mutui, reus est usuræ. *Idem 2. 2. q. 78. art. 1. & 2. in corp.*

CASUS XII. *Eusebius* rogat *Gualterum*, ut sibi mutuos det centum imperiales; *Gualterus* petito annuit hac conditione, ut alia occasione etiã sibi mutuos det centum imperiales. An hæc conditio usuraria?

℞. Cum talis obligatio pecuniâ æstimari possit, conditio illicita & usuraria est. *Idem ibidem art. 2. ad 4.*

CASUS XIII. *Hebertus* Petro dedit mutuò viginti aureos ex mera benevolentia ac amicitia erga illum; internè tamen intentionem habuit, à *Petro* consimilem opem in alia occasione recipiendi. An hæc intentio usuraria est?

℞. Si intentio *Heberti* fuerit interna ac occulta; nec à *Petro* aliquod promissum exegerit, non usuraria erit talis intentio secundaria, cum *Petro* plenam libertatem reliquerit. *Glossa in cap. consuluit. 10. de usuris. V. Sperantes.*

CASUS XIV. *Scavola* suo Vicino mutuam dat certam quamdam pecuniæ summam, hac principali intentione, ut nimirum ipsius lucretur amicitiam, ac suo tempore experiatur gratitudinem. An hæc intentio usuraria est?

℞. Amicitia, & gratitudo pecuniâ non æstimantur, propterea intentio *Scavolæ*

Y Y Y Y Y 2

nom

non est usuraria. *S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. in corp.*

NOTA. Sola spes non deducta in pactum reddit contractum usurarium. *V. Cas. 13.*

CASUS XV. *Hercules* indigens summâ 625. florenorum rogat *Gratianum*, ut sibi istam summam mutuè additò promissò, se hanc summam restitutum in aureis post trimestre, quo tempore valor horum aureorum probabilis major erit, quàm tempore quo eos mutuos accipit: vel, promissit hanc summam restitutum *Argentorati*, ubi talis aureus 15. crucigeris plus valet, quàm *Parisiis*. An hic contractus usurarius?

R. Si intentio *Gratiani* principalis fuerit, ut ex mutuo recipiat lucrum, usura reus est. *Theol. moral. tom. 1. tract. 5. c. 1. q. 15.*

NOTA. Si *Hercules* ex ea qualitate pecuniæ solvendæ nullum sustinet damnum, & *Gratianus* eam ultroneam oblationem non deducit in pactum, non intervenit usura.

CASUS XVI. *Licinus* pecuniâ indigens cogitat *Juliano* ad decem annos vendere redditus, quos è suo fundo singulis annis recipit; *Julianus* etiam accipit hanc conditionem & in parata pecunia *Licinio* solvit 1100. florenos. An hæc conventio usuraria est?

R. *Author Opusculi*, quod *S. Thomas* tribuitur, 73. de usuris. c. 9. in fine censet, non intervenire usuram, nam 1. venditor potest suum fundum, cujus Dominus est, cedere alteri ad tempus, & pro pretio, quod libuerit. 2. Non est injustitia, vendere aliquam rem tanti, quanti ab ipsis contrahentibus æstimatur. 3. Id, quod summam 1100. florenorum excedit, non est considerandum tanquam lucrum distinctum à sorte principali. Juxta eandem *Authorem c. 10. in fin.* potest emi terra constâ minori pretio, quàm æstimaretur tempore messis. *Pontas.*

CASUS XVII. *Casarius* decem modios tritici, quibus indiget, mutuò accipit à *Claudio* circa medium Octobris, quo tempore unus modius æstimabatur 30. cru-

cigeris, addita conditione, ut ad finem Junii futuri anni in natura, aut in pecunia restituantur, quo tempore valor modii 15. crucigeris major erat. An hæc conventio usuraria est.

R. Si *Claudius* ex mutuo intendit ali- quod lucrum, haud dubiè se reum facit usuræ. *Sylvius in 2. 2. q. 78. art. 2. quest. An liceat merces carius vendere. conclus. 7. §. 8.* An verò recta sit ipsius intentio, desumi potest. 1. Si se resolvit, triticum suum se non venditutum ante mensem Junium. 2. Si paratus est accipere à *Cæsario* mutuò datos decem modios, quocumque tempore eos restituere velit. 3. Si non determinat certum tempus, quo triticum carius venit, nisi pro evitando proprio damno. *Apud S. Thomam opuscul. 73. de usuris. c. 14.*

CASUS XVIII. *Macæus* rogatus à *Joanne*, ut ipsi 50. florenos mutuò tradat, ipsi declarat, se pecuniam suam in emendo frumento collocaturum, ut inde lucrum recipiat, hinc se illi quidem 50. florenos mutuos daturum, sed hæc conditione, ut *Chirographum* conficiat, quo profiteatur, se tantum frumenti debere *Macæo*, quantum juxta præsentem valorem correspondet summæ 50. florenorum. An hoc commercium usurarium est.

R. Si *Macæus* sincerè pecuniam suam ad negotiationem ex frumento non destinavit, commisit usuram palliatam nomine mutui; reus etiam usuræ erit in præsentem casu, si determinavit certum tempus solutionis, quo ipse certus est, se ex dato mutuo lucrum acquisitum. *Pontas.*

CASUS XIX. *Ivenæus*, civis *Massiliensis*, ficuum commercium habens dedit *Bernardo* viginti modios ficuum hac conditione, ut tempore messis decem modios tritici, & decem modios siliginis reddat. An in hoc casu usura intervenit, positò quòd modius siliginis quindecim crucigeros valeat, modius verò ficuum tantum decem crucigeros?

R. Est usurarium commercium, quia mutuans exigit à mutuatario aliquid ultra for-

ortem principalem. *Ste Beuve tom. 3. ca. su 253.*

CASUS XX. *Manlius* advertens pretium tritici, quod emere cogitabat, fore majus, ita ut 70. florenis sit valiturum, hinc certam quantitatem Mense Majo à *Sempronio* 60. florenis paratâ pecuniâ emit, ita tamen, ut sequente Octobri triticum reddat: cum igitur *Manlius* triticum primùm in Januario recepisset, & tunc temporis triticum 80. florenis constitisset, mox vendidit *Junio*, qui illud etiam à *Sempronio* accepit. An usura intervenit?

R. Istud lucrum, quod *Manlio* evenit, non est usurarium, nam triticum, quod mense Majo constat 70. florenis, potuit emere pro 60. florenis hac conditione, ut mense octobri dictum triticum reddatur, tempore utique, quo tritici pretium ordinariè haud majus est. *Cajetanus in summ. V. Emere. n. 8.* Hinc pariter dictum triticum vendere potuit pro 80. florenis mense Januario, cum tunc temporis tali pretio æstimaretur triticum. *Sylvius. ref. Cas. V. usura 2.*

CASUS XXI. *Pascasius* mutuè *Jacobo* 500. florenos hac conditione, ut, si *Jacobus* ante quinquenium moratur, ipse & ejus hæredes non teneantur ad solutionem dictæ summæ; si verò ante quinquenium non moriatur. tunc teneatur ad solutionem dupli. An hic contractus usurarius est?

R. Juxta *Navarrum consil. 29. de usuris. n. 4. in fine.* usurarius est, cum non possit dici, talem contractum esse gratuitum, *Sylvest. V. Usura. 1. q. 36.*

CASUS XXII. *Gomesius*, Procurator Parlamenti, Neptem suam *Blandinam*, cui curta supellex, *Balduino*, primario Parlamenti scribæ, in matrimonio collocaturus, in dotem dicto *Balduino* offert suum officium Procuratoris, quod redditus annuos 5000. florenos ipsi affert, ea tamen conditione, ut *Balduinus* ad dies vitæ suæ det sibi pensionem annuam 250. florenorum,

& si hanc summam solvere recusaturus sit, in pristinum officium regressum sit petiturus. An iste contractus injustus, & usurarius est?

R. In præsentem casu non datur usura; non enim est contractus Mutui, sed vera donatio Officii est, cujus *Balduinus* fit proprietarius, hinc *Gomesius* non potest obligare *Balduinum* ad restitutionem donati Officii, si pensionem, de qua inter ipsos conventum est, singulis annis persolvat. *Pontas.*

CASUS XXIII. *Alanus* 600. florenis indigens rogat *Philippum*, ut sibi hanc mutuè summam, simulque ipsi pro securitate summæ oppignorat quatuor jugera sylvæ cæduæ, è qua pro necessitate domestica sumere possit ligna. An in ista oppignoratione datur usura?

R. Est usuraria hæc oppignoratio; nam cum *Alanus* pro securitate mutui dederit sylvam, *Philippus* non potest absque usura pro necessitate sua domestica è dicta sylva sumere ligna, nisi de sorte principali valorem cæorum lignorum deducat. *S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 6.*

NOTA. Si valor lignorum ad usus domesticos non excedit valorem censûs annui, pendendi juxta titulo lucri cessantis, damni emergentis, vel ob periculum fortis, non intervenit usura.

CASUS XXIV. *Amabilis* mutuos recipit 500. florenos à *Tbimoleone* ad annum, & pro majori securitate mutui oppignorat ipsi feudum, quod ab eodem *Tbimoleone* habet. An *Tbimoleon* tenetur in conscientia, dum constituto solutionis termino dictos 500. florenos recipit, fructus ex oppignorato feudo perceptos computare in sortem, & si hoc negligat, an usuræ reus est?

R. *Tbimoleon* non tenetur perceptos ex dicto feudo fructus computare in sortem principalem, cum hujus feudi fructus titulo dominii jam ad ipsum pertineant. *Alexander III. in cap. Conquestus 8. de Usuris:* ratio hujus est, quia *Vasallus* feudum possidet ea conditione, ut domino

Yyyyyy 3 feu-

feudi certa quædam servitia exhibeat, quæ ejusdem valoris cum feudo æstimanda sunt; vasallus igitur eo tempore, quo dominus feudum possidet, immunis est à dictis servitiis. *Innocentius III. in cap. Inquisitione 1. de feudis lib. 3. t. 30.* Interim tamen si fructus à Thimoleone percepti excederent servitia, teneretur excessum deducere à summa principali. *Pantas.*

CASUS XXV. *Epipodius* mutuavit Lucio 200. imperiales ad biennium, & ab eo in cautionem accepit lectum & duos sedilia, quibus etiam cum consensu Lucii usus est. An *Epipodius* pretium servitii teneretur deducere à sorte principali? & si hoc negligat, an se reum facit usuræ?

℞. Idem dicendum de rebus ejusmodi mobilibus, ac de fundo, usus enim talium rerum est pretio æstimabilis, hinc *Epipodius* teneretur deducere pretium usûs harum rerum à sorte principali. *Confer. condom. t. 1. cap. 11. §. 2.*

CASUS XXVI. *Florentius* 15000. florenos in parata pecunia habet, & hanc summam impendere cogitat ad reparationem suæ domûs, quæ aliàs nemini locari posset; ad instantiam tamen *Cajii*, qui vicino suo 10000. imperiales debet, & si hanc ipsi summam non solvat, domum suam plus offerenti tradendam timet, mutuatam dedit *Cajo* prædictam summam 15000. florenorum hac addita conditione, ut præter restitutionem summæ principalis compenset lucrum, quod percipere potuisset ex dicta summa, si eam impendisset ad reparationem suæ domûs, ac postea alteri locasset. An *Florentius* aliquid ultra sortem principalem exigendò usuræ reus est.

℞. Certum est, *Florentium* in proposito casu absque usura exigere potuisse justam compensationem; damnum enim emergens sufficiens est titulus, vi cuius ultra sortem principalem aliquid exigi possit. *S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1.*

CASUS XXVII. *Willibaldus*, Mercator, mutuavit *Guillelmo* 500. florenos ad unum annum: verum elapso semestri *Willibal-*

Willibaldus passus est damnum 250. florenorum ob defectum mutuò datæ pecuniæ. An *Guillelmus* teneretur reparare damnum?

℞. *Guillelmus* non teneretur reparare damnum, nam mutuatarius non tepetur ad ullam compensationem mutuanti præstandam, nisi uterque de hoc convenierint tempore, quo contractus mutui factus est, ita tamen, ut mutuatario liberum sit talem conditionem acceptare, aut recusare: hinc tritum illud adagium habet: *Cui præfixus est terminus, nihil debet.* Gallicè: *qui à terme, ne doit rien.* Consequenter *Willibaldus* sibi ipsi imputet damnum, quòd tam imprudenter mutuavit pecuniam suam *Guillelmo*. Hæc est doctrina *S. Thomæ 2. 2. q. 13. de malo. art. 4. ad 14.*

NOTA. Cum periculum fortis hoc tempore sit frequens & summæ mutuò datæ statim evadant fieri minoris valoris, ita, ut pro centum vix darentur 95., rectè pro titulo auctarij assignatur periculum fortis.

CASUS XXVIII. *Lævius*, Mercator, mutuat *Danieli* 1000. imperiales, quos unicos habet, & quidem jam destinatos ad emendas merces, è quibus probabilius aquirere posset lucrum 7. aut octo floren. pro centum, propterea etiam à *Daniele* exigit ultra sortem capitalem idem lucrum. An *Lævius* tutâ conscientia id exigere potest? Num etiam id exigere potest, si actu ipsi occasio non daretur taliter pecuniam suam elocandi, sed solum speraret, emerfuram talem occasionem?

℞. *Lævius* absque usura quidquam accipere potest ultra sortem principalem; lucrum enim cessans sufficiens est titulus, vi cuius ultra sortem principalem quidquam exigere potest mutuans, positò quòd pecuniam suam in commercio collocare destinavit, & præter hanc non habeat aliam pecuniam, ac insuper etiam lucrum è pecunia in commercio collocanda percipiendum sit probabile, & non tantum possibile. Lucrum cessans in proposito casu non est quidem damnum emergens actu, est tamen damnum probabile, hinc *Lævio* præbet titulum sufficientem

exi-

exigendi quidquam ultra sortem. *S. Thomas* inter has duas damni species clarè distinguit, 2. 2. q. 2. art. 4. & dicit, dari obligationem reparandi utrumque damnum. Verum si *Lævius* è sua pecunia alibi lucrum tantum possibile speret, & non probabile aut moraliter certum, tunc non potest absque usura quidquam à *Daniele* exigere ultra sortem principalem. *S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1.*

CASUS XXIX. *Agnanus* habet ducentos imperiales, quos ad emendas destinavit merces, è quibus probabilius 7. aut 8. florenos pro centum lucraturus est: præter hanc summam aliam insuper habet prioris similem, cujus partem unam destinavit pro dote suæ filia nubili, alteram verò partem reservat in fortuitos casus suæ familia: Ast à *Balduino*, suo amico, rogatus, ut ipsi ducentos mutuet imperiales, quærit, an tutâ conscientia titulo compensationis damni possit quicquam exigere ultra sortem principalem, nimirum juxta proportionem lucri cessantis, licet totidem imperiales adhuc in arca reclusos & otiosos habeat?

℞. Destinatio pecuniæ ab *Agnano* reservatæ in arca prudens & legitima est; hinc à *Balduino* summam proportionatam exigere potest ultra sortem principalem; nam *Agnanus* in præsentis casu ducentos solum imperiales commercio destinatas habere dici potest. *Ste Beuve tom. 3. casu 240.*

CASUS XXX. *Landulfus* à suis, quos habet, 1000. imperialibus lucrum recepturus, eos obtulit *Luciano*, *Gemmario*, qui illos titulo societatis accepit, & *Landulfo* spem fecit lucri 200. florenorum singulis annis percipiendi, de quo moraliter certum se esse affirmavit. Verum *Landulfus* varia societatis incommoda evitare cogitans dedit 1000. imperiales *Luciano* mutuos, & solum 75. florenos singulis annis pro censu solvendo exigit, unâ cum assecuratione suæ summæ. An hæc conventio usuraria est?

℞. Ista conventio certò est usuraria; quamvis enim *Landulfo* liceret percipere honestum aliquod lucrum è sua pecunia, si eam in societate locaret, ejusque dominus remaneret; non tamen potest ex dicta pecunia lucrum percipere, si eam mutuatam dat *Luciano*; mutuatarius enim fit dominus mutui, & omne periculum fortis sufferre debet. *S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 5.*

CASUS XXXI. *Petrus* dedit *Renato*, Mercatori in Indiam navigaturo, 5000. florenos hac conditione. 1. Quodsi navis *Renati* casu fortuito quocunque pereat, jactura totius summæ mutuatæ sit ferenda *Petro*. 2. Lucrum & damnum è dicta summa proventurum utriusque sit æqualiter ferendum. Verum *Petrus* commercii *Renati* ignarus proposuit *Renato*, ut solum sibi det 20 florenos pro centum ultra sortem principalem, cujus etiam assecurationem præstet: *Renatus* eò libentius propositioni *Petri* annuit, quo certior spes ipsi affulgebat lucrandi centum pro centum. An iste contractus usurarius est?

℞. Distinguenda est duplex periculi species; datur enim periculum, quod mutuo est intrinsicum, & inseparabile ab eo, quale datur in mutuo, quod datur pauperi, aut tali, qui non est solvendo, aut cujus commercium decrevit: Alterum periculum mutuo est extrinsecum, & separabile ab eo, ut si mutuum sit diviti. Primum periculum non constituit titulum legitimum percipiendi lucri, sed secundum. His suppositis si periculum *Petri*, cui se exponit, mutuo est intrinsicum, non potest percipere lucrum è suis 5000. florenis: juxta quosdam auctores allegantes *Decretalem Gregorii IX. in cap. Navigantibus fin. de usuris l. 5. t. 19.* Periculum in præsentis casu mutuo est intrinsicum; nos autem existimamus esse illud extrinsecum fore tunc. 1. Si principalis intentio *Petri* non sit præcisè lucrandi vi mutui, & *Renatum* non urgeat ad conferendum periculum fortis, sed ipsius *Renatus*

natus se ad hoc offerat, ut per hoc evitet, ne rationem reddere debeat de suo commercio. 2. Si Petrus ex mutuo non percipiat nimium lucrum, & hoc lucrum proportionatum sit juxta periculum, cui se exponit. Ita sentit *S. Antoninus in Sum. l. 2. cap. de usur. Et pign. §. 7.* Conventio Petrum inter & Renatum facta nil aliud est, quam venditio spei alicujus lucri, quod utique injustum non est: imo talem conventionem Petrus potuisset facere etiam cum tertio absque omni usura, lucrum enim ex utriusque parte incertum est, & spes lucri pariter utriusque æqualiter appreciabilis est: incertitudo igitur ejusmodi conventiones reddit iustas & licitas. *Pontas.*

NOTA. Etiam periculum intrinsecum est pretio æstimabile erga personas, quarum gratia quis non tenetur subire periculum specialiter ex Legge charitatis. Vide *Nor. ad Cas. 27.*

CASUS XXXII. *Faronius* timens, ne navis, cui in Indiam abeunti varias merces, quarum valor ad 10000. imperiales ascenderat, credidit, perierit, totam summam vendidit Radulfo pro 9000. florenis. est elapsus octo mensibus navis felici cursu rediens Radulfo ultra 10000. imperiales attulit adhuc lucrum 50. pro 100. An Rudolfus totam summam unam cum lucro recipere potest absque usura?

R. Potest Radulfus totam summam 10000. imperialium unam cum lucro retinere, quia iustò pretiò eam emit, & periculum naufragii; aut alterius accidentis in se suscepit. *Pontas.*

CASUS XXXIII. *Eustachius* timens, ne navis sua unam cum mercibus in Hispaniam transvehendis naufragio pereat, aut ab hostibus auferatur, obtulit Martino lucrum 10. pro 100., si mercium suarum assecurationem præstaret. An tale commercium absque usura fieri potest?

R. Tale commercium legitimum, ac licitum est ob periculum, quod in se suscipit Martinus. *S. Antoninus 3. part. Summa Theol. tit. 8. c. 3. §. 1.*

CASUS XXXIV. *Godardus* mutuavit Nemesiano 100. imperiales ad annum hac conditione, ut si illos ad constitutum terminum non restituerit, duos aureos ultra dictos 100. imperiales solvere teneatur. An in hoc casu datur usura?

R. Censeo, Godardum, si Nemesius ad constitutum terminum non solvat mutuam summam exigere posse duos aureos, supposito quòd Godardus ponendo hanc conditionem intentionem simplicem habuerit, obligandi debitorem ad solutionem exactam, *Innocentius IV. in cap. Ut suam. 2. de penis. l. 5. t. 37.* Et si debitor ex sua culpa solvere moratus sit. *Sylvius in 2. 2. q. 78. art. 2. q. An liceat. conclus. 7. §. 12.* Verum valde timendum, ne in tali occasione intentio usuraria interveniat. *Pontas.*

CASUS XXXV. *Germanicus* magnificum apparatus simulaturus vasa aurea à Scipione sibi commodari petit, simulque ipsi tres aureos pro isto servitio offert: adhuc ab eodem Scipione petit mutuari sibi marsupium 300. Aureis refertam, ut se coram aliis, quibuscum ipsi negotium quoddam perficiendum est, divitem ostendet, & pro hac commodatione offert Scipioni 6 aureos. An Scipio oblatos aureos retinere potest?

R. Propriè loquendo potest eos retinere, nam non mutuo dat vasa aurea, & marsupium, sed locat, & eorum usum vendit, & sic eorum dominium sibi reservat, hinc Germanicus eadem vasa & idem marsupium restituere Scipioni tenetur, & si omnia hæc perirent, damnum solus Scipio sufferre deberet, si casu fortuito, ac sine culpa Germanici perirent. Ita *S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 1. ad 6.* Verum ne Scipio peccati reum se faciat, cavendum ei est, ne nimiam sed juxta æstimationem prudentis viri summam proportionatam usui rerum Germanico commodatarum accipiat, & ne cooperetur vanitati, aut fraudi illius, cui commodat tales res. *Pontas.*

NOTA.

NOTA. Mirum est, quod hi authores in commodato, quod usu non consumitur, ratione periculi admittant compensationem; in mutuo autem, quod usu consumitur, & cujus valor ratione periculi minuitur, nullam admittant. Ego in commodato rerum, quæ usu non deteriorantur, compensationem nullam, sed tantum contractum assecurationis admitto.

CASUS XXXVI. *Robertus*, de quo notum est, ipsi non alias esse pecunias nisi per quotidianas usuras acquisitas, ædificari domum curat. An operarii tutam conscientiam, & quin teneantur restituere, accipere suum salarium possunt, scientes, pecunias, quas Robertus ipsis largitur, esse usuris acquisitas?

R. Juxta opusculum apud *S. Thomam 75. de usuris. c. 17.* non peccant, si commodè alibi operam suam locare non possint, si verò necessitas non urgeat Usurario operam suam locandi, tunc peccant. *Idem.*

CASUS XXXVII. *Philometor* 5000. florenos, quos habet, pro majori securitate deponit apud Samuelem, quem scit esse Usurarium ex instituto. An peccat?

R. Si hanc summam deponit apud Samuelem hac intentione, ut ille commodius suum commercium usurarium exercere possit, particeps est usuræ, si verò ex puro motivo majoris securitatis deponit, immunis est à peccato. *S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. ad 3.* Consultius tamen faceret, si suam pecuniam apud alium deponeret, & si alium non inveniret, obsignatum ipsi depositum tradat, aut in arcula obserata, cujus clavem retineat. Denique si Samuel depositum tali modo accipere non vellet, & talem præcautionem diffidentiam erga se suscipere caretur, ac etiam Philometor certus esset, Samuelem aliis pecuniis haud indigentem non abusurum depositò, posset illi absque hac præcautione tradere depositum suum. *Pontas.*

CASUS XXXVIII. *Maglorius*, vir opulentus, mutuavit Sylvestro, Trapezitæ, 6000 florenos ad annum. & hujus mutui simplicem syngrapham Sylvestri habet: Maglorius jam per decem annos annua

Diction. Cas. Consc.

tim à Sylvestro 300. florenos recepit, Sylvestro nimirum syngrapham suam toties renovante. At Maglorius pecuniam Sylvestro mutuam repetiturus Sylvestro litem intentit, quo factum, ut Sylvester à iudice condemnatus elapsò annò fortem principalem unam cum censu 300. florenorum Maglorio restituere debuerit, consequenter Sylvester spatio undecim annorum solvit censum 3300. florenorum. Verum Symphorosa, uxor Maglorii, communitatem bonorum cum Marito habens, & lucro usurario Mariti semper, quantum potuit, obstitens quærit, quid sibi agendum sub potestate Mariti constituta? & quid post ejus obitum ratione restitutionis?

R. Maglorius indispensabiliter tenetur ad restitutionem 3300 florenorum, Symphorosa verò, ejus uxor, vivente Marito suo non tenetur restituere, nisi ultrò ex bonis parsimonialibus id facere vellet, & mul sciret, Maritum non restitutum: si verò ante Maritum moreretur, tenetur ex iustitia testamentò cavere, ut ex sua portione fiat restitutio juxta portionem accepti. At si Marito superviveret, tenetur, quamprimum communitio bonorum ipsi cedit, restituere. Denique si Sylvester, dictam summam mutuavit à Maglorio ex necessitate suorum negotiorum, tunc dimidium censum, id est 1650. florenos, à Maglorio ipsi Sylvestro restituendum erit. *S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. in corp.* Verum si Sylvester dictam summam mutuavit à Maglorio ad luxum, & voluptuosam vitam vivendam, restitutio facienda erit pauperibus. *Idem 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2.*

NOTA. Cessant omnes hæc perplexitates, si pro titulo excusante admittatur periculum fortis, quale circa Trapezitas plerumque versatur.

CASUS XXXIX. *Polixenes*, Mercator, cum intra duos dies quamdam summam alteri solvere teneretur, ac ipsi pecunia deesset, *Micellum* rogavit, ut sibi mutuam summam, qua indiget, illique offert 60. pro centum censu loco.

ZZZZZ

R. Si Polixenes scit, Metellum esse usurarium, non peccat, licite enim potest ex peccato alieno intendi bonum aliquod præsertim urgente necessitate. Verum si Polixenes scit Metellum non esse deditum usurario commercio, peccat, quia ipsi ansam præbet committendæ usuræ. *S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. in corp.*

NOTA. In mercatoribus plerumque reperitur majus periculum amittendæ fortis, cujus valor juxta incrementum periculi decrescit.

CASUS XL. *Pantaleon*, Gemmarius, in quadam extraordinaria occasione ratione sui gemmarum commercii pecunia indigens dubitat, an mutuum petere licite possit ab iis, quos usurarios esse novit?

R. Censeo, Pantaleonem posse licite petere mutuum ab usurario publico, si aliunde pecuniam, qua indiget, acquirere non possit, *S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. in corp. ad 2.* Verum Theologi non conveniunt in determinando gradu necessitatis; an nimirum debeat esse extrema, aut gravis, aut necessitas decentiæ statûs, v.g. Mercatoris, qui suum commercium exercere non posset, nisi mutuum acciperet sub conditione solvendi censûs, & hanc major pars sufficientem necessitatem esse teneat: hinc Pantaleon absque peccato ab usurario mutuum petere ac censum solvere potest ratione necessitatis decentiæ statûs, id est, sui commercii. *Pontas.*

NOTA. Eum solvere posset titulo solius periculi, quod in Gemmariis frequenter reperitur.

CASUS XLI. Si verò in priori casu Pantaleonem non urgeat necessitas mutuandi ab usurario, sed solum id agat eo fine, ut augeat suum commercium, & sic splendidius vivere possit. An absque peccato mutuum petere potest ab usurario?

R. Dicitur potest, quòd, si Pantaleon scit, illum, à quo mutuatur, revera usurarium exercere commercium, non possit absque peccato mutuare ab eo, cum ipsius intentio mala sit. *S. Thomas ibidem.*

NOTA. Vide *Cas. 27. 35. 38. 39. 40.*

CASUS XLII, *Sigebertus* pecuniâ indigens emit à quodam gemmario duos

adamantes pro 3000. florenis intra annum solvendis, aut *Sigebertus* mox istos adamantes eidem gemmario iterum vendit pro 2750. florenis mox in parata pecunia solvendis. An iste contractus usurarius?

R. Iste contractus, qui vocatur *Mobilitas*, quamvis palliatus sub nomine *Emptio & Venditio* est manifeste usurarius *S. Antoninus 2. part. Summ. Theol. tit. 1. c. 8. §. 3.*

CASUS XLIII. Quidam Mercator rogatur, ut summam quamdam pecuniæ vellet accipere ac pro ea censum dare.

R. Absque peccato talis petitio fieri non potest, nec etiam Mercator eam acceptare, nisi justa adlit necessitas. *De Lamet.*

NOTA. Vide *Cas. 39. 40. 41.*

CASUS XLIV. Tutor pecuniam sui clientis minorennis mutuam dare ad censum cogitat.

R. Non potest id facere, multò minùs censum censûs accipere, & si tali modo egit, tenetur ipse è propriis bonis restituere census usurarios. *Fromageau.*

NOTA. Vide *Cas. 39. 40. 41. &c.*

CASUS XLV. Quidam Vir census usurarios recepit, & hos restituere renuit præterdicens, se tales census jam à 30. annis non amplius recepisse, & se illos tunc recepisse ideo, quia credebatur, non esse prohibitum, ejusmodi census percipere.

R. Præscriptio non habet hic locum, & sola bona fides non potest eam reddere validam. Non potest accipi census vi mutui, nisi contra debitorem bona fide & sine fraude quis obtinisset decretum, quo ad solvendum censum cogeretur. *Fromageau.*

NOTA. Sufficit loco Decreti praxis omnium aut lex, quibus in Titulum recipitur periculum fortis.

CASUS XLVI. *Titius* mutuavit *Fabio* 5000. florenos, & *Fabius* simplicem syngrapham dedit *Titio*, in qua *Fabius* profitetur, se debere *Titio* 5250. florenos, id est, unâ cum annuo censu quot annis solvendo.

R.

R. *Titius* reus est usuræ, & graviter peccavit, si scivit, tale mutuum esse usurarium, aut si dubitavit, in veritatem indagare neglexit. Verum si *Titius* id ignoravit, & scire non debuit, non est obligandus ad restitutionem illius, quod consumpsit, sed tantum illius, quo ditior factus est. Si denique bona fide non egit, tenetur restituere omnia sub pœna denegandæ absolutionis. *De Lamet.*

NOTA. Vide *Cas. 43. 45.*

CASUS XLVII. Quidam Mercator jam à longo tempore pecunias suas emendis variis per mare advehendis mercibus impendens rogatur à suo amico, ut ipsi quamdam summam mutuam dare velit pro censu à legibus Provinciæ suæ permissio. Potestne mutuum dare?

R. Lucrum cessans est sufficiens titulus, vi cujus possit accipi census pro mutuo data pecunia aliàs in commercio fructificatura, supposito 1. quòd aliam pecuniam pro suo commercio non habeat mutuans. 2. Quòd mutuans mutuatario asseverarit, se censum exigere ad compensandum lucrum cessans. 3. Quòd ante constitutum terminum censum non exigat, & censum proportionatum lucro, quod ipsemet in suo commercio percipere potuisset, deductis tamen deducendis petat. *Fromageau.*

CASUS XLVIII. *Titius* inicit contractum pignoratitium simulatum.

R. Talis contractus est usurarius, & est revera mutuum, de quo non potest percipi ullum lucrum, nisi in casu damni emergentis & lucri cessantis. *De Lamet.*

NOTA. Et ob periculum fortis. V. *Cas. 39. 40. 41. 27.*

CASUS XLIX. Quidam Proxenetæ in Gallia jura sua, quibus quoad census Gaudent, nimis extendunt. An licite?

R. Committunt injustitiam, & tenentur restituere id, quod excedit. *De Lamet.*

CASUS L. In Britania tutores mutuunt aliis pecuniam suorum Clientum pro censu, & Curatores Parochialium Ecclesiarum tenentur solvere censum summæ,

quam, postquam annua computatio cum illis facta est, debent.

R. Tutores non possunt mutuare aliis pecuniam suorum Minorennium Clientum pro censu: dicti Curatores verò possunt condemnari ad solutionem ejusmodi censûs. *De Lamet.*

NOTA. V. *Cas. 45. 39. &c.*

CASUS LI. Quidam inicit contractum locationis pecorum, qui in Gallia dicitur *Contract. de cheptel.*

R. Locans in se suscipere debet omnem jacturam fortuitam, improvisam, inevitabilem, quæ accidit; locatarius verò solum tenetur sufferre jacturam suâ ipsius culpâ accidentem. *De Lamet.*

CASUS LII. *Titius* mutuatur *Valerio* quamdam summam pecuniæ pro annuo censu hac conditione, ut sortem principalem repetere possit, si *Valerius* per duos annos censum pendere moretur.

R. Iste contractus est usurarius, non est enim contractus constitutionis, sed verè mutuum, vi cujus censum accipit. *De Lamet.*

NOTA. Si concurrat titulus, & est usurarius, et si contractus mutui sit utrinque redimibilis.

CASUS LIII. Quidam cuidam Mercatori mutuos dedit 25000. florenos hac conditione, ut elapso quinquennio eos restituat unâ cum censu 5. pro 100.

R. Usura est, & tenetur restituere census receptos. *Fromageau.*

NOTA. V. *Cas. 52. 39. 45. &c.*

CASUS LIV. Opinio, quæ dicit licitum esse contractum triplicem, estne probabilis?

R. Haud videtur, de se esse malos, si separatim & bona fide facti sint: Ast in praxi, & ut ordinariè fieri solent, sunt usurarii. *Fromageau.*

CASUS LV. Quidam vir lucrum è sua pecunia percepturus Ministrum Cambii adiit, qui eum ad Thesaurarium regium misit, & hic ipsi promisit, se ipsi intra triennium sortem principalem unâ cum censu triennali pro Regis taxa redditurum. An in hoc casu intervenit

Zzzzzz 2 usu-

usura? & num hujus Minister Cambii quoque reus est?

R. Vir iste reum se fecit usuræ, nisi eum bona fides fors excuset. Minister verò Cambii non peccavit, si ab iis, qui pecuniis indigent, commissionem habuit indagandi in tales, qui mutuo dare possunt & volunt pecunias. Ast in præsentis casu reus est usuræ, si per hoc gratiam exhibere volens dicto viro, & ejus pecuniam fructiferam reddere ipsum misit ad pecuniis indigentem, & tali modo causa fuit exacti, promissique censûs. *Fromageau.*

NOTA. Majus periculum Sortes principales incurunt in ærario Regum ac principum, quam privatorum. Titulus autem periculi excusat ab usura V. *Caf. 39. 40. 41.*

CASUS LVI. Quidam Mercator 1500. florenos habens, cum eos in commercio collocandi occasionem nesciret, Titio mutuavit, qui ipsi cautionem præstitit, quòd intra triennium dictam summam unà cum censu 5. pro 100. restitutus sit.

R. Si istum censum accipit, reus est usuræ. *Fromageau.*

NOTA. V. *Caf. 55.*

CASUS LVII. Quidam vir, Parisiensis lucrum percepturus è suis, quos habet, 25000. florenis adit Ministrum Cambii, qui dictam summam accipiens ipsi literas dedit, vi quarum *Lugduni* æqualem summam sit recepturus, *Lugduni* verò alias accepit literas, & vi harum præmemoratam summam acquisiturus est Parisiis, interim tamen Minister Cambii faciendas impensas, & censum annum ipsi solvit.

R. Totus iste casus Artificium est paliandi Usuram. *Fromageau.*

Vide 55. *Caf.*

CASUS LVIII. An in commercio marino exigere potest ille, qui mutuum accipit, ut mutuans affectionem præstet sortis principalis, qualiscunque demum accideret casus fortuitus, & hoc ideo, quia omnis lucri particeps erit?

R. Id fieri non potest, nisi mutuum mutetur in contractum societatis, in societate enim lucrum percipi potest, in mutuo autem lucrum percipere usura est. *De Lamet.*

NOTA. In Commercio marino concurrunt periculum fortis, qui titulus excusat.

CASUS LIX. *Poloni* credunt, sibi licere mutuare pro censu, quia in *Polonia* propemodum impossibile est, firmas constituere hypothecas in bonis immobilibus.

R. Errant *Poloni*, nam defectus hypothecæ non est sufficiens titulus ad mutuandum pro censu. *De Lamet.*

NOTA. In *Polonia* sine dubio frequenter concurrerit periculum fortis, qui titulus excusat.

CASUS LX. An in Provinciis, ubi scriptum viget, Filia, quibus Pater defunctus non nisi septimam bonorum partem reliquit, tenentur inquirere, an Pater contractus usurarios inièrit?

R. Non tenentur, sed hæc inquisitio incumbit illi, quem hæredem instituit: interim tamen si dictus hæres non sit capax è suis bonis restituere omnia lucra usuraria defuncti testatoris, etiam filia defuncti tenerentur contribuere ex parte, quam in usurarii bonis habuerunt. *Fromageau.*

CASUS LXI. Quidam debitor condemnatus est ad solutionem censûs, quia constituto tempore summam principalem non solvit. An creditor id exigere potest?

R. Potest in præsentis casu: verum si mutuando intentionem habuit percipiendi censum, & quidem per sententiam iudicis, usuræ reus erit. Certè si iudices nosset, debitorem & creditorem inter se colluisse, locò adjudicandi censûs potius creditorem multarent ut usurarium. *De Lamet.*

CASUS LXII. A quodam Magistratu toleratur usura, an hujus autoritas usuram licitam reddit?

R. Neque consuetudo, neque autoritas, quæcunque demum sit, usuram reddere potest licitam. *Fromageau.*

CA-

CASUS LXIII. Hæredes si sciant, testatorem quendam certam summam debere, tenentur eam solvere, cum tamen ante suum obitum de hoc debito ipsis nec verbum dixerit?

R. Tenentur solvere debitum defuncti, non tamen tenentur solvere censum suppositò, quòd dilatio solutionis creditoribus non intulerit damnum, aliàs enim tenerentur & solvere census. Hæres solum tenetur restituere pro rata hæreditate acquisiti. *De Lamet.*

CASUS LXIV. *Vidua* renuntiavit communitati bonorum, quam cum suo Marito habuit, an nihilominus tenetur ad restitutionem censuum usurariorum nomine sui Mariti perceptorum?

R. Tenetur eos restituere, & non excusatur ex eo, quòd timuerit, ne viro suo displiceat, & quòd eos perceperit ipsius absentis quandoque jussu. *Fromageau.*

CASUS LXV. *Titius*, cum *Cajo* suam domum venderet, dixit: trado tibi meam domum pro 1000. imperialibus, si mihi statim hanc summam solvas, si verò primum post annum solvere velis, domum non tradam nisi pro 1050. imperialibus.

R. Si summa 1050. imperialium non excedit justum pretium domus, contractus erit licitus, si verò domus in summo pretio æstimata tantum 1000. imperialibus appretiat, & *Titius* alium justum titulum non habet exigendi 1050. imperiales quàm dilationem solutionis, contractus est usurarius. S. *Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. Girib. de contr. Gobat.*

CASUS LXVI. Princeps taxam posuit frumenti, Mercator autem quidam vendit suum frumentum carius quàm taxâ Principis licet.

R. Si frumentum Mercatoris non est melioris qualitatis quàm frumentum à Principe taxatum, Mercator peccat contra justitiam, quia pretium à Principe præscriptum pro justo ac rationabili pretio habendum est. Ast si frumentum dicti Mercatoris notabiliter melioris qualitatis est,

Mercator non agit injustè. Idem dicendum esset de frumento peioris qualitatis frumento ordinario à Principe taxato, quod utique minori vendi posset pretio, quàm quo à Principe taxatum est. *Homb. b. consult. 2. Diana. p. 1. Girib. de contract.*

CASUS LXVII. *Petrus*, cum domum ædificare cœpisset, ac eam consummare non potuisset, mutuavit pecuniam pro censu, quia alia ratione non potuisset acquirere pecuniam.

R. Potest id facere, nam sicut mutuum petere de se est res indifferens, & ex sua natura licita, sic etiam possum petere mutuum ob justas rationes, licet mutuarius ex hoc occasionem sumat peccandi. Dein sicut motivum ædificandæ domus est legitimum, sic etiam in casu, quo *Petrus* aliò modò totaliter ædificium domus perficere non posset, nisi mutuum accipiat, pecuniam pro censu, licitum est mutuare pro censu. *Suarez. Busemb. Bonac.*

CASUS LXVIII. *Cajus* mutuavit *Petro* mense Majo decem modios tritici hac conditione, ut *Petrus* mense Augusto mutuet *Cajo* decem mensuras vini, quo *Petrus* perbene provisus est. An iste contractus usurarius est?

R. Est usurarius, nam juxta regulam Generalem omnis conditio onerosa mutuo extrinseca, si mutuo additur, contractum usurarium facit, hinc *Cajus*, qui talem contractum cum *Petro* fecit, usuræ reus est, quia obligatio, quam *Petro* imposuit, pretio æstimabilis est. *la Croix de usuris. Bonac & alii.*

CASUS LXIX. *Cajus* cum *Petro* quendam pecuniæ summam mutuasset, se obligavit, se eam non repetituram ante triennium: Verum cum prævideret, durante triennio damnum aliquod sibi fore sufferendum, aut lucrum quoddam fore perendum ob defectum pecuniæ mutuo datæ, petit à *Petro* censum nimirum 3. pro 100.

Zzzzzz 3

R.

R. Potest census petere absque usura, nam titulus, vi cuius census petit, est totaliter extrinsecus mutuo, & hinc sufficiens, ut possit exigere census, præsertim si Petrus se non vellet obligare ad compensationem damni à Cajo sufferendi, aut lucri perdendi.

CASUS LXX. Petrus mutuans Joanni 100. imperiales se obligavit, se eos intra biennium non repetiturum: Potestne vi hujus suæ obligationis aliquid ultra summam principalem exigere?

R. Non potest, id ipsum enim damnatum est ab Alexandro VIII. in Propositione quadragesima secunda: ista Petri obligatio nil aliud est quam prolongatio mutui, aut novum virtualiter mutuum, pro quo non potest quidquam accipi, sicuti nec pro formali. *Viva in præc. prop.*

CASUS LXXI. Petrus tradidit Cajo 100. oves, quas æstimari fecit, & cum Cajo convenit, ut Cajo, quando oves vendit, restituat Petro juxta æstimationem in traditione ovium factam, interea usque dum eas vendat, lana, & lucrum ex eis à Cajo factum inter se dividatur.

R. Iste contractus est usurarius, nam in ejusmodi contractibus omne periculum sufferendum est illi, qui sortem principalem tradidit, nisi novo contractu assicuratio alius periculum subire debeat: hinc cum in proposito casu novus contractus assicuratio non detur, contractus erit usurarius. *De Lugo.*

CASUS LXXII. Titius emit domum hac conditione, ut summam pro ista domo persolutam, si sibi ita placuerit, possit reddere, & tali modo domum restituere.

R. Iste contractus est validus, quia non exstat lex prohibens, ne in emptione addatur conditio venditori onerosa, & emptori favorabilis, si onus venditori impositum compensetur pretio majori: talis igitur contractus non est usurarius: in præsentem etiam casu non agitur de simplici mutuo, sed de vera emptione, hinc si domus periret, emptori periret, pariter redditus, si quos à domo provenirent,

emptori quoque provenirent. *Rosign. de contract. Azor. part. 3. inst. mor. lib. 8. cap. 12.*

CASUS LXXIII. Quidam Mercator non habens merces, quas quidam ab illo emere cupit, simulat se eas habere, interea ad vicinum suum, & ab eo pro 9. florenis desideratas merces emit, easque pro undecim florenis vendit.

R. Lucrum istud licite percipere potest, supposito tamen quod ii floreni non excedant justum pretium mercium dictarum.

CASUS LXXIV. Calistus indigens 500. florenis in contractum constitutionis ratione fundi, qui ordinariè non nisi trigesimam partem producit, ac simul se obligat, quod annuatim decem aut viginti florenos, quos de sua industria lucraturus est, addere velit.

R. Iste contractus non est licitus, quia ex parte afficit personam, Bulla verò Pii V. cum onus declarat, omnes contractus esse usurarios, qui non afficiunt bonum immobile.

NOTA. Bulla S. Pii V. disponit pro Statu Ecclesiastico. Census æque constitui potest in Officio vel industria personæ, ac in re immobili. Nam quia cessante Officio vel industria deficit titulus exigendi census, hoc ipsum periculum amittendi Officii vel virium præbet titulum exigendi auctarium sortis. Vide in mea Theologia in Tr. de Contractibus, ubi exactius scribo de musuo.

USUSFRUCTUS.

1. *Ususfructus* vocatur jus, quo quis gaudet, utendi ac fruendi re aliqua, cujus proprietas ad alium pertinet. *Ususfructus*, ait lex, est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantiâ. Jus istud variis potest fundari titulis, scilicet lege, consuetudine, conventionem, testamento, aut donatione.

2. *Ususfructuarius* eo momento, quo acquisivit usumfructum, fructus ad usum aptos facit suos; atque cum ususfructus per mortem usufructuarii expirat, omnes

USUSFRUCTUS.

res fructus percepti ac collecti ante mortem ipsius, separatique à fundo, etiam si ibi adhuc detenti, ad hæredes ejusdem pertinent; nisi per ipsum ususfructus titulum aliud fuerit constitutum, aut contraria consuetudo vigeat, prout viget respectu dotis in quibusdam Provinciis.

3. Si *Ususfructuarius* fructus locavit alteri, & post eorum collectionem moriatur, etiam si præfixum tempus solutionis nondum advenit, integrum tamen locationis pretium cedit & solvendum est ejus hæredibus.

4. Quando fructus non nisi successive acquiruntur, ut in locatione ædium, usufructuarius tantum ex iis percipit, quantum habita ratione temporis, quo duravit ipsius jus, ei debetur; reliquis fructibus ad dominum rei pertinentibus.

5. *Ususfructuarius* habet jus colligendi fœnum & olivas, antequam ad perfectam maturitatem pervenerint; non autem frumentum & uvas.

6. Immutationes utiles aut noxiæ fundo advenientes unice respiciunt usufructuarius, qui ejusmodi immutationes pro libitu potest facere, dummodo non deterioretur fundus.

7. Si dominus fundi fundum prius locatum tradat alteri titulo ususfructus, usufructuarius potest interrumpere locationem, nisi contrarium determinatum sit in ipso titulo.

8. *Ususfructu* expirante usufructuarius non habet jus petendi compensationem meliorationum aut augmentationum, quas fecit in fundo, sed tantum reparationum necessariorum, quas fecit ultra eas, ad quas obligabatur.

9. Ille, cui acquiritur ususfructus emptione, donatione, aut per testamentum, necessario ab eo, à quo acquisivit usumfructum, aut ab hærede ejus, aut à legatario in eo statu collocandus est, ut possit gaudere usufructu. Idem tamen non dicendum de aliis commodis non absolute necessariis ad hoc, ut possit gaudere usufructu.

USUSFRUCTUS.

10. *Ususfructus* titulo generali acquisitionis comprehendit non solum bona immobilia, sed etiam mobilia, imo & usu consumptibilia. Ex usufructu animalium usufructuarius habet omnem utilitatem, quam potest exinde percipere; verum tenetur reddere eundem numerum animalium Domino aut ejus hæredi. Si tamen animalia ejusmodi non producerent alia sibi similia, non teneretur refarcire ea, quæ absque sua culpa perirent.

11. *Ususfructuarius* statim ab initio debet conficere inventarium rerum, quarum usu gaudet, ut manifestum fiat, quo in statu constitutæ sint res, ex quibus fructum capere aggreditur.

12. Proprietarius, aut quivis alius, cujus interest, habet jus exigendi ab usufructuario cautionem necessariam pro conservatione fundi, & ejusdem restitutione.

13. *Ususfructuarius* non potest quidpiam in fundo deteriorare, aut immutare, quod pro decoratione ejusdem, aut etiam meræ voluptatis gratiâ in eo positum est. Ipsi præterea incumbit omnibus oneribus ususfructus satisfacere, reparationes minores facere, arboribus arefactis alias substituere, resque omnes in bono statu conservare. Non tamen tenetur ad reparationes majores, nisi in casu, quo eæ ex propria ipsius culpa necessario faciendæ sunt.

14. Proprietarius nihil potest addere aut immutare in locis aut rebus usufructui alterius subjectis: id si faceret, teneretur ad præstandum damnum & interesse legitimum.

15. Denique non tenetur *usufructuarius* ad ea reparanda, quæ jam tunc destructa erant, dum usumfructum sibi acquisivit. Jus usufructuarii est personale; & cessat. 1. Per mortem ipsius naturalem aut civilem. 2. Per eventum conditionis, si jus usufructus cuidam conditioni alligatur. 3. Quando perit fundus incendiò, inundatione, aut alio casu fortuito. Combusta, vel corrumpente, aut alio modo totaliter destructa domo nullum prorsus jus

Jus relinquitur usufructuario ad fundum, in quo posita erat domus. Si tamen una tantum pars domus fuisset destructa, altera parte manente integra, remaneret illi usufructus etiam in parte destructa, tanquam in accessorio ad principale, positum, quod usufructus sit particularis, & tantum alligatus ad domum.

CASUS I. *Paulinus* ex legato obtinet ad sexennium usumfructum gregis ovium quingentarum, ex quibus sine ejus culpa ex casu merè fortuito perierunt quinquaginta. An tenetur hæredibus defuncti refarcire jacturam quinquaginta ovium?

R. *Paulinus* tenetur restituere integrum numerum gregis, & refarcire quinquaginta oves: percepit enim lucrum ex lana, agnis & stercore. *Leg. Plenum 12. ff. de usu & habitatione. l. 7. t. 8.* Aliud dicendum foret, si legatum constitisset in animalibus ineptis ad sui propagationem. *Pontus.*

CASUS II. *Augustinus* ad decennium habuit usumfructum cujusdam prædii, confectum statim ab initio aditæ possessionis inventario. Cum autem obiisset præcisè sub finem temporis, quo exspiraverat usufructus, proprietarius advertit, deesse centum arbores frugiferas, quæ fuerant emortuæ, & corruisse quoddam ædificium prædii, quamvis ante decennium fuerit adhuc in bono statu; petitque compensationem damni ab hæredibus *Augustini*.

R. Quoad arbores frugiferas, tenentur hæredes *Augustini* compensare damnum: usufructuarius enim debuisset meliorare, & non deteriorare fundum. *Leg. sed cum 65. ff. de usufructu & c. & leg. si cujus. 13. ff. §. 4. eod. tit.* Quod attinet ædificium prædii, hæredes pariter tenentur ad compensationem damni, si corruit ex defectu necessariorum reparacionum, quas facere neglexit *Augustinus*. *Leg. Eum. 7. Cod. de usufructu.*

CASUS III. *Philibertus* legavit *Mævio* usumfructum cujusdam Toparchiæ; ubi, quamprimum ejusdem possessionem adit, loco arborum inutilium in deambulatione

riis plantavit frugiferas; diruit ædificia inutilia, quorum reparaciones magnos exigebant sumptus; & fundos steriles destinatos pro deambulatione reddidit fertiles. Nihilominus mortuò post decennium *Mævi* hæredes *Philiberti* exigunt ab hæredibus *Mævi* compensationem illati damni. Num justè?

R. Justè eam exigunt; quia non est in potestate usufructuarii mutare statum rei. *Leg. si cujus 15. §. 4. ff. de usufructu & c.*

CASUS IV. In sylvâ triginta aut quadraginta arbores vento dejectæ sunt; & *Caspar*, qui habet usumfructum prædii, cui sylvâ annexa est, eas cum quibusdam aliis emortuis cædi ac domum suam deferri jussit, tanquam ad se pertinentes. Verùm proprietarius petit restitutionem. An ad eam tenetur *Caspar* usufructuarius?

R. Arbores à vento dejectæ pertinent ad dominum fundi, cujus est eas, ne usufructuario damnum inferant, amovere, & si velit, alias plantare: hinc *Caspar* tenetur domino fundi ad restitutionem arborum dejectarum, vel ad solutionem pretii. *Leg. Arbores 59. ff. de usufructu & c.* Nihilominus si *Caspar* has arbores ad structionem aut necessariam reparacionem prædii, in quo habet usumfructum, applicasset, non teneretur ad restitutionem. *Leg. Arboribus. 12. ff. de Usufructu & c.* Quod attinet reliquas arbores emortuas & arefactas, eæ pertinent ad Usufructuarium, cum obligatione tamen alias plantandi. *Leg. Agri. 18. ff. eod. tit.*

CASUS V. *Theodorus* in testamento legavit *Davidi* usumfructum suæ vineæ, & moritur eo ipso die, quo vindemia pro *Theodoro* inchoanda erat. Ad quem pertinent fructus vineæ?

R. Pertinent ad *Davidem*, cui jus usufructus jam erat acquisitum, antequam vindemia inchoata fuerat. *Leg. si pendentes. 27. ff. de usufructu & c.* Idem dicendum foret, si fructus fuissent locati ab usufructuario, qui dein post eorum collectionem

obiisset, etsi tempus præstandæ à locatario solutionis nondum advenisset. *Leg. defuncta. 58. ff. eod. tit.*

CASUS VI. *Hervæus* usufructuarius sylvæ cæduæ, stagni, & agri frumentarii *Ligna* jam erant cæsa, sed adhuc relicta in fundo; pariter pars frumenti jam erat messa, sed adhuc in agro detenta. Piscacionem in sequentem diem indixit, & omnia parari jussit. Tactus autem apoplexiâ insequente nocte moritur. Quæritur jam, ad quem pertineant ligna cæsa, frumentum messum & proximè metendum, & jus piscandi in stagno?

R. Quando usufructus exspirat tempore, quo actu colliguntur fructus, separati à fundo, licet adhuc remanentes in fundo, pertinent ad hæredes usufructuarii; fructus autem nondum separati à fundo pertinent ad dominum fundi. Hinc ligna cæsa, & pars frumenti messæ pertinent ad hæredes *Hervæi*; non messæ autem & jus piscandi in stagno ad dominum fundi. *Leg. Hæres. 2. 2. ff. de usurpat. lib. 41. t. 3.* Item *Leg. si fructuarius. 13. ff. de quibus modis & c.* ac denique *Leg. in singulos. 8. in fin. ff. de annuis legatis. l. 33. tit. 1.* Nihilominus hic advertendum. 1. Potissimam hac in re rationem habendam esse tituli, ex quo acquiritur usufructus. 2. Hic non agi de Beneficiis, neque de iis, qui Beneficia possident. Fructus illius anni, quo Beneficiatus deeedit, quique ex usu recepto incipit primo Januarii, in Gallia dividuntur inter hæredes defuncti & Successorem ejus, habita ratione temporis, quo defunctus eo anno deserviebat suo Beneficio. *Pontus.*

CASUS VII. *Jodocus* per testamentum legavit *Joanni* & *Jacobo* usumfructum prædii, cujus annui reditus sunt 400. floreni, ut eo conjunctim gauderent, quamdiu viverent. Tribus mensibus post aditam possessionem moritur *Jacobus*. Cuinam accrescit dimidia pars usufructus? *Joanni*, an hæredibus *Jodoci*?

R. Quando sunt duo usufructuarii ejusdem rei, superstiti accrescit portio defuncti. *Leg. Quoties. 1. ff. de usufructu accrescendo. l. 7. tit. 2. & passim toto titulo.* Item *Leg. Si mulieri. 8. ff. eod. tit.* Id tamen solum intelligendum est de usufructu duobus aut pluribus conjunctim relicto. Hinc *Joanni* cedit usufructus in toto prædio.

CASUS VIII. *Sabinianus* gaudebat usufructu cujusdam magnæ domus; quæ tamen fulmine tacta in flammam abiit. Potestne dominus fundi sibi vindicare relicta materialia, & disponere de loco, in quo exstructa erat domus? an usufructuarius?

R. Jus usufructus alligatur solum rei, quæ usufructui alterius subicitur, nec attingit reliqua bona. Hinc dominus fundi potest disponere de relictis materialibus, & de loco, in quo posita erat domus combusta. *Leg. Est enim. 2. ff. de usufructu & c.* Verùm si usufructus foret acquisitus in totalitate bonorum, usufructuarius conservaret suum jus in locum combustæ domus, & in residua materialia, tanquam in partem universalitatis bonorum. *Leg. Quoties. cit.* Pariter à regula generali excipienda sunt bona campestris & rustica: si enim ædificium ejusmodi prædii periret, usufructuarius haberet jus in aream seu locum, cui ædificium superstructum erat, tanquam in accessorium & partem universalitatis bonorum. *Leg. fundi. 8. & Leg. Sed & 9. ff. quibus modis usufructus & c.*

CASUS IX. *Michaël* usufructuarius cujusdam fundi in eo reperit lapidicinam; quam proin aperit, & in lucrum suum convertit. Potestne absque injustitia sibi attribuire lucrum ex lapidicina?

R. Lapidem, gypsum, aliæque materialia, quæ ex lapidicina extrahuntur, habent rationem fructuum; & consequenter absque injustitia ea sibi attribuit usufructuarius. *Leg. si cujus. 15. §. 5. ff. de usufructu & c. l. 7. t. 1.*

CASUS X. *Sigismundus* usufructuarius cujusdam domus eam ad annum locavit alteri pro 300. florenis, incipiente locatione primò Januarii, & pretiò solvendò semper expletis sex mensibùs. Interea autem primò Aprilis obit *Sigismundus*. An pretium locationis pro tribus elapsis mensibus, nempe 75. floreni, ad hæredem *Sigismundi* pertinet?

R. Jure hoc pretium præten dit hæres *Sigismundi*: reditus enim, qui ex usufructu successivè & de die in diem aquiruntur, pertinent ad usufructuarium pro rata temporis. *Leg. Si operas. 26. ff. de usufructu &c.*

CASUS XI. *Casimirus* gaudet usufructu cujusdam exigui fundi à *Leandro* sibi legato. Post biennium autem tempore belli varia huic fundo imponuntur onera. Quis ea præstare tenetur? num *Casimirus*, num hæres *Leandri*?

R. Quilibet usufructuarius tenetur præstare onera fundi, cujus usufructu gaudet. *Leg. Si pendentes. 27. §. 3. eod. tit.* Hinc hæres *Leandri* ad nihil tenetur ratione onerum impositorum fundo *Casimiro* in usufructum legato. *Pontas.*

NOTA. Usufructuarius tenetur præstare onera ordinaria, non extraordinaria, v. g. ex incur sione hostium, quæ prævideri, ac proin deduci in pactum non poterant.

CASUS XII. *Leo* usufructuarius fœnum integro mense prius demessuit, ac consuetum erat; & statim post moritur. Dominus fundi præten dit restitutionem.

R. Præten sio hæc est injusta: *Leo* enim justè ante consuetum tempus potuit demetere fœnum, ac domum avehere. *Leg. Si absente. 48. §. 1. ff. de usufructu &c.*

CASUS XIII. *Geofredus* reliquit *Delphio* per testamentum pro usufructu prædium & horreum, quod tamen uno die ante mortem *Geofredi* vetustate exesum corrui. *Delphius* petit ab hæredibus *Geofredi*, ut novum exstrui curent horreum. Num jure id petit?

R. Dominus fundi nunquam tenetur ad restituendum aut reficiendum id, quod

destruitur aut deterioratur eo tempore, quo usufructus est acquisitus usufructuario, nisi damnum suâ culpâ acciderit, aut vituli ad id obligetur. Hinc præten sio *Delphii* nullò nititur fundamentò. *Leg. Sed cum. 65. §. 1. ff. de usufructu &c.*

CASUS XIV. *Artus* legavit *Cajo* usufructum in vastissimo prato, ad quod perveniri non potest, nisi per fundum *Mavii* filii defuncti *Arti*, cui hic ipse fundus ex hæreditate paterna obigit. *Mavius* autem negat transitum. An jure?

R. Injustè hoc negat: dum enim legatur cuidam usufructus in re, aquiritur ipsi jus ad id, quod absolutè necessarium est ad hoc, ut possit fructum capere ex re. *Leg. Si fundo. 1. §. 1. ff. Si usufructus &c. lib. 7. tit. 6.*

CASUS XV. *Octavius* legavit *Fabio* usufructum in fundo ante breve tempus ad quinquennium locato alteri. Mortuò *Octaviò* *Fabius* nondum elapsò quinquennio vult expellere locatarium. An jure?

R. *Fabius* potest absque injustitia expellere locatarium. *Leg. Arbores. 59. §. 1. ff. de usufructu &c. l. 7. tit. 1.*

CASUS XVI. *Sylvius* legavit in testamento *Maglorio* usufructum quatuor jugerum prati, in quo tamen post conditum testamentum *Sylvius* ædificavit domum, & reliquum fundi convertit in hortum. Mortuò *Sylvio* præten dit *Maglorius* usufructum domus & horti. Num illi debetur?

R. Mutatio ab ipso testatore ante mortem facta in fundo legato clarè denotat, quòd etiam mutaverit voluntatem, & legatum annullare voluerit. Hinc præten sio *Maglorii* prorsus caret fundamentò. *Leg. Repeti. 5. §. 3. ff. quibus modis usufructus vel usus amittitur.*

CASUS XVII. *Arnulphus* usufructum prædii reddituum 200. florenorum legavit *Faustino*, qui paulò post ob grave crimen ad virgas & exilium condemnatus est. An ob id legatum *Faustino* factum suo effectu caret?

R. Si exilium, ad quod fuit condemnatus *Faustinus*, est perpetuum, habendus

est pro civiliter mortuo, & totaliter excidit jure usufructus. *§. finit. 3. Instit. de usufructu. lib. 2. tit. 4.*

UXOR.

CASUS I. *Berta*, licèt in sua juventute valde laboriosa, exiguam tamen marito suo attulit dotem, quapropter cogitat lucrum labore suo comparatum sibi met reservare, quo mendicitatem, si marito superviveret, præcaveret: Maritus *Bertæ* jamjam moriturus bonorum omnium hæredem designavit Nepotem ex fratre; jam petit *Berta*, utrum teneatur lucrum à se factum isti hæredi cedere?

R. Si dictum lucrum industriae suæ extraordinariae fructus sit, & labore supererogatorio absque ullo rei domesticæ dispendio comparatum, potest sibi istud reservare. *Less. Bonac. Gobat.*

CASUS II. Quædam *Materfamilias* sæpius marito suo furatur pecunias pro sustentatione suæ domesticæ familiæ. Peccatne?


R. Si *Materfamilias* id facit, quia maritus suus, licèt sæpè monitus, negligit providere necessitati suæ familiæ, non peccat, cum marito negligente uxoris sit rei domesticæ curam habere. Verùm si

id faciat propria autoritate insalutato marito, peccat, quia sibi jus arrogat, quòd illi minimè competit.

CASUS III. *Berta* confugit in domum Patris sui, & renuit redire ad suum Maritum, quia sæpè ab illo verberibus excipitur; quod verò alia ex causa non fit, quam ut corrigatur nimius ipsius loquendi pruritus. An absolvenda est à Confessario, si illa in sua obstinatione perseveret?

R. Si Maritus excedat in verberibus, *Berta* jure à suo marito abire ad Patrem potest; quia causa illam tam malè tractandi non datur legitima; si igitur jure abscedere potest à suo marito, absolutio quoque ei neganda non est supposito, quòd non vellet redire ad maritum. Si verò ista Castigatio tantum levis sit, & maritus respectu personæ, conditionis, & statûs correctionem talem necessariam judicet, *Berta* justam non habet causam discedendi à suo marito, cum ille in tali casu jure merito suam corrigere uxorem possit: si igitur *Berta* obstinata redire ad maritum recuset, & ipse maritus insuper Uxoris absentiam graviter ferat, non est absolvenda à Confessario. *Girib. in 4 Dec. præc. Bonac. punct. 7. n. 1. & 2. Filiuc. tract. 28. part. 2. c. 9. q. 3. n. 141.*

F I N I S.



UNIVERSITATIS
BONONIAE